

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

BIBLIOTECA
COMPLUTENSE.
E. 64 C. 8 N. 14
28-8

Digitized by Google

Derz
976



Digitized by Google



Digitized by Google

F. THOMÆ FAZELLI SICVLI, OR. PRÆDICATORVM

DE REBVS SICVLIS DECADES DVAE, NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITAE.

HIS ACCESSIT TOTIVS OPERIS INDEX LOCVPLETISSIMVS.



CAVTVM EST PHILIPPI ANGLIAE, HISPANIAE, Siciliaeq; Regis, Pauli. IIII. Pont. Max. ac Venetae Reip. priuilegio, ne cui has Decades de Siculis rebus ad decennium in eorum ditione vel imprimere, vel alibi impressas venales habere, neue in sermonē Italicū iniussu authoris vertere sub multa liceat.

Digitized by Google

D. PHILIPPO HISPANIAE, ANGLIAE, SICILIAE, &c. REGI POTENTISSIMO.

FRATER THOMAS FAZELLVS, SICVLVS ORDINIS PRAEDICATORVM. FAELICITATEM.

CVM ANNO SVPERIORI INVICTISSIME REX SICVlarum rerum Decades duas a me per annos viginti ex incorruptis auC thorum monumentis excerptas, Carolo Quinto Cæſari, Hiſpaniæ, & Siciliæ Regi parenti tuo iure optimo dedicaſſem: & eas prælo iam edidas eius auſpicijs tradidiſſem, noua cum mihi, tum cæteris omnibus quædam lætitia repentè affulſit, nempe tibi vni prudentia, humanitate, munificentia, ſtudio diſciplinæ, ac bello etiam clariſsimo Principi, & Regna, & cætera ſua omnia vltro patrem ipſum detuliſſe. Qua ſane cogitatione tantam cepi animi voluptatem, vt nulla ex alia re maiorem capere potuiſſem. Nam quis te vno melior Princeps Chriſtianis his regnis contingere potuiſſet, non video. Ego vero tu duce, atq; moderatore omnia vel ad dei gloriam, vel ad præſentis ſeculi fœlicitatem nobis ex ſententia ſucceſſura confido. Cum etenim Princeps optimus ſis atq; idem ſapiens, tua virtute de hoſtibus Chriſtiani nominis præclara, ac celeri eſt victoria expectanda. Sed ne in meridie lucem quærere videar, cum penitius hanc tui ad Regna Hiſpaniæ, & Siciliæ euectionē cōſideraſſem, has quoq; decades cum his ipſis regnis tibi ceſsiſſe cognoui. Qui enim tibi Siciliam tradidit, eum proculdubio & hanc de Sicilia ſibi dicatam hiſtoriam, tibi dediſſe iure omni existimandum eſt. Quo circa ne furtum faeere videar, atq; vt a tui etiam nomini authoritate, ac ſplendore patrocinium hi mei labores accipiant, ſimulq; vt mei in tui animi, atq; obſequij veluti quoddā apud te pignus ſint, hodie mihi e prælo reddi tos, vt tuos ad te mitto. Tuæ igitur humanitatis fuerit, vti benigne eos accipias atq; ſucciſiuis horis, quibus animum liberalibus ſtudijs reficere ſoles, percurras. Vale.

Digitized by Google

D. PHILIPPO, HISPANIAE, ET SICILIAE REGI POTENTISSIMO FAZELLVS. S. D.

CVM Labores meos De Rebus Siculis Potentisime Rex, ante Biennium typis tumultuarijs excusos, nactus hac ætate aliquid otij, cursim recognoscerem, in vtroq; Rogerio, & Carolo Cæsare, Patre tuo, illos auxi. Quæ vero permulta restitui, & nonnulla (impressorum vitio deprauata) correxi, nullo verborum apparatu, hoc loci seorsum subnectere, præcium operæ duxi, donec, id etiam quicquid est industriæ, tibi dicatum, in alia editione, tuis auspicijs, veluti pars operis, suis locis reponatur. VALE.

PANORMI. ANNO. M. D. LX. MENSE IVNIO.

Pagina. 4. linea. 3. 150. lege. 190. Et linea. 5. 170. lege. 160.

Pagina. 8. linea. 45. post, fuerunt insignes, adde. hęc verba. Post capream insulam, ad orientem Leucosia insula, paruo spatio a Promontorio eiusdem nominis dissita occurrit. Et deinde, emenso Palinuro Promontorio, ad Oram Eleæ, vetustæ olim vrbis, Parmenidis, & Zenonis Patriæ, duæ cum statione adiacent insulæ, Oenotriæ dictæ, Straboni. lib. 6.

Pagina. 9. linea. 16. post. Salda Ptole: Dele hæc verba. Cirtha alijs, Algeris hodie. Et lege. Quam teste lib. vltimo. Strabone, Portum magnum vocabant veteres. Algerium, &. Et linea. 46. appellatum. lege appellatur.

Pagina. 12. linea. 24. post, illi, adde. ad decem. p. m. Et eadem linea. post. insulam, adde. Frumentariam a nautis hodie appellatam.

Pagina. 13. linea. 31. post, varium. adde. Principio quidem, quod sponte gignit omnia. Solis insula, Et Cyclopum, ab illorum incolatu dicta est, vt Odisseæ. lib. 9. & 12. testatur Homerus. Deinde.

Pagina. 15. linea. 7. Alphonsius. lege. Alphonsus.

Pagina. 19. linea. 16. post. Appellant. lege. Nam nasci in Sicilia, & Gardum esse, lib. 2. censet Athenęus. Et linea. 41. cruce, lege. crucæ.

Pagina. 23. linea. 48. post, fuisse. adde. Et Strabo identidem. lib. vlt. referens, Scribit (inquit) Gabinus Romanus Scriptor apud Tingem, Mauritaniæ vrbem, Anthæi sepulturam, & Tibiam sexaginta cubitorum esse, quam a Sertorio nudatam ait, & rursum terræ demandatam.

Pagina. 24. linea. 45. xiphilo. lege. Gibilo. Et linea. 50. ad xiphilum. lege. ad Gibilum.

Pagina. 25. linea. 3. Guilelmus. lege. Antonius.

Pagina. 26. linea. 28. post, ac subinde. adde. Aetoli, & non multo post. Et linea. 34. Soclentum. lege. Soloentum.

Pagina. 28. linea. 1. post. sedes. adde. suas in Siciliam. Et linea. 2. post. Græcæ. adde. partim latinæ.

Pagina. 29. post. lineam. 25. adde. Insula Acis.

Pagina. 30. linea. 42. empiorum. lege. Emporium.

Pagina. 36. linea. 39. Notycam. lege. Motycam.

Pagina. 37. linea. 8. lege. Mons mellis oppidum, quod Manfreda quoq; dicitur.

Pagina. 38. linea. 7. dicto. lege. dicta. Et linea. 13. post. Geracis. adde. Castellutium.

Pagina. 40. linea. 26. post. testatur. adde. Herodianus præterea. lib. 4. hæc habet verba. Turres quæ portubus imminentes, noctu igne prælato naues in tutas stationes dirigunt, pharos vulgo appellant. hucusq; herodianus.

Pagina. 43. linea. 4. quidam. lege. quidem. Et linea. 14. post. Pe. lege. post. Pelorum. Et linea. 23. torro. lege. torta. Et linea. 30. supposito. lege. supposito.

Digitized by Google

Et linea.33.quo ẽ postea.lege.quo postea.Et linea.38.adhnt.lege adhuc.Et linea 39.Caribdi.lege.Caribdi.Et linea.43.1435.leg.3435.Et lin.45.Zaucle.leg.Zãcle.

Pagina.44.linea.45.post.Sociorumq; patria.adde.Messena Peloponesi vrbe maritima,quæ Petalidia hodie dicitur.

Pagina.47.linea.13.Dele.quibus Scipionis,& Annibalis imagines uiuas contineri Messanæ ad templum maximum ostenduntur. Et lege. Messanæ ad templum maximum ostenduntur,quibus Messanenses errore decepti,Scipionis & Annibalis imagines viuas contineri falso prædicant,cum alteram Hadriani Cæsaris, alterã vero Lucij veri,ex Numismatib' esse,cõstet.Et linea.21. Rustinũ.lege Rufinũ.Et linea.25.Cephalenica.lege.Thessalonica.Et linea.34.albã.lege.auream.

Pagina.48.linea.26.Condita est ab ipso vertice.lege.condita est.Ab ipso vertice. Et linea.27.extribuendum.lege.exhibendum.Et linea.38. post.lanæ sericæ est. adde.Messana (hyemali præsertim tempore)vel ob id quod, ad fauces Euripi sita est,coryza,& Catarrho corripitur.

Pagina.50.linea.45.Post.elaboratæ.adde.Nostra ætate celebris hæc vrbs est reddita ortu Andreæ Barbatij,iure consulti insignis,qui multa, & quidem præclara opera in iure edidit,quæ passim leguntur,& a peritis magno vsu habentur.

Pagina.51.linea.31.post.nec affirmare.adde. præsertim quod Athenienſium per mare tyrrhenum navigatio a Thucydide libro tertio relata, Nisam non in hac ora,sed cõtra Eolyas insulas sitam fuisse insinuare videtur,& eam fortasis, quę diruta ibi vrbs non lõge a littore Nisida media producta vulgo hodie effertur.

Pagina.53.linea.26.& influit.lege.& mare influit.

Pagina.54.linea.23.dele.vna cum.& lege.fugato.

Pagina.55.linea.39.post.Appiano.adde.Paruula quædam insula sequitur ambitus.p.circiter.200.funde iactu ab ora recedens,ab Aci nomen habens. Et linea. 46.dele.vide ne sit Engium.

Pagina.56.linea.vltima.post.monasterium.dele hæc verba. a Simone Policastri Comite Rogerij Siciliæ Comitis ex Goffredo filio nepote erectum.vt eius diplomate constat.Et lege.quod a Simone Comite Policastri, filio Henrici Lombardi,Comitis & Marchionis,Adelaidæ Siciliæ Reginæ Germani fratris,pro aia Rogerij Siciliæ primi Comitis aui sui,& Rogerij Regis,eius filij, anno sal. 1156. mense Aprili constructum,temploq; Diui Leonis ab Hẽrico eius genitore erecto,coniuntum fuit,vt eius diplomate constat.

Pagina.58.linea.40.milium.lege.milia.

Pagina.61.linea.16.post.in nemore situm.adde.hæc verba.ab Henrico Lombardo,cuius meminimus, erectum.& Ioanni monachó Amalphitano, & socijs diuino cultui mancipatis Cœnobio datum,vt eius priuilegio legitur.

Pagina.66.linea.22.post.Catanæ.adde.olim.

Pagina.67.linea.3.152.lege.252.

Pagina.68.linea.41.Trachynam.lege.Troynam.

Pagina.71.linea.22.auctusq;.lege.auctumq;.Et linea.40.post.Siciliæ Rege.adde. conditum.Et linea.41.agerilli.lege.ager illi.Et linea. 46. di secundo bello.lege. de secundo bello.

Pagina.72.linea vltima.post.lib.6.adde.&.9.

Pagina.79.linea.5.lita.lege.Zita.

Pagina.80.linea.11.post.Nicandro.adde.Colophonio. Et linea. 14. Aetolij.lege. Aetoli.Et eadem linea.post.regione.adde. Epyro, locris, & Acarniæ finitima. Straboni lib.9.Et linea.19.Aetolijs.lege.Aetolis.

Pagina.82.linea.20.lib.6.lege.lib.16.

Pagina.83.linea.12.Aetolijs.lege.Aetolis.

Pagina.89.linea.42.ipse.lege.Arethusa fons.

Pagina. 100. linea.3.Dele hæc verba. Quibus superatis, cum Romanis tandem æquo etiã morte primo bello punico cõtenderunt.Et linea.9.post.a Romanis, adde.

Digitized by Google

adde.cum quibus æquo marte primo bello punico contenderunt.
Pagina.108.linea.20.poſt. Notum, adde.& ſi mediterraneum ſit,
Pagina.112.linea.7.poſt. inſignes.adde.Et totidem paſsibus,ad meridiem. refugiens,collis depreſſus ab vrbe diſtat, ad cuius verticem, alia multa Macharenſium ſunt ſepulchra,paſsim terræ ex quadratis & miris lapidibus conſtructa,antiquitates herbæ Blancæ vulgo hodie dicta, quæ ſpetiem oppidi longo tractu iacentis præſeferunt.
Pagina.113.linea.29.poſt.Echinis.adde.Conchis.
Pagina 116.linea.35.dele. hæc verba. in quibus Minos Rex cretenſis ſuffocatus fuiſſe traditur. Et linea vltima,Ragu-lege.Raguſa.
Pagina.119.linea.40.poſt.locant.adde,vt exacte paulo inferius libro ſexto.c.2.huius primæ decadis,in his quæ de Heraclea ſunt,memorabimus.
Pagina.122.lin.17.poſt.ſcribit.adde.In Rhodo nāq; inſula Lyndū vrbē fuiſſe opulētiſsimā,ortu Caretis ſtatuarij inſignis,q̄ Coloſsū ibidē admirādæ magnitudinis extruxit,nobilem,ex Homero lib.Iliados.2.Herodoto. & Lactantio li.diui. inſti.1.conſtat.
Pagina.125.linea.5.De Agrigentino vrbe.lege.De Agrigento vrbe.Et linea.7.fluuiū.lege fluuij.Et linea.9.Leon.lege.Leoni.
Pagina.131.linea.14.Cheritona.lege.Charitona.Et linea.16.de vera.lege.de varia
Pagina.133.linea.17.470.lege.4700.
Pagina.134.linea.16.liber.lege.libro.
Pagina.143.linea.vltima.Carroſe.lege.Corroſe.
Pagina.145.linea.7.poſt.olim.adde.vt diximus.Et linea.11. poſt.1532. adde.ſuper ſuis ex quadrato lapide egregijs Aedibus.
Pagina.169.linea.20.Patch.lege.Parth.Et linea.32.neglientia.lege.negligentia.
Pagina.170.linea.16.poſt Panormitanus.adde.anno ſal.1320.Et linea.36.Punici. lege.Gothici.
Pagina.172.linea.27.vjo.lege.ſuo.
Pagina.176.linea.1.Meſſanenſis.lege.Panormitani.
Pagina.177.linea.28.Guillelmoq;.lege.Rogerioq;.
Pagina.181.linea.16.poſt.recēs.adde.anno abhinc circiter nonageſimo, a Petro ſpetiali tum vrbis Prætore condita.Et linea.22.1300.lege.1311.
Pagina.185.linea.45.poſt. xenodochium.adde.anno ſal.1428.menſis Februarij die.5.a Nicolao Trintino,Notario,eius eccleſiæ Patrono, Regnante Alphonſo Rege,& agentibus Nicolao Spetiali Siciliæ prorege,& eius vxore,viris Dominicāis,quos obſeruātiales appellāt, Cœnobio cōceſſum,vt publicis tabulis cōſtat
Pagina.187.linea.3.5553.lege.1553.Et linea.29.poſt.teſtatur, adde hæc verba. Vbi poſt modum Guilelmus Siciliæ Rex, Leproſorum xenodochium ex Aede Diui Leonardi extra mœnia ad occidētē.500.p.ab vrbe diſtāti,eo tranſlatū,inſtituit.
Pagina.188.linea.25.poſt.iuxta quem.adde. dextrorſum,Aedes eſt vetuſta Diuo. Leonardo Sacra,Leproſorum olim Hoſpitium. Cui ſiniſtrorſum trecentis ferme paſsibus hæret.
Pagina.189.linea.14.poſt.cui.adde.ad occidentem.
Pagina.191.linea.33.poſt.Georgio.adde.de Antiochia,Comitis Rogerij.& Regis. Rogerij.
Pagina.196.linea.26.poſt.Steſichorus. adde. vt Ariſtoteles. 2. Rhetoricorum libro,refert.
Pagina.203.lin.25.poſt,valle.adde,qd̄ Niſam olim fuiſſe oppidū ab Atheniēſibus inexpugnatum,eorum nauigationis ordo oſtendere videtur. Thucididi lib.3.
Pagina.206.linea.29.ſpicati.lege.auſpicati.
Pagina.208.linea.22. poſt. cintū oppidū, adde.quod pleriq; Triraciū fuiſſe falſo ſcripſerunt,cum Triraciū in Sicilia nuſquam fuerit oppidum,vt ex Græcis, latinisq; authoribus cōſtat,& ſi apud Pliniū corrupte Triraciū,p̄ Trinacia legatur.

Digitized by Google

Pagina.210.linea.37.poſt Serlonis. adde.ad ripam fluminis Diui Philippi, nō lōge a Male albergo turri,ſub Agira monte & oppido ſita. Et linea.47. poſt vtuntur.adde hæc verba.Nicoſiani vtriuſq; ſexus id etiam habēt inſigne, quod proceritate corporis,ſimul & oris forma,vultuq;,in vniuerſum ferme Siculos præſtant,& Francorum,Normanorumq;,ac Lombardorum, quorū ſunt Colonia, eos eſſe ſobolem oſtendatur.

Pagina.211.linea.9.poſt inſigne,adde hæc verba. Quod vicinis cum oppidis,vintimiliorum Propago in Sicilia pręclariſsima,trecentis fere ab hinc annis tenet, Quæ vnde, an ex vintimilio Italiæ oppido, an ex Guidone vintimilio, & eius Germanis fratribus,qui cum Alfonſo Hiſpaniæ Rege eorum affine,contra Sarracenos anno ſal.954. inſignem adepti ſunt victoriam, vt Diplomate conſtat, an ex Normannia, cum Roberto Guiſcardo & Rogerio fratre, aut vnde tandē in Siciliam venerit,incompertum mihi eſt.

Pagina.212.linea.39.poſt Comitis,adde.Salutis.

Pagina.213.linea.33.dele hec vrba.vel in eo loco qui prius ongia,nunc lognina,& a veteribus Portus vlixis dicitur, vel eo qui Agnuni nominatur, Leontino frumenti hodie Emporio.

Pagina.220.linea.24.poſt Ariſtoteles,adde.Problematum lib.30.

Pagina.222.linea.9.poſt Leontina illa.adde.mulier cuius memini.

Pagina.223.linea.3.poſt huius.adde,quod hodie Diuo Petro dicatū, vernacule sā peri appellatur.Et linea.17.poſt HERBITA. adde PLATIA.

Pagina.225.linea.5.imnortuna.lege importuna. Et linea.35. poſt notiſsimum eſt adde.Inſignis hæc vrbs eſt reddita ortu philonis Medici præſtantiſsimi, cuius in capite de veratro albo Dioſcorides meminit. Et eadem linea.poſt nobilitata,adde,etiam.Et linea.36.poſt adhuc extat,adde hæc verba. Incrementa vero hæc vrbs non minima ſuſcepit Martino Rege rerum potiente, ex Ioannis De Vbertis filij Andreæ, & Nepotis Scaloris de vbertis de Florentia Aſſori Comitis,& Condronis,Gattę,& Roſmanni oppidorum domini defectione,cuius Aedes eo loci fuerunt, quem hodie Franciſcani Cœnobitæ incolunt. Proſtratis nanq;(præter aſſorum)ob deſcitionem eius oppidis,quorum adhuc cernuntur ruinæ,Incolæ in Ennam vrbem Regis iuſſu ſedes ſuas contulerunt,quorum nomina adhuc retinent.

Pagina.230.linea.42.poſt indicat.adde. Quod oppidum, & ſi a monte cui hæret vulgare nomen habeat, a Cōditoris tamen nomine,Manfreda eſt appellatum, vt ipſius Manfredi,& Laurentij Epiſcopi Agrigentini priuilegio Dato anno ſalutis.1422.penultimo Ianuarij, conſtat.

Pagina.231.linea.19.poſt ameniſsimum.adde.quod olim Rogerij,& Guilelmorū Siciliæ Regum ætate,Sarracenorum pagus erat exiguus, vt eorum Diplomatibus memoriæ proditum eſt.

Pagina.232.linea.25.dignarentur.lege dignaremur.

Pagina.242.lina.29.partim.lege.partum.

Pagina.250.linea. 46. poſt in Siciliam. adde. ad Comicum vrbem, ſi Herodoto credimus.

Pagina.251.linea.23.Camici.lege.Comici.

Pagina.252.linea.8.poſt.vrbem.adde.Occidentem verſus.

Pagina.253.linea.5.poſt circa eam.adde.Siciliæ.

Pagina.256.linea.11.poſt Minoæ,adde.iam deletæ.Et linea.25.eas.lege.eam.

Pagina.257.linea.15.poſt aggreditur.dele. quam breui obſidione expugnatam. Et adde hæc verba.Zanclei cum hinc a Meſſenijs,illinc a Rheginis magna vi oppugnarentur,inferiores fiunt,& magna murorum parte deiecta,ad Aras, Deorumq; templa, quæ intra vrbem erant, confugiunt. Meſſenij vrbem ingreſsi, cuncta diripiunt,populantur,& obuios quoſq; trucidant. Anaxilas vrbe potitus,vt Samios ad Tēpla ſe recepiſſe cognouit,imperat (lib.4.referte Pauſania)

vt

Digitized by Google

vt nulla religionis verecundia ſupplices etiam ibidem hoſtes occidantur, reliqui cum vxoribus & liberis ſub Corona vendantur, At Gorgus & Mantyclus facinoris atrocitatem horrentes, Anaxilam rogarunt, ne in eos Deorum ratione ſæuiret. Igitur ab Aris impunitas fuit. Anaxilas ſuperatis hoſtibus, Zanclā vrbē.

Pagina.259.linea.14.poſt.euertit.adde.Straboni.lib.9.

Pagina.264.linea.34.poſt morbum, dele.quendam.& adde. Calcularem, vt Pindarus, in Pythiorum ode tertia ſcribit.

Pagina.269.linea.10.poſt tempore.adde.Siculorum regno.

Pagina.296.linea.28.dele, nepos. Et linea.29.poſt obierat.adde nepos.

Pagina.301.linea.15.dele.deinde.

Pagina.304.linea.40.poſt coniuge, adde. Cum ex vrbe Rhegio virginem in matrimonium petijſſet, Rhegini cuiuſdam lictoris, ſiue ſerui publici filiam, vt alij ſcribunt, ei protenderunt. Dioniſius hac iniuria exagitatus, vrbem Rhegium copijs aggreſſus, funditus euertit. Straboni lib.6. qua ſolo æquata.

Pagina.309.linea.20.poſt emulos.adde.&

Pagina.310.linea.14.poſt.p.m.adde.orientem verſus,& ad verticem montis impoſitam. Et linea 25.quem.lege, quam.

Pagina.315.linea.47.delecto.lege.deleto. Et linea.49. tuendam.lege. tuendum.

Pagina.328.linea.50.poſt in Siciliam.adde.ad lilybeum.

Pagina.330.340.lege.330. Et linea.5.ab oriente.lege.ab occidente.

Pagina.331.341.lege.331.

Pagina.338.linea.3.poſt decem.dele.vero.

Pagina.344.linea.29.motu.lege.metu.

Pagina.360.linea.24.poſt vrbem.adde.ipſe. Et eadem linea.micterent, lege mitteret. Et linea.32.poſt fluuium.adde.Dictainum hodie dictum.

Pagina.381.linea.34.flumen.lege.fluuium.

Pagina.404.linea.22.poſt Conſtantinam.adde.quę Cirtha Numidię Regia olim fuit, vt literæ punicæ, ſaxis ad eius mœnia inciſæ, aperte indicant. Et linea.40. poſt eiecit.dele.atq;.

Pagina.407.linea.45.dele.primum inueni.

Pagina.408.linea.4.incredili.lege.incredibili. Et linea.29.poſt prætio.adde.duodecim aureorum. Et linea.33.&.34.Egnatus.lege.Egnatius.

Pagina.414.linea.42.dele.in. Et eadem linea.Claſsis.lege.Claſsi. Et linea vltima. dele.cum.

Pagina.416.linea.13.poſt.opinionē.adde.eo prælio. Et linea.22.poſt Apochaps. adde.rurſus. Et linea.28.poſt.Apulia.adde.alterum. Et eadem linea, poſt. Ducē. adde. Cuius paulo ſuperius memoria facta eſt.

Pagina.417.linea.13.peperiſent.lege.peperiſſent.

Pagina.418.linea.14.Hunniſq;.lege.Hunniq;. Et linea.39.dele.12. fratrum natu maximum. Et linea.40.poſt.dum.adde.Igitur, vt ad inſtitutum reuertamur.

Pagina.420.linea.25.ſuperati.lege.ſuperata.

Pagina.424.linea.18.poſt.exauditi ſunt.adde.Sed re in tempus idoneum dilata. Et linea.37.poſt Rogerium.adde.qui eo contenderat.

Pagina.425.linea.2.poſt.tempus.adde.adhuc. Et linea.6.poſt Meſſanenſes.adde. quoq;. Et eadem linea.poſt ſeſe.adde.ad Identidem.

Pagina.426.linea.19.poſt.Belchanes.adde.qui. Et.linea.20.dele. quem Beſcauectum aliqui appellant. Et eadem linea.poſt.præſidebat, adde.vt diximus. Et eadē linea.dele.Is. Et linea.27.ſuppettias.lege.ſuppetias. Et linea.43.dele.quiſq;.

Pagina.427.linea.9.redactama.lege. redactam. Et linea.26. dele. quam vallem

Pagina.434.linea.46.poſt itineris.adde Ripæ.fl.Sancti Philippi Agirenſis impoſita. Et linea.50.poſt occubuit.adde.Rupi hucuſq; Serlonis nomine eruditis relicto, ſed vulgo, Petra Sarni, corrupta voce, dicto.

Pagina.436.linea.35.poſt redegit. Dele.coeterum,& tres circiter lineas. vſq; ſuſcepit.

Digitized by Google

ſcepit. Is, e Sicilia diſceſſurus. incluſiue. Et adde. Poſt hæc Calabriã conceſſurus.

Pagina. 441. linea. 14. dele. hæc verba. Quo tempore & Boemundus etiam, e viuis ſublatus eſt.

Pagina. 442. linea. 20. Romanin. lege Romani.

Pagina. 444. linea. 23. poſt. Panormi. adde. die. 26. Februarij. Et linea. 24. poſt. tumulatus eſt. adde. Defuncto Rogerio, Cephaleditani nouæ eorum vrbis conditori, veluti eorum parenti, iuſta, inferiaſq; ſingulo quoq; anno publico funere (die quo deceſsit) perſoluunt, Clamidẽq; illius Regiã multitudini oſtentãt. Et linea. 41. poſt. ꝓceres adde. Robertus ꝑſertim Baſſauilla Comes, Regis amitę filius, Robertus de Surrẽto. princeps Capuanus, Et Andreas de rupe canina Comes, cũ alijs pluribus, quos Rogerius Rex, & Guilelmus ipſe fecerant extorres.

Pagina. 470. linea. 41. poſt. ſuſcepit. adde. Tancredus Regno potitus, Gualtheriũ de Brenta Comitem, nupta illi filia, generum ſibi aſciuit.

Pagina. 472. linea. 26. poſt. declaratur. adde. tumultuantibus non paucis vrbibus. Catana inprimis cũ fidẽ Henrico detrectaret, Rex iuſto exercitu inſtructus, cõtra eã mouet, ac tandẽ magna vi expugnat, captoſq; nobiles oẽs igni tradidit, & combuſsit. In cætera vero oppida, quæ ſibi non adhæſerant, adeo ſæuijt, taliaq; immanitatis monumenta in reliquos Siculos exercuit, vt Cyclops ab omnibus appellatus ſit. Poſt hæc, ſubmotis Rogerij miniſtris, Theutones vrbibus & oppidis præfecit, ac crudelitate cuncta repleuit.

Pagina. 473. linea. 8. poſt Quintus. adde. ſi Italis credimus, qui Henricum primũ Cæſarem non accipiunt. Et linea. 28. poſt inuectiua. adde. quæ incipit. Vt iuſtitiam, & innocentiam. &c.

Pagina. 474. linea. 22. poſt. voluit. adde. Et Gualtherium de Brenta Comitẽ, qui veluti gener Tancredi olim Regis, Frederici mortem appetebat, ſub ſpetie auxiliari, valido cũ exercitu, in Neapolitanum Regnũ miſit. Et linea. 23. Ethuriã. lege Ethruriam. Et linea. 42. admittitur. lege. adnititur.

Pagina. 481. linea. 3. &. 4. dele. per Balduinum, & Comitem Toloſanum de pace cum Friderico, Balduino rem ſolicitantibus tractat. Et lege. Balduino, & Comite Toloſano rem ſolicitantibus, de pace cum Frederico tractat.

Pagina. 484. lege. 482. Et linea. 3. poſt. ſuſpitionẽ. adde. Cremonæ anno ſal. 1249.

Pagina. 484. linea. 19. poſt. proceribus &. adde. Salernitano, Tarentino & Montis Regalis Archiepiſcopis, ac pluribus alijs. Et linea. 23. poſt. reuertitur. adde. ac Anconitanam Marchiam, quæ iuris erat Eccleſiæ, aliaq; eius oppida ſibi ſubijcit. Quo Alexander Põtifex cognito, anno ſui Pontificatus Quarto, idus Aprilis apud Anagniã vrbẽ, in die cœnæ domini Manfredũ diris execrat, Regno priuat, & prælatos, procereſq; omnes qui eius Coronationi interfuerunt, ac Siciliam omnem cenſuris, & interdictis afficit, vt eius diplomate conſtat.

Pagina. 485. linea. 19. poſt. atrociter. adde. die Veneris, idus Februarij, eodẽ ſalutis anno. Et linea. 25. &. 26. poſt. interierit. adde. Cuius corpus poſt modũ vigeſimo octauo die eiuſdẽ menſis nudũ inter perẽptorũ cadauera die dominico inuentum, apud pontẽ Valentinũ humatũ eſt. Et linea. 47. poſt. trahi. adde. Subinde Corradinum ipſum in die cænæ in Eccleſia Viterbienſi ad eius forũ Regni titulo priuat, ac Manfredum Malectam, Corradum Trinza, Fredericum Auſtrię Ducẽ, Guilelmũ Pariſium, Guidonẽ Nouellũ, Galuanũ Lanza, qui Corradini vexillis explicitis Romam ingreſſus, & vſq; ad Lateranum perueniens, maximo honore a Romanis Corradini nomine fuerat ſuſceptus, Fredericum itẽ Lanza eius fratrem, Corradum de Antiochia, Ioannem Maynerium, & cæteros omnes Corradini ſtudioſos, diris execrat, vt eius diplomate Dato Viterbij anno ſui Pontificatus Quarto, liquet.

Pagina. 486. linea. 1. ad Corradum, lege. ad Corradinum. Et linea. 34. poſt. ex primatibus. adde. a Ioanne Frangipane. Et linea. 37. poſt. iudicio. adde. vna cũ Duce Stirlochi, Comite Gerardo, & pluribus alijs proceribus.

Pagina.

Digitized by Google

Pagina.488.linea.31.Bartolomeo.lege.Bartolomeum.Et linea.36. poſt.miniſtri, adde,in eos.

Pagina.493.linea.11.poſt. Monte Catinus.adde.Pluresq; alij primæ nobilitatis Aragonenſis equites.

Pagina.494.linea.28.poſt.filio.adde.ad Māfredū Regē,& ſubinde eo trucidato.

Pagina.524.linea.18.poſt.Meſſanenſem.adde.Cirami.Et linea.19.poſt.Palicium. adde.Nugaræ.Et eadem linea.poſt.Montem Catinum.adde.Adrani. Et in eadē linea.dele.Et Scalonum de vbertis.Et.adde.Et ſcalorum de vbertis de Florentia,Iuuenci filium,Aſſori.

Pagina.529.linea.37.poſt.Palicij.adde.Et Scalorus de Vbertis Comes eis adhærens.Et linea.46.Sexdecim.lege.ſex.

Pagina.530.linea.17.poſt.moderabatur.adde. Is Coronato Ludouico Palicios oēs,& Scalorū de Vbertis Comitē Aſſori,perpetua deſcitionis mulcta dānauit.

Pagina.532.linea.6.poſt.Mattheus.adde.cum Scaloro de Vbertis Comite.

Pagina.533.linea.2.oppido.legge.oppidum.Et linea.8.poſt.potiti.adde. Scaloro de Vbertis Comiti,Aſſorum,tumultuantibus oppidanis,reſtituunt.Quod paulo poſt.Ludouicus Rex,firmum habuit.Et ſubinde.

Pagina.538.linea.3.dele,ac demum capiunt. Et linea.9. poſt.diſſectos eſt, adde. oppido regi tradito.

Pagina.541.linea.6.Vix.lege.vix.

Pagina.548.linea.13.Agreſus.lege.aggreſſus.

Pagina.556.linea.9.poſt.recepit.adde.Sub idem ferme tempus, Fredericus Rex, Aſſorum oppidum,quod,Scaloro ab oppidanis occiſo, ad Curiam deuolutum fuerat,Mattheo Alagonæ,equitum Regiorū magiſtro dedit.Sed paulo poſt,declarato Scaloro de Vbertis a Rege Ludouico nunq̄ deſciuiſſe,& Sententiā Ioannis Ducis Randatij, in eū latā nullius roboris fuiſſe,oīa bona ſcalori, Andreæ eius filio reſtituit,vt eius priuilegio conſtat.Dato Agrigenti.12.Aprilis.1366.At non diu poſt,vt erat inconſtans animo,Aſſorum Antonio Montecatino Adrani Comiti conceſsit.Et linea.34.dele vt.

Pagina.556.linea.6.has.lege.his.

Pagina.561.linea.22.ſunt tertia.ſunt,Tertia.

Pagina.562.linea.35.poſt.Claromontanus.adde.cognomento ſenior.

Pagina.563.linea.23.petit.lege.petebat.

Pagina.565.linea.42.Curcaracium.lege.Curcuracium.

Pagina.566.linea.41.poſt.Claromontanus.adde.ſenior.

Pagina.567.linea.2.Aloyſijs.lege.Aloyſij.Et.linea.37.dele.Et olmeta.& incendio ad radices vſq; abſumpſit.lege.Et olmeta incendio ad radices vſq; abſumens.

Pagina.571.linea.49.dele.quem item & Ludouicum appellant.

Pagina.573.linea.35.poſt.Conſanguineus.adde.Et Simon,& Vitalis Valguarnera Germani fratres.

Pagina.574.linea.32.dele.ibidem.Et linea.45.poſt. Sclafanus. adde. Montecatinus.Et linea.46.poſt.dominus.adde.Ioannes de Vbertis Andreæ filius,& ſcalori Comitis nepos, Condronis,& Gattæ oppidulorum dominus. Et linea.47. poſt.Butera.adde.Agrigentum.

Pagina.575.linea.1.&.2.poſt.Aſſorum.dele.quod Artalis fuerat Alagonæ, Simoni Valguarnera.Et.adde,quod paulo ante Fredericus Rex Antonio Sclafano,& Montecatino,Adrani Comiti dederat, Simoni & Vitali Valguarnera Germanis fratribus.Et.Et linea.8.poſt.Camerarius.dele.Antonius ſclafanus Comes Adrani oppidi,& Siciliæ Seneſcallus.Et linea.13.poſt.dannauerit,adde.Condrone & Gatta oppidulis, quæ Ioannis de Vbertis iuris erant, funditus euerſis,& Incolis ad Ennam vrbem remiſsis,quorū nomina vrbis regiones, quas primū tum habitarunt,adhuc retinent,vt prima decade meminimus.

Pagina.576.linea.3. Leone.lege. Clemente Septimo. Et linea.11.poſt. conceſsit. adde.

Digitized by Google

adde. Sub idem ferme tempus, Fuit in Sicilia Guarinus homo sane non illepidus, qui a Rege Martino impetrauit, vt sub clamide, ventrem pecoris animæ plenum deferre, eumq; si quem ineptius loquentem, nactus fuisset, in huius faciem, atq; ora, impune inuergere posset. Hinc totis diebus Guarinus aluum illam, in stulte aliquid efferentium, vultum, caputq; maximis cum Cachinnis infundere erat videre. Huic igitur a vētribus ventrati cognomē est inditum, atq; Guarinus Ventratus dictus.

Pagina. 583. linea. 39. dele. præsertim, & lege. natura.

Pagina. 590. linea. 40. dele. Ioannes. lege. Rogerius.

Pagina. 595. linea. 25. ferre. lege. fere. Et linea. 35. auxilia. lege. auxiliarem.

Pagina. 596. linea. 14. post. Rege. adde. anno sal. 1507. Et linea. 16. post. Ioannita. adde. anno sal. 1509. mense Nouembri. Et linea. 17. post. modum. adde. Ferdinandus Rex. Et linea. 40. post. Bernardo. adde. eiusdem salutis anni. 1511.

Pagina. 597. linea. 24. duodeuigesimum. lege. decimum septimum. Et linea. 26. 1550. lege. 1500. Et linea. 39. Rochensis. lege Rochsenfis.

Pagina. 598. linea. 16. extinctum. lege. deletum.

Pagina. 602. linea. 48. post. penates. dele. sed.

Pagina. 606. linea. 29. patella. lege. Abbatellus. Et linea. 42. patellæ. lege. Abbatello. Et linea. 48. vulnus. lege. vulnus.

Pagina. 607. linea. 28. Patelle. lege Abbatello. Et linea. 30. Patelle. lege. Abbatelli. Et linea. 38. post. reuersus. dele. &.

Pagina. 608. linea. 3. Patella. lege. Abbatellus. Et linea. 6. patella. lege. Abbatellus.

Pagina. 609. linea. 43. post. posthac. adde. anno sal. 1519. Et linea. 45. Comitis. lege. Comitijs.

Pagina. 613. linea. 12. stipatu lege. stipatus.

Pagina. 614. linea. 7. inconsultoq;. lege. inconsulto.

Pagina. 615. linea. 45. scioppo. lege. sclioppo.

Pagina. 616. linea. 34. post. effugit. adde. Per hoc tempus anni sal. 1527. die. 22. mensis Maij, hora noctis quarta, in Valle Oleti, Carolus Cæsar, Philippum filium ex Isabella vxore suscepit.

Pagina. 618. linea. 42. dele. Philippum &. Et linea. 43. post. expugnato iam: adde. anno sal. 1521.

Pagina. 620. linea. 15. post. recepit. adde. licet ipse fidem non seruauerit.

Pagina. 623. linea. 23. oppido, legge oppidi.

Pagina. 625. linea. 24. quem. lege quam.

Pagina. 626. linea. 5. Nauphlum. lege. Nauplium.

Pagina. 627. linea. 18. Solymanas. lege. Solymanus.

Pagina. 628. linea. 48. deēttum. lege. detentam.

Pagina. 636. linea. 17. post. pecunias. dele. ab eis. Et linea. 40. de. lege. die.

Pagina. 641. linea. 8. Mazarenum. 94. lege. 940.

Pagina. 642. linea. 20. post. Tripolim. dele. &.

Pagina. 643. linea. 48. facil. lege. facili.

Pagina. 644. linea. 1. vniuersis. lege vniuersi. Et linea. 13. numero. lege. munera. Et linea. 45. Rhodos. lege. Rhodios.

Pagina. 646. linea. 40. Africæ. lege. Africa.

Pagina vltima. linea. 10. Excudebat. lege. excudebant.

Cætera facile accuratus lector, per se corrigere poterit.

Digitized by Google

ERRATA ALIA, ET PRAETERMISSA INVICTISSIME Rex, quæ mihi, iterum labores meos recognoscenti occurrerunt, ita corrigenda, & supplenda sunt.

Pagina.4.linea.15.dele.Thermisia.& lege.Hicesia.
Pagina.5.linea.19.post repente.adde.ex igne(flatu)excitato,vt Eusebius refert. Et linea.46.post.Quinta.dele.Thermisia tametsi falso plærisq;.
Pagina.8.linea.7. Gerundam.lege.Hieronum,ab eorum Rege.
Pagina.34.linea.32.post.nominis.dele. ab Vla, & qnæ sequuntur vsq, constat inclusiue.
Pagina.49.linea.32.licus.lege.lycus.
Pagina.50.linea.40.repulsam.lege.deiectionem.
Pagina.51.linea.2. post dicata est.adde.ab Vla Ioannis Graffei filia, & Rogerij Beati vxore.Et linea.3.post Abbatia.adde.A Rogerio Sicilie Comite erecta.
Pagina.55.linea.36. post nuncupatum.adde.Mascalas hunc locum dici, & vetustū id esse nomen.Monasteriūq; Diui Andreę ibidē suo tempore fuisse Diuus Gregorius in Registro testatur. Cuius vestigia, & Aedes Sacræ dirutæ visunt.
Pagina.66.linea.9.post Asinaria.adde. Fidius is Marmoreus, Panormum postea exportatus,in Aedibus Alfonsi Roys,Siciliæ Prothonotarij, & totius antiquitatis Studiosissimi,maxima cum voluptate ab Eruditis hodie cernitur.
Pagina.68.linea.41.Nicosiæ.lege.Capitij.
Pagina.91.linea.48.Thice.lege.Tycha.Et sic deinceps emendato.
Pagina.95.linea.32.Auri faber.lege.Argentarius.Et linea.49. dissimulatur, lege.simulatur. Et eadem linea.post. Syracusis. adde.vt in Annalibus Siculorum legimus.
Pagina.100.linea.25.Argyra.lege.Agyra.
Pagina.101.linea.post.iudicibus.adde.non.
Pagina.103.linea.10.post.iucundior.adde.Et Cicero.2.ad.Q.fratrem. Philistus (inquit)ille capitalis,Creber,acutus,breuis.
Pagina.119,linea.3.Vizinim.lege.Bizinim.Et sic semper legito.Et linea.33. post. Conditum.adde.a Frederico Secundo Cæsare,& primo huius nominis Siciliæ Rege,vt Guido Colunna Siculus,ea ætate Messanæ ortus, in suo de Excidio Troyæ opusculo refert.Et linea.45.post extet.adde. quas Colunnas oppidani ab Hercule appellant, vel ob id quod eas ibidem Herculem olim memoriæ causa fixisse,& vrbem Heracleam a se nominatam condidisse errore ducti censent, falsoq; prædicant,vt etiam Idem Guido scribit.
Pagina.120.linea.17.post structuræ.adde.sed a Frederico Secundo Cæsare condita vt diximus,& post modum ab alijs instaurata.
Pagina.131.linea.7.dele. Et ante vrbem conditam.64. Et linea.14.Choritona. lege.Charitona.Et linea.26.vera.lege.varia.
Pagina.133.linea.16.dele.plures.Et linea.17.dele.quo tempore Siciliæ vrbes in tyrannidem cessisse author est Eusebius.
Pagina.148.linea.14.post Italicum.adde.licet apud Stephanum de vrbibus, Et in Pandectis Florentinis,in Cilicia,& non in Sicilia,rectius legatur.
Pagina.149.linea.12.post Constantissimum est. adde. Ptolemæus quoq;(& si erret in ordine) Mazarā tamē expresse a Selinūte distinctā ponit in Tabulis.
Pagina 150.linea.28.post.sitū.adde.vt Diodorus,& Stephanus Bizātius referūt.
Pagina.169.linea.12.post.V.dele.Impe.Cæs.Et post. Diui.adde.M. Et linea.13. post Sarmatici.adde.F.Et linea.14.Adriani lege. Hadriani.Et linea. 19. post. Antoniū.dele.Adriani.E.P.Et lege.F.Diui Hadriani Nep.Et linea.20.Patch. lege,Parth.Et eadem linea.adnepoti.lege.Nepoti.Et eadem linea. Nepoti. lege.abnepoti.Et linea.27.li.lege. Ii. Et linea.35, post Panormienses. adde. etiam.

✠

Digitized by Google

Pagina.170.linea.16.poſt.Panormitanus.adde.anno ſal. 1320.

Pagina.190.linea.27. PANORMITANON. lege. Panormitan. Et linea 28.poſt Phœnicem,an Aquilam.incertum.

Pagina.199.linea.44. ALESA. lege. HALAESA.

Pagina.200.linea.10. Aleſam.lege.Halæſam. & ſic deinceps ſemper reponito. Et linea.24.poſt.poſsit.adde.præſertim quod in Aede Diuæ Mariæ a Palatijs prædicta,lapis marmoreus gradibus altaris infixus, & Græce his literis inſcriptus cernitur.Dijs omnibus populus Halæſinorum, Diogeni, Diogenis filio Lapironi,memoriæ cauſa.

Pagina.204.linea.39.dele.populoq;.Et linea.40.dele.prætura abdicatus eſt, & lege.ſatis nimis agitatus eſt.

Pagina.205.linea.46.delendum eſt.Nobilitatum fuit hoc oppidum ortu phocilidis philoſophi illuſtris.

Pagina.206.linea.4.Sacratumq;.lege.Sacrorumq;.

Pagina.209.linea.22.dele.hæc omnia, Quibus omnibus impulſus hanc vrbem eam eſſe,quam Trayanopolim,inmunem,ac liberam in Sicilia lege prima de Cenſibus Vlpianus refert,facile adducor,vt credam.At cur.Et lege.In Pluribus vero alijs priuilegijs,& vetuſtis Tabulis,ac in Annalibus Siculorum Trahinæ legitur.Ioannes autem Curopalatus Græcus Scriptor in ſuo de Cæſaribus opere hanc vrbem Draginam vocat.At cur Dragina.ſiue Trahina, ſiue.

Pagina.212.linea.13.Caſtrus.lege.Craſtus.Et eadem linea poſt vrbs. adde. nomen adhuc retinens. De qua Philiſtus rerum Sicularum li.13. Et Stephanus li.de vrbibus ſcribunt. Fuit hæc vrbs dum ſtaret, elegantiſsimis mulieribus inſignis,vt Polemon memoriæ reliquit.

Pagina.215.linea.27.Aleſa.lege.Halæſa. Et eadem linea.Halicia. lege. Halycia. Et linea.28.dele hæc verba.Ea autem erant,vt alios ſumere magiſtratus, aut præſides non tenerentur,niſi Ciues Romanos.Et lege.Ea autem erant,vt magiſtratus municipales exacto magiſtratu Ciues Romani fierent.Aſconio Pediano,& Appiano Alexandrino.

Pagina.216.linea.1.poſt nomine.adde.præter Arcem. Et linea.23. Alicyam.lege.Halicyam.Et ſic ſemper emendato.

Pagina.217.linea.22.poſt ipſum.adde.a Sarracenis in ædito colle conditum,vbi & eius initia adhuc ſuperſtant. Et eadem linea,poſt.cum.adde, ad radices collis, & Planitiem tranſlatum. Et linea.29. ARGYRE. lege. AGYRE. Et linea.30.Argyre.lege.Agyre.Et ſic ſemper reponito.

Pagina.241.linea.5.poſt Claritatem.adde. Quæ rerum monumenta, & ſi quibuſdam efficta videantur,quia tamen a nonnullis ſunt recepta,& Sacris literis aliquatenus hærent,ea nos fide illa recipimus, quam apud Eruditos merentur.

Pagina.248.linea.36.Dele.Quin, & eius Colonia quã in Siciliam duxerat.&c. & quæ per decem circiter lineas ſequuntur.vſq;.ad.obſcurum eſt.incluſiue.

Pagina.252.linea vltima.inſtituto.lege.inſtituti.

Pagina.255.linea.31.dele.quo apud latinos Aeneas ſyluius regnare cæpit.

Pagina.257.linea.46.poſt mundi. dele.4547. Et ante vrbem conditum. 64. Et lege.Circiter. 4550.

Pagina.264.linea vltima.C.lege.Cæſone.

Pagina.265.linea.14.Minutio.lege.Menenio.Et linea.33.Mamertino. lege. Mamercino.Et eadem.linea.Philoſopho.lege.Philo.Et linea.40.dele.latius. Et linea vltima poſt occidit,adde.Refert Xenophõ,Cũ Simonides Hieroni aliquãdo edixiſſet,Potiorẽ eſſe Regũ,quã priuatorũ vitam,vt pote,qui ſingulis ſeſe expleant voluptatibus, reſpondiſſe eum in contrariam ſententiam. Quippe quod Veneris,cuius in priuata vita ſpontaneus vſus, mutuum amorem,& non coactum parit, vt Tyrannis, qui coacto, aut empto potiuntur,

delectatio

Digitized by Google

delectatio potior fit. In Cibis vero, Regibus nullum vnquam famis condimentum epulas, præ multitudine patinarum, comendet. Et idcirco semper accidis vescuntur. In vita vero priuata adest fames, & ob id maior ciborum delectatio. Addidit præterea multa incomoda, Regni appetentiam, aliorum inuidiam, suspitionem, metum, angorem, & his similia: quibus Tyranni fere semper hinc inde afflittantur. Scribit Cicero in primo de natura Deorum. quod cum Hiero quæsiuisset a Simonide, quid, aut qualis esset Deus, deliberandi sibi vnum diem ille postulauit. Cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petiuit. Cum sæpius dupplicaret numerum, admiratus Hiero requisiuit. Cur ita faceret. quia inquit quanto diutius considero, tanto species mihi videtur obscurior.

Pagina. 267. linea. 40. Bibulanus. lege. Vibulanus. Et eadem linea. Curetenus. lege. Curetinus.

Pagina. 271. linea. 29. post. Tribunis. adde. vt Diodorus scribit, apud quem mira est, siue Librariorum, siue interpretis vitio, tum annorum, tum magistratuum perturbatio.

Pagina. 274. linea. 25. post. octingentis. adde. ferme. Et linea. 26. Nantio. lege. Nautio.

Pagina. 296. linea. 28. dele. Nepos. Et linea. 29. post obierat. adde. nepos.

Pagina. 301. linea. 15. dele. deinde.

Pagina. 305. linea. 40. vtramq;. lege. vtrumq;.

Pagina. 330. linea. 1. 340. lege. 330. Et linea. 5. Oriente. lege. Occidente.

Pagina. 331. linea. 1. 341. lege. 331.

Pagina. 341. linea. 42. fundatores. lege. funditores. Et linea. 44. fundatoribus. lege. funditoribus.

Pagina. 344. linea. 29. motu. lege. metu.

Pagina. 345. linea. 6. fundatores. lege. funditores.

Pagina. 350. linea. 10. Aegytum. lego. Aegyptum.

Pagina. 361. linea. 9. quinquagesimo. lege. quingentesimo. Et linea. 23. Caudisci. lege. Caudici.

Pagina. 362. linea. 13. M. lege. L. Et eadem linea. C. lege. Manium. Et linea. 27. dele. a Senatu. Et eadem linea. Aemilius. lege. Mamilius.

Pagina. 363. linea. 31. Toro. lege. Tauro.

Pagina. 367. linea. 35. P. lege. M.

Pagina. 371. linea. 23. Appius. lege. P. Et linea penultima. A. Aequilium, &. C. Cornelium. lege. A. Atilium, &. CN. Cornelium.

Pagina. 372. linea. 43. post Scopulis. adde. Heraclensibus.

Pagina. 373. linea. 15. duobus fere passuum milibus. lege. mille ferme passibus.

Pagina. 374. linea. 39. quatuor. lege. viginti quatuor.

Pagina. 376. linea. 40. dele. Refert Xenophon. & omnia quæ sequuntur per decem fere lineas, vsq; afflittantur, inclusiue.

Pagina. 377. linea. 1. Heradia. lege. Heraclia.

Pagina. 379. linea. 34. Aeip. lege. Reip.

Pagina. 391. linea. 46. dele. a Senatu.

Pagina. 393. linea. 27. post. obtinebant. dele. Erat enim Ciuile Romanorum institutum, vt qui ius latij haberent, alios sumere magistratus aut præsides nõ tenerentur, nisi Romanos Ciues. Et lege. Sed & Siciliam Ciuitate Romana a. M. Antonio Donatam lib. 14. ad Atticum, in Epistola. O. mi Attice scribit Cicero. Cuius verba sunt hæc. Scis quam diligam Siculos, & quam illam Clientelam honestam iudicem. Multa illis Cæsar, neq; me inuito. Et si latinitas erat non ferenda, verumtamen Ecce autem Antonius accepta grandi pecunia, fixit legẽ a Dictatore comitijs latam, qua Siculi ciues Romani sunt effecti. Cuius rei vigo illo, mentio nulla. huc vsq; Cicero.

✠✠

Digitized by Google

Pagina.394.linea.24.Hiſpei.lege.Hypſæi.

Pagina.395.linea.19.C.lege.CN. Et linea.42.poſt. vexata. fuit. adde. Nam, C. Verres cum in Sicilia.C.Sacerdoti Prætor ſucceſsiſſet, & poſt eum Prouintia diu Arrium Prætorem fruſtra expectaret, Verris Prætura in triennium protracta eſt. Quo tempore Siciliæ vrbes ab eo libidine, auaritia, & crudelitate fœdatæ ſunt, vt latiſsime Cicero in Verrinis. Succedente deinde Prætore Metello, Verres repetundarum reus a Siculis omnibus, præter Syracuſanos, & Meſſanenſes poſtulatus eſt, Patrocinante Cicerone, qui in Sicilia quæſtor Lilybætanus(Prætore Sexto Peduceo) fuerat & multa in ea oratione quam diſcedens Lilybæi habuerat, benigne ſiculis omnibus afflictis promiſerat. Romani etenim binos quæſtores in Siciliam quotannis, Prætoribus ſingulis, mittebant, Lilybætanum, & Syracuſanum. Verri autem Metelli tres, Scipionum familia, & permulti alij præſtantes Viri, & præcipue Hortenſius nobilitate, & Eloquentia inſignis, acerrime ſuffragabantur. Tandem perurgente Cicerone, & teſtes diuerſorum Criminum, ac plures publicas, priuataſq; ſiculorum literas, contra Reum producente, ſtupefactus Hortenſius, defenſionis rationem omiſit, & perculſus Verres, ſponte in exilium abijt. Et linea.47.700.lege.710.

Pagina.410.linea.7.Cæteras.lege.permultas.

Pagina.414.linea.42.dele.in. Et eadem linea.Claſsis, lege Claſsi, Et linea vltima.dele.Cum.

Pagina.419.linea.vltima.Curopulatus.lege.Curopalatus.

Pagina.422.linea.46.Sengregaitam.lege.Sycalgaitam.

Pagina.435.linea.9.Sygelaycæ.lege.Sycalgaitæ.

Pagina.437.linea.8.dele.vt diximus.

Pagina.438.linea.37.e.lege.&.

Pagina.442.linea.50.poſt Rex.adde.Africus nomine.

Pagina.443. linea. 4. poſt *inuaſerat*. adde. Et prohibebat Chriſtianis copijs tranſitum, quod ad Sarracenos eſſet propenſior. Et linea.17. poſt decerpſerit.adde.ſpectante, nec opem ferente, Emanuele.

Pagina.463.linea.16.poſt.1166.adde.die.9.Maij.

Pagina.470.linea.24.poſt.relicta.adde.die.18.Nouembris. Et linea.31.poſt publico.adde.a Pontifice Prætenſo.

Pagina.473.linea.44.Ethuriæ.lege.Ethruriæ. Et eadem linea. poſt relictis.adde.die.29.Septembris.

Pagina.479.linea.2.poſt funditus. adde. præter Arcem. Et linea.3.poſt Auguſtam.dele. tunc. & adde.poſtmodum in Peninſula megarenſi. Et eadem linea.poſt.dedit.adde.Aliam quoq; in Sicilia Maritimam vrbem, viarum amplitudine, lõgitudineq; Auguſtę inſtar, ad latus Meridionale ſuper ruinis vetuſtiſsimæ vrbis dirutæ.nobis hucuſq; incognitæ, conſtruxit, quam Terram nouam appellauit. De qua, priori decade, ſatis nimis.

Pagina.487.linea.2. poſt. regno.dele.ſine. Et eadem linea. poſt.Carolus.adde. ſine. Et linea.9.oppidum natura munitum.lege.Arcem natura munitam.

Pagina.488.linea.39.condam.lege.quondam.

Pagina.492.linea.39.Corigles.lege.Cruigles.

Pagina.494.linea.48.dele.Melitam.

Pagina.500.linea.16.Gironum.lege.Hieronum.

Pagina.503.linea.9.poſt Coronatus eſt.adde.Fredericus Regno potitus, Aquilam, ex materna ſibi propagine ſuccedentem, Siciliæ pro inſigni tradidit, vt in libro Capitulorum Regni. C. de vno tumino, & Cantario, ipſe ſcribit. Cuius verba ſunt hæc. Sint itaq; Tumini ipſi ſignati ſigno victricis Aquilæ nobis ex materna ſucceſsione, cæleſti prouiſione conceſſo. hucuſq; Fredericus. Quibus verbis non temere infertur, Aquilam, quæ hodie Siciliæ eſt inſigne,

a Frederico

Digitized by Google

a Frederico Rege, ſibi ex Materna proſapia, nimirum, ex Conſtantia matre, Manfredi Regis, Frederici Secundi Cæſaris prognati, filia, obuenientem, Siciliæ pro ſigno decretam. Nam Priores Siciliæ Reges, Sarraceni, Normanni, & Carolus, non Aquila, ſed proprijs inſignibus ſunt vſi, vt ex veteribus eorum, & præſertim Normannorum Clypeis, Vexillis, & Scutis, in Templis, & Arcibus adhuc paſsim vel depictis, vel affixis ſatis cõſtat. Sed Petrus, Iacobus, & Fredericus, qui primi ex Aragonẽſi ſtirpe, Siciliæ Reges fuerũt, Baculis, insignibus nempe Aragonenſibus, victricem Aquilam in eorum Scutis addiderunt, vt eorum, quæ adhuc cernuntur militaribus ſignis liquet. Quinimo, & in Vexillis Hiſpanorum Regum, qui Siciliæ olim, præfuerunt, vel hodie dominantur, Baculi, Caſtella, Leones, & Aquilæ, ſunt depictæ, quæ eorum regna ſigillatim præſeferunt, nempe Aragoniæ, Caſtellæ, Legionis, & Siciliæ. Aquilæ igitur Siciliæ inſigne, a Primis inſulæ Regibus Aragonenſibus decretum fuiſſe, eis ex Conſtantiæ Manfredi Filiæ ſucceſsione defluxum, conſtantiſsimum eſt. Hoc etenim Aquilæ inſigni Iouem aduerſus Titanas vſum fuiſſe prodit antiquitas, ſiue vt alij propius vero referunt, Ioue contra Saturnum dimicante, Aquilæ augurio tanquam fœlici & fortunato, Regni victor euaſit. Hinc a Plutarcho in Dione, & cæteris veteribus, Aquila Iouis miniſtra, & inſigne Regij Principatus, & Potentiæ, nuncupatur. Inde hoc inſigne ad Cretẽſes, a Cretẽſibus ad Troyanos, & ab Aenea demũ in Latiũ tranſlatũ eſt. Quo poſtea Romani auctо Imperio, propagatiſq; finibus, in bellis vſi, Iouis exemplo Aquilam veluti auſpicatiſsimum ſignum habuere. Et in Pharſalico bello, hinc Pompeius, inde Cæſar eodem præeunte præliati ſunt. Ex Romanis, deinde ad Cæſares, & tãdẽ ad Sueuos Fredericũ Primum, Henricum Sextum, Fredericum ſecundum Imperatores prouenit, Quo etiam & Manfredus Friderici Cæſaris Filius, & Conſtantiæ Petri Aragonenſis vxoris, & Iacobi & Frederici, matris, genitor & in bello, & in ſuis diplomatibus vtebatur, vt in eis, adhuc eſt videre. Vnde igitur, & quo tẽpore, Aquilæ inſigne, Siciliæ decretum fuerit, perſpicuum eſt. Sed ad ipſum Fredericum reuertor.

Pagina.508.linea.21.dele.Giracij Comes.

Pagina.512.linea.23.Obertis.lege.Vbertis.Et linea.43.dele.in alterum.

Pagina.522.linea.4.miſilium.lege.Miſsilium.Et linea.7. poſt conflagrauit. adde.De quo ſatis nimis priori decade lib.2.c.4.diximus.Et linea.39.dele. Giracij Comite.

Pagina.526.linea.20.Romoaldo.lege.Roberto.

Pagina.528.linea.27.delenda.lege.dedenda.

Pagina.533.linea.2.Argyram.lege. Agyram.Et eadem linea. Oppido.lege. Oppidum.

Pagina.538.linea.8.tandam.lege.tandem.

Pagina.549.linea.8.Cirthæ.lege Algerij.Et linea.13.Argyre,lege. Agyre.

Pagina.556.linea.34.dele.vt.

Pagina.563.linea.22.petit.lege.petebat.

Pagina.576.linea.32.Alcoranus.lege.Ancarranus.

Pagina.577.linea.7.dele. QVINTO ARAGONVM. Et linea.8. poſt nominis.adde.Aragonum.Et linea.19.Henrico.lege.Ioanni.Et linea.21.Caſtellæ.lege.Aragonum.Et linea.25.Ancoranus.lege.Ancarranus.Et linea.27.Vegelli.lege.Vrgelli.Et linea.37.oſtenſis.lege.Oſcenſis.

Pagina.578.linea.3.Sarriga.lege.Sagarriga.Et linea.25.Aragonum.lege.Caſtellæ.Et linea.41.Aragonenſes.lege.Caſtellani.

Pagina.580.linea.40.Monteſi.lege.Monteſæ.

Pagina.583.linea.3.Aragoniæ.lege.Cataloniæ.

Pagina.594.linea.5.poſt voluit.adde. Quo tempore Guilelmum peraltum, & Guilelmum

Digitized by Google

Guilelmum impuiades ſimul Proreges in Sicilia inſtituit. Et linea. 6. dele. cum vxore & filia ab Eduardo Rege interfecto Iſabellam Henrici Sororem. Et lege. adhuc viuente Iſabellam eius Sororem, & ob mortem Henrici fratris, poſtea. Et linea. 20. poſt. Ferdinandus. adde. Ioannis Regis filius, Soſij, quod eſt Aragoniæ, & Vicinum Nauarræ oppidum, anno ſal. 1450. ſexto idus Martias natus, patre. Et linea. 26. Numantino. lege. Zamorenſi. Et linea. 41. poſt. vrbis. adde. Panormi.

Pagina. 596. linea. 12. poſt die. adde. Vigeſimo quinto Iulij, in.

Pagina. 597. linea. 19. poſt Hiſpaniæ, adde. primo. Et linea. 36. Hugonem. lege. eum.

Pagina. 598. linea. 16. extintum. lege. finitum.

Pagina. 601. linea. 43. Fliſcalem. lege. Fiſcalem.

Pagina. 603. linea. 26. Fliſcalem. lege. Fiſcalem.

Pagina. 606. linea. 11. Iuarra. lege. Gueuara. Et linea. 41. dele. Plumbea pila tormento excuſſa. Et lege. Sagitta.

Pagina. 611. linea. 4. Galiſani. lege. Goliſani.

Pagina. 614. linea. 17. poſt. firmata. adde. & belli impenſis mulctatus. poſt aliquot menſes.

Pagina. 615. linea. 43. ad. lege. iuxta.

Pagina. 620. linea. 18. dele. eadem. Et eadem linea. 1532. lege circiter. 1535.

Pagina. 623. linea. 23. oppido. lege. oppidorum. Et linea. 30. Drepano. lege. Drepanum.

Pagina. 625. linea. 1. Linguagroſſam. lege. Francauillam. Et linea. 24. quem. lege. quam. Et linea. 36. Aurea. lege. Auria. & ſic ſemper reponito.

Pagina. 627. linea. 8. poſt. denegauerit. adde. Et ad Franciſcum Regẽ clãculũ deficiens, ab eo deſciuerit. Et linea. 35. poſt Metiſum. adde. hodie, ſed a Plinio Apollinis appellatum. Et linea. 41. quam. lege. quem.

Pagina. 631. linea. 33. Ringonus. lege. Rinconus.

Pagina. 632. linea. 5. Tunetarum. lege. Tunetanum.

Pagina. 634. linea. 2. Gallicæ amicitiæ. lege. Gallicam amicitiam.

Pagina. 635. linea. 23. Meſſa Rheni. lege. Metis. Et linea. 36. Frankfordium. lege. Frankfordia.

Pagina. 639. linea. 21. poſt. æneis. adde. & Carcere, id Mauritio Duce. & Alberto Marchione iniquo animo ferentibus.

Pagina. 640. linea. 20. Sola. lege. Sala.

Pagina. 641. linea. 13. Syracuſæ. lege. Leontinum. Et linea. 22. poſt Terranoua. adde. Syracuſæ. 2370. Et in eadem pagina columna ſecunda. linea. 8. 94. lege. 940.

Pagina. 643. linea. 41. ſeptingentibus. lege. ſeptingentis.

Pagina. 644. linea. 46. poſt nauibus. adde. Et Scipio ex duabus quinqueremibus contra Vticam.

Pagina. 645. linea. 1. per. lege. par.

Pagina. 647. linea. 5. Brundeburgenſi. lege. Brandeburgenſi. Et linea. 6. poſt. Cæſare. adde. ob Lantgrauium in Carceribus detentum. Et linea. 12. dele. Sprugium vrbem. Et lege. Oenipontem vrbem, quam vulgo Sprugium vocant. Et linea. 13. Meſſam Rheni. lege. Metem. Et lege. 25. Meſſam. lege. Metem. Et linea. 28. Meſſa. lege. Meti. Et linea. 31. Argintenenſibus. lege Argentinenſibus. Et linea eadem. Meſſæ. lege. Metis. Et eadem linea. perterritis lege. Cautis. Et eadem quoq; linea Meſſam. lege. Metem. Et linea. 32. Meſſa. lege. Qua. Et linea. 38. Meſſam. lege. Metem. Et linea. 39. Rheni. lege. Lothoringiæ. Et linea. 50. Meſſam. lege. Metem.

Pagina. 648. linea. 5. reddeunte, lege. redeunte. Et linea. 6. alio. lege. Morino. Et eadem linea. Dinum. lege. Hedinum. Et linea. 7. Obdoardo. lege. Eduardo.

Et linea.

Digitized by Google

Et linea.16. Margarita lege.Catherina. Et linea.17. poſt.eiq;.adde. Mortuo Hariadeno Barbaruſſa.

Pagina.565.linea.9.quarto decimo.lege.decimo. Et linea.10.poſt.capto.adde. Baudelo.

Pagina.601.linea.20.poſt fuerat.adde.& ob tẽtatũ vulnus in põpa vrbis cũ euaginato enſe cõtra Antonium Montecatinum Adrani Comitem, pro defenſione prærogatiuæ loci Senatus,,exulabat.

Pagina.649.linea.7.Tripolis.lege.Tripoli.

Pagina.653.linea.27.poſt Auri.adde.Vncias.Et linea.40.poſt cenſus.adde. Auri Vnciæ.471.

Pagina.655.poſt linea. 44. adde. DE ABBATIA. S. PHILIPPI. DE FRAGALI. 2.p.m.Mirto oppido in edito colle ꝓminẽti. ROGERIVS Siciliæ Comes & hanc Diuo Philippo Sacrã Aedem erexit, Cœnobium Baſilij inſtituti illi adiunxit,opes addidit,& Sacerdotibus tradidit vt eius reſcripto Dato anno a mundo condito. 6598. ipſis Calendis Iunij. conſtat.Sed & Simon Poſtea comes,& Rogerius Rex Siciliæ,anno mundi. 6600. &. 6653. Locupletiorem reddiderunt, vt eorum diplomata indicant.Tandem,a Margarita Siciliæ Regina Clemente Ro. Pont.aſſentiente, Cœnobio. Diuæ Mariæ a Maniace, connexam, Alfonſus Rex, Hoſpitalis Panormitanæ vrbis, Pontifice firmante,Pio ægrotantium operi, contribuit.cenſum habet. Auri Vncias. Circiter. 300.

Pagina.658.linea.4.Prioratus.lege.Prioratu.

Pagina.659.linea.17.Rogerijs.lege.Rogerij,Et Nepti,lege.neptis.

Pagina.662.linea.37.poſt Aedem.adde.ſuper ruinis deletæ Triocalæ vrbis,initio belli ſeruilis cognitæ.

Pagina.663.linea.11.poſt Africam ipſam.adde.Iulio menſe.Et linea.13. reddeũtem.lege.redeuntem. Et linea.22.Obduardo.lege.Eduardo. Et eadem linea. dele.ſpurio.

Pagina.664.linea 4.poſt Cœnobium.adde.Sancti Iuſti.Et linea. 6. dele. Errores aliquot,cum recognitionibus ipſis.

FINIS.

Digitized by Google

AVTHORES MVLTI PRAETERMISSI, QVOS FAZELLVS ETIAM SEQVITVR, ITA IN ELENCHO cum alijs reponendi sunt.

Albertus Magnus.
Albricus.
Apuleius.
Asconius Pedianus.
Auicenna.
Aulus Gellius.
Cæsar.
Callimachus.
Cassiodorus.
Columella.
Cornelius Tacitus.
Dantes.
Dio.
Dion.
Dioscorides.
Egnatius.
Empedocles.
Ennius.
Epicharmus Siculus.
Eutropius.
Feneſtella.
Festus Pompeius,
Frontinus.
Gabinus.
Galenus.
D. Gregorius.
Guido Colunna.
Hecatæus.
Herodianus.
Hierocles.
D. Hieronymus.
Hirtius.
Hyppocrates.
Isidorus.
Iulius Pollux.
Iulius Firmicus.
Iuuenalis.
Lapides vetustissimi, & Publici.
Lucas.
Manaseas Damascenus.
Marcellinus.
Neantes.
Nymphodorus Syracusanus.
Obsequens.
Palephatus.
Phallaris.
Philostratus.
Plautus.
Polemon.
Pontanus.
Quintus Curtius.
Ruffus Ephesius.
Saluſtius.
Sophron.
Terentianus.
Velleius Paterculus.
Vitruuius.
Vlpianus.

Zanto.

FINIS.

AVCTA QVOQVAE EST SVO LOCO A FAZELLO AVTHORE FERDINANDI CATHOLICI REGIS VITA.

Digitized by Google

AVTHORES QVOS IN HOC OPERE FAZEL-

LVS FIDELISSIME IMITATVR.

Amianus.
Annales Siculorum.
Annales Sarracenorum.
Antiochus Syracuſanus.
Antoninus Pius.
Appianus Alexandrinus.
Apollodorus.
Apollonius.
Ariſtoteles.
Athenæus.
Beda.
Beroſus.
Blondus.
Bocatius.
Callias.
Cato.
Chronica Neapolitanorum.
Claudianus.
Cicero.
Cornelius Nepos.
Diodorus Siculus.
Dioniſius Alicarnaſeus.
Diplomata Regũ Siculorũ,& Ro.Pont.
Doſitheus.
Duris Samius.
Aelianus.
Aeſchilus.
Ellanicus.
Ephorus.
Euſebius.
Euſtathius.
Fabius Pictor.
Falcandus.
Fauorinus.
Flauius Vopiſcus Sxracuſanus.
Florus.
Guiſcarda.
Heraclides.
Herodotus.
Heſiodus.
Homerus.
Ianus.
Ioannes Curopalates.
Ioannes Leonis.
Iſatius.
Iuſtinus.
Lactantius.
Laertius.
Laurentius Valla.
Liuius.
Lucianus.
Macrobius.
Martianus.
Metaſthenes.
Moſes.
Nicander.
Oratius.
Oroſius.
Ouidius.
Pauſanias.
Petrarcha.
Philiſtus Syracuſanus.
Pindarus.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Policrates.
Polycletus.
Pollio.
Pomponius Mela.
Poſidonius.
Probus.
Procopius.
Ptolemæus.
Ranzanus Siculus.
Scobranius.
Seneca.
Syllius Italicus.
Solinus.
Stephanus Bizantius.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.
Tabulæ Publicæ.
Theocritus Syracuſanus.
Theophraſtus.
Timeus Tauromenites.
Trogus Pompeius.
Thucydides.
Valerius Maximus.
Varro.
Vergilius.
Vibius Sequeſter.
Xenophon.

Digitized by Google

INDEX PRIORIS DECADIS, PER ORDINEM LIBRORVM, ET CAPITVM.

PRIMI LIBRI.

De situ Siciliæ, & insularum adiacentium descriptione. c. 1
De Nomine Siciliæ. c. 2
De Diuulsione Siciliæ ab Italia. c. 3
De Vbertate Siciliæ. c. 4
De Mirabilibus Siciliæ. c. 5
De Habitatoribus Siciliæ Anacephaleosis. c. 6
De Moribus Siculorum. c. 7
De Littorali Siciliæ in modum indicis descriptione. c. 8
De Mediterranea instar indicis descriptione. c. 9

SECVNDI LIBRI.

De Peloro Promontorio. c. 1
De Zacla, & Messana vrbibus, & vicinis oppidis. c. 2
De Tauromenio, Naxo, & propinquis oppidis. c. 3
De Aetna monte, & eius ignibus. c. 4

TERTII LIBRI.

De Catana vrbe. c. 1
De Teria, & Symetho fluuijs. c. 2
De Leontino vrbe. c. 3
De Augusta, Megara, & Hybla vrbibus. c. 4

QVARTI LIBRI.

De vrbe Syracusarum c. 1
De Neeto, Eloro, & Machara oppidis. c. 2

QVINTI LIBRI.

De Pachyno Promontorio, & Motia vrbe. c. 1
De Camerina vrbe, & Terranoua oppido. c. 2
De Gela fl. Alicata, & Gela vrbibus. c. 3

SEXTI LIBRI.

De Agrigento vrbe. c. 1
De Minoa, & Heraclea vrbibus. c. 2
De Thermis, & Sacca vrbe. c. 3
De Selinunte vrbe, terra pulicorũ hodie dicta. c. 4
De Mazara vrbe. c. 5

SEPTIMI LIBRI.

De Lilybeo Promontorio, & vrbe. c. 1
De Drepano vrbe. c. 2
De Eryce monte, & vrbe. c. 3
De Segesta vrbe, & vicinis oppidis. c. 4
De Elyma vrbe. c. 5
De Hyccara, & Motya vrbibus. c. 6

OCTAVI LIBRI.

De Panormo vrbe. c. vnicum.

NONI LIBRI.

De Thermis Himerensibus vrbe. c. 1
De Himera vrbe. c. 2
De Cephaledi vrbe. c. 3
De Aleta, Alesa, Aluntio, & Calata, vrbibus. c. 4
De Agathyrio vrbe. c. 5
De Pactis vrbe. c. 6
De Tyndaride vrbe. c. 7
De Mylis oppido. c. 8

DECIMI LIBRI.

De Regione vallis Demini, & eius oppidis. c. 1
De Regione Neeti, & eius vrbibus & oppidis. c. 2
De Regione vallis Mazare, & eius oppidis. c. 3

FINIS.

Digitized by Google

F. THOMAE FAZELLI SICVLI ARTIVM ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS, ORDINIS PRAEDICATORVM,

AD D. CAROLVM Q. CAESAREM HISPANIAE ET SICILIAE REGEM. &c. IN DVAS DECADES DE REBVS SICVLIS,

PRAEFATIO.

AVLVS Iouius, Nucerinus Episcopus, rerum sicularum studiosus, vigesimum ab hinc annũ, cum Romæ essem, multis a me precibus efflagitauit, vt priscam Siciliæ quasi formam illustrarem. Quod & si supra vires esse cognoscerem, mihi præsertim, ab ineunte ætate alijs studijs assuefacto: non potuit tamen id tandem non persuadere tanti amici & iudicium, & authoritas, quod collabentis alioqui patriæ commiseratio quasi suo iure postulabat. Cum etenim nullus adhuc inter latinos extiterit, qui Siciliam sibi in argumentum iusti, ac peculiaris operis desumpserit: factum est, vt tam præclaræ insulæ vrbes, quarum veteres meminerunt, complures plane interciderint, plæraq; vero falsis nominibus, non ab imperita solum plebe, sed a doctrina quoq; cultioribus, quos nostra, pauloq; superior tulit ætas, obliteratæ, non paruam antiquo totius Prouinciæ splendori nubem, indignamq; tanto literatorũ hominum prouentu iacturam induxerint, dignam porrô quæ quoquo modo vel per mediocriter eruditos vendicetur. Quo circa nõ adeo mirum videri debet, si ego e Philosophiæ & Theologiæ castris transfuga, parergo atq; operoso huic negotio quo ad littus, è tanto naufragio super natantes, aut parum apparentes ciuitates perducerem, incumbere, ac quamlibet etiam existimationis aleã subire decreuerim. Nam si ciues ipsos, qui patriæ ornamento fuerunt, pati occidere, immanis est hominis, dubio procul patriæ ipsius, quæ & nos & ciues omnes in lucẽ edidit, excidium sufferre immanissimi est. Atq; adeo, id mihi ad subleuandam infirmitatis conscientiam solatium suffecerit, q, vt aliud nihil hoc meo labore assequar, patriam saltem, cui nihil non deberi ipsa nos natura docuit, simul & maiores meos in lucem pro viribus excitauerim. Neq; enimuero cùm his calcaribus ad scribendum me contuli, de Siculorum rebus gestis quicquam vel attingere consilium erat. At cum inter agendum, pleraq, occurrerent, quibus prætermissis, nudam, ociosamq; omnem descriptionem futuram prænoscerem, dum suscepto officio satisfacere accuratius studeo, incautus pene atq; inuitus in historiam sum prolapsus. Ex cuius inopinato successu, ingens demùm cupido mihi incesit, quæcunq; de Sicilia, eiusq; rebus, iam inde ab exordio in hunc vsq; diem memoriæ sunt prodita, in fascem colligere, & historiam non inutilem contexere; cui non piguit etiam ocium, quodcunq; a viginti annis ex magnis innumerisq; occupationibus hactenus pene suffuratum contigit, impendere. Et ne siquæ locorum, aut temporum sunt, temere asseuerare viderer, cum ab antiquitate pendeant, ea peragrata a me quater aut sæpius, & curiosissime indagata tota Sicilia, tam diu cum authorum sententijs contuli, quousq; re comperta abunde mihi ipse satisfeci. Qua diligentia

Digitized by Google

non immerito mihi gloriari licet, cõplura oppida ac ciuitates maximas ſub ruinis,ruderibus,virgultis,aratroq; ſepultas, quæ è noſtrorũ temporum oculis animiſq; penitus exciderant, velut ab inferis vendicatas in vitam redijſſe.Vnde exẽplo fabuloſi illius Aeſculapij, tot in fruſta diſcerptos Hippolytos compactis mẽbris reſtituiſſe mihi videor, quot ad lucẽ, recentẽq; antiquitatis cognitionẽ vrbes,& loca reuocaui.Ea vero omnia in ordinẽ temporibus ſimul, & rebus conuenientiſsimum redacta,duabus demùm librorum decadibus abſolui. Quarũ prior deſcriptionem ſolam,Poſterior vero hiſtoriam complectitur. Porrò ſi puriorem ſermonem,ac fœliciorem dicendi cultum deſiderari continget, hæc vna mihi authoritas ſubueniet,quod hiſtoria, cum teſtis ſit temporum,lux veritatis, vita memoriæ,magiſtra vitæ & nuncia vetuſtatis, dummodo vel latum (quod aiunt) vnguem,à vero non recedat,quouis modo,etiam vernacule ſcripta, oblectare ſolet. Si vero erunt,qui conſilium ipſum,genuſq; argumentl theologicæ dignitatis eſſe negent,hos maximorum virorum, orthodoxorumq; patrum, Euſebij, Hieronymi,Iſidori,Bedæ, Oroſij, Antonini Florentini, aliorumq;, eius claſsis, compluriũ meminiſſe oportebit,qui cùm hiſtoriam nec religioni Chriſtianæ nec Theologicæ profeſsioni iniuriam facere ſuis exemplis comprobauerint, quarè me eorum veſtigijs inhærere pudeat,quorum facta etiam pro legibus haberi videamus? Nec deerunt,qui hanc quaſi ex alienis racemis factã vindemiam, aut ex aliorum trophæis partum triumphum calumniabuntur. Hos ego ſecum paulo ſubmiſsius expendere velim, tot clara vetuſtatis monumenta, hominumq; priſcorum facta, quæ coniectura diuinari nequeunt, non aliundè,quam ex veterum ſcriptis deligi potuiſſe. In quibus,ſi videbor authorum verbis nimium inhæſiſſe, id eò feci,ne a fide legentes abducantur,quando non nomina modo, ſed veterum quoq; verba paſsim inſerta agnouerint.Cum deniq; non ad mei nominis gloriam, ſed ad publicos vſus,laborum meorum rationes deſtinauerim: vt cunq; erit, iuuabit ſaltem & eorum ſtudijs conſuluiſſe,qui,quam centum ferè ſcriptoribus cõfuſe ſparſam, cum extremo quærendi faſtidio fruſtatim quodammodo cogebantur excerpere, Siciliæ hiſtoriam ordine iam ſunt cognituri. Id vero potius veniam requirit, quod,cum non ſolum æui curſu,ſed diutino quoq; in Sicilia, immaniq; ſaracenorum imperio,multæ & in decliuium abierint, & prorſus obierint vrbes, quarum tot paſsim cadauera ante oculos ſemilacera,ac colliſa iacent, pluriumq; locorum priſca aut corrupta aut mutata ſint nomina,de omnibus, pro vt vel ſuo extiterũt tempore, vel ab authoribus ſunt deſcriptæ (cum ne veterum quidem omnium ſcripta ad nos peruenerint) exactam rationem reddere in me non fuerit. Proinde boni conſulet qualeſcunq; hos conatus meos poſteritas,qui (cum ne meo quidem erga eam animo ſatisfecerint) præſtruent certè viam, qua & ipſa aliquando pleniori ſcriptorum facultate adiuta,ea ſuppleat, quæ non voluntatis, ſed virium aut tẽporis imbecillitas a me imperfecta reliquit. Tibi vero Carole Quinte Cæſar, Hiſpaniæ & Siciliæ rex, cui Sicularum hæc rerum farrago vel ob id debetur, quod nuper Siciliam ipſam,expugnato Thuneto,deuictaq; Africa,a diro Turcarũ metu,ſceleratiſq; enſibus ſtrenuè vindicaſti,quamq; ſanctiſsimis legibus reſtitutam iuſtiſsimo dominatu moderaris, Tibi inquã,penès quẽ totius orbis imperiũ Deus eſſe voluit,hũc rudem,informemq; ingenij mei fœtum, vt pro me atq; vniuerſa Sicilia grati erga te animi obſidem dedicandum putaui. Quem & ſi inuictæ Maieſtati tuæ imparem cognoſcam, benignè tamen ac læta fronte pro ſolita tua in omnes humanitate, exceptum iri non diffido.Atq; ita inuoca to Dei Opt.Max. ductu atq; auxilio, a ſitu Siciliam ingreſſus, ad ſingula eius oppida ciuitateſq; ac res memoratu dignas, ordine progrediar. Vale.

F. TH.

Digitized by Google

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS, PRIORIS DECADIS.

LIBER PRIMVS.

DE SITV SICILIAE. ET INSVLARVM ADIACENTIVM DESCRIPTIONE. CAPVT PRIMVM.



SICILIA, mediterranei maris insula, inter Italiã, & Africam iacet, sed ab Italia ad meridiẽ & occasum, angusti, & æstuosi admodũ æquoris interiectu abrũpitur. Cuius ex tima literæ græcæ. Δ. quæ delta dicitur, speciẽ effingũt. Tres eius anguli totidẽ promontoria producũt, Pelorũ, Pachynũ, & Lilybœũ, quæ cũ submissæ sint insulæ partes, rostrorũ instar longius in mare protenduntur. Pelorus Cœnym Italiæ verticẽ, Pachynus Peloponnœsum, Lilybœus Mercuriũ Africæ promontoriũ spectat. Qui à climatũ aspectu, Siciliã definiũt, Pelorũ ad Boreã, Pachynũ ad ortũ & Austrũ, Lilybœũ ad meridiẽ & occasum locãt. Sicilia a Septẽtrione mari Tyrrhẽo siue infero, ab ortu, Adriatico & Ionio, siue supo, a meridie Africo (quod est cõtra syrtis minoris orã) ab occasu vero, Sardoo alluitur. Distat ab Italia, vbi minimũ, id est in freto, passibus mille & quingẽtis. Vbi plurimũ, a Drepano Neapolim. p.m. 300. A Sardinia insula. p.m. 230. Ab Africa, vbi minus, hoc ẽ a Lilybœo ad Mercuriũ ꝓmõtoriũ. p.m. 100. (licet Strabo li. 6. & 17. Ptole. & Pli. Siciliã plus æquo, vt pote. p.m. 180. ab Africa remotã scripserint) vbi magis, a Pachyno ad Tripolim. p.m. 400. Sicilia, cũ natura triquetra sit, triã, sed inæqualia habet latera, Septẽtrionale aliquatenus curuũ, Meridionale, & Oriẽtale, pauliſper cõcaua. Oriẽta le latus (cuius alter angulus Pelorus est, alter Pachynus) basim eius habet. Reliqua duo, hinc mare Tyrrhenũ, illinc Punicũ sensim extenuãt, quousq; ad Lilybœũ cõfluũt, & trigonę cuspidẽ acuminãt. Latera hęc duo (quorũ altero alterũ est maius) Oriẽtali sunt lõgiora. Nã Septẽtrionale. 281. Meridionale. 193. Oriẽtale. 160. p.m. metiũtur. Ita Sicilię littoralis ora. 624. p.m. in circuitu cõtinet, hoc ordine: A Peloro, ad Messanã. p.m. 12. A Messana, ad Tauromeniũ. 30. A Tauromenio, ad Catanã. 30. A Catana, ad Augustã, sinũ Megaricũ. 30. Ab Augusta, ad Syracusas. 18. A Syracusis ad Elorũ. 24. ab Eloro, ad Pachynũ. 16. A Pachyno, ad Puzzallũ. 20. A Puzallo, ad Camerinã (quæ iacet) totidẽ. A Camerina, ad Terranouã. 18. A Terra noua, ad Gelã, nunc Alicatã. 18. Ab Alicata, ad Agrigẽtinũ fruméti Emporiũ. 25. Ab agrigẽtino Emporio, ad Heracleã, quę ad caput albũ iacet. 20. Ab Heraclea, ad Thermas, nunc Saccã. 20. A Sacca, ad Selinũtẽ, terrã hodie pulicorũ, quę iacet. 18. A Selinũte, ad Mazarã. 12. A Mazara ad Lilybœũ ꝓmõtoriũ, & vrbẽ, nũc Marsalã. 12. A Marsala, ad drepanũ. 18. A Drepão ad Egytharsum ꝓmõtoriũ, caput. S. Viti hodie dictũ. 18. A capite. S. Viti ad Castrũ ad mare, Segestanũ olim Emporiũ. 17. A Castro maris, ad arcẽ. S. Cathaldi: quę Elymę subest. 12. ab Elyma ad Hyccarã, nũc Carini murũ. 12. A Carini: ad Motiã, portũ hodie Galli. 9. A portu Galli, ad Panormũ, totidẽ. A Panormo, ad Soloẽtũ. 12. a Soloẽto, ad Thermas Hymerẽses. 12. A Thermis, ad Hymerã vrbẽ, quę defecit. 6. Ab Hymera, ad Cephaledin. 18. A Cephaledi, ad Thusam arcem. 18. A Thusa, ad Alesã: nũc Caroniã. 12. a Caronia, ad Aquas dulces, quę Alũtio subsunt. 12 Ab Aquis dulcibus, ad Agathyrsum, quæ ad caput Orlandi iacet. 18. Ab Agathyrso, ad Brolũ arcẽ. 6. A Brolo, ad Pactas. 12. A Pactis, ad Tynderidẽ, quæ iacet. 6. A Tynderide, ad Mylas. 18. A Mylis, ad Diuetũ arcẽ. 18. A Diueto, ad Falacriũ ꝓmontoriũ

Digitized by Google

hodie Raſiculmũ.6.A.Raſiculmo,ad Pelorũ,vnde auſpicati ſumus.12. Siciliæ itaq; littoralis menſura ea eſt,quã diximus.Porrò Sicilia lõgior eſt,q̃ latior.Eius longitudo ab ortu ad occaſum,a Peloro ad Lilybœũ extenditur,ad.p.m.circiter. 490. latitudo eius non ſane æqualis. Ad ſummũ vero,ad latus vt pote Oriẽtale,p.m.ferme.160.procurrit,cũq; inde ꝓcedit ad occaſum.ex ſpacio fit paulatim anguſtior, vbi autẽ finitur,hoc ẽ ad Lilybœũ ibi fit anguſtiſsima. Vmbilicũ habet agrũ Ennẽſem. Quibus fuit curę cœlo terras metiri,Siciliã in quarto climate,interq; nonũ & vndecimũ parallelũ ſitã eſſe ſcripſerunt. Siciliæ principiũ lõgitudinis eſſe in gradibus.36.Mediũ.38.15.Finẽ.40.Latitudinis principiũ.39.Mediũ.36. Finẽ.34.Pelorũ promontoriũ.Lõgitudinis.39.20.Latitudinis.36.20.Pachynũ.Lõgitudinis.40. Latitudinis.36.20.Lilybœũ,lõgitudinis.37.Latitudinis.36.Sicilia cũ tribus lateribus concludatur:in curſu lateris Septẽtrionalis decẽ adiacẽtes habet inſulas, tametſi veteres ſeptẽ tãtummodo numerauerint,cõmuni nomine Lipareas, Vulcanias & Aeolias latiuis,Epheſtiades Vulcani epitheto græcis appellatas.Quarum hęc ſunt nomina.Lipara,Vulcania ſiue Hiera,Vulcanellus,Liſcablãca,Baſiluzus,Thermiſia, Strõgile,Didyma,Phœnicuſa,& Ericuſa.Lipara quę a Sicilia.p.m.20.recedit,oĩum maxima,in circuitu.p.m.18.habet, Melingunis a Callimacho, Strabone & Pli.dicta.Soli natura ferax,& magno aluminis ꝓuentu,ac fructuũ domeſticorũ ſuauitate eſt celebris.Balneę ſunt in ea tũ humidę, tũ ſudatorię ad valetudinẽ ſimul & voluptatẽ accõmodatiſsimæ,quę priſco tẽpore a Siculis morbo affectis, incolumitatis gratia admodum frequẽtabãtur.Eius mare piſces oĩs generis,& menas pręſertim,laudatiſsimos abũde prębet:Hęc inſula ignẽ ex pluribus crateribus olim euomebat.Diodoro,& Straboni.Cuius ora & veſtigia adhuc viſuntur. Refert Ariſtoteles lib.de admirãdis auditionibus,Tumulũ in hac olim fuiſſe, ad quẽ noctu tuto accedere nemini licebat.Cymbala nãq;,crotali quoq;,immanes pręterea ſonitus, tumultuſq; cũ incõditis cachynnis ibi exaudiebãtur. Quibus territi Liparẽſes,ne quid ſibi mali accideret,illuc ꝓgredi perhorrebãt.At cũ mero quidã correptus eo temere peruaſiſſet:iuxta tumuli ſpecũ obdormiuit, ꝓquiſituſq; a domeſticis poſt triduũ exanimis eſt repertus.Pro mortuo autẽ inde elatus,cum ſepulturæ paratis exequijs ac funebri põpa tradẽdus efferretur,repẽtè oĩbus admirãtibus experrectus,quę & viderat,& paſſus fuerat enarrauit.Quod & ſi Ariſtoteles fabuloſum id eſſe arbitretur,& vetus ſuperſtitio cœlitus factũ falſo referat:demonũ tamẽ illuſionis genus fuiſſe apud CHRISTI cultũ cõſtãtiſsimum eſt.Aetate mea, & pluribus ante annis Lipara cõſumpta iã materia ardere deſijt.Hanc inſulã Liparus Auſonis Italiæ regis filius,a fratribus diſsidẽs,magna ſecũ aduecta militũ copia, mortaliũ primus incoluit,oppidũq; a ſuo nomine Liparã vocatũ in rupe vndiq; prærupta, quã mare alluit,cõdidit,& ſubinde vicinarũ inſularũ agros excoluit.Diodoro.Seneſcẽte Liparo Aeolus Hippotæ heraclidarũ generis,filius,iliacis tẽporibus(teſte Plinio)claſſe in inſulã appulſus Teleporã regis filiã vxorẽ duxit, ac Liparã vrbẽ cũ vicinis inſulis,dotis nomine,a patre accepit,quas mutato nomine Aeolias a ſe nũcupauit.Quo regnãte quòd prudẽtia atq; humanitate plurimũ vigeret,Lipara maxima ſuſcepit incremẽta.Defuncto Aeolo,extinctaq; eius ſobole: Gnidij quidam (quorũ vrbs in Lycia minoris Aſię regiõe eſt)& Rhodij nõnulli,Aſię Regũ iniurijs oppreſsi,duce Pẽthalo,q̃ genus ſuũ ad Hippotã referebat,quĩquageſima (quę tũc agebatur)Olympiade,ĩ Siciliã venere,atq; ibi à Segeſtanis ſuperati,ducibus Gorgõe,Theſtore,& Epitherſide Liparã ꝑuenere:vbi ab incolis humaniter excepti,habitauerunt,vt Diod.& Pauſanias referunt. Poſt hęc a Tuſcis,diuerſis cladibus affecti naues ſibi ad ꝓpulsãdas hoſtiũ iniurias extruxere,q̃bus tãdẽ deuictis,ſpoliorũ decimas Delphos miſere.Pelopõneſiaci belli mox tẽpore Liparẽſes cũ Syracusãis cõfederanť.Et ſubinde a Romãis imperãtibus in ſocietatẽ aſciſcuntur.Sed primo Punico bello ad Pœnos deſciuere, & bello deinde fracti, ad Romanos redierunt.

Eoq;

Eoq; tempore & Lipara maxime coaluit, & Romani magnũ ex alumínis effoſsione vectigal perceperunt. Diuiſo poſt modum orbis imperio, ea vrbs Conſtãtinopolitano ceſsit. Quam paulo poſt Michaele Balbo Bizantij rerum potiente, vna cũ Sicilia Sarraceni occuparunt. Quibus triginta ſupra ducentos poſt annos, ſuperatis, Robertus & Rogerius Normanni eã Chriſtianis reſtituerunt. Vbi ſtatim a Rogerio tẽplum. D. Bartholomeo erectũ eſt: quod poſtea a Bonifacio Romano Præſule ad Epiſcopatũ eſt translatum. Deinceps Lipara in Caroli Franci ditionẽ venit. Sed Gallis in Sicilia interẽptis, ad Aragonenſes ſimul cũ Sicilia defecit, quorũ hodie Imperio ſubeſt. Noſtra vero ætate anno ſal. 1544. menſe Iulio, ab Ariadeno Barbaroſſa Turcicæ claſsis præfecto ferro & igni prorſus abſumpta eſt. Quam cõfeſtim indè Carolus Quintus Cæſar, eò Hiſpanorũ miſſa colonia, priſtino cultui reſtitutã, munitioré etiã reddidit. Lipara Inſula Melingunis (vt diximus) a priſcis, ob eius nigredinem appellata eſt. Subinde Thermiſia, a balneis quas habet, vt teſtatur Strabo. Poſtremo vero Lípara eſt dicta, quod nomen hucuſq; retinet. Et de Lipara plus ſatis. Proxima huic Aeoliarum inſula Hiera græcis, Sacra latinis, (quia ſacra apud veteres Vulcano erat) Therafia Plinio, Incolis vero Vulcania hodie dicta, a Lipara. p.m. 4. ad Orientẽ diſsidet. Hãc non ab initio cũ orbe enatam, ſed Coſſ demũ Sp. Poſthumio Albinio. Et. Q. Fabio Labeone, anno ab Vrbe condita. 550. repẽte e pelago emerſiſſe Pli. lib. 2. c. 90. Iſidorus lib. 14. P. Oroſius lib. 4. c. 19. & Eutropius lib. 4. referunt. Hæc in medio mari, aquis circumfuſa perpetuo ardet. Enimuero ex voragine, quæ in medio patet, iugiter ingentem fumi nebulã hodie eructat, & pro modo efflantiũ ventorũ Euri, vel Africi, fumũ interdũ, quandoq; fauillas, nonnunq; etiã ignem, ac pumices euomit. Intus vero per iuncturas lapidum, & cancellos, anguſtoſq; meatus, exurens ſimul, & pallens ignis, inter ipſam fumoſam caliginẽ emittitur. Scribit Ariſtoteles. 2. meteororum lib. in hac inſula diu ante ſua tẽpora, ecnephia, hoc eſt procelloſo vento e nube erũpente, præmiſſoq; ſonitu, tellurem montis inſtar intumuiſſe, ac dehiſcente paulatim terra, ignem primũ, mox cinerẽ exiluiſſe: qui late electus Liparã, atq; vicinas Italiæ vrbes fœdauit, fuſcaq; nigredine obduxit. Quin & Callias lib. De geſtis Agathoclis. 10. tradit eam ſua ætate, continuis arſiſſe noctibus, interdiu vero globos, & ingentes pumicũ moles effudiſſe, ſonitumq; eius ſeptẽ circũ paſſuũ milibus auditũ, ſubiectũq; mare, non aliter, q; ſubmiſsis ignibus ollã efferbuiſſe. Recenti quoq; memoriæ proditũ eſt, eandẽ nonis Februarij anno ſal. 1444. anteluçano tẽpore, flammarũ, atq; ardentiũ ſaxorũ globos in cœlũ, tãta vi, ac diſtento quodãmodo hiatu emiſsiſſe, vt quatuor ex ijs admirandæ magnitudinis, vltra ſex ab inſula. p.m. in mare, non ſine immani fragore collapſa ſint: & Aeoliæ oẽs inſulæ, & Sicilia ipſa tota contremuerit. Atq; adeo ob ignis, quæ in ea perpetuo viſuntur, miracula, antiquitas Vulcaniæ ei nomen indidit, vel ob id, q; veſano errore ducta, ſacram Vulcano officinam eſſe crederet. Tertia inſula Vulcanellus tenuiſsimo euripo a Vulcania recedit: quæ & ignem ipſa aliquando euomuit. Eurypus ad ætatem vſq; meam peruius, ac fida nauigijs ſtatio. Nunc interiecta ex Vulcaniæ caminis cinerũ, ac lapidũ mole præcluſus eſt. Quarta inſula Didyma eſt Ptolemæo, à forma (quia nimirũ Gemella eſt) nomen adepta. Salinis mea tẽpeſtate dicta. p.m. 12. habet in ambitu. Flãmarũ incendia antiquitus & hæc quoq; eiaculata eſt. Quorũ voragines, fauceſq; adhuc cernuntur. Hæc vini & domeſticarũ cuiuſcũq; generis arborũ, ac fructuum eſt feraciſsima. Diſtat a Lipara ad Aquilonẽ. p.m. 4. Quinta Thermiſia (tametſi falſo) pleriſq;, Hiceſia Ptolemæo. Sed quicquid de vetuſtis ſit nominibus. Panaria hodie vocatur, in ambitu. p.m. 6. cõplectitur, Liparæ in Oriẽté ad. p.m. 8. ꝓpcliuior, adiacet. Stationẽ habet non incõmodã. Vbi & proſtrata arcis veſtigia apparent. Sexta Liſca blãca mille paſſus habet in circuitu, vergitq; in Oriẽté a Lipara ad. p.m. 8. cernũtur in ea, ciſterna vetus ad imbres ſuſcipiẽdos, & antiquæ habita-

Digitized by Google

tionis monumenta. Septima Basiluzus, circuitus.p.m.2.a Lipara in orientem. p.m.10.distinguitur,culturæ in primis idonea. Octaua Strongile, Straboni, Ptolomæo, & cæteris, a forma orbiculari, nomen sortita, hucusq; retinet. ambitur p.m.10. Et totidem ad æstiuos ortus diuiditur a Lipara. Hæc quoq; liquidissimas ignium flammas,lapidesq; pumiceos præmisso fremitu, ex vertice, vbi crater est, noctu & interdiu emittit. Perpetuus eius ignis eminus nauigantibus noctu tantum (cum interdiu a superiori solis splendore obfuscetur) conspicitur. Huius insulæ pars altera, ob perenne incendium, sterilis, ac aratri impatiens, Altera xilino,frugiferisq; arboribus fœcunda est.Hanc Aeoli fuisse domicilium ex priscis Strabo refert.Nona Phœnicodes,siue Phœnicusa, quasi palmularea, a palmis,quibus olim affatim scatebat,nomen habet:prout Aristoteles libro de admirandis auditionibus est author. Conficit in suo ambitu.p.m.10. Et totidem a Lipara in occidentem abest: Segeti est apta, turrisq; iacentis monstrat vestigia. Decima Aeoliarũ insula Ericodes,siue Ericusa Ptolemæo, & Straboni,a Lipara ad occasum.p.m.15.a Phœnicusa.5 distat. Cui ab arbustis, quibus densissime confertam olim habebat syluam,veteres (teste Strabone) nomen imposuere: quod in hunc vsq; dieu seruat.Scribunt Diodorus,& Ptolomeus, q̃ vni Aeoliarum insulæ,Lyparæ ad occidentem propinquæ,quæ eo tempore deserta erat, Osteodes, siue Ostodes (vt alijs placet) græcum fuerit nomen, hac occasione, inditum: Cum Carthaginenses magnis peditum copijs, ingentiq; classem Siciliam contra Syracusanos olim profecti essent, mercenarij eorum milites, ad sexaginta plus minus milia, ob stipendium non solutum, de occupanda.Carthagine coniurarunt. Quo comperto Carthaginenses, sub belli peregrini capessendi nomine,seditionis authores, qui quatuor milia numero excedebant, in naues coniectos, in eam insulam,quæ cum cęteris Aeolijs,sub eorum imperio erat,proscriptos deportarunt,vbi inedia omnes exesi sunt. Ita a tot hominum defunctorum nudis, cadaueribus, insulæ osteodes græce,quod osseum latine sonat, memorabile nomen prouenit. Est & alia insula ab Aeolijs ad occidentem. p. m. fere.60. totidemq; a Sicilia ad Aquilonem diuulsa,ambitus.p.m.12.Euonymos Straboni,q̃ ad siniſtram sit Siciliæ:Vstica Ptolemæo, Plinio, & nobis hodie dicta: vbi olim eiusdem nominis oppidum, templum præterea Mariæ Virgini sacrum, & monachorum Cœnobium illi coniunctum, non multis ab hinc annis erat, quod Archiepiscopo Panormitano, Clemens huius nominis quintus, Romanus Pontifex,anno salutis.1312. 7.idus Octobris subiecit:vt eius diplomate constat. Porrò hac tempestate & oppidum, & templum prostrata, sola antiquitatis vestigia plurima reliquerunt:iam vero cum omnino deserta sit, commodam Pyratis stationem præbet. Scribit Strabo,q̃ iuxta has insulas, sæpe igneæ flammæ ad superficiem maris ex profundis ignium cauernis exhalauerint,cum earũ meatus essent obstructi, quæ facto violento impetu, ad exteriora supra mare cucurrerunt: quod Aemilio Lepido,&.L.Aurelio Oreste Coss.imprimis accidit.Refert idem ex Posidonio,inter Vsticam & Aeolias insulas.T.Flaminio Siciliæ prætore, solstitio æstiuo, aurora illucescente, mare miris in sublime fluctibus intumuisse: mox ex plæriſq; locis caliginem primum,deinde flammas emisisse. Scribit etiam Plinius lib.2.c.19.Aeolias omnes insulas socialis belli tempore, diebus aliquot, incendia iugi flammarum expiratione continuasse, nauigare vero ausos piscium multitudinem exanimem vidisse, qui & ipsi vix a morte sunt seruati. Nam Liparam reuersi,instar laborantium comitiali morbo, sine vlla fere erant mente, qui post ad se redeuntes,lutum ex mari efflorescere,& in lapidẽ molarẽ cõgelasse viderũt. Ex Aeolijs insuper ad Aetnam Siciliæ montem, a cuius radicibus.40.ferme.p.m. censentur,opertos specus in se recurrentes, ac commeatus esse subterraneos, & mutuo incẽdia sibi subministrare, Diodorus, & Solinus ex veteribus memorant.

Aeoliarum

Digitized by Google

Aeoliarum & Aetnæ ignium, hæ ferme rationes ab Aristotele & cæteris, qui rerum causas sunt perscrutati, tradunt, ꝙ cum Aeoliæ, ab ea parte, qua Eurus, & Africus perflant, cauernosæ vsq; ad mare, & plenæ sint sulfure, pelagi fluctibus percutiuntur, percussæ exhalationem gignunt, quæ suo motu agitata rarefit, sulfuriq; miscetur, & accenditur, ac flammas deniq; emittit. Verum cum vicinam terram comburit, combustam interdum eructat, vel aliquando in cinerem conuertit, quem acrior cum flauerit ventus, passim egerit. Hæc autem omnia quam sint rei veræ consentanea, fidemq; mereantur, apertissime declarant theoriæ, quibus suas natura rationes suppeditauit. Alijs nanq; ventis perflantibus, nihil hę insulę ex se ignis prouomunt. Pręterea collaterales, ac mari vicinissimi quiq; tantum montes flagrare videntur. Ad extremum, cum ignis iste in medio pelagi perpetuo ęstuet, ne montium molem consumet, pabulum atq; humorem affatim suppetere necesse est. At de Aeolijs quidem hactenus. Inter Vsticam, & Siciliam exigua admodũ iacet insula, a Fimi nomen habens, mille passuum spacio ab ora Sicilię disiuncta, Fœminarum insula hodie appellata. In eodum cursu inter Siciliam, & Neapolim, pleręq; alię sunt insulę, sed littori Neapolitano obiacentes. Quarum prima Caprea, siue Capreę (vt alij efferunt) occurrit, a Neapoli ad meridiem. p. m. 30. diffugiens, sed a Promontorio Athenęo, Campanellarum vulgo hodie dicto (a quo terręmotu cõuulsam scripsit Strabo) vnda breuissima, ad passus circiter mille. Nobilis est, cum coturnicum multitudine, tum pręcipue Cęsaris Augusti, & Tyberij frequenti secessu. Eam nanq; Aproxopolim gręce, hoc est apricam ciuitatem, ob amœnitatis receſſum, Augustus appellare consuenerat. Tyberius vero ad senectutis solatium, & delitiarum suarum latebras, ac seuitię officinam, arcem in ea insignem condidit: quam ingraueſcente ętate, indignis voluptatibus, & dira sęuitia, infamem reddidit, vt Suetonius & Plinius memorant. Hi porro duo Cęsares plurimum ea sunt delectati, ꝙ vnico, eoq; paruo littore adiretur, essetq; prępruptis vndiq; immensę altitudinis, ac asperrimis rupibus, & profundo mari, Nemoribus, Antris, locis abditissimis, ac apricis domesticarum arborum fructibus vndiq; circumsepta: aquarum exuberantia, aeris amœnitate & piscatu deniq; insignis. In hac duo erant ante Strabonis tempora, & hodie sunt oppida, quorũ maius Caprim, minus Donna caprim appellant. Extat in ea Carthusiensium cœnobium, a Iacobo Caprensi milite, Roberti regis ętate extructum. Non procul a Capreis, Prochyta insula, ante Misenum promontoriũ iacet, terręmotu a Miseno diuulsa, vt libro primo Strabo refert: licet idem author lib. 5. & Pli. lib. 3. c. 6. ab Aenaria disiectam scribant. Quod & eius nomen ostendit. Prochytam nanq; profusam interpretamur. Habet eiusdem nominis oppidum, ac terrę frugibus, perdicumq; aucupio nobilitatur. Tulit hoc oppidum (vt in suo itinerario recensęt Franciscus Petrarcha) Ioannem Prochytam, virum pręclarũ, qui Carolum Francum Regem non veritus, & grauis memor iniurię, maiora etiam si licuisset, ausurus, vltionis loco huic regi Siciliam abstulit. Non longo spatio ab hac, & Puteolorum cõtinenti, distantes insulę tres exiguę, saxosę, & desertę, ac paruis ab inuicem interstitijs distinctę occurrunt: quas Syrenes veteres nuncupabant, quod tres forma prestantes, sed vulgati corporis mulieres. Parthenopen, Ligiam & Leucosiã eas incoluisse memorię proditum est. Hę pulchritudinis immensę illecebris, ac inaudita cantus dulcedine, prętereuntes ad sui corporis copiam inuitare, allectosq; ad inopiam cogere solebant. Hinc prouerbio locus datus, ac Syrenum scopuli hę insulę appellatę sunt, in quos dolis meretricijs nudati ridicule impegisse dicebantur. Vnde hac prętereuehendus Vlysses sociorum aures obturasse, ac se malo nautico alligasse, ne propius pertraheretur, a poetis fingitur, vt Palephatus lib. de incredibilibus scribit. Iscla insula breui admodum ab eis mari dissecatur, Arime Homero, Aenaria Plinio. Inarime Vergilio, licet

(licet a plærisq; notetur) Pythecusa Straboni, & Græcis dicta, a Miseno promontorio terræmotu & ipsa discreta, vt libro primo author est Strabo. Cuiusuis generis frugum, & auri quoq; feracissima est. Balneas habet plures, & ad delicias, & ad valetudinem æque accommodas. Hanc Eretrienses & Chalcidenses primi incoluerunt, quos ob feracitatem soli fortunatos Timæus vocat. At Hiero senior Syracusarum tyrannus, qui postea & ei, & Campaniæ dominatus est, illis ob seditionem pulsis, colonos e Sicilia eò transmisit: qui oppidum Gerundã cognominatum, ædificauerunt. Horum tempore, & paulo ante Timæi ætatem, collis in medio insulæ situs, cui Epomeus erat nomen, terræmotibus primum frequẽter concussus, mox incendia maxima aperto hiatu euomuit. Quibus conterriti Siculi & oppidum, & insulam deseruerunt. Sed & Lucio Martio, & Sexto Iulio Coss. & deinde Cæsare Augusto, Tito, Antonino quarto, atq; Diocletiano imperantibus, plurimum arsit. Alberti præterea pyni anno tertio, adeo vehemens ibidem profluuium ad menses duos prorupit, vt in suum quodammodo exitium conspirasse crederetur, cum plurima bruta, ac multos homines consumpserit, & cæteri fuga dilapsi in proximam Pandatariam, vel Capreas, vel Baias se contulerint. Remanent eius incendij ad huc vestigia: locusq; ille asperrimis lapidibus combustis tectus, simul & incultus, longitudinis. p. m. circiter. 3. ætate mea Crematus nominatur. Oppidum in hac insula olim conditum, Iscla hodie dicitur, quæ & insulæ, abolitis vetustis appellationibus, nomen dedit. Est natura munitum, edito atq; exeso in monte situm, quod mari olim vndiq; cingebatur. At cursu temporis, vallo, quo ab insula discrepabat, iectis saxorum, ruderumq; machinis oppleto, insulæ connexum est. Ad ipsum accessus est peraccliuis, magnaq; ex parte saxo cæso, atq; excauata rupe, manu factus, quem vel duo milites tuto tueri possint. Iscla, Syrenes præterea, & Prochyta quoq; strictissimo gurgite a Cumarum littore dissident, ac tanq̃ moles pulcherrimæ, mare pingentes, prospectum e regione agri Cumani, Miseniq;, iucundissimum præbent. Scribit Pindarus in Pythijs (quod & lib. 5. Strabo verisimile arbitratur) tractum omnem æquoris, qui a Cumis, & Puteolano agro ad Siciliam vsq; protenditur, ignitum esse, profundasq;, in vnum coeuntes, habere cauernas, eoq; insulas interiacentes igniuomas esse. In eiusdem lateris cursu inter Siciliam, & Terracinensem oram, quatuor iacent insulæ, Pandataria, Pontia, Pandana, & Planasia a Strabone, Ptolemæo, Plinio, & Martiano: nunc Palmarola, Pontia, Ventum tenens, & Sanduuis vulgo dictæ. In Pandataria Tyberius Cæsar nurum Agrippinam, post viri obitũ, exilio mulctauit. Quæ ibi post flagra, & graue oculorum discrimen, septem dierum inedia decessit. Nam ante diem septimum letalis non est inedia, licet vltra vndecimum plæriq; vixerint, vt lib. 11. c. 53. Plinius docet. Pontia insula, vetustũ adhuc retinens nomen, paruis a Palmarola spatijs, vtraq; vero ab ora Italiæ. 40. fere. p. m. discernitur. Eas olim Volscos incoluisse, & Romanas quoq; habuisse colonias lib. 9. scribit Liuius. Quæ quamuis hac tempestate desolatæ sint: vestigia tamen antiquæ habitationis adhuc retinent. Pontia olim carcer fuit illustrium, quo a Nerone ex Germanico nepotem relegatum, & ad volũtariam mortem actum Suetonius memorat: hodie vero ad fauces portus arcem habet. Hæ duæ insulæ, post Strabonis tempora, complurium martyrum, & Christi confessorum exilijs fuerunt insignes. † Inter Siciliam, & Sardiniam duæ iacent insulæ, quæ scopuli verius sunt, q̃ insulæ. Hæ Arę quondam ab Italis vocabantur: & saxa, quòd ibi Afri, & Romani fœdus aliquando inierunt. De quibus Vergilius. Saxa vocant Itali, medijsq; in fluctibus aras. Pleriq; (referente Plinio) eas olim habitatas subsedisse affirmarunt. In hoc mari Sardoo, littori Drepanitano vicinæ, & Drepani prospectui veluti obiectę moles patentes, tres sunt insulę: Probantia. Egusa, & Sacra, Ptolemęo & Plinio. Leuansus, Fauognana, & Maretimus, hodie, mutatis

† Post capream insulam ad orientem Leucosia insula, paruo spatio à Promontorio eiusdem nominis dissita occurrit.

Digitized by Google

mutatis noméclaturis, appellatæ. Sacra, quę Maretimus eſt. p. m. 30. abeſt a Drepano, thymoq; abundat. Quo fit, vt melle apiario exuberet, Fauognana, ſiue Eguſa, ſoli fertilitate, & aquis preſtat, ac incolatui peridonea eſt. Cernuntur in ea dirutæ arcis veſtigia. Hæc tutiſsimos habet ſinus, eosq; numeroſiſsimæ claſsis capaces, & Euripo a Lilybœo & ora Drepanitana dirimitur. In quo Formicarũ, & aliquot alię ſunt inſulæ, ſcopulis ſimiliores. Et in Drepani portu, ſcopulus eſt paruus, vbi arx eſt vetuſtiſsima, ætate mea reſtaurata, cui Colũbara nomẽ eſt. Leuãſus inſula, quæ Probãtia eſt, Drepano a frõte opponitur. p. m. 12. ab eo diffugiens. In curſu lateris meridionalis, primũ littoralis Africæ ora (De qua pluries ĩ hiſtorijs) ab oriẽte hoc ordine reſpõdet. Trierorũ ꝓmontoriũ Ptole. caput Meſuratę nũc dictũ. Tripolis. Tripolis vetus. Cabis. Sfax. Africa. Monaſteriũ. Suſa, Siagul Ptole. portus olim vrbis caroeni. 36. p. m. ab ora recedẽtis. Mahometta. Calibia. Mercurium ꝓmõ. Pli. Hermæa Ptole. Caput bonũ hodie. Niſia Ptole. Nubia hodie. Caput Zafaranę. Stagnum, ad cuius fauces Gulecta eſt Arx. Sed ad verticẽ Tunes vrbs. Carthago iacẽs Caput Carthaginis hodie. Vtica, nũc portus farinæ, Biſerta. Hippona, bona hodie. Tabacra Ptole. nũc Bugia. Salda Ptole. Cirtha alijs. Algeris hodie. Vuiza Ptole. nũc Oranus. Extra fretũ herculeũ Feſſa. Maroccus. &c. Et inter Africã, & Siciliã plures ſunt inſulæ. Quarũ vna Lothophagites eſt, Ptole. & Polybio, a quo etiã Mirmix dicitur, Menix Pli. Gerborũ inſula hodie dicta. 4. p. m. ex aduerſo Africę ĩter Cabim & Tripolim veterẽ patet. Hęc a Siculis olim cũ ea potirẽtur euripo, lõgo vaſtoq; lapidũ ordine oppleto, cõtinẽti Syrtis paruę cõiuncta eſt. In ea duę olim erãt vrbes; Gerapolis, & Minix Ptole. hodie vero frequentibus Pœnorum Pagis habitatur. Sunt & tres inſulæ, parum ab Africa, contra Siciliã, diſsitæ, quas (cum neq; Ptole. neq; alij Geographi meminerint) ex nautarũ tabulis Faſolarũ inſulas dictas, accepimus. Adiacet littori Africano, inter Sfacẽ & Africã inſula Cercina, vetus adhuc habẽs nomẽ, vbi & e iuſdẽ denominatiõis eſt oppidũ, cuius incolæ Sarraceni ſunt, & Cercinates vocãtur. Habet in circuitu. p. m. 60. Diſtatq; ab Africo cõtinẽti. p. m. 18. bipartita eſt, ſolũq; habet aſperrimũ, ac maximis circũſeptũ ſcopulis. In medio mari inter Cercinã, & Siciliã, ſunt Pelagiæ inſulæ deſertæ tres, Lãpeduſa, Lalenuſa & Scola, nõ multũ ab inuicẽ refugiẽtes. Lãpeduſa earũ eſt maxima. p. m. 12. ambitus, quæ vetuſtũ nomẽ a coruſcationibus, quas crebro emittit, adeptũ, adhuc ſeruat: vbi olim eiuſdẽ appellatiõis erat arx, & oppidulũ, cuius monumẽta extãt. Specus eſt in ea, Sacellum. D. Mariæ Sacrũ. Qua occidẽtẽ reſpicit, rupibus altis, & immẽſis ſcatet. Qua vero Orientẽ, Gerborumq; inſulã ſpectat, ſupina inſtar fluctuum ꝓcumbit. Hęc, turpi claſsis CAROLI QVINTI CAESARIS clade, cui Antonius Aurea Genuẽſis pręerat, ętate mea inſignis eſt reddita. Anno etenim ſal. 1551. Circa quartũ nonas Iulij, ſimul atq; Meſſana cum quindecim triremibus ſoluiſſet Antonius, quibus Africæ vrbi, quã a Turcis CAROLVS CAESAR nuper receperat, cõmeatũ cõuehebat: ſuborta repẽte vẽtorũ, imbriumq;, ac maris inſolita tẽpeſtate Lãpeduſam, qua parte aſperior, ac acutioribus inaceſſa eſt rupibus, de nocte nigroq; Cœlo impegit. Vbi triremes octo miſerè ſcopulis illiſæ, cũ viris ſupra mille, cuiuſcũq; ordinis, horrẽdum fecere naufragiũ. Ac niſi inter pluuias, fulminis coruſcãtis ſplẽdore admoniti, a ſociorum clade reliqui roſtra diuertiſſent, de vniuerſa claſſe cõclamatum fuiſſet. Adiacẽt Mercurio Africę ꝓmontorio Cymbalũ & Cymbalottũ inſulę dictę. Nec ab his ꝓcul Laruneſię duę: quarum altera ſine nomine eſt hodie, altera Mollium a nautis appellatur. Ex oppoſito monaſterij oppidi ad. p. m. 12. cernere eſt & inſulas duas paruas, quas Cuniglieras hodie vulgus nominat. Inter Lilybœũ, & Mercuriũ ꝓmõtoriũ Coſyra inſula Ptole. Corſura Straboni, Pãtalaria vernacule hac tẽpeſtate dicta, iacet, ambitu. p. m. 30. Diſtat ab vtroq; Promõtorio. p. m. circiter. 60. Hæc tota ferme mõtoſa eſt: nigroq; lapide aſperrima. Voraginẽ aperitã medio, cui a foſſa nomẽ eſt, colléq; habet (in cuius vertice crater ẽ)

Cuda

Cudia brugiata vulgo appellatũ. Cõplures præterea hiatus,lapideſq; cõbuſtos,ac nigras arenas paſsim in ea videre eſt. Ad radicẽ mõtis magni ſpecus eſt a Fauara denominatus:vnde perpetuus effertur ſonitus. Plures itẽ telluris ſciſſurę,è quibus fumus exhalat. Solũ præterea(quod rubrũ eſt)adeo calet,vt admotæ ei manus,niſi mox retrahantur,calore offendantur. Aquarũ,& frumẽti hæc inſula eſt indiga,ſed leuconij feraciſsima. Arcẽ habet,eiuſdẽq; nominis ad Aquilonẽ vergens oppidũ, quod mare alluit,cuius habitatores Chriſtiani ſunt,Hiſpanorũ regũ parentes Imperio:idiomate tamẽ,& habitu Sarracenorũ vtuntur. Hoc oppidũ anno ſal. 1553. 13.Calend.Aug. Drahutus Othomannicæ claſsis præfectus, centũ circiter cũ triremibus vi cœpit,diripuitq;,ac mille fere oppidanos captos,inde inſeruitutẽ abduxit. In eodẽ curſu,inter vtriuſq; ſyrtis orã & Siciliã,aliæ duæ ſunt inſulæ, Melita & Gaulos Diodoro,Straboni,Ptolemæo & P. Melæ, hodie Malta,& Gozus vulgo appellatæ: à ſe mutuo. p.m.5. ſed a Pachyno Siciliæ promontorio (cui reſpondent) p.m.100.diſcretæ. Mare quod inter Pachynũ,& has inſulas ex freto Meſſanenſi ꝓcurrit(Cicerone in verrẽ,& Pli.lib.3.teſtibus,ac vſu probãte)periculoſum eſt. Melita inſula.p.m.60.ambitur,tota fermè plana eſt,ſed ſaxoſa & ventis expoſita. Plures eoſq; tutiſsimos habet portus. Qua aquilonẽ ſpectat,omnino aquarũ eſt indiga:qua vero occidentẽ,aquis irrigua,& domeſticarũ arborũ ferax. Sed tota ipſa inſula frumẽti,lini,leuconij,& cimini fœcunditate celebris eſt. Paruulos canes ſubalbos & pilis longioribus ad hominum delitias gignit,vt Ari.in proble.& Strabo referunt,licet Plinius,Alteri Melitæ contra Epyrum ſitæ inſulæ eos attribuat. In hac inſula duo veteris ſuperſtitiõis erãt tẽpla,Iunoni & Herculi dicata. Ciceroni,Strabo ni,& Ptole. Iunonis tẽplũ ad ꝓmõtoriũ ad Orientẽ,nõ longe ab vrbe ſitũ erat. In eo trophæa plurima,denteſq; eburnei miræ magnitudinis erãt; quos eo Maſsiniſſa,ex Numidia claſsis illius præfecto antea inde ſublatos,religione ductus quin queremi reportãdos curauit. Huius tẽpli inter arcẽ & ſuburbiũ ex quadratis lapidibus,eiſq; ingentibus,in hæc vſq; tẽpora nõ aſpernandæ permanẽt reliquiæ. Numiſmata ænea affabre quidẽ facta paſsim ibi reperiuntur: Ex vna parte,his græcis literis MELITEON circũformatã remi latitudinẽ,ex Altera Iunonis effigiẽ expri mentia. Alterũ Melitę tẽplũ Herculi ſacrũ,ad meridiẽ erat, in ea inſulę parte metatũ,quã nunc patria lingua portũ Euri Militẽſes vocãt:cuius adhuc monumenta admiratione digniſsima ſuperſunt. Melita principio rerũ, Bacto regi opibus & hoſpitij fœdere cũ Didõe,celebri,atq; ex inde Carthaginenſibus,paruit. Cuius teſtes ſunt lapideę columnę plures paſsim in ea obuię,vetuſtis Carthaginẽſiũ characteribus,ab hebręis nõ diſsimilibus inſculptę. Poſt eodẽ,quo Sicilia,tẽpore,ad Romanos defecit,vt lib.1.2.belli punici ſcribit Liuius: Quo ijſdẽ etiã,quibus Sicilia iure ac prętoribus ſemper vſa, atq; deinde,cũ eadẽ, in Sarracenorũ poteſtatẽ redacta, rurſumq;,vnà cũ Gaulo,a Rogerio Normãno Sicilię Comite ãno ſal.1090.recepta fuit,paruitq; deinceps Chriſtianis principibus. Habet adhuc in medio fere,loco nimirũ editiori & cõſpicuo, vrbẽ eiuſdẽ nominis vetuſtiſsimã pręſulatu clarã. Habitatur ĩ mediterraneis locis,pagis vt plurimũ, nullo mœniũ ambitu obſeptis, quorũ incolę tametſi Chriſtiani ſint,Sarracenico tamẽ ſermone,qui aut nihil, aut q̃ minimũ a punico veteri differt,ꝓmiſcue vtũtur. Quippe cũ illi hodie & Hannonis cuiuſdã Pœni apud Plautũ,& Auicennę, & eius claſsis cõpluriũ verba punica, cũ intelligãt,tũ interpretent,nõ temerè hinc colligimus, Satracenũ idioma quod vel planè idẽ,vel q̃ minime diuerſum eſt a Melitenſi,punicũ & veterũ eſſe Carthaginenſium. Melita hodie Paulo Apoſtolo,quem ex Creta,ſequiente Euro (quẽ typhonicum & nautarum peſtem Plinius vocat) eò protractum Lucas refert, ſacra eſt: quanq̃ ſint, qui Pauli Melitam non hanc Sicilię vicinam, ſed Epyro adiacentem arbitrentur. Quos non Lucę tantum authoritate, ſed & argumentis apertiſsimis velim ab errore auocari. Primum enim, qui naualis artis peritia pollent,

Euro

Euro ſpirante, e Cretæ portu (quem claudum Ptolemæus vocat) inter occidentem & meridiem ſito, neq; Lesbon, neq; Ioniam, neq; Italiam ſperari, ſed neceſſario tempeſtatis imperio, Melitam hanc ſiculam, a Paulo peti debuiſſe conſtantiſsime ratiocinantur, docentq;. Deinde cum Melita ſoluens Syracuſas, quæ ad Siciliæ oram eſt, peruenerit, quà recto curſu Meſſanã, quã petebat, nauigatur: quis nõ videt, has Epyri ambages, à tãti viri inſtituto fuiſſe alieniſsimas? Huc accedit, quod cum Lucas, natione græcus, ac Paulus neq; eruditionis, neq; linguarum ignarus, hos Melitenſes Barbaros appellent, veriſimile non ſit, quod ſi Epyri fuiſſet Melita (quæ græca eſt) ad quam Paulus delatus eſt, Barbariei eos notaturos fuiſſe, cũ quibus & ſemet eſſent contaminaturi. Ad extremum: In Melita, quæ Epyro vicina eſt, Paulo Phanum nullum dicatum, nullumq; Pauli prorſus veſtigium, ac ne memoria quidem vlla vnq; fuit. Sed in ſicula hac noſtra Melita, Paulum quid eſt, quod non loquatur, ſonet, celebret, adoret? Cathedrale vrbis templum, & quidem antiquiſsimum, Paulo ſacrum eſt. Portus, ad quem appulit, Pauli adhuc titulo immortalis, vbi & ædicula ei nuncupata eſt. Adhæc, pro mœnibus vrbis ſpecus eſt, Paulo ſacer, eo nomine, quòd cum trimeſtri (quo in inſula diuertit) ducta a maioribus per manus fama, habitaſſe Melitenſes prædicant. Vbi non inſulani modo, ſed & aduenæ quoq; lapillos cedunt, ad ſcorpionum & anguium exitiale virus ab humanis corporibus profligandum. Pſylli nanq; his lapillis, in tota ferme Europa, morſus ſcorpionum & ſerpentum medentur. Quin & in Melita hac inſula, ſcorpiones, qui alibi pernicioſi ſunt, ac letali veneno execrabiles, manſueſcunt, lædẽdiq; naturam penitus deponunt, Pauli, (vt credimus) munere, qui apud hanc inſulam a vipera morſibus acerrimis petitus, nihil damni paſſus eſt; vt Lucas ſcribit. Vnde & Chriſtiani, quibuſcunq; Pauli Sacris (que. 8. Cal. Februarij celebrantur) quauis orbis terrarum parte naſci contingit, neq; horrent angues, & ab alijs vim graſſantis veneni, omnemq; inflati corporis tumorem, ſolo ſputo, quaſi a natura edocti, protinus abſumunt. Sed de Paulo hucuſq;. Ad Melitam ipſam redeo; cui ætate mea ſatis incrementi ac ſplendoris acceſsit. Equites nanq; Ioannitæ Rhodo à Turcarũ rege pulſi, eò ſedes tranſtulerunt. Enimuero anno ſalutis. 1523. Solimannus decimus Turcarum Rex anno ſui principatus quarto, tercentum, & eò amplius armatorum conuectis milibus ſumma vi, ac grauiſsima ſex menſium obſidione, infeſtiſsimisq; inſultibus Rhodum inuaſit: Ioannitis incredibili fortitudine, animi robore, labore, & patientia, ſtrenue (vti pro aris ac focis dimicantibus æquum erat, & eorum natales, nominiſq; celebritas poſtulabant) reſiſtentibus. Qui tandem (pròh pudor) nullo Principum Chriſtianorum in ſummo rerum diſcrimine ſuppetias mittente commeatu deſtituti, mœnibus euerſis, & partem vrbis hoſtibus ingreſsis, ac tenentibus, centum fermè milium Turcarum ſtrage antè edita, ad. 8. Calend. Ianuarij deditionem facere ſunt coacti. Vnde Philippus Liladamus Gallus, militiæ magiſter, Ioannitarũ ordo totus ac plebs vniuerſa cũ omni gaza, ac re familiari liberè abire permiſsi, in inſulam hanc Melitam (quam Caroli Quinti Cæſaris liberalitate pro habitationis loco acceperant) impari ſorte Penates tranſportarunt. Hic itaq; principio ſuburbium maritimũ (vbi arx erat vetus, & portus præcellens) tenuere: ac mox arcem inexpugnabilem & oppidum illi coniunctum muro ampliſsimo, & propugnaculis munitiſsimum, & nobili incolatu frequentiſsimum reddidere. Vbi & remiſſo priſcæ virtutis vigore, inertiam propè ſectantur: propediem (ni falſo auguror) defecturi. Enimuero, ſicut olim pij homines ſacrum onus pro Chriſti fide ſubibant: ſic iam tanq; ad paratos theſauros, impatientes inopiæ ad hanc militiam concurrunt. Sed hæc de Melita ſuffecerint. Gaulos inſula. p. m. 5. in occidentem, a Melita protendens in propinquo eſt. Ab indigenis, patria lingua, Gaudici, vulgo Gozus nuncupatur. 30. p. m. habens in circuitu. Aquis eſt irrigua, cultura nobilis, & frumenti feraciſsima.

Digitized by Google

feraciſsima. Pleriq; verbis Ouidij. 3. Faſtorum innixi (Fertilis eſt Melite, ſterili vicina Coſyræ) hanc Coſyram eſſe cenſent, minus aduertentes Gozum frugum feraciſsimam (vt diximus) & minime ſterilem (vti Coſyra deſcribitur ab Ouidio) eſſe. Coſyra præterea Lilybœo & Selinunti ad paſſuum milia fere. 70. vicina eſt, vt Strabo teſtatur, Gaulos vero à Lilybæo. p.m. 150. recedit. Adhæc Coſyra a Melita diſtat. p.m. 70. Straboni lib. 17. Gozus autem ſiue Gaulus. p.m. 5. tantum. Procopius quoq; de bello vandalico lib. 3. hanc inſulam Gozum, Gaulum appellat. Poſtremo & in Gozo hac inſula in edito loco eiuſdem nominis eſt oppidum: cuius portæ muro, lapis marmoreus vetuſtiſsimus cum hac inſcriptione inhæret. M. Gallico. C. F. QVIN. Equo publico exornato A diuo Antonino Pio. Plebs Gaulitana Ex ære conflato, ob merita, & in ſolatium Galli Poſthumi patroni municipalis patris eius. P. Toto itaq; cœlo errant, qui Gozum Coſyram eſſe arbitrantur. Gaulos igitur inſula (quæ Gozus proculdubio eſt) equitum Ioannitarum ditioni & ipſa Caroli Quinti Cæſaris munere ſubeſt: cuius indigenæ Chriſtiani etiam ſunt, licet Saracenice loquantur. De Gaulo inſula hæc memoratu digna Pli. lib. 5. c. 7. & Solinus ſcripta reliquerunt: ſerpentes in ea neq; naſci, neq; viuere innectos. Præterea iactum ex ea quocunq; gentium puluerem arcere angues, ſcorpionesq; a ſuperiactu illico perimi. Quibus ætate mea vſus ſuffragatur. Neq; id Gaulo ſoli proprium munus eſt. Nam in Galatha quoq;, contra Rubricati fluuij Oſtium & Sardiniam inſulam à terra Scorpionem dirum Africæ animal necari ſcribit Plinius. Et Sardiniam ipſam inſulam, nec ſerpentes veneno letales ac ne noxios quidem alere veteres memoriæ prodidere. Ebuſus etiam inſula non longe à Balearibus animalium omnium, quæ inficiunt, expers eſt. Quinimo & in Columbrariam illi vicinam inſulam, quæ ſerpentes parit, terra Ebuſitana illata eos arcet, illorumq; impetum prohibet, vti, P. Mela, Pli. lib. 3. c. 5. & Solinus tradunt. Hybernia quoq; inſula, quæ in Septentrionali iacet Oceano, quamq; Irlandam vulgus hodie vocant, noxium nullum gignit animal, ſerpens ibi nullus, nullus anguis: nec alit aliunde aduectum. Sed noxia quæcunq; animantia eo, ſiue ex Britannia (quæ Anglia eſt hodie) a qua paruo & æſtuoſo freto diſiungitur, ſiue alio aduecta ſolo, inſulæ proximantia, odore illius aeris attracto, vel puluerisiniectu, confeſtim ſuffocantur: quod idem Solinus & Beda lib. 1. c. primo ſcribunt. Sed hæc ab alijs copioſius enarrata præteriens, ad Gaulum regredior. Hanc anno ſalutis. 1551. Calend. Auguſti Senen claſsis Turcicæ centũ quadraginta triremibus inſtructæ præfectus, triduana oppugnatione adortus, arce prius tormentorum ictibus diſiecta in deditionem accepit. Quam deinde ingenti capta præda, & quatuor ferme Chriſtianorum milibus in captiuitatem aſportatis, impio fœdauit incendio. Inter Melitam & Gaulum paruula quædam interiacet inſula, a Comino nomen habens. In curſu lateris Orientalis nulla eſt inſignis inſula, Siciliæ reſpondens. Peloponnœſus enim Græciæ peninſula (quam hodie Moream vocant) lato mari. p.m. 430. ab ea recedit. Mare etenim e ſiculo incidens freto, hinc quidem ad Corinthiacum ſinum, illinc autem magnam efficit cherconœſum ideſt peninſulam ipſam Peloponnœſum, quæ anguſto includitur Iſthmo: Fuiſſe autem ipſam totius Græciæ olim arcem ſatis conſtat. Præter enim habitantium eam gentium nobilitatem, atq; potentiam, ipſe locorum ſitus principatum imperiumq; deſignabat. Nomen autem à Pelopide, qui primus eam incoluit, adepta eſt. Eſt Peloponnœſi effigies platani formæ ſimillima, ac propterea multos habet ſinus, quos efficit multitudo promontoriorum, longitudine ac latitudine pene par. Octingentorum vero paſſuum. m. ambitu circundata. Sex tantum. p.m. ſpatio terræ contigua, (quod Iſthmum græce appellant) vbi & Corynthus olim erat vrbs. Erant autem totius Peloponnœſi octo inſigniores regiones: Sicyonia, Achaia, Elis, Meſſenia, Laconica, Argia, Corynthia, Arcadia. Earum

ſingulæ olim

Digitized by Google

ſingulæ olim habuerunt vel ſuos reges, vel ciuitates potentiſsimas: e quibus multi mortales in Siciliã ad incolendũ venerũt. Adiacet Achaiæ, & Bæotiæ Pelopõneſi regionibus Eubœa inſula ĩ Aegæo mari, interfluẽte euripo æſtuoſo, a qua eã terræ motu diuiſam veteres tradũt. Et iuxta euripum Chalcis vrbs, Eubœæ metropolis olim erat. Hæc mea ætate græco verbo Necropõtus, quaſi mortuũ mare, per antiphraſim vocatur, cũ curſu ſuo & recurſu fretũ interfluẽs viuaciſsimũ ſit, & æſtuoſiſſimum. Chalcis hæc vrbs ab Athenienſibus, Troianis temporibus, fuit condita. Quæ poſtea eximijs amplificata fortunis, nobiliſsimas in Macedoniam, Italiam, & Siciliam, colonias miſit. De quibus ſuis locis, quantùm ſatis erit, memorabo. Sed pluribus de inſulis Siciliæ adiacentibus excurri q̃ fuerat conſilij: ad Siciliam ipſam vnde plus æquo fortaſsis egreſſus ſum, reuertar. Sicilia non immenſam patentium agrorum latitudinem, ac planiciem (vt Lombardia aut Apulia) habet: ſed pro maiori parte montoſa eſt, cuius valles, colliumq; decliuia feracia ſunt tritici. Hinc varij ſunt in ea vrbium ſitus. Aliæ in erectis ad cœlum montibus, & niualibus conditæ iugis, plæræq; fluuijs, complures maris fluctibus alluuntur. Quædam etiam vel infuſa ſunt planicie, vel profundis vallibus depreſſæ: quibus non niſi in meridie ſol oritur, & ante occaſum occidit. Habet hodie Sicilia oppida, & ciuitates numero centum ſeptuaginta tres, quas paulo inferius recenſebimus. Inſignes Archiepiſcopali dignitate tres: Panormum, Meſſanam, & Montem Regalem. Cathedrali vero ſex: Catanam, Syracuſas, Agrigentum, Mazaram, Cephaledin, & Pactas. Panormitano ſuffragantur Mazarienſis, Agrigentinus, & Melitenſis. Meſſanenſi Pactenſis, & Cephaledenſis. Monti Regali Catanenſis & Syracuſanus. Oppida q̃ plurima ſunt in Sicilia, quæ (& ſi ampliſsima ſint, & populoſiſſima, pulchraq;, ac ciuium nobilitate præſtantia, & mœnibus cincta) ciuitates nõ dicuntur eo modo, quo dici ciuitates pro Romanæ Eccleſiæ ritu conſueuerunt: illæ nimirum quæ Epiſcopalibus ornantur cathedris. Vrbibus Siciliæ præeminent hodie Panormus, Meſſana, & Catana. Montibus Aetna, Nebrodides, & Erix Fluminibus. Hymera, Therias, & Lycus. Sed de nomine Siciliæ nunc diſſerendum.

DE NOMINE SICILIAE.

CAPVT SECVNDVM.

NOMEN pro temporum diuerſitate Sicilia nacta eſt varium. Trinacriam, a tribus promontorijs, eam appellatam Thucydides, & cæteri ſcriptores græci tradunt. Acros nanq; græce, promontorium eſt latinis. Euſtathius Homeri interpres, & plæriq; veterum, Trinaciã dici, a Trinaco, ſiue (vt alij efferunt) Tinaco rege, Neptunni filio, authoritate Sybillæ, voluerunt. Verba eius (Stephano interprete) hæc ſunt: Siciliã condidit Trinacus heros, filius põtũ curãtis Neptunni. Noſtrates, Romani, q̃ græci idiomatis ſtudioſiores, triquetrã a tribus lateribus, & triangula ſpecie Siciliã dixerũt, vt lib. 3. author eſt Plinius. Sicani poſtea, ſiue ex Hiſpania aduecti (vt Philiſtus, Antiochus, & Thucydides) ſiue indigenæ (vt Timæus & Diodorus referũt) Siciliã ex ſe Sicaniã appellarũt. Poſt quos Siculi, Ligurum genus, qui intra Tyberim & Circæũ mõtẽ vicatim degebãt, ab Aboriginibus pulſi, freto traiecto Siciliã inhabitauere, Sicaniſq; ſubactis inſulã, abolito priori nomine, Siciliã nũcupauere, vt Thucydidi & Dionyſio Alicarnaſſæo placet. Quo deinceps cognomento, ad noſtra hæc vsq; tẽpora, nõ pitioribus modo, ſed idiotis quoq;, ac vulgo eſt appellata. Cogor autẽ hoc loco eorũ errorẽ refellere, qui vtrãq; terrã freto Siculo diſterminatã, Siciliam duas, alterã citra, vltra Pharũ alterã vocãt, vt q parũ in hiſtoriarũ, Coſmographiarũq; ſtudio iudicij ponãt. Apud hiſtoricos nãq; & coſmographos hæc ſola, in qua orti ſumus, nominat Sicilia. Regnũ vero Neapolitanũ ſeu partẽ illã Italiæ, q̃ olim

Digitized by Google

Græcia maior dicebatur, aut aliquam eius regionem nullus grauis author, ex tot græcis, latinisq; scriptoribus, quorum præclara extant opera, Siciliam appellauit. Plato nempe in epistolis ad Dionem, Aristoteles in Metheororum, & Politicorũ libris, Herodotus, Timæus, Philistus, Antiochus, Diodorus, Polybius, Trogus, Athenæus, Elianus, Pausanias, Plutarchus, & cæteri græcorum veteres: Cicero præterea linguæ latinæ parens, Salustius, Liuius, & reliqui latini scriptores: Quibus (velint, nolint) addo Homerum, Theocritum, Hesiodum, Pindarum, Vergilium, Lucanum, Ouidium, Horatiũ, Martialem, Syllium, Claudianum, et alios penè innumeros græcos, latinosq; poetas, qui Siciliæ memoriam multis suorũ operum locis non obiter exornarunt, nostram duntaxat eo nomine intellexerunt. Deniq; Strabonem, Ptolemæum, Melam, Plinium, Solinũ, & quotquot sunt Geographi, a quibus situs orbis descriptus & regionibus distinctus reperitur, cum Siciliam aut describunt, aut nominant, hanc insulam solam, neq; aliam orbis partem attigisse compertissimum est. Cumq; terram citra fretum, quæ regno Neapolitano hodie adscribitur, in septem regiones, Cæsar Augustus primus distinxerit, (vt. 3. lib. c. 5. Plinius testatur) nullaq; earum Sicilia nominetur: referant se tandem hi ad communem regum vsum, atq; Romanos respiciant, qui longe lateq; Italia, & postea (Syracusis subactis) Sicilia potiti, nomen Insulæ a vetustioribus Barbaris ac græcis acceptum, reliquerunt. Fractis postmodum Romani Imperij viribus, Alaricus Gothorum rex Neapolim adeptus, & eius successores, non Siciliæ sed Italiæ se reges appellabant, nisi postq̃ hac insula sunt potiti, Gothis à Iustiniano Cæsare (Belisario duce) debellatis, receptaq; primum Neapoli ac deinde Sicilia, titulis suis inuiolato nomine ipse, cæteriq; qui post eum in Imperio sunt suffecti eam adiunxerunt. Saracenis postea Siciliam occupantibus, & regnum Neapolitanum (quod Constantinopolitano Cæsari adhuc suberat) vastantibus, Siciliæ nomen hæc tantum retinuerat. Pulsis mox a Normannis (qui regnum Neapolitanum occupauerant) è Sicilia Saracenis, neq; Robertus Guiscardus, neq; Rogerius Bossus eius Germanus Frater, regionem vllam præter hanc insulam Siciliæ nomine cognoscebant, cum alter Apuliæ dux, Siciliæ comes esset alter. Fato postmodum Roberto & Rogerio functis: Rogerius Rogerij comitis filius Siciliam, & totum prope Neapolitanum regnum consecutus, Italiæ & Siciliæ, aduersante Romano Pontifice, se regem agnominauit. Demortuo pòst Innocentio, qui diris Rogerium, exutum rebus omnibus, deuouerat: qui in Romanam sedem succesit, omnia Rogerio restituit: soloq; Italiæ regis titulo negato, Siciliæ, Ducatus Apuliæ & principatus Capuæ regem salutari eum passus est. Atq; Identidem Rogerio è viuis erepto, Gulielmus primus, mox & secundus, Tancredus, Henricus sextus, Fredericus secundus Cæsar, Conradus, Conradinus, Manfredus, & Carolus francus ordine in Neapolitanum & Siculum regnum succedentes, non vtriusq;, sed Siciliæ tantum, ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ reges sunt appellati, prout ex eorum diplomatibus (quæ in hunc vsq; diem videre est) constat. Francis postea in Sicilia cæsis Petrus Aragonius, Iacobus, Fredericus secundus, Petrus secundus, Ludouicus, Fredericus tertius, Martinus primus, Martinus secundus, & Ferdinandus primus (qui soli huic insulæ, & non regno Neapolitano sunt dominati) Siciliæ reges nominabantur. At vero Clemens huius nominis quartus Romanus Pontifex, qui cum Carolo Franco conuenit, primus omnium fuit, qui explosis veterum nominibus, Neapolitanum, & hanc insulam, communi vocabulo, (in eo diplomate, quo vtrunq; regnũ ei concessit) Siciliã appellauit. Quẽ Gregorius decimus. Innocẽtius. 5. Adrianus. 5. Ioannes. 22. Nicolaus. 3. Martinus. 4. Honorius. 4. Nicolaus. 4. Cœlestinus. 5. Bonifacius. 8. Benedictus. 11. Clemens. 5. Ioannes. 23. Benedictus. 12. Clemens. 6. Innocentius. 6. & Vrbanus. 5. qui successerunt Romani Pontifices

sunt imitati

Digitized by Google

sunt imitati. Gregorio deinde vndecimo Romano etiam Pontifici, qui post plura bella ob Siciliam agitata, pacem inter Ioannam Reginam, & Fredericum tertium firmauit, Neapolitanum regnum Siciliam, hanc insulam vero Trinacriam in diplomate super pacis conditionibus emisso, quod adhuc est videre, nescio qua ratione appellare libuit. Cuius exemplo Martinus Siciliæ Rex in suis deplomatibus Neapolitanum Regnum, quod sui iuris non erat, Siciliam citra, insulam vero quam regebat, vltrà pharum vocauit. Alphonsius post modum rex Neapolim magna vi adeptus, cum vtriq; regno dominaretur absurdo, & nouitio titulo vtriusq; Siciliæ se regem vocare cœpit vt & hinc Pontificum Romanorum authoritatem non improbare, & vetustam obseruationem non negligere videretur, non ignarus, cum eruditissimus esset, illius vsurpatam esse & nouitiam vocem. Eoq; cognomento eius ex inde posteri Reges omnes, qui vtriq; regno præfuerunt ad ætatem vsq; meam vsi sunt. Abusus itaq; a Romanis Pontificibus exortus effecit, vt Neapolitanum regnum Sicilia a regibus hodie vocitetur. Sed nos rei obsequentes, & Græcorum latinorumq; authorum fidem secuti: hanc insulam duntaxat Siciliæ nomine appellabimus. Et iam satis De nomine: vt de Siciliæ diremptione loquamur.

DE DIVVLSIONE SICILIÆ AB ITALIA CAPVT TERTIVM.

SICILIAM Italiæ quondam annexam, partemq, fuisse Chersonesum, quam latini peninsulam vocant, cuius isthmo abrupto, mariq; absorpto Tyrrheno hinc pelago, inde Ionio admissis, insulam remansisse Eschylus, Antiochus, & cœteri vetustiores memoriæ reliquerunt. Tradunt (lib. 5. inquit Diodorus) prisci rerum scriptores Siciliam fuisse olim Italiæ coniunctam, sed postea ex huiusmodi causa insulam euasisse, qua parte angustus continens ab vtroq; maris latere æstu collidebatur, dirupta maris fluctibus terra, aquam peruiam fecisse: & qua terræ scissura, rhegius is locus appellatus est, ac multis post annis condita ibi ciuitas idem fuit nomen sortita. hucusq; Diodorus. Tametsi vehementiores terræ motus causam huiusmodi diuisionis fuisse pleriq; asseruerint: Quemadmodum è diuerso Antissam olim insulam Lesbo, Zephyrum Alicarnasso, Etusam Miudo. Domiston & Pyrenon Mileto, terræmotus violentia mari ablatas iunctasq; terris accepimus. In eadem nanq; fermè sententia Strabo, Trogus, Salustius, Plinius, Mela, & poetæ omnes tum græci, tum latini conueniunt: Cuius hæc adhuc oculis decerni possunt argumenta. Huius quippe loci ea procul inspicientibus est natura, vt sinus maris, non transitus appareat, quo cum nauigatur, discedere ac seiungi Siciliæ & Italiæ promontoria videntur: quæ iuncta apparebant, & olim fuerant. Freti præterea, quod inter Pelorum Siciliæ promontorium, ac Scyllæum Italiæ vicinum oppidum interiacet, in medijs præsertim locis, nusq; octoginta passus profunditas ipsa excedit, pro vt plumbeo triginta librarum perpendiculo probatum, & eius fundi ima area lapidosa tota comperta est. Hæc autem modica maris tam sæui & æstuosi altitudo, isthmo ibi aliquando fuisse locum, manifesto est indicio. Scopulos insuper non paucos in hoc imo freti profundo, Messanenses ac Brutij qui nauticam exercent, subaquaneos sedato mari se vidisse pluries & affirmant & prædicant. Ex ipsius etiam Siciliæ parte, primum terræ humilitas, deinde arenæ per loca Peloro vicina passim iacētes facilē eius rei cōiecturā præbent. Cōtra quoq; ex ipsius cōtinētis parte, sublime est saxū, vbi Scylleū oppidū situ est, locus tū poetis celeber, tū nautis maxime formidatus. Quod saxū, humilē a tergo alluētibus vndis in formā chersonesi, tellurē habet, quā Anaxilas rheginorū tyrānus erecto

Digitized by Google

muro muniuit: quo & ſibi nauale ſtrueret, & Pyratis nauigandi per euripum facultatem interciperet, vt lib.6. Strabo refert. Prælatæ quoq; illæ, atq; præcipites Scyllæo, mariq; proximo imminentes rupes ſignificare videntur, Siciliam fuiſſe ab Italia ſiue magno aliquo terræmotu, ſiue vi currentis recurrentiſq; maris diremptam. Quo circa arbitrandum eſt, vel fluctuum, vel terræmotus vi clauſtra montium interrupta, ac deinde vtriuſq; littora paulatim exeſa perpetua fluctuum colliſione fuiſſe, donec in hanc faucium latitudinem deuenit, quæ nunc eſt, metuendumq; fuiſſet, ne indies fieret latior, largiorq; hiatus: niſi natura ſimul vtrinq; ac ſubter impoſitæ præcelſæ duræq; rupes faucium clauſtra coercerent. A Scyllæo deniq; ad quindecim paſſuum milia abeſt Italiæ vertex, extremumq; promontorium Leucopetra græco nomine à veteribus (quod lapidem album latinis ſonat) Spartiuentum a nautis hodie dictum. Ad cuius oram contra Meſſanam ſitum adhuc eſt Rhegium oppidum, ab Aeolo conſenſu Herculis conditum. Huic etenim nomen inditum fuiſſe authores omnes affirmant a rignænæ, verbo græco, quod diſrumpere ſignificat, eò nimirum, quòd ab ijs locis dirupta Sicilia quondam fuerit. Neq; vero quod græcorum authoritate ſimul & latinorum omnium definitum eſt, vanam eius rei perſuaſionem meretur. Inſulas nanq;, quæ ante promontoria iacent, peranguſto freto diremptas & Ariſtotcles & cæteri, qui de natura ſcripſerunt, non temere arbitrantur. Enimuero Prochyta inſula contra Campaniam ſita auulſa a continenti pars eſt, vt ex Strabone meminimus. Cyprum præterea a Syria, Abatlantem Macriam & Belbicum a Bithynia, Eubœam à Bœotia, Leucoſiam a Syrenum promontorio, & Capreas ab Athenæo terræmotu diſiectas & inſulas factas, cũ partes prius eſſent continentis, Plinius. lib. 2. c. 90. & plæriq; alij authores tradunt. Inſulas vero, quæ in medio iacent pelago, per terræmotum, ex ipſo excreuiſſe mari, & Strabo lib. 6. & ex veteribus plures referunt. Quemadmodum & de vulcania diximus. Theram quoq; & Therafiam inter cycladas Olympiadis. 135. anno. 4. & poſt annos. 130. Automaten, & ab hac duobus ſtadijs diſtantem Chiam. M. Iunio ſyllano, ac L. Balbo Coſſ. Plinij ætate viij. idus Iulij, inter Lemnum etiam, & Helleſpontum Neam, & inter Lebedum & Theon, Alonem, ex æquore enatas inſulas lib. 2. c. 89. Plinius ſcribit. Quin & Therem Thereamq;, maris Aegei inſulas in conſpectu ſuo, mari repente emerſas, ipſe magnus Albertus lib. Metheororum. 3. ſcriptum reliquit. Delon quoq; & Rhodum inſulas toto orbe clariſſimas, e profundo pelago exiluiſſe, Pindarus in Olympijs Plinio altipulatur. Quid? quod mea deniq; ætate in Cycladibus, nõ longe a Centurino, ex improuiſo parua quædam inſula nauis inſtar e mari enata eſt, faciem terræ aduſtæ habens. Quodq; miraculo ſimilius videtur, anno ſalutis. 1538. apud Puteolos Campaniæ vrbem. iij. Calend. Octobris in agro, qui Barbarum montem a mari iuxta Auernum dirimit, ſubito aperto hiatu, & igne ex eo efflante, tantus exiluit cinis lapidibus pumiceis mixtus, vt montem altitudinis ſupra paſſus mille late maris Auerni littora occupantem coaceruauerit: ad cuius verticem hiatus adhuc patet, vnde tanta cinerum lapidumq; moles egeſta eſt. Non eſt igitur, quod quis ea quæ de Siciliæ ab Italia diuulſione a græcis ſimul ac latinis vna voce memoriæ prodita ſunt pertinaci difficultatis opinione fabuloſa eſſe exiſtimet, ſed reuera Siciliam Italiæ aliquando partem eiuſq; iam peninſulam fuiſſe cum veteribus certo credat, non aliter q̃ Peloponneſus Græciæ penniſula eſt: Interim tamen quo tempore acciderit hæc Siciliæ ab Italia diſciſsio, nulla eorum omnium, per quos memorabile hoc naturæ miraculum illuſtratum eſt, authoritate cõſtat. Quo circa nihil à ratione alienũ videtur, vt diluuij vniuerſalis tẽpore, cuius non ſolũ Moſes, ſed Beroſus quoq; caldæus, Manaſeas damaſcenus, Hieronymus Aegyptius, Plato inſuper, Strabo, Plinius, & pleriq; alij vetuſtiſsimarum

marum rerum ſcriptores meminerunt,eam contigiſſe colligamus. Cum etenim vniuerſam ferè orbis faciem per diluuij aquas inuerſam atq; immutatam, multos cœpiſſe tunc primum montes ſurgere, plura loca celſiſsima in decliuum abijſſe, quædam in conualles depreſſa, aut aquis abundaſſe,quæ nunq̃ antea ſtagnauerant, aut exaruiſſe penitus per quæ copioſæ aquæ defluxerant, emerſiſſe nouos & fontes & fluuios, Inſulas plurimas vel repente è mari, vel à continenti editas, omnino ſit veriſimile: quid vetat quo minus & eo tempore ab Italia Siciliam fuiſſe abruptam coniectura conſequamur? Illud certè in ſumma apud Geographos & Hiſtoricos pro comperto habetur, appellatione Italiæ neutiq̃ contineri hodie Siciliam, licet olim anteq̃ irrumpente freto dirimeretur, ſecus eſſet. At Iureconſultus inter continentes Romani Imperij prouincias eam connumerat, ob id fortaſſe,q̃ modico freto ab Italia ſit diuiſa. Nam cum eſſet & viris & vrbibns ampliſsima, maior exiſtimata eſt q̃ vt inſula appellaretur. Hinc ſcribit Dion edicto Auguſtum cauiſſe, ne Senatores iniuſſu principis extra terrã Italiam peregrinarentur,præterq̃ in Siciliam, & prouinciã Narbonenſem, illam quia Italiæ continens,fertilis, fida Romanis, propinquaq; eſſet prouincia, hanc, quia imbellis & nouandis rebus minime apta putaretur. Sed iam locus poſtulat, vt de vbertate inſulæ nonnihil dicamus.

DE VBERTATE SICILIAE

CAPVT QVARTVM.

SICILIA ſalubritate cœli, ſoli fertilitate, frugum omnium copia, rebuſq; alijs, quibus indiget mortalium vſus, maxime præſtat. Eius rei cauſam tradunt Aſtrologi, & qui eos ſequuntur Geographi: qui præterq̃ q̃ totam terram, eiuſq; ſingulas partes dimenſi ſunt, docuerunt etiam,cui parti cœli vnaquæq; ſubiaceat. Subiacet autem Sicilia (quemadmodũ ante diximus) quarto climati: quod cœli clementia ſex alijs antecellit. Quo fit, vt quicquid Sicilia gignit, ſiue ſoli natura, ſiue hominum ingenio (vt Solinus ſcripſit) proximum ſit ijs, quæ optima iudicantur. Frumentum in Sicilia primo ortum fuiſſe ex genuina terræ feracitate,vetuſtorum omnium conſtans eſt authoritas. Enimuero frumentum agreſte in agro Leontino ſua ſponte natum, non ſolum Diodorus in.6. refert,ſed ætate etiam mea tum in eodem,tũ in pluribus Siciliæ agris nulla mortalium cura excultis, neq; terræ commendatum, neq; aratri raſtrorumuè exercitio prouocatum, ſed ſoli mira ac naturali liberalitate proueniſſe atq; in ariſtas fœliciſsime excreuiſſe ipſi vidimus. Id vero ſemente facta expectatum,in Leontino, vt Pli.lib.25.c.15.ſcribit, & Ennenſi ac Aſſorino agris eam dominis ſuis culturæ gratiam retuliſſe etiam ſumus experti, vt a centuplo ac portentoſo ferè fructuum fœnore, centum ſalmarum (quæ menſura adhuc hodie ſicula eſt) aruis ipſis nomen inditum à multis ante ſeculis ad nos quoq; peruenerit. Cumq; propria ferè ſit vniuerſæ Siciliæ hæc terræ fœcunditas, frumenti vſum Cererem primam incolas (qui glandes,antea,veluti & cæteri mortalium,comedebant) docuiſſe, Cicero agræcis mutuatus refert. Inde merito apud antiquos in adagium, ſatiſquercus, abijt. Quod priſci illi mortales rudes atq; inculti vt Ceres frumenti vſum oſtendit,glandibus (quas quercus gignit) victitare deſierunt. Vitem in Sicilia ſua ſponte naſci nemo eſt, qui neſciat. Et quantumuis non recte apud Aetnam Siciliæ montem ab Ariſtæo eam primo inuentam falſo id Athenæo adſcribens, Polydorus Virgilius ſcripſerit, quam non apud Aetnam, ſed Aetholiã repertã lib.1. Atheneus ipſe authoritate Hecatei refert:vina nihilhominus in Sicilia laudatiſsima p̃mi,Plinius (q̃ in cẽſendis vinis quibuſq; optimis diligẽtiſsimus

ac prope curioſus fuit) peculiariter prædicat. Balintium enim vinum (quod mulſi ſaporẽ habet) in Sicilia Pli.lib.14.c.9.ponit:vocant autẽ mulſum vinũ melle affectum. Vnde conijcio balintium vinum illud eſſe, quod muſcatellum exactæ dulcedinis ſiculi hodie vocant. Vuæ nanq; quarum apes ſunt auidæ, a quibus & Apianæ dicebantur,eas & muſcæ quoq; ſectantur,a quibus muſcatellas dici Colu mella docet, ex quibus vinum ſubdulce & eximiæ ſuauitatis exprimitur, quod muſcatellum dicitur: licet plæriq; ſint,qui à muſci odore,quo plurimum redolet, id ei nomen impoſitum exiſtiment. Laudatiſsimum erat Syracuſis Polium vinũ, a Polio argiuo dictum, qui Syracuſis regnauit, & primus ex Italia hoc vinum, eo detulit (quod Byblinum vinum eſſe arbitratur lib. 1. Athenæus) teſte Aeliano de varia hiſtoria lib.12.Mamertinum vinum,in agris Meſſanenſibus habetur probatiſsimum, quod cũ Italis omnibus æmulatione præſtantiſsima certabat, cuiq; Cæſar dictator,primus authoritatem dedit,vt in publicis epulis quartus cederetur locus. Nam triumphalibus cœnis, quatuor vini genera, maiorum inſtituta Cæſar imitatus,appoſuit:Falernum,Chium,Lesbium,& Mamertinum (vt Strabo lib. 6. & Pli. lib. 1 .c. 6. memorant) quod olim Iotalinum fuiſſe dictum ac ſuaue & robuſtum lib.1. ſcribit Athenæus. Tauromenitanum vinum eadem ætate celebre adeo erat, vt pro mamertino plærunq; in menſis ſubijceretur. Plinio. Vina Entellana & Inictina a Strabone lib. 6. & Pauſania lib. 7. laudibus efferuntur: quæ nunc deſiderantur. Entella ſiquidem,& Inictum oppida defecerunt,quorum agri iam frumentarij ſunt. Vua Murgentina ex oppido Murgentio non procul a Leontino,Surrentum Campaniæ vrbem tranſlata (quæ & Pompeiana eſt dicta) nobiliſsima erat,author eſt Pli.lib.14.c.2. Quam hac tempeſtate eam, quæ Neapoli græca hodie dicitur,vinumq; græcum Pompeianũ & Murgentinum eſſe cenſent. Mea ætate vinis Siculis iure optimo præſtantia debetur,qua cum Italis non impari certamine contendunt, tum quod palato æque arrideant, tum quòd annorum etiam vetuſtatem integerrime ferant. Panormi & ſubiectis agris,vua quã Corniolam appellant ſubnigra, ſimul & (quæ græca dicitur) alba, ad menſem vſq; Ianuarium recens in arbuſtis natura ſeruatur. Ad quam Ciminnenſis & Narenſis proxime accedunt. Oleum Sicilia plurimum etiam profert. Miranda quoq; eſt in ea ex eboſia canna (quam cannam mellis hodie appellant) ex qua ſaccarũ conficitur, arundinum ſeges. Cannæ nanq; mellitæ caudex, nodoſus eſt, ſpongioſus,plenus medulla. Cortice tenui,dulci ſucco,qui hac arte exprimitur: Caudex totus fruſtatim conciditur, deinde torquilari compreſſus, ſuccum reddit,qui in cacabum dimiſſus igni ſuppoſito concoquitur & expurgatur. Sed moderatè decoctus,in ſpeciem mellis traducitur. Perfectius deinde in vaſis figulinis reconditur,in quibus cum refrixerit, in ſaccarum, perfectiſsime verò ac tertio recoctus repurgatusq; in laudatiſsimum coaleſcit: cuius vſum & veteres latuiſſe, & non eſſe Plinianum ſaccarum, eruditi complures multis rationibus, & veterum authoritatibus oſtendũt. Mellis apiarij nobiliſsimi in Sicilia certiſsima eſt meſſis,Pli.lib.11.c.eſt author:cuius ſecundæ partes Hyblæ Siciliæ oppido à veteribus ſunt attributæ. Satorum nanq; Thymi, & aliorum florum, quos apes pro configenda cera libenter ſectantur, Hybla fœcundiſsima eſt. Pluribus etiam alijs locis Sicilia apibus ſcatet: quæ non ſolum in manu factis alueariibus, ſed in ipſis quoq; collium, arborumq; cauis probatiſsima mella conficiunt: vbi nobilium apum examina, & fauorum ingentes maſſæ ſtipatæ reperiuntur. Fructuum omni fermè genere Sicilia exuberat. Nam inſulæ virtus, aeriſq; temperies terram frugiferam vltra q̃ ſatis eſt reddit. Ficus (bulborum genus eſt) ſi in Sicilia ſeritur (vt Plinius refert) ocijſsime pomum fert, neq; vermiculationi obnoxium, quo vitio non carent reliqua poma ſimiliter ſata. Abrotanum herbæ genus (eodẽ Plinio.lib.21.c.21.referente) in Sicilia duplicis eſt generis: campeſtre & montanum.

Digitized by Google

& montanum. Hoc fœmineum, quod arboreſcit, albicantibus folijs, inciſuris minimis, ſeriphij abſinthij modo, circa ramulos, diuiſis floribus plenum, comantibus in ſummo fulgore. Illud maſculum ſarmentoſum, fructicoſum. Vtrunq; laudatiſsimum. Platanus ſola vmbræ gratia arbor nobiliſsima, ex alieno orbe, per Diomedem in inſulam eſt tranſuecta. vt lib. 12. c. primo Plinius ſcribit. Eius folia, inſtar vitis latiſsima & diuiſa. Cuius vmbra iucunda, æſtate ſolem arcet: hyeme admittit, & ſola vmbræ gratia, cum infructuoſa ſit, in delitijs habita, commendatur. Ampliſsime & cito germinat, vinoq; nutritur. Hanc Dioniſius ſenior tyrannus in domus ſuæ miraculum Syracuſas tranſtulit. Indeq; Romam ad ducta ad delitias Romanis extitit. Platanum itaq; (quam dulbum ſiculi hodie appellant) Sicilia ætate mea pluribus locis præbet. Ad Caltabianum præſertim, ad Caſſarum oppidulum, & ad Mazarrunium amnem nõ longe à Claromonte oppido. Eſt etiam Sicilia herbarum ferme omnium, ac fruticum medicarum, croci quoq; præſtãtiſsimi, & italo ſuperioris ferax. Strab. l. 6. & Pl. Plantã ſpinoſam ædilem, quam cactũ Phenias & Teophraſtus appellant ſolam naſci in Sicilia ſcribũt, quã carduum eſſe lib. 2. cenſet Athenæus. Palmarum ſylueſtrium radices, eſui ſatis accomodas Siciliam producere non eſt, quem lateat. Montes ſunt in Sicilia, quos Aerios vocabat antiquitas vt lib. 5. teſtatur Diodorus. quos ſoli natura, tanquam continua æſtate amœnos atq; vberes, reddit. Fontes ſunt in eis, aquas præter cœteras dulces habentes. Denſæ vndiq; arbores, ac frequẽtes quercus quæ groſsiorem quam quæ apud alios naſcuntur, fructum gignunt. Domeſticæ etiam arbores & vineæ permultæ, copiaq; ingenti, mala naſcuntur, atq; laurorum multitudo in eis eſt frequens. Adeo inquam fructiferi ij montes exiſtunt, vt aliquãdo Carthaginenſium exercitum permagnum fame ſuperueniente abundè nutriuerint. Quorum fertilitas a Diodoro celebrata in meam vſq; ætatẽ nihilo rariori ſtuctuum, laurorum, fontiumq; perennium, quibus ab aquarum dulcedine nomen acceſsit, prouentu perdurauit. Id vero tantum amiſerunt, quod qui Aluntio olim, nunc ſancto Philadelfo oppido prominent. Sunt & alij in Sicilia montes ſalis genitura fœcundi: apud Ennam, Nicoſiam & Cameratam, & Platanim, in quibus lapicidinarum more Sal renaſcens ceditur: vbi & fodinæ ſalis ſunt complures. Sal quoq; ex marinis aquis ſponte progignitur, ſpuma in extremis littoribus ac ſcopulis relicta. At apud Lilybœum, Drepanum, Camarinam, Macharim, & plura alia loca, ſal marinis aquis in ſcrobem receptis colligitur. Lacuſtris etiam in Sicilia ſal pluribus in locis præſtantiſsimus habetur. APud pachynum etenim (quod miratu eſt dignius) è dulcibus aquis vel è cœlo, vel fontibus in lacu congeſtis, & ad ſolem diu ſiccatis, maxima ſalis copia in vberrimos quæſtus concreſcit. Lana ſerica ex bombyce in agris præſertim Meſſanenſibus habetur probatiſsima, quæ hac mirabili naturæ induſtria conficitur. Ex exiguis minimiſq; bombycis ſeminibus circa calendas Maias ſubtili linteo inuolutis, vel muliebrium mammarum calore confotis, vermiculi, (qui, teſtibus Ariſtotele & Plinio, veræ crucæ tunc ſunt) generantur: qui ne intereant, ab his, quibus curæ ſunt, alimonia ex mori folijs imbuuntur. Atq; ita fronde velati, educatiq;, nono quòq; die ſummam corpuſculorum pelliculam mutant, ac menſe poſtea Iunio adultiores, aranearum in morem, ex ore ſpuma eiecta, tenuiſsima fila ducunt. Et in orbem nucumq; modum, cui ſe ſe irretiunt, glomerant, reconditiq; ſpoliantur atq; in ſubcandidos ad extremum papiliones exeunt, demumq; ex mutuo congreſſu ſemina pariunt: ex quibus propagata noua vermiculorum ſobole, ipſi depereunt. Ex eorum deinde ſpolijs (quæ nucum fere formam habent) in ahenum aqua plenum focoq; adhibitum iniectis, artifices fila glomeratorio extrahunt, torquentq; digitis, quæ tãdem lanificio aptata in pannos contexunt, quos ſericos vocamus. Scribũt plæriq; hoc lanificij genus Conrado

rado Cæſare imperante in Siciliam à Rogerio Siciliæ rege primo aduectũ. Nam cum ille, Græcia populata, quoſdam ſerici artificij magiſtros Panormũ captiuos adduxiſſet, breui tempore totam Siciliam Calabriamq; noua arte per manus tradita repleuit. Procopius tamen, alijq; non aſpernandi authores tradunt, Iuſtiniani Cæſaris ætate ſericum hoc commentum ſolerti ingenio quæſitum, ex Sera Indiæ vrbe, per duos monachos, Conſtantinopolim primum importatum, in reliquam deinde Europam, ac Siciliam potiſsimum diſperſum fuiſſe. Eſt præter hæc Sicilia metallis etiam diues. Aurum nanq; habet, argentum ac ferrum, & aluminis effoſsionem: quorum ſi fodinæ deſunt, non ob eam ipſam cauſam, nullam Siciliæ venam argentum aurumuè gignere affirmandum eſt, cum his metallis eam abundare, & ex ramentis, quæ in fluuijs colliguntur, & ex ſpecubus non longe a Sauoca olim ad id extructis, quæ in hunc vſq; cernuntur diem, ſatis per ſpicuum ſit, ſed foſſorum inopia, & principum inertia, eas extinxerunt. Lapides quoq; pretioſos gignit: vtpote ſmaragdum Pli. lib. 37. c. 10. & Solino. Achatem etiam, quem agathum media correpta vernacule hodie appellant, quẽ in Achatis fluuij, nobis hodie incomperti, ripis inuentum prima omnium Sicilia prodidit, Pli. Eſt autem lapis niger aut fuſcus, aut cinereus, mixtiſq; in medio nigris, albiſq; circulis pellucidus, & ſicut varius eſt coloribus, ita etiam rerum imagininibus, quas repræſentat. Ita enim diſcurrunt in eo venæ, & maculæ, vt modo palumbum, modo cornu, modo arborem vnam, duas, plures ve(vt interdum nemus appareat) quandoq; flumina, eſſeda, ſtaticula, equorum ornamenta, nec ſolum volucrum ſpecies reddat, ſed iumentorum quoq; & hominum. Hunc lapidem, qui in Sicilia gignitur, quod per eos colores interdum albæ venæ tranſeunt, græci leucachaten appellant, à quo plæriq; Alicatæ vrbi inditum fuiſſe id nomen, & Achaten flu. amnem eſſe falſum conijciunt. Contra araneorum & ſcorpionum ictus pollet hic lapis, & (ſi Solino credimus) flumina etiam ſiſtere facit. Huius generis vnũ habuiſſe Pyrrhum ſcribit Solinus annulo incluſum, quẽ quod ei natura Apollinem cytharam habentem, nouemq; muſarum chorum ſuis in ſignibus, torquibuſq; ornatum in ſculpſiſſet, pro præcipuo ornamento habebat. Beryllum in Sicilia ad Gratterium recens oppidũ, in magna copia ceditur. Porphyretes lapis rubeus, candidis interſectus notis, ac viridis, duplicis generis in hac inſula quoq; lapicidinam habet. Iaſpis lapis etiam rubeus, ſplendidis, viridibus, albiſq; variegatus maculis, porphyrete nobilior in Sicilia quoq; ceditur. Corallum plantæ marinæ genus in Drepanitano, & Meſſanenſi gignitur mari laudatiſsimum. Pli. lib. 32. c. 2. Sub aquis herbaſcit, extractum de inde ad aerem, dureſcit in lapidem purpurei coloris, oculis gratiſsimum. Sicilia damarum aprorumq; quadrupedum venatu, ac perdicum & attaginum (quas francolinas vulgo apellant) aucupio inſignis. Falcones ſacri & peregrini volatilium hoſtes, aliunde aduolantes hic etiam capiũtur. Sed & gentiles & villani, & Aſteriæ ad Aetnam & vicina circum loca, & accipitres tota inſula propagantur. Scribunt Ariſtoteles rethoricorum. 3. & .5. de rerum vocabulis Iulius Pollux, lepores in Sicilia priſcis temporibus non extitiſſe: ſed Anaxilam Meſſanenſium & Rheginorum tyrannum aliunde acceptos eo inuexiſſe. Quo circa, cùm in olympiacis victor euaſiſſet, Rheginorum, & Meſſanenſium numiſmatibus currum & leporem incudi curauit. Quæ in ære atq; argento affabrè expreſſa in hunc vsq; diem paſsim reperire ac cernere eſt. Boum, pecorum, cæterorumq; animantiũ armentis denſiſsimis, ac piſcatu Sicilia etiam præſtat. Enimuero thynnorum non modo ad Pachynum (vt veteres ſcripſerunt) ſed ad Panormũ etiam & Drepanum ac omnem eam (quam mare Tyrrhenum alluit) oram, larga captura. Non ſingulatim, ſed gregatim incedunt, & menſibus Maio ac Iunio in mare Tyrrhenum, ſiue a Xiphijs (quos galeotas etiã lib. p. Strabo, vulgus vero ſpatos piſces appellant) impetiti

petiti (vt Aristoteles tradit) siue ab asylo (quem habent sub pinna) sub canis exortum vexati (vt Athenæus lib.7. docet) ab Oceano, ad ea loca maximo impetu irrumpunt. Hinc ab irruendo thynnum appellatum idem Athenæus arbitratur. Et quoniam imprudentissimi sunt piscium, terroribus acti facile vadis ac retijs instar vtrorum paratis intruduntur. Quò fit, vt Siculi immensam eorum multitudinem, solenni ac penè regio spectaculo capiant, quos interimunt, ac cadis frustatim cæsos sale condiũt, & magno quæstu vendunt. Capiuntur & in fretõ Messanensi xiphij ipsi, dum thynnos insequũtur. Eorum capturæ dum quandoq; interfui, peculiaris nescio quid in eis ingenij (quod & in alijs quibusdam animantibus animaduertit Aristoteles) sum admiratus. In eorum nanq; captura malo nauigij homo super impositus græco sermone ac edita voce piscatores (qui in frequentibus scaphis manent in statione) nauiculas, vt ad loca piscium, clauo dirigant, appellat. Ea græca voce xiphij illecti, ac ferè confirmatiores facti, nauigio ac vadis appropinquant, statimq; telo à venatore icti capiuntur. Quod si speculator, aut quiuis alius sermonem italicum temere effuderit, simulatq; illum xiphij audierint, ac si lethi malum eis portenderet, repente diffugiunt. Ita græcum idioma ab italico distinguere videtur: de eorum captura lib.p. fuse Strabo scribit, Hunc piscem gladium & ensem ob rostrum, quod in fronte habet, Aristoteles & Strabo appellant, eumq; hunc qui ad Pelorum, & ad fretum hoc Messanense capitur, sapidissimum esse Archestratus scripsit, referente lib.7. Athenæo. Pisces (quos plotas, antiquitas ætate mea anguillas Phari vulgus appellat) in eodem freto Messanensi captas, italis omnibus, atq; in Siciliæ etiam alio quouis æquore captis, sapidiores esse M. varro in gallo, Athenæus lib.pri. Pli. lib.9.c.54. ac Macrobius saturnalium lib.3.c.15. scribunt, & nos quotidiano vsu cognoscimus. Siculum mare omni deniq; piscium genere benignissimum est, & mullorũ copia, quos græci trichias, barbatos Sophron & Cicero vocant, & murenarum, ac horcinorum (qui teste Athenæo lib.7. secundum obtinent locum) insigne. In fluminibus vero & lacubus mugilum, alosiarum, anguillarum, tincarum & trottarũ nò spernenda captura. Sed & siculas patellas Ebulus apud Athenæum maxime laudat. Sicilia tota cauernosa sub terra est, fluuijs & igne plenissima, Straboni & Trogo. Sed & alibi aquæ calidæ sunt, tepidæ alibi, aliæ sulphuris, aliæ ferri, aliæ aluminis, plæræq; salis, bitumminis multæ mixtura affectæ, & quædã acidæ, salsæ demum aliæ. Calidissimarum aquarum scaturigines Sicilia in multis habet locis, ad ægritudines quasdam accommodatissimas. Enimuero hæ aquæ salubres sunt, vt quæ natura feruent, atq; è sulphurea materia, arcaniſq; naturæ adytis (vnde scatutiunt) efficacem aduersus varios morbos vim secum afferunt. Sunt etenim in visceribus terræ quędam venæ sulphure oppletæ, per quas, veluti per fistulas aut canales, aquæ è montibus prolapsæ transmeant, Quæ caliditate igneq; subterraneo afficiũtur. Testis est ingratus earũ vel odor vel sapor. Testis est ignis in Sicilia perenniter flagrans. Sed aquæ calidæ, quæ sunt in ora Selinuntina iuxta Saccã hodie vrbem et, Hymeram, salsæ sunt, & potioni nò idoneæ. Quæ vero in agro Segestano, iuxta Calamethum saracenorum dirutum oppidulum, nec longius ab Alcamo oppido q̃.p.m.5. promanant: si refrixerint, potabiles esse & probauimus, & à Strabone lib.6. scriptum inuenimus. Sunt etiam in Sicilia passim aquarum fontes, & copia magni, & suauitate ac salubritate egregij, fluminaq; plurima, & hominum victui, & terræ fœtibus gratissima irrigatione vtiles. Et vt vno verbo insulæ fertilitatem perstringam, non modo nihilo inferior italica est Siciliæ vbertas, sed & aliquanto etiam frumenti, croci, mellis, pecoris, pellium, aliorumq; vitæ subsidiorum præstantia, superior haberi debet: vt ob id non absre Cicero eã penum atq; horreum Romanorum appellet, atq; Homerus odyssęę lib.9. sponte in ea omnia exoriri affirmauerit, nec sine grauissima Philosophiæ

authoritate

authoritate lib.12.Solis insulam eam appellauerit . Peripatetici nanq; geminam naturæ causam,vniuocam priorem ,& alteram æquiuocam sunt perscrutati . Sed ab hac effectum sibi dissimilem,similem vero ab illa gigni docuerunt. Rursusq; vniuocam , absq; altera effectum non producere , æquiuocam vero solam suffice re , rationibus & rerum euentibus instructi pro axiomate posuerunt. Vocant autem Solem æquiuocam causam , cum Aristotele , quot quot de rerum natura disseruerunt.In Sicilia igitur frumentum , & cætera ad mortalium alimoniam conducentia , cum absq; semine sola vi solis , & terræ fœcunditate exoriri & veterũ authoritate,& rerum vsu didicerimus:iure optimo ab Homero solis insula appellata est. Sed fertilitate Siciliæ ostensa : eius mirabilia subijciamus.

DE MIRABILIBVS SICILIAE

CAPVT QVINTVM.

SIcilia , rerũ veri penè fidem excedentiũ & insolitorum euentuum nomine memorabilis est. Illic est mons Aetna , qui cum incẽdia sempiterna ingentiũ flammarũ eructatione cõtinuet: vertice tamen eaq; sui parte , qua ignis grassatur maxime perpetuas (etiã æstate) niues sustinet : Ita inuictã , stupendamq; in vtroq; elemento potentiam præbet : vt nec niue ignem extingui , neq; igni niues dissolui patiatur. Non longe ab Agrigento ager est a Mayharuca saracenico ad huc nomine clarus , qui assidua reiectatione è diuersis aquæ venis terram euomit cinerulentam . Vbi certis annis in credibilis prope limosæ scaturiginis moles , ex soli viscеribus , remugientibus simul agris , ad superna effunditur. Est in Menenino agro omnium sermone celebratus Palicorũ lacus, quem lib.31.Ephintiam Plinius appellat, Naphtia hodie dictus , triplici cratere feruentem ac murmurantem perpetuo tetri odoris aquam , igneos quandoq; globos eiaculans. Ad hunc Iuraturi veteri olim superstitione accedebant : qui sine labe iurabat, illæsus abibat , qui peierabat , in lacu demersus pœnas dabat,Aristoteles, Diodorus & Macrobius scriptũ reliquerunt . In eo aues superuolãtes quandoq; interire scripsit Appion , referente Plinio , & nos re ipsa didicimus. Maymonis ad radicem montis Aetnæ nõ procul a Paternione occidẽtem versus quingentos circiter passus fons est aquæ frigidæ, sed æstuantis & acidulæ , vbi pãnus prius trita galla tinctus immersus continuo nigrescit. Et in eodem agro fons alter est acidulus,cuius & Aristoteles meminit . Et ab eodem fonte.p.m.2. Aquilonẽ versus distans fons alius est , qui rubris aquis acutissimi saporis ad laxandum aluum præsentissimũ remedium præstat . In agro Saccensi fons est , cuius aquæ lapidescunt , vnde & a petra nomen habet . In Agrigentino , Petrensi , & Bibonensi agris , fontes sunt, in quibus oleum (quod bithuminis est genus) supernatat. Agrigenti quoq; fons alius est in eodem agro , cuius aqua in marmoreum ferè durescit lapidem. Et in eodem Agrigentino agro collis est Vulcanius olim dictus , vbi cum prisca ætate superstitioso ritu sacrificabatur , ligna , licet viridia , sponte & nullo flammã subministrante , conflagrabant. Quod dæmonum fuisse opus indubitatum est. In agro vero Heraclensi nõ procul à Siculiana oppidulo fons est,è quo pisciculi magna copia scaturiunt. Dianæ ad yhomisum oppidum fons est , qui Camarinam influit , cuius si quis olim aquæ , manibus nõ castis vinum diluisset : nulla consequebatur mixtio. In Alesino agro caroniæ hodie dicto fons aliquando fuit , qui ætate mea nusq; apparet , natura tranquillus , verum insonantibus tibijs exultabundus ad harmoniæ modos eleuabatur , & vltra margines intumescebat. Stagnum erat Gelæ , quod tetro odore proximantes abigebat. Vbi & fontes erant duo. Quorum ex altero , si sterilis bibebat , fœcunda , si ex altero fœcunda , sterilis

rilis fiebat, Solino. Stagnum quoq; nõ longe à Petra oppido olim erat, ſerpenti noxium, homini ſalutare. Vt idem ſolinus memoriæ reliquit. Cuius vſum noſtra non vidit ætas. Acis fluuius & ſi ab Aetna, perpetuo flagrãte demittatur, a nullo tamẽ amne frigore ſuperatur. Et in agro Leõtino, a veteribus, literis mãdatũ eſt, fontẽ adeo peſtilentem fuiſſe: vt eo quis guſtato, perinde ac veneno proſterneretur. In Panormitano, Saccenſi, Elorino, & alijs pluribus agris fontes ſunt hodie, quibus a Buyhuto ſaracenicum nomẽ remanſit: quorum aquæ molliendi ventris, purgandiq; vim habent. Agrigentinum ſal ad Borangium agrum igne ſoluitur, aqua crepitat. Pelorus ad curuum littus, violacei coloris ſal gignit, Purpureum ad Centoripen Aetna, ſed trãslucidum Pachynus. Iam vero qui Siciliam tot rerum ſtupendarũ genitricẽ ab initio huc vſq; incoluerint, videndũ eſt.

DE HABITATORIBVS SICILIAE ANTE ACE PHALEOSIS. CAPVT SEXTVM.

C Yclopes abinitio Siciliam tenuiſſe (qui nõ ſolum immanes, ſed monſtra etiam hominum extitere, vt pote humanæ magnitudinis modum inuſitata corporum proceritate excedentes, quos gigantes antiquitas nominabat) tũ Beroſus & Homerus, ac plæriq; alij vetuſtiſsimi rerum antiquarum ſcriptores tradunt, tum ſpecus quoq; monſtroſi, ac portentoſa eorum cadauera, quæ in hunc vſq; diem pro oſtentis viſuntur, ſatis declarant. Cæterum cum perpauci ſint Ethnici, quibus gigantum magnitudo perſuaderi, aut antiquitatis (quam fabuloſam exiſtimant) memoria probari poteſt, ridicula ea omnia cenſentes, vt a pertinaci errore auocentur, & tantæ rei fidem confirmem, non nulla profundiſsimæ antiquitatis exempla, cum ijs quæ ipſe coram oculis perluſtraui, examinanda hoc loco neceſſario duxi, vbi primum cum ſacris literis, grauiſsimorum quoq; authorum de ijs cenſuram contulero. Moſes itaq;, cuius apud me maior q̃ ethnicorum omnium eſt authoritas, gen. c. 6. Gigantes (inquit) erant ſuper terram in diebus illis, iſti ſunt potentes a ſeculo, viri famoſi. Et Beroſus (qui quicquid eſt eiuſmodi ex Caldæorum adytis, Aegyptiorumq; ac Phænicum promptuarijs deſumptum in ſuam hiſtoriam congeſsit, & penès quem communi authorum omnium calculo pura hiſtoriæ fides conſiſtit) Ante aquarum (inquit) cladem famoſam, qua vniuerſus perijt orbis, multa præterierunt ſecula, quæ a noſtris Caldæis fideliter fuerũt ſeruata. ſcribunt illis temporibus circa Libanum fuiſſe Enon vrbem maximam gigãtum, qui vniuerſo orbi dominabantur ab occaſu ſolis ad ortum. Hi vaſtitate corporis ac robore cõfiſi inuentis armis omnes opprimebant, libidiniq; inſeruientes inuenerunt papiliones & inſtrumenta muſica & omnes delitias. Manducabant homines & procurabant aborſus, in eduliumq; præparabant, & commiſcebantur matribus, filiabus, ſororibus, maſculis, brutis. Et nihil erat ſceleris, quod non admitterent, contemptores religionis & deorum: huc vſq; beroſus. Gigantes (ait Timæus) ob corporis magnitudinem cœlo & terra prognati crediti ſunt. Gigantes (lib. 5. inquit Diodorus) pollentes viribus, feruntur terra geniti propter corporum ingentem molem. Et lib. 6. idem: gigantes magnitudine ac robore corporis confiſi, aduerſiq; legibus, multa egerunt inhomines iniuſta, & propinquas gentes in ſeruitutem redegerunt. Sed (ne pluribus moremur ſtudioſos) gigantes immenſis fuiſſe corporibus, eorum cadauera in non nullis reperta locis, vt a veteribus accepimus, liquido oſtendunt. Plutarchus in Sertorio Gabinum hiſtoricum ſecutus) tradit Anthei ſepulchro in Mauritania a Sertorio ex induſtria diruto, cadauer in eo ſeptuaginta cubitorum magnitudinis repertum fuiſſe. Philoſtratus

Digitized by Google

ſtratus in heroicis, Hylli Herculis filij cadauer, nouem iugerum proceritatis in Phrygia iacere, Et Oreſtis corpus in Nemea, ſeptem, Et Aiacis vndecim cubitorum inuẽtum, refert. Adhæc In Aſyriorum agro Orontis fluuij præruptam ripam Ariadnis viri Aethyopis, ſiue Indi (vt quidam dixerunt) cadauer triginta cubitorum magnitudinem in lucem edidiſſe, Et in ſpelunca Sigæi montis deprehenſum gigantis cadauer duorum & viginti cubitorum, quem pro Troianis pugnantem Apollo interfecerat: In Coo quoq; inſula è terræ gremio erutam fuiſſe arcam, & in ea duodecim cubitorum gigantem inuentum. In Lemno etiam gigantis cadauer, cũ caluaria plusq̃ duarũ amphorarũ Cretenſium capace, a Menecrate Stirienſi repertum, Et deniq; Proteſilaum viginti annos natum decem fuiſſe cubitorum proceritatis, idem Philoſtratus in eiſdem Heroicis cõmemorat. In Creta inſula, monte conuulſo, cadauer ſex & quadraginta cubitorum apparuiſſe, lib. 7. c. 16, ſcribit Plinius. Et bello cretico humanum corpus vi tractus fluuialis defoſſum, cubitorum triũ & triginta fuiſſe, quod Lucius Flaccus legatus & Metellus, viderunt, Solinus tradit. Et Salaminæ Enthimenis filium tres natum annos, in ſtaturam molemq; trium cubitorum creuiſſe apud eundem authorem legimus. Sed exteris alieniſq; tandem exemplis ſuperſedentes, ad domeſtica veniendum eſt, eaq; quæ & a maioribus accepta ſunt, & ipſi nos perluſtrauimus, vt vel ſic cuiuis, niſi mente ſimul atq; oculis capto, fuiſſe in rerum natura gigantes, & Siciliam incoluiſſe conſtet. Erix mons eſt in Sicilia notiſsimus, mons Drepani hodie vulgo nominatus. Ad huius radices qua orientem reſpicit, cum ruſtici quidam anno ſalutis. 1342. paſtorali caſæ fundandæ altius foderẽt, in antrum immenſum inciderunt, In quo ingreſsi, virum portentoſæ magnitudinis ſedentẽ deprehenderunt. Cuius rei nouitate conſternati, ex antro ocyus fugam in oppidum, quod ad uerticem eſt, capeſsunt, ciuibuſq; quod monſtri viderint, referunt. Ericini exciti, armati antrum petunt. Ex quibus complures facibus incenſis ſpecum introgreſsi, monſtroq́; (quod, vt retulerant villici, in conſpectu habebãt) tandem proximiores facti, hominem non viuum, ſed cadauer humanum proceræ ſtaturæ in ſede poſitum, ſiniſtra manu baculo mali nautici inſtar innixum: nullaq; ex parte corroſum, cognoſcunt. Tactus ſcipionis cortex confeſtim in cinerem ſoluitur, quo claua plumbea, quæ è terra ad manum vſq; ſedentis aſcendebat, celabatur. Tactu, & cadauer, æque ſtatim corruit, & in puluerẽ verſum eſt, tribus ſolum dentibus molaribus admirandæ magnitudinis, & anteriori cranei parte, aliquot modiorum Sicilienſium capace, incorruptis ac firmiſsimis reliquis. Ericini in rei fidem ac miraculum, dentes filo ferreo ad crucifixi pedes, qui in medio templi Annuntiatæ eiuſdem oppidi pendebat, ſuſpenderunt. Opinio eruditiorum fuit, cadauer Ericis id fuiſſe: quem loci regioniſq; illius olim regem ab Hercule occiſum priſci rerum ſcriptores tradunt. Specus in rei nouæ memoriam, a gigante ad huc nomen habet. Molares dentes ad meam vſq; ætatem in eo templo ſuſpenſi viſebantur, quos demum imprudentiſsimi ciues franciſcano concionatori ad Romanum pontificem, vt ille ſuggeſſerat, deferendos dederunt. Hæc mihi omnia ſenatores Ericini oppidi, quos Iuratos vocant, retulerunt: meminit & exactè huius exempli Ioannes Boccatius lib. 4. c, 68. de genealogia deorum. Mazarenum in Sicilia mediterraneum ac recens eſt oppidum: in cuius agro, cui xiphilo eſt nomen, paſſus ferme mille ad meridiem recedente, Ioannes a brachijs fortibus, oppidi comes, cùm anno ſalutis. 1516. ad vineæ, quã ibi ſibi plantauerat, tutelam, domum fabricari inſiſet, fundamentiſq; cementarij foſſam parant, in cadauer hominis ſtaturæ cubitorum circiter viginti, ligonibus inpingunt. Fama tantæ rei ad oppidum delata, Ioannes vxorq; eius Aemilia quæ tum vterum geſtabat, ac oppidani fere omnes ad xiphilum procurrunt, ibiq; cadauer procerum, ac caput eius, dolij inſtar, conſpexerunt ſtupidi. Aemilia vero miraculi

Digitized by Google

verò miraculi horrore pculsa exãimataq́;,aborsũ patitur.Imperiti deíde homines cũ rudius cadauer attrectaſſét :illico in puluerẽ abijt,molibus dũtaxat integris re pertis. Quarũ quælibet vnciarũ q.nq; põdus æquabat. Rem hãc Gulielmus moncata Adrani comes,eiuſq́; ſoror germana Aemilia ipſa, nõ vulgari fide & nobilitate cõmẽdati ãno ſal.1546. mẽſe ſeptẽbri ad oppidũ Caltanixettæ, ꝓut ipſi viderãt,mihi enarrarũt,teſteſq́; molares dẽtes oſtẽderũt.Teſtatur id demũ pictura reꝓti gigantis in ædibus,quas ſibi decedẽte Ioãne marito in eo Caltanixettæ oppido Aemilia magnificè ſtruxit, iu murũ relata. Melillis inter Leontinũ & Syracuſas oppidulũ in Hybleis mõtibns mari ꝓminet.A quo nõ multò infrà ad mõtiũ radices (vbi perẽnis eſt fons,Sancti Coſmani hodie noíe notus) frequẽtia vix credendæ ꝓportionis gigantũ sunt ſepulchra. E q.bus ab antiq.tatis ſtudioſis & molares eorũ dẽtes,ac ingẽtia oſſa quotidie effodiũtur. Illorũ dentiũ pluresPetrus Paulus, principatus vir honeſtus,& harũ rerũ ſtudioſiſsimus dono mihi dedit,quos ad rei ídiciũ curioſiſsimè aſseruo:eſt aũt eorũ q.libet ponderis vnciarũ circiter quatuor. Hyccara Sicanorũ ꝓuetuſtũ oppidũ, Carinis hodie dictũ .12.p.m. Panormo ad occidẽtẽ abeſt . In eius agro Mons eſt in occidentẽ vergens (mons lõgus appellatus) ad cuius radices. Antrũ eſt ímensũ, a Piraino nomẽ adeptũ,ab oppido.3.p. .m.diuersũ: in quo plura sũt gigantũ monumẽta, vnde & maxima eorũ oſſa, ac dẽtes eximiæ admirationis frequẽter eruũtur.Huius rei teſtes sũt,Hyccarẽſes ipſi ſimul & Panormitani,Teſtis & locupletiſsimus sũ ego qui os humeri latiſsimũ,& penè mõſtruosũ exinde apud me habeo . In agro Panormitano fons eſt inſignis, maris dulcis cognomẽto notiſsimus meridiẽ obuerſus.3.fermè.p.m.ab vrbe refugiens, ſupra quẽ,in ipſa mõtis rupe,ſpecus eſt lõgitudinis cubitorũ plus minus ſexaginta , latitudinis viginti: inqua Paulus Leõtinus nitrũ cõfecturus, dũ terrã pecuinã in nitrarijs decoquẽdam ãno ſal.1547. effodit,in cadauer hominis vaſtitate moleq́; gigantei corporis inmane,cubitorũ ferè decẽ & octo mẽbris oĩbus incompactũ diſſolutũq́; fortuito illapſus è . Ad cuius Famã Panormitani viſendi ſtudio exciti, capitis, mẽbrorũq́; omniũ admiratione obſtupuerũt. Ea ſubinde dũ Paulus ſatis imprudẽter attrectat,inpuluerẽ(præter mandibulã)verſa sũt oĩa.Præerat eo ãno Pãormo Simeon valguarnera,quẽ Capitaneũ vulgus appellabat,ad eũ mãdibulã in rei fidẽ deferũt.Ex qua dũ dẽtes excutere tẽtãt, in cinerẽ & ea trãsabijt, molaribus solũ ob duritiẽ inmotis .Horũ ſinguli vnciarũ ꝓpè quatuor põdus cõficiebãt , noſtris ſimiles, ſubalbi , Effigiati , & carie prorſus carẽtes. Quorũ duo mihi a Simeone Pigliono donati ĩ rei tũ fidẽ,tũ memoriã,Chriſtianis ac Ethnicis hominibus,q. tale genus hominũ vix fuiſſe credũt, exhibẽdi, ĩ arca magno ſtndio habẽtur.Syracuſę vrbs ẽ hodie ĩ Sicilia : In ea ãno ſal.1548. cũ Georgius Adornus Genuẽſis eques Ioannita ,claſis tũ ordinis ſui præfectus hyemaret,venatũ aliquãdo in agrũ Syracuſanũ Gereates olim dictũ , egreſſus eſt . Qui dum venationi ſtudet,canis in venatu ſolers & ſagax os ſpeluncæ ſubterraneæ & latebroſæ , naribus & unguibus ſcrutatus,cauda & latratu venatores aduocabat.Equites,qui cũ Georgio aderãt, prædam rati , equis citatis,accurrunt. sed vbi oſtiũ ingentis ſpecus ſolum vident,eo relicto venationẽ retro proſequuntur.Poſtridie verò Georgius remigũ manu aſſumpta ad ſpecũ eamdem , aurea veterũ nũmiſmata quorũ ibi thecas crebrò reperiri contigerat,quęſiturus regreditur. Speluncæ ore vi patefacto, ſcalis, quas ibi in uiuo ipſo lapide exciſas aditum mõſtrantes offenderat,in antrũ profundũ deſcendit, ingreditur, cuncta explorat, tandemq́; pro ſperatis nummis cadauer hominis,cubitorũ viginti reperit. Quod vbi mẽbratim mirabundus, ſtupenſq́; examinat.Pars capitis , coſtæ & crura(cæteris partibus in putrem cinerem , ventumq́; ſolutis) ex attrectantiũ manibus , ſola integra decidere. Quæ pro miraculo Georgius,q. primũ omnia(præter duas molas , ad Iõannem Homedeũ militiæ magiſtrum Melitam tranſmiſit. Calatraſis , non longè ab Entella , arx eſt

Cuius præfecto anno ſal.1550.defuncto,dum coloni in templo tumulũ perfodiũt, in ædiculã teſtudinatã incidũt, & in ea cadauer hominis cubitorũ circiter viginti duorũ reperiũt. Cuius ſtatura primũ ſtupefacti, mox (vt ferè fit, in riſum iocoſq; ſoluti eius caput(quod decẽ fermè pedũ circuitũ metiebatur) ꝑ ſcopo aut ſigno erectũ, ſaxorũ iactibus inceſſunt: quo cõminuto, dentibus ſolũ ſaluatis, ꝙquid ſupfuit,terræ reddiderũt.Petralia inferior recẽs eſt mediterraneũ oppidũ:in eius agro Bilicino dũ Bartolus Petralẽſis,Artalis Curtiuſ & Nicolaus Cameratẽſis,pluresq; alij cementarij anno ſalutis.1552.Suſannæ GonZagæ,oppidi dominæ, Petri Cardonæ Goliſani comitis vxori horrea extruũt, in plura gigantũ ſepulchra lapidibus quadratis incluſa, caſu ꝓuaſerũt, in ꝙbus plæraq; cadauera octo cubitos ꝓceritate ſuperãtia inuenerũt.E ꝙbus Suſanna,vt nobilitate inſignis,ita liberalitate cõſpicua,mãdibulã vnã cũ duobus molaribus,duarũ fermè quolibet vnciarum Panormũ dono mihi miſit: quorũ omniũ nihil adhuc apud me perijt. Sed non eſt hîc vlterius immorandum.Nam ſi ſingula gigantum cadauera, paſsim in Sicilia caſu hactenus eruta recenſeã,& dies & inſtituti ratio me deficiat, cùm ex his abundè, & fuiſſe in rerum natura gigantes, & Siciliam habitaſſe iam probatum ſit. Quòd ſi ſunt, qui generationis in ipſis cauſas curioſius requirant, eos ego ad ſyderum vim, planetarum coniunctionem, elementorum mixturam paulò robuſtiorem, naturamq; ad gignendum pronam, ac Dei Opt.Max. deniq; voluntatem reijcio: qui ſicut in numeroſa ſobole, ita & in corporum proceritate, & vitę longæuitate potentiam ſuam exiſtimauit manifeſtãdam.Cur autem in Sicilia magis, quám alibi gigãtum multitudo ſit exorta, ſiderum id aſpectus, & cœtera,quæ neceſſariò ad genituram eis adiungi ſolẽt,effecerunt. Qui poſtremo, cur noſtra ætate gigantum nullus ſit prouentus, perquiret, is non eandem (quæ olim) ſiderũ vim, planetarum coniunctionem, elementorum virtutem, genitalis ſeminis ad tantos fœtus facultatẽ, nec deniq; Principi Deo aliter placere animaduertat. Sed ſit tandem egreſsioni modus. Poſt Cyclopas(qui gigantes fuerunt)Sicani Hiſpanum genus hominum vel Indigenum(vt diuerſa eſt opinio) ac ſubinde Siculi, ex Italia traijcientes, & ipſi Siciliam incoluerunt. Troiani poſteá capto Ilio profugi complures eòdem delati, ab inſigniori eorum duce Elymi ſunt appellati,Segeſtamq; & Elimam vrbes ædificarunt. Sub quod fermè tẽpus,& Cretenſes cum Minoé Rege cõtra Dedalum in Siciliam veneraũt,eoq; defuncto, Minoam & Engium incoluerunt. Phœnices quoq;, per ea tempora, paſsim in inſula negotiandi gratia hoſpitati, Panormum,Motyam, & Soelẽ tum poſtmodum habitauerũt. Græcorum deinde primi Chalcidẽſes, ex Eubœa inſula fuerunt, qui eôdem aduecti, Naxum vrbem extruxerunt. Poſt quos ſequenti anno Archias & Corinthij complures, Syracuſas (expulſis inde ſiculis) tenuerunt. Sed ſeptimo deinde anno Theocles, & Chalcidenſes multi, Naxo, ob inclementiam cœli deſerta,Leontinos agros,Siculis etiam illinc eiectis, ac Catanam mox occupãt. Per idem tempus Lãpis quoq; è Megaris Græciæ, cum Pãmilio, & magna græco rum manu Siciliã veniẽs ſuper Pantagiũ amnẽ loco(cui Trotylo erat nomẽ)incolas collocauit. Vnde poſtea digreſſus,apud Leõtinos,vnà cũ Chalcidẽſibus Naxijs,Reip.præfuit. A ꝙbus deinde pulſus, Tapſũ Peninſulã incoluit. Lampi defuncto cæteri è Tapſo Megarã(quæ & Hybla anteá dicebatur)ſub Hyblone rege ſiculo trãſmigrauerũt,& Hyblæi sũt appellati. Qui & cẽteſimo poſtea anno,Selinuntẽ vrbẽ miſſo illuc Pammilio coloniæ duce, ꝓfligatiſq; Phœnicibus, cõdidẽrũt. At pòſt Selinuntis initia 145. ãno,è Megara á Gelone Syracuſarũ rege sũt exterminati.Antiphemus itidẽ è Rhodo ĩſula,& Entimus ex Creta,ſuã vterq; ĩ Siciliã ducẽs Coloniã.45.poſt Syracuſas cõditas ãno,Gelã vrbẽ ædificauerũt.Geloi deinde 108. anno poſt Gelæ primordia, Agrigentũ ſuis legibus habitarunt,authoribus Ariſtono & Piſtylo, ꝙ vrbẽ à præter fluente amne nominauerũt.Zancla verò inter ſua initia, à latronibus

qui á Cumis

qui a Cumis,quę eſt in Opica Chalcidica vrbe,venerāt,eſt habitata.Et ſubinde ductoribus Periere & Cratemene à multitudine,è Chalcide,cæteraq; Eubœa,in præſidiū accerſita,incrementa ſuſcepit.Vnde à Samijs, atq; alijs plerisq; Ionibus,qui à Medis ex Ionia eiecti in Siciliam appulerant, poſtea ſunt pulſi. Nec multo poſt Anaxilas Rheginorū tyrannus,ſuperatis Samijs, Zanclā vrbē funditus euertit,nouamq; mille paſſus à Zancla diſtantem condidit:quam promiſcuis hominibus frequentem reddidit,& à ſua patria Meſſanam appellauit.Hymera quoq; à Zanclęis, deductis ab Euclide,Simo, & Sacone habitata eſt. In quam Coloniam venerunt plurimi Chalcidenſes,quibus ſeſe immiſcuerunt Syracuſani exules à contraria factione ſuperati,qui Miletadæ nominabantur.Apud quos ſermo fuit inter Chalcidicum,& Doricum medius,leges tamen Chalcidenſes in vrbe pręualuerunt.Acrę autem, & Caſmenæ à Syracuſanis ſunt habitatæ. Acræ quidem in niuoſis montibus ſeptuaginta annis poſt Syracuſas, Caſmenæ vero in planitie annis circiter viginti poſt Acras. A Syracuſanis quoq; poſt cētū ferme & triginta quinq; annos à cōditis Syracuſis Camarina fuit cōdita,atq; ab eiſdē, authoribus Daſcone & Menecolo habitata, At Camarinæi,cū aliquāto poſt a Syracuſanorū fide defeciſſent, in exiliū coacti ſunt:quos Hyppocrates Gelæ tyrānus, cū quoſdā Syracuſanos captiuos haberet,facta cōmutatione,recepit,atq; in ſuā ditionē reſtituit. Qua cum poſtea à Gelone iterū fuiſſent exuti,ab eodē tertio reſtitutionis anno ſubſidiū obtinuerūt.Gnidij etiā(quorū regio in Aſia eſt)olim in Siciliā nauigātes, vrbē ad Pachynū poſitā,Motyon appellatā,& ab Hercule antea conditā,incoluerunt. Sed & Morgetes Aſiæ quoq; populi,Morgētiū vrbē ad orā Leōtinā,Siciliā traijciētes cōſtruxerūt.Initio de inde primi belli punici Panormū Romanorū colonia Senatus iuſſu eſt deducta.Captis poſtea à Marcello Syracuſis,& redacta in puinciā Sicilia, Syracuſas & Meſſanā Romanæ etiā coloniæ puenerūt. Et Cæſare Auguſto imperāte Tauromeniū Romana quoq; colonia eſt miſſa.Anno deinde ſal. 624. diuiſo orbe,Sicilia,quæ Cōſtātinopolitano Imperio ceſſerat,annis circiter ducentis ei paruit. Quo tēpore Græcorū plures Siciliā incoluerūt.Gothi poſtea, Iuſtiniano imperāte Siciliā occuparūt.Sed Belliſario duce,anno poſtea decimo ſeptimo,illis expugnatis,recepta eſt. Sarraceni poſt modū Michaele Balbo rerū potiēte Siciliam inuadētes annos.235.ſi noſtris annalibus,ſi vero Clemēti Quarto Romano Pont. credimus.400.tenuerūt.Quorū tēpore oppida cōplura ſunt ab eis diruta,& noua condita,Panhormuſq; ab eis regia cōſtituta,& loca fere oīa Sarracenicis nominibus(quæ adhuc durant)veteribus neglectis appellata. Normanni deinde ducibus Roberto Guiſcardo & Rogerio boſſo germanis fratribus, Sarracenos fœlici & ad mirabili victoriæ curſu ſuperātes,tota Sicilia ſunt potiti. Qua tēpeſtate Lōbardorum magna multitudo Siciliā incoluit. Vrbes eorū Nicoſia, Platia,Aydonis,&. S. Philadelfus. Sueui deinde & Germani cum Henrico ſexto aduecti, Siciliā promiſcuè habitarunt.Frederico ſecundo Cæſare Henrici filio in Sicilia regnāte,Lōbardi cōplures ex Placentia & locis alijs Oddone duce Corilionē in coluerunt. Germanis poſtea à Clemēte Quarto Pontifice Romano, Siciliæ Imperio abdicatis, Galli Carolo à Clemēte ſuffecto Sicilia ſunt potiti. Quibus oībus, poſt decē & ſeptem annos,vna hora,anno ſal. 1282. à Siculis,interēptis,Aragonenſes ad ætatem vſq; meā ſucceſſerūt.His regnantibus,Hiſpani plurimi, Cathalani præterea, Genuenſes, & ſub inde Piſis à Florentinis ſubactis, Piſani, Lucenſes, Bononienſes,& Florentini in Siciliam traiecerunt. Quorū incolatu cū multæ Siciliæ vrbes, tū Panormus pſertim coaluit.Sed & anno ſal.1453. 4.Cal.Iunias à Mahometho ſecūdo huius nominis Turcarū rege capta Conſtātinopoli,& mox Dirachio vrbe, ac Peloponneſo,plures græcorū coloniæ in Siciliā ſunt deductæ. A quibus pagi permulti qui græcorū caſalia adhuc appellantur,ſunt conditi. Carolo etiam Quinto Cæſare mea ætate,Coronē vrbē expugnāte,& paulo poſt Turcis eā deſerente, Græci

Digitized by Google

omnes, qui eam incolebant, sedes transuexerunt. Tot igitur gentes partim barbaræ, partim Græcæ ab initio ad hanc vsq; ætatem, Siciliam ordine incoluerũt. Atq; de habitatoribus hæc summatim, exigit locus vt iam de moribus. Siculorum, pro vt prisci tradiderunt, & nos vsu didicimus, aliquid dicamus.

DE MORIBVS SICVLORVM.

CAPVT SEPTIMVM.

QVASDAM esse regiones, quæ acuta ingenia, & solertia gignunt, vt quibus est aer purus, & tenuis: plerasq; verò quæ retusa & hebetiora, vt quibus crassus & concretus, eruditus quilibet satis pro explorato habet. Ita quoq; qui syderum motus, potestatesq; peruestigatas habuere homines ex cœli rigore vel clemẽtia, ad hãc aut illã virtutẽ propẽsiores innasci prodidere. Ptolemæo etenim authore, cũ cœlestis vis periodi ad genituræ locum vel centrum simul confluat, in omnes, qui eò loci gignũtur, ita diffunditur: vt plerunq; ibidẽ geniti ad eundem vnũ morẽ, eundemq; colorẽ proximiores accedãt, tametsi interim animo facultas nõ desit in opposita: quod quidẽ de Siculis peritia cognouimus. Sunt enim ingenio acuto & subito. Ciceroni in verrẽ, & Iulio Firm. Mater. Hinc inuentione insignes, natura oratores, trilingues: Apuleio lib. 11. linguæ prõptæ, Silio. 14. multi leporis, facetiæ multæ, scommatis præterea simul; & acroamatis plurimi, dicaces, Ciceroni. Inde gerrę Siculæ notæ sunt veterũ literis, & in prouerbium abierũt, Ausonio & Plauto. Oratoriæ artis, Bucolici carminis (Aristoteli & Diodoro lib. 5.) Horologij (Pli. libro. 7. c. 60.) catapultæ (Plutarcho) illustratæ picturæ (Pli. lib. 35. c. 4.) Tonsuræ (Plin. lib. 7. c. 59.) Pelliũ ferinarum vsus (Eusebio) & Rythmici carminis (Danti & Petrarchæ) inuẽtores perhibẽtur. Suspiciosi (Cic. in verrẽ) & (vt patriæ pace loquar) inuidi sunt Siculi. Asconio & Senecæ. Hinc prosperis cõterraneorũ successibus cõtabescunt. Tetrici sunt, Epicharmo. Siculo, sed in mediterraneis præcipuè, Ad contumeliã & vltionẽ faciles, Principum assentatores & adulatores industrij, Q. Curtio lib. 7. Plutarcho lib. de discretione adulatoris & amici. Tyrannidis studiosi, P. Orosio: quod tamen hodie in vniuersum non experimur. Sui commodi q̃ publici amantiores: Thucydidi lib. 6. Ob feracitatem soli minus industrij, ac desides. Siculorum mensæ olim adeo lautæ fuerãt & opiparæ, vt apud Græcos in adagium, Siculorum dapes, cesserint: Athenæo, & Luciano. Hinc voracitatis templa tum plurima in Sicilia cõdita: Athenæo lib. 10. Hinc coqui Siculi plurimum laudati, & Siculorum artibus conditæ in conuiuijs diatrimmatides. Athenæo lib. 14. Hodie vero frugalitatem imitãtur Italicam. Militia præterea sunt insignes, vt & latissimo historiarum testimonio, & quotidiano vsu cognoscimus: tametsi Alcibiades apud Thucydidem libro. 6. & Valer. lib. 7. cap. 3. imbelles & timidos eos appellent: quorum verba ad expertes, longaq; pace eneruatos sunt referenda: vt ipsi authores indicant. Quod etiam nouitatis cupidi, seditiosi, ac discordes Thucydidi lib. 6. & Plutar. in vita Pyrrhi, vocantur, atq; hinc Sicilia captu facilis eorundem iudicio censetur, id ad Græcos eorum ætate insulam incolentes, & ob diuersas factiones inter se controuersos pertinet. Sub vnius enim imperio constituti, Panormitani, Messanenses, Agrigentini, Syracusani, Catanenses, Leontini, Selinũtij, Camarinenses, Hymerenses, Lilybitani, Aegestani, & cęteri ferè omnes expugnatu sunt difficiles, vt posteriori Decade per exempla demõstrabimus. Erga Reges Siculi fide sunt incorrupta. Hinc a Seuero Cæsare ob insignem eorum in Romanam Remp. constantiam, ius latium demeruere: Vlpiano. Vltra Græcorum morẽ patientes sunt, Ciceroni in Verrem, irritati autẽ in furorẽ abeunt. Sermo eorum non est idẽ, qui olim. Ab initio nanq;

barbarus

Digitized by Google

barbarus, ſubinde græcus, poſtea italicus fuit, licet minus comptus & gratus. Veſtitũ, & cætera cũ alijs Italici ſanguinis indiſcreta habẽt omnia, Quos aũt ſum mos inde viros virtute, ſciẽtia ac militia illũſtres tulerit, ĩ locis vnde fuerũt orti, obiter deſcribemus. Porrò hactenus Siciliæ ſitu, alijsq; id genus cognitu neceſſarijs præmiſsis, operæprecium duxi, littoralis ac mediterraneæ oræ indicem ſub iungere, quo ſtrata via, ac lotis (quod aiunt) manibus ad deſcriptionem ſingularem procedam.

LITTORALIS TRIVM SICILIAE LATERVM VETVS & noua in modum indicis Deſcriptio. Caput. Octauum.

IN ORIENTALIS LATERIS ORDINE SEQVVNTVR.

Pelorus promontorium: Straboni, Ptolemæo, & cæteris.
Scylla, Calabriæ ſcopulus, Scyllus hodie vulgò appellatus.
Charybdis in euripo, mare vorticoſum. Calopharum hac ætate dictum.
Meſſana vrbs, Straboni, Ptolemæo & cæteris. Zancla prius Thucydidi & portus.
Eniſis. fl. oſtium Thucydidi, nunc Niſi.
Argenum promontorium, Ptolemæo, nunc caput ſancti Alexij.
Tauromenium vrbs Straboni, Ptolemæo Melæ & Solino. nũc nomen retinet.
Naxon vrbs Diodoro, Plinio, Pauſaniæ, Thucydidi & cæteris. defecit, hodie arx ſchixon.
Quod Strabo Naxum inter Catanam, & Syracuſas ponit non procedit
Aceſine. fl. oſtium, Thucydidi lib. 4. Aſines plin. lib. 3. Onabala Appiano. Alexandrino lib. 5. Cantara ſaracenice hodie vocati.
Acis. fl. oſtium, Theocrito. Homero, Euſtathio, Ouidio & Solino, nũc. fl. frigidi.
Xiphonium promontorium, Straboni, Caput molendinorũ hodiè appellatum.
Quod ptolemæus inter Tauromeniũ & Catanã, Symethi. fl. oſtiũ ponit, errat.
Cyclopum tres ſcopuli Plinio, hodiè Faragluni.
Acis arx, in ſcopulo vndiq; prærupto.
Ongia ſiue ongina Olim, nunc lognina ſtatio.
Portus vlyſsis, Homero, Vergilio & Plinio: nunc Aetnæis lapidibus oppletus: & Diuo Ioanni a decatria ædis dicata.
Aethna mons, Mongibellus vernacule dictus.
Catana vrbs, Thucydidi. Straboni & Ptolomæo, Catina Ciceroni. Catania Plutarcho, & hodiè nominata.
Amenanus fluuius Straboni & Ouidio, Amenes Pindaro in Pythijs, Iudicellus hodiè dictus, Catanam interfluens.
Teriæ. fl. oſtiũ, Thucydidi lib. 6. Pli. &c. Hodiè Catanæ. fl. & Iarrettæ.
Simethi. fl. oſtium Vergilio, Thucydidi lib. 6. Ptolemæo, Athenæo, Plinio & Macrobio. Hodiè ſancti Pauli.
Murgẽtiũ vrbs Ciceroni & Straboni, Murgãtia Liuio lib. 4. de bello pun. defecit, turriſq; eſt hodiè à Murgo nuncupãta. Et Leontinũ frumenti emporium, Agnuni hodiè vernacule.
Leontinum vrbs. Leontium Ptolemæo. non longe a mari recedens
Pãtagij. fl. oſtiũ. Vergilio. Ouidio & Claudiano, Pantachi Ptolemæo. Hippatin pleriſq;. Hodiè. fl. porcari, & fruméti emporiũ Bruca appellatum.
Taurus promontorium Ptolemæo, hodiè caput ſanctæ Crucis.
Cherſoneſus Ptolemæo, Auguſta hodie vrbs, & portus.
Yhadedæ. fl. ſaracenici nominis oſtium, intus ſancti Iuliani.
Miliæ. fl. oſtium Thucydidi, Liuio, & Plutarcho in Marcello, hodiè Marcellini, ſed Intus paſſus Syracuſarum.

Digitized by Google

Alabi.fl.ostium, Diodoro lib.5.& Ptolemæo, nunc Cantari.
Limpetra Diodoro, defecit.
Megara vrbs. quæ & Hybla, iacet, eiusq; ad littus visuntur ruinæ.
Bacena vrbs Diodoro lib.20.Bigenis ager nunc appellatus.
Chersonesus. Tapsus Vergilio, Ouidio & Thuydidi lib.6. hodie peninsula Manghisi.
Trogilorum portus, Liuio.
Syracusæ vrbs Vergilio Pindaro, Theocrito, Ouidio, Thucydidi, Straboni, Ptolemæo. Melæ, Plinio &c. Et Portus.
Arethusa fons.
Anapi.fl. & Cyanes ostium, Ouidio & Plutarcho.
Plemmyria paruula insula, nunc sancti Martiani.
Chersonesus, Ptolemæo. Plemmyriũ promontoriũ, Thucydidi & Vergilio: nunc Massa Oliueria.
Lõgũ promõtoriũ, Ptolemæo. Hodiè lognina statio, & eiusdẽ nominis Scopulus.
Cacyparis.fl.ostium Thucydidi, nunc Casibli.
Orini.fl.ostiũ Ptolemæo, Erines Thucydidi. hodiè Mirandæ, sed interius Noti.
Asinarum.fl.ostium, Plutarcho in Nicia, & Thucydidi, nunc Falconaræ.
Elorus vrbs, Castrum Plinio, hodiè turris recens, vernaculè sta in pace.
Elori.fl.stagnantis ostium, Vergilio & Ouidio, nunc Abysus.
Naustatinus portus, Plinio, qui tamẽ errat in ordine, Phœnicus Ptolemæo: hodiè vindicaris, frumenti emporium, Arx, & parua eiusdem nominis insula.
Machara vrbs, Ciceroni lib.5. in verrem, & Pli. lib.3. & Ptolemæo, Citatella vulgo sed ciuitas Machari à senioribus accolis appellata.
Elorina stagna, vnum a cauda lupi, alterum a Ruuecto hodiè nominatum.
Marzamenus statio, & duæ eiusdem nominis insulæ
Moriella salina, ad radices Pachyni.

MERIDIONALIS LATERIS ORDO.

Pachynus promontorum Ptolemæo & cœteris. Caput passarum vulgo hodiè.
Pachyni portus, Ciceroni in verrem, hodiè Longobardus.
Motyon oppidum Pausaniæ lib.5. &.10.hodiè iacet.
Portus Palorum.
Scopulus, insula currens appellatus.
Stagna plura in quibus sal gignitur.
Edissa portus, Ciceroni in Verrem lib.7.Marza hodie, sinus & statio.
Odysia promõtoriũ, Ptolemæo, Caput Marzæ hodie & Castellazũ vrbs diruta.
Stagna plura sal gignentia.
Insula, hodie a porris dicta, paruula ac gemina.
Busaitunus & Busaitunellus lacus pisculenti.
Ficalli, noui nominis oppidi iacentis vestigia. Et ædicula Diuæ Mariæ eiusdem nominis, & fontes ad littus vberrimi.
Puzallus arx recens, & frumenti emporium, vnde ad Melitam ex Sicilia propinquissimus est traiectus.
Mothycani.fl.ostium Ptolemæo, hodie Siclis.
Donna lucata fons ingens: & statio.
Hyrminij.fl.ostium. Pli. Mauli hodiè & Raguſæ.
Inyctos vrbs, Herodoto. Inyctum Straboni & Stephano. Inicum Pausaniæ lib.7. Longobardum hodie dicta & iacet.
Cauconæ portus Ptolemæo, Caucones Procopio lib.3, de bello vandalico. Scalãbris statio hodiè & Sancte crucis.fl.ostium.

Specus

Digitized by Google

Specus Columbara.
Oani.fl.oſtium Pindaro, hodie Fraſcolari,
Camarina vrbs Vergilio & Straboni, hodie iacet, Camarana vulgo dicta.
Ypori.fl. oſtium, Ptolemæo, Hipparis Pindaro in Olympijs, Hippanis Vibio Sequeſtri, Camarinei hodiè Et palus.
Salina Camarinenſis.
Dirilli.fl. inſignis oſtium.
Manumuzæ fl. oſtium.
Terranouæ fl. oſtium.
Terranoua oppidum, & vetuſta vrbs diruta.
Nanphriæ fl. oſtium.
Yharrubæ fl. oſtium.
Falconera arx recens.
Scopulus Sancti Nicolai.
Gelæ fl. oſtium, Vergilio, Claudiano, Ouidio, & Plinio. Hymeræ Ptolemæo Hodie Salſi.
Alicata oppidum.
Gela Vrbs, Thucydidi, Vergilio & Ouidio. Iacet nunc in monte obruta.
Ecnomus & Phallarium, propugnacula parum a littore recedentia, Diodoro lib. 19. & Plutarcho in Dione.
Flumicelli fl. oſtium.
Inſula paruula Sancto Nicolao appellata, & veteris ædificij ruinæ.
Millaya turris.
Yafis turris.
Caſtellazius mons, & in vertice ingentis arcis veſtigia
Balatella, Pyratarum ſtatio.
Mons clarus, arx recens.
Comicus vrbs Diodoro lib. 5. defecit.
Punta alba.
Agragæ fl. oſtium, Polybio: hodiè Dragus.
Agragantinum Emporium Straboni & Ptolemæo, hodie veſtigia tantum.
Agragas græcis, Agrigentum latinis vrbs parum a littore diſtans, Thucydidi, Straboni, Melæ, Plinio & Vergilio, hodie ingens tantum cadauer, cui incubat Agrigentum noua vrbs.
Agrigentinum frumenti recens Emporium.
Huic quod proximum in ordine Hypſam fluuium Ptolemæus poſuerit, non ſuccedit.
Mons rubeus, arx.
Siculiana, frumẽti Emporiũ, & eiuſdẽ nominis oppidulũ, parum a littore diſtans.
Cannarum fl. oſtium.
Heraclea vrbs, quæ & Minoa prius, Straboni, Ptolemæo, Melæ, Diodoro, Polybio, Liuio, & Plutarcho in Dione, Hodie iacet ad caput album.
Lyci fl. oſtium, Diodoro in Philippo, & Plutarcho in Timoleõte. Hodie platani.
Iſburi fl. oſtium Ptolemæo, nunc Mayhaſoli.
Socij fl. oſtium Ptolemæo, nunc Caltabellottæ.
Thermæ colonia, Diodoro, Melæ & Plinio, Hodie Sacca vrbs.
Pintia Ptolemæo, defecit.
Atys fl. oſtium Plinio, nunc Carabi.
Hypſæ fl. oſtium Plinio, nunc Bilici.
Yhalicium ſtagnum.
Selinis, ſiue Selinon, ſiue Selinuns vrbs, Diodoro, Straboni, Plutarcho Vergilio: Hodie

Digitized by Google

Hodie terra Pulicorum dicta.
Selinis fl. oſtium, Plinio, ſiue Selinuntis Vergilio & Ptolemæo, qui ordinem non ſeruat, Madiunis hodie nominati.
Trium fontium promontorium.
Arenæ fl. oſtium.
Mazara emporium Diodoro lib. 14. ſed hodie vrbs.
Mazari fl. oſtium, & ſtagnum Diodoro & Ptolemæo, qui interim non rectè ante Selinuntem fl. ad orientem illud poſuit.
Caput fœderis.
Sybilliana turris.
Marſalæ fl. oſtium.

OCCIDENTALIS, & Septentrionalis lateris ordo.

Lilybœum promontorium & vrbs, Diodoro, Straboni, Ptolemæo, Melæ, Plinio & Solino. Et puteus Diodoro & Macrobio. Hodie Marſala vrbs, & Caput Boei, & Scopuli ſubaquanei, & Portus.
Stagnum, ſtagnonum vulgo dictũ, & quinq; in eo paruulæ inſulæ, Et ſalinæ plures.
Sancti Theodori caput, ſiue Burruni.
Acithij fl. oſtium Ptolemæo, nunc Birgi.
Quòd Egitharſum promontorium & Segeſtanum emporium huic fl. ſubiunxit Ptolemæus, errauit in ordine.
Salinæ complures.
Eguſa Polybio lib. 1. Aegate Liuio & Floro, Probantia & Sacra, quæ Hieroneſus à Polybio lib. 1. dicitur, inſulæ tres Ptolemæo & Plinio: hodie Fauogiana, Leuanſus & Maretimus.
Drepanum Ptolemæo & Plinio, vrbs & portus, Polybio & Vergilio.
Turris Sancti Iuliani.
Erix mons & vrbs, Polybio, Straboni, Ptolemæo & Plinio, Mons Sancti Iuliani in Archiuo Regio, vulgò mons Drepani.
Bonagiæ ſtatio.
Caput Cophani.
Egitharſus promontorium: nunc Caput Sancti Viti.
Cœtaria Ptolemæo: ſcupellus hodiè, ſtatio & turris.
Segeſtanum emporium, Segeſtana ora Polybio lib. 1. Caſtrum ad mare hodiè, frumenti emporium.
Crinisij fl. oſtium Thucydidi & Plutarcho: hodiè Sancti Bartholomæi.
Bathis fl. oſtium Ptolemæo: nunc Iati.
Parthenicus ager, Antonino Pio: hodiè nomen retinet.
Macella vrbs poſt oram Segeſtanam ponitur à Polybio lib. 1. defecit.
Sancti Cathaldi fl. oſtium & eiuſdem nominis arx.
Elyma vrbs vetuſta, Thucydidi & Dioniſio Alicarnaſſæo: hodiè Palymita, in edito monte ſita.
Caput Rami, & iacentis oppidi ruinæ.
Hyccaris oppidum Thucydidi, Diodoro, Pauſaniæ & Antonino Pio, Hyccarum Philiſto, Hyccara Apollodoro, iacet, vbi nunc murus carinis, & turris Garbolãgi.
Fimi inſula, Guilielmo Siciliæ regi ſecundo in ſuis diplomatis: Fœminarum hodiè dicta.
Motya Thucydidi lib. 6. Motyon vrbs & ſinus Diodoro lib. 13. & 14. defecit, vbi nunc portus & foſſa Galli, & turris sferracaballis.
Arx recens, cui à Mundello nomen eſt.
Peregrinus mons, ſoli ſibi conſtans.

Panormus

Digitized by Google

Panormus vrbs, Thucididi, Polybio, Ciceroni, Ptolemæo. P. Melæ, etiã & plerisq; alijs, Et olim ſtagnum, Et Papyritus fluuiolus hodie vrbem interfluens.
Orethi. fl. oſtiũ, Vibio Sequeſtri, innominati, Polybio lib. 1. Eleutherij Ptolemęo, Habes Sarracenis, & Normannis, ab Admirato hodie cognominati.
Aquæ Curſalium, id eſt Pyratarum.
Bayhariæ Sarraceni nominis. fl. oſtium.
Mons Gerbinus, & turris ſpecula.
Solœntum vrbs Thucydidi & Diodoro, iacet in monte Alfano.
Arx, portus, & frumenti Emporium eiuſdem nomini,
Sancti Michaelis. fl. oſtium, alias Pontis rupti.
Olulis oppidum Ptolemæo, defecit.
Trabia arx, & aquæ.
Thermarum. fl. oſtium.
Thermæ vrbs, & Balneæ Hymerenſes, Ciceroni.
Brucatum oppidum iacet, vbi arx eſt hodie eius nominis.
Torti. fl. oſtium.
Hymera vrbs, Diodoro, Ciceroni, Straboni, & Thucydidi. Defecit, vbi hodiè turris Bonfurnelli, & ager Sancti Nicolai.
Hymera. fl. oſtium. Ptolemæo, Plinio, & cęteris: hodiè. fl. magni.
Rocellæ. fl. oſtium.
Auricella arx, vulgò Rocella.
Cephaledis vrbs Ciceroni, Straboni, Ptolemæo, & alijs.
Carbonis. fl. oſtium.
Malpertuſi. fl. oſtium.
Caput Raſichelbi, Pyratarum ſtatio, & turris, cui Pollina in excelſo monte oppidum, non procul inde, prominet.
Monali. fl. oſtium, Ptolemæo: nunc Pollinæ.
Thuſa arx, & frumenti Emporium, cui Thuſa oppidum in colle imminet,
Thuſæ. fl. oſtium.
Alete vrbs, Ptolemæo: nunc ingentes tantum circum S. Mariam a palatio ruinæ.
Pittinei. fl. oſtium.
Caput Mariazi; & turris ſpecula.
Serrauallis. fl. oſtium.
Serrauallis arx, & dirutum oppidulum.
Aleſa vrbs, Ciceroni, Straboni & Ptolemæo, nunc obruta tantum, ad littus Caroniæ monumenta.
Furiani. fl. oſtium.
Aquæ dulces, Diodoro lib. 5.
Quod Ptolemęus hic Chydam fluuium, & Calactam vrbem ponit, non procedit, cum nullum ibi neq; fl. neq; vrbis ſit veſtigium.
Montes Aerij. Diodoro lib. 5.
Aluntium vrbs, Ciceron. in Ver. Alontium Ptolemęo, quam hic locat, Aleuntium Plin. & Dion. Alicar. Hodie vrbis mirãda tantum, iuxta. S. Philadelphum, monumenta.
S. Philadelphi. fl. oſtium.
Turris S. Agathę.
Chydę. fl. oſtium, hodiè Roſmarini.
Calatina vrbs Diodor. lib. 12. Calata Ciceroni Epiſtolarum lib. 13. Calacta Ptolemęo. Sanctus Marcus oppidum hodie.
Arx Petrę Romę.
Agathyrium vrbs Diodoro, Straboni; Ptolemęo, & Plin. defecit, vbi nunc ad caput

caput Orlandi diruta est ædicula. S. Martini.
Promontorium Orlandi
Nasi. fl. ostium.
Brolus arx.
S. Angeli. fl. ostium.
Caput Calauæ, & Pilainus oppidulum ei incubans.
Turris. S. Georgij.
Iusæ. fl. ostium.
Pactæ, noui nominis vrbs.
Thymeti. fl. ostium Ptolemæo, Symethi Straboni, & Plin. nunc Pactensis.
Tyndarium vrbs Ptolemæo, Tyndarus Straboni, Ciceron. Plin. & cęteris iacet.
Heliconis. fl. ostium Ptolemęo: nunc Oliuerij, ab arce, quam alluit.
Furnaris oppidulum ad. p. m. 2. Et Tripis oppidum in edito & prærupto colle ad. p. m. 5. Et vetustę magnęq; vrbis ruinę.
Castri Regalis. fl. ostium, & ad eius orę verticem eiusdem nominis oppidum.
S. Basilij. fl. ostium, & ędicula eiusdem nominis.
Chersonesus Apollonij interpreti lib. 4. nunc caput Milacij.
Mylę oppidum Straboni, Ptolemęo, & Ouidio: hodie Milacium, & Portus.
Oliueti. fl. ostium.
Frundonis. fl. ostium.
Nucithi. fl. ostium.
Malpurtiti. fl. ostiũ, & subaquaneus eiusdẽ nominis scopulus nautis formidatus.
Diuetum oppidulum.
Falacrium promontorium, Ptolemęo, Rasiculmũ hodie dictum, & turris specula.
Myrtorum statio.
Pelorus promontorium, & Turris Phari, vnde incepimus.

MEDITERRANEA IN MODVM INDICIS DESCRIPTIO. CAPVT NONVM.

Pelorus promontorium, cui eodem itinere, quo littoralia, hęc succedunt.
Messana.
Camaris.
Bordunarus, & Abbatia. S. Marię eiusdem nominis, ab Vla Ioannis Graffei filia, & Rogerij Beati vxore, consensu Guilelmi secundi Sicilię Regis erecta & dotata vt eius Priuilegio constat.
Sanctus Philippus &. S. Philippi abbatia.
Cumia.
Ardaria.
Milis, & Abbatia. S. Marię de Mili.
Galatis.
Sanctus Stephanus.
Pozulus.
Brica.
Zampilerius.
Annunciata.
Scala.
Zaera.
Gazis.
Contissa.
Calispera.
Pistumma.
Roccamaturis, & Abbatia eiusdem nominis.

Scaletta.

Digitized by Google

Scaletta.
Monasterium S. Placiti.
Itàla, & Abbatia sanctorum Petri & Pauli.
Casale vetus.
Aly.
Mandanicius, & Abbatia S. Mariæ eiusdem cognominis.
Locadius.
Iundimandrius.
Paglara.
Enises flumen.
Sauoca.
Limina.
Fortia, & Abbatia sanctorum Petri & Pauli.
Muniuffus.
Calidorus.
Gaggus.
Motta camastri.
Caltabianum.
Mascalis.
Castrumleonis.
Francauilla.
Lingua grossa.
Rucella.
Randatium nouum.
Randatium vetus dirutum.
Abbatia S. Mariæ Maniacis.
Maniacium oppidum, iacet.
Cisarum.
Abbatia S. Heliæ.
Trayna.
Abbatia S. Michaelis.
Ciramis.
Capitium, Ptolemæo, & Ciceroni.
Nicosia.
Galianum.
Argyre Ptolemæo, Diodoro, & cæteris & Abbatia S. Philippi, à quo oppidum hodie nomen habet.
Rayhalbutum Saracenici nominis oppidum.
Brontes.
Adranum, Plutarcho in Timoleonte, vulgo hodie Adernò.
Paternio.
Motta S. Anastasiæ.
Aetna Straboni, defecit.
Aetna mons cum pagis
Alicia Thucydidi lib. 7. Aleta Ptolemæo, Halicis Cicer. in Verr. lib. 5. defecit.
Centoripe, iacet.
Engium, defecit.
Inessa Thucididi, defecit.
Hybla minor Thucydidi & Pausaniæ, defecit.
Iudica noui nominis oppidum, iacet.
Apollonia, Diodoro lib. 16. defecit.

Afferum,

Digitized by Google

Aſſerum, Ptolemæo & Ciceroni, hodiè vt olim.
Calaſibethum Saraceni nominis oppidum.
Enna, Cicer. Diodor. Straboni, Ptolemæo: hodie corruptè Caſtrum anna.
Aydonus.
Citatella vrbs diruta.
Platia noua.
Platia vetus diruta.
Mactorium, Herod. lib. 7. defecit.
Naunis, iacet.
Cacyrum Ptolemæo, defecit.
Calatanixetta.
Calatagironus.
Menè, Cicer. Diodoro, & Ptolemæo: Meneum hodiè.
Ochula, Aquila in publicis tabulis, vbi mira antiquitatis veſtigia.
Palica vrbs, Diodor. lib. 11. & Macrobio, iacet. Et lacus Naphitia hodiè dictus.
Caltafarus mons, & dirutæ vrbis veſtigia.
Paliconia.
Militellus.
Licodia.
Vizinis.
Leontinum, & Abbatia S. Mariæ Rocadiæ.
Curcuracium, iacet.
Milillis.
Francus fons.
Bucher, Saracenicum oppidum: Bucherium hodiè.
Ferula.
Sortinum.
Herbeſum, Diodoro Ptolem. & alijs: Pantalica hodiè.
Buxema.
Ceratanum Ciceroni, vt hodiè.
Acræ Thucydidi lib. 6. iacet: Palazolus hodiè.
Mendula oppidulum, iacet, vbi & templum eſt Diuæ Luciæ, & Paulo infra Pyramis, & vrbis antiquæ proſtratæ ruinæ.
Abbatia S. Mariæ de arco.
Neas vrbs, Diodoro lib. 11. Neetum Ptolemæo, Syllio & Ciceroni. Notum hodiè.
Auula.
Raguſa.
Motyca Ptolemæo.
Vrbs proſtrata & ea magna inter Neam & Notycam.
Iſpia, Syllio, iacet: Iſpa vulgo dicta.
Spaccafurnus vulgo, ſed eruditioribus Iſpicæ fundus.
Siclum.
Claromons.
Biſcarus & Abbatia S. Mariæ à Terraina.
Hybla minima, Thucydidi & Pauſaniæ, defecit.
Caſmene Thucydidi lib. 6. defecit.
Buterium.
Mazarenum.
Barrafranca.
Petrapretia.
Narus.

Rayhalmutus.

Digitized by Google

Rayhalmutus.
Herbesum Polyb.lib.1.Gruttæ hodie.
Motya Philisto,iacet.
Raphadalis.
Agrigentum.
Accilla Liuio,& Polybio, defecit.
Sutera oppidum,& mons.
Mons mellis.
Camarata oppidum, & mons.
Castrum nouum.
S.Stephanus.
Biuona.
Prizis.
Palatium Hadrianum.
Clusa.
Busachinum.
Monasterium.S.Mariæ à Bosco.
Iuliana.
Burgium.
Villa franca.
Triocala,vrbs Ciceroni,Silio,& plerisq; alijs,defecit, nomine & ruinis solum hodie cognita.
Calatabellotta.
Zabuth Saracenicum oppidum,Sambuca hodie.
Adragnis,iacet.
Sinurium,iacet.
Entella Ciceroni & Silio lib.14.Iacet, & nomen retinet.
Sala.
Gibillina.
Burgettum.
Partanna.
Castellum veteranum.
Salemis.
Segesta Diodoro, Straboni & cæteris,Iacet, Barbara hodie dicta,& extra mœnia templum Cereris adhuc integrum.
Calameth Sarraceni nominis dirutum oppidulum,& Balneæ,& Aquæ Segestanæ.
Bonifacius mons, & ad verticẽ Alcamus Sarracenium vetus oppidũ,sed dirutũ.
Alcamus ad radices montis,recens oppidum.
Macella Polyb.lib.1 defecit.
Ietum Plinio,Ietas excelsus Silio lib.14.iacet,Iatum vulgo hodie dictum.
Corilio.
Casale Græcorum sancta Agatha appellatum.
Mons Regalis.
Misilimeris.
Ciminna.
Marineus.
Bycarum.
Hippana,Polyb.lib.1.defecit.
Caccabus.
Sclafanus.
Caltaulturus.

Digitized by Google

Politium,& mons Nebrodides.
Goliſanus.
Gratterium.
Pollina.
Iſnellus.
Petralia inferior.
Petra Ptolemæo & Solino.Petralia ſuperior, hodie dicta.
Gangius.
Thiſſa Ptolemæo & Plinio:defecit.
Thuſa.
Sanctus Maurus.
Caſtellum bonum,& Abbatia.S.Anaſtaſiæ.
Geracis.
Motta fermi.
Sanctus Stephanus.
Pittia Plinio.Pittineus hodie.
Ameſtrata Ciceroni & Plinio. Miſiſtratum Polyb. libro. 1. Miſtretta hodie.
S.Philadelphus.
S. Marcus.
Militellus.
Longi.
Craſtus, Antho.lib.de viris illuſtribus.iacet.
Myrtus,& Abbatia.S.Philippi.
Crapis.
Turturicium.
Saluator.
Galatis.
Caſtania.
Martinis.
Vcria.
Naſus.
Sanctus Angelus,& Abbatia eiuſdem nominis.
Ficarra.
Raccodia,& abbatia. S. Nicolai à ficu.
Samperis.
Mons Albanus.
Noara,& Abbatia.S.Mariæ.
Tripis.
Caſtrum Regale.
Sancta Lucia,& Abbatia.S.Philippi.
Veneticus.
Condro.
Samperis.
Monfortis
Mauroiannus.
Rocca.
Rametta.
Saponara.
Caluaruſus.
Bonuſus,& Abbatia.S.Gregorij eiuſdem nominis.

Salix.

Digitized by Google

Salix.
Maſſa.
Caſtania.
Curcuracius.
Pharus & Pelorus vnde initium ſumpſimus.
Hactenus indicem ordine recenſuimus : nunc deſcriptionem, vt polliciti ſumus, exactius aggrediamur. Sed vt & hæc ordine incedat, à Peloro iure optimo auſpicandum eſt, quòd & Italiæ propior, & ab ea olim diuulſus ſit.

F. TH. FAZELLI SICVLI, ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS PRIORIS DECADIS.

LIBER SECVNDVS.

DE PELORO PROMONTORIO.

CAPVT PRIMVM.

PELORVS Siciliæ promontorium, illud eſt, quod Italiam proſpicit, & in æſtiuos vergit ortus, non aliter q̃ Cœnys Italiæ promontorium, Cauda vulpis mea ætate appellatum, Peloro oppoſitum, in occaſum. Nam fretum, coeuntibus paulatim Siciliæ & Calabriæ littoribus, ita coarctatur, vt ea promontoria vicinam inter ſe inflexionem faciant, diſtentq; à ſe inuicem parui, anguſtiq; fluxus intercapedine, quam Euripon græci vocant. Cœnys enim littus, inter Cantarellum, & ſcopulum (cui ab equi forma naturaliter ibi expreſſa, caput caballi vulgò nomen eſt hodie) à Peloro mille & quingentis paſsibus diſtinguitur, vt Diodorus & Plinius ſcripſerunt, & nos metimur. Anguſtias itaq; freti, ex parte Siciliæ Pelorus in mari excurrens, & Cœnys ex Calabria conficiunt. Dictus eſt autem Pelorus à Peloro nauis gubernatore, ibi ab Annibale interempto atq; ſepulto. Cum etenim Annibal, ex Petilia Lucaniæ regionis olim Italiæ oppido victores Romanos fugiens, Africam repeteret, & littora procul intuenti neq; ſeiuncta, neq; peruia, ſed abſq; interuallo ei viderentur, proditum à Peloro ſe arbitratus, illic eum occidit, condiditq;. Verum inſpecta poſteà freti anguſtia, & loci natura, erroris ſui pœnitens, cùm in vitam reuocare occiſum nequiret, ſtatua illi eo loco erecta, promontorio Pelori nomen indidit, quod probatæ illius fidei, ſuiq; erroris perpetuum monumentum foret : licet Seruius ante id factum, Pelori nomen huic promontorio, à loci ſitu inditum, apud veteres ſe legiſſe ſcribat. Nam Pelorus græcè, prope montem latinis, ſiue caput montuoſum ſonat, & (vt à græcis accepi) vernaculè etiam hodie peloros caput ſignificat. Huic arx noſtra hac tempe-

Digitized by Google

ſtate imminet, & ad fauces tuendas, & ad prælucendi miniſterium ob ſalutem nauigantium erecta (quam ſtylarion græci id eſt columnam vocabant) vt ex ea faces incenſæ, nauigantibus noctu viam eminus dirigerent, ne vel in Scyllam ſcopulum, vel in Charybdin mare vorticoſum, loca omnino periculoſa deferrentur: vnde nimirum illapſis, nulla ſit aut remeandi, aut effugiendi poteſtas. Turri primum Phaos græce (quod latine lux ſiue lumen eſt) vulgo poſtea, vnius literæ corrupta acceſsione, Pharos nomen remanſit. Plerique eam id à Pharo turri quam in inſula Aegypti portum Alexandriæ efficiente, contra Nili fluuij oſtium, ad nauigantibus prælucendum, Ptolemæus Philadelphus rex extruxit, mutuaſſe tradunt. Enimuero cùm ea Aegypti turris ſuper quatuor vitreis cancellis à Soſtrato Gnydio architecto locata, inter orbis ſpectacula, maximum, atq; pulcherrimum operum omnium cenſeretur: poſtmodum aliæ multæ, & quidem illuſtres vrbes eius æmulatione turres littorales & ipſæ erexerunt, ex quibus nocturno nautarum curſui conſulentes, lumen ad præuidenda vada, portuſq; fauces exhibebant. Et vt propius ad Alexandrinæ illius vſum magnificentiamq; accederent, ne à nomine quidem ſibi recedendum putarunt, adeo vt & locos ipſos, quibus turres locabantur, Pharos appellauerint. Quod in hæc vſq; tempora vſurpatum apud omnes maritimos obſeruatur. Hinc & apud Ligurum metropolim Genuam, turris eſt, quam caput Phari vocant. Inde ad Liburnium Piſani portus munitiſsimam arcem, in ſcopulo, circa paſſus mille à continenti diſsito, fundata turris nocturnum Tyrrheno mari nauigantibus lumen, q̃ remotiſsimè præbens, Piſanumq; eminus portum oſtendens, pharea appellatur. Apud Candianum non procul à Rauenna, vbi ſapis. flu. illapſus portum efficiebat in primis celeberrimum, turrim fuiſſe Pharam, omnium maximam, quas Romanum vbiq; habuit imperium, Plinius teſtatur. Hinc igitur ab initio & huic Peloritanæ ſpeculæ Pharos nomen impoſitum fuiſſe volunt. Quod ita increbuit, vt & ipſum fretum turri infeſtum Phari quoq; ſibi inſolens nomen, in abuſum pertraxerit: licet ex græcis non deſint, qui Pharos aquarum concurſum ſignificare doceant. Quod ſi ità eſt, aptiſsimè & plusq̃ propriè Meſſanenſe hoc fretum æſtuoſum ob vndarũ eius cõcurſum, Pharus appellatur. In Cœny verò promõtorio oppoſito Rhegini (vt lib. 3 teſtatur Strabo) turriculam & ipſi erexerunt, quam Columellam vocauerunt: cuius hodie nulla extant veſtigia: ita ijs freti faucibus munitiſsimæ arces duæ olim, hinc & inde, præſidio & miniſterio erant appoſitæ. In hoc anguſto freto, ex parte Calabriæ, à Cœny ad Aquilonem. 4. paſſuum milibus diſtans Scylla eſt ſcopulus, & ex Sicilia charybdis, mare vorticoſum: ſæuitia vtrunq; clarum. Scylla ex Italiæ parte, quæ Pelorum reſpicit (à quo. p. m. 6. interfluxu maris diſcinditur) ſaxum eſt ſublime, oræ Calabriæ iunctum, mariq; prominens, quod procul intuentibus, humanam in ſuperiori parte formam oſtendit, vbi & oppidum eſt Scyllum appellatum, quod Scyllæum veteres dixerunt. Saxum hoc appulſis & nauigantibus admodum eſt noxium. Editæ nanq; & præcipites rupes Scyllæo oppido, mariq; proximo imminentes, plures habent ſcopulos, eoſq; ſub radicibus cauernoſos: in quos dum ingreditur æſtuoſum mare, & ab eis refringitur, tumultuando efficit, vt latrantes canes atq; vlulantes lupi audiri videantur. Charybdis ex parte Siciliæ, paulò ſuprà Meſſanam, & à Scylla. p. m. 15. ad meridiem diſcreta, mare ferueniſsimũ, profundum, immenſum ac ſæuum eſt. Cum nanq; fretum hoc, duobus promontorijs, geminoq; littore coarctetur (vt diximus) paruo primùm, mox ſenſim paulatimq;, ad meridiem aperientibus ſeſe anguſtijs, latioris maris interuallo dilatatur: cumq; non procul abſit à curuato littore, quod Meſſanæ portum complectitur, maris aquæ in profundum ſemper, per circumductiones

ductiones & vortices, declinantes, & modò in abruptum barathrum abeunte freto, modò cum impetu, & fluctuum colliſorum fragore, ſupina facie reſilientc mari, vaſtum hiatum, & immenſam voraginem conficientes occurrunt. Quæ inundationes, mirum in modum per hos gyros & contrarios curſus, nauigia & obuia quæq; abſorbent, vt ne naufragium quidem vllum ibi natans appareat. Simul etenim ſubſidentibus aquis, in mare nauigia rapiuntur, & ad interna vi ſpiritus pertrahuntur. Cumq; pari impulſu circum vndiq, agitentur, ad ima ferri neceſſe eſt. Abſorptarum autem diſſolutarumq; nauium fragmenta per multa paſſuum milia ad Tauromenitanum, & vicinum vsq; littus, ductu ſubaquaneo appelluntur: vbi tandem Charybdis ipſa, quæ abſorbuerat, reuomit, proùt vſu ferè quotidiano experimur, & Saluſtius & Strabo memoriæ prodiderunt. Hunc locum omnino periculoſiſsimum, & naufragijs infamem Charybdim Græci appellarunt: quod rabidè cadere lib. 4. interpretatur Thucydides. A noſtris vero Calopharum (quod latine bonum ſiue pulchrum lumen eſt) hodiè etiam vocatur: ob id, quod ad proximum Brachium S. Raynerij curuum littus, altera ſit ſpecula, quæ cautum præternauigaturis contra vicinæ Charybdis minas lumen prærigit. Porrò fretum ipſum, latitudinis, vbi anguſtius, p.m. & quingentorum (vt diximus) vbi vero latius p. m. 12. æſtuaria quotidiè, alternosq; curſus, ſtatutis horis, tanta velocitate ſimul & atrocitate patitur, vt inter naturæ miracula ab Ariſtotele recenſitum ſit. Nam modò in Tyrrhenum, modò in Ionium mare, fluctibus inuicem verſis adeò furiosè fluit, vt ventos etiam ac nauigia ſuo curſu fruſtretur, & ſiſtat, vel ſecum portet. Adeò præterea pernicioſo feruet æſtu, vt quaſi ab imis mare ſubuerti videatur, & ita vaſtis inuoluitur vorticibus, vt non modò nauigantibus, ſed etiam videntibus ſæuum ſit ac horrendum. Vndarum nanq; in ſe concurrentium tanta eſt pugna, vt alias veluti terga dantes ad imum deſilire, alias quaſi victrices in ſublime ferri videas: atq; nunc hinc fremitum feruentis æſtus, nunc illinc gemitum in voraginem decidentis maris exaudias. Hinc in prouerbium Scylla & charybdis abiere: hinc Poetis ampla fabulandi materia: hinc latratus auditi, hinc monſtra credita & Simulachra, vt apud Homerum Odyſſeos lib. 12. & apud Vergilium Aeneidos lib. 3. videre eſt. Quæ cùm ab hiſtoriæ ſeuerioris grauitate ſemota ſint, non ſunt hoc loco à me recenſenda. At quoniam ij euentus reuerà miri ſunt, non extra inſtitutum facturum me exiſtimaui, ſi eorum cauſas plerisq; , quibus per ignorantiam fabuloſa etiamnùm creduntur, paucis explicauero. Aſtrologorum conſtans eſt ſententia, Lunam humidis, quemadmodùm ſol calidis, dominari: quo fit, vt ſuper quacunq; regione illa eleuetur, in ea maris aqua naturali cauſæ obſequens directè ſurſum extollatur. Hinc mediterranei maris, quouis menſe ſemel acceſſum luna creſcente, decreſcente verò è diuerſo receſſum fieri videmus. Hinc quoq; bis quouis die (quem naturalem vocant) diuerſitate angulorum, quos Lunæ, dum in Epicyclis mouetur, radij ſuper mare conſtituunt, fluxum & refluxum habet omne mare, licet non vbiq; ſenſilem. Luna enim, cum oritur, noſtrumq; accedit hemiſpherium, curſum facit, recurſum autem cùm quaſi à nobis recedens à meridie occaſum petit. Rurſum ſubinde fluxum gignit, cum ab occaſu ſubter ima cœli ad noctis angulum meridiano oppoſitum protendit: refluxum deniq;, cum inde quaſi dilapſa ad ortum mouetur. Ità mare bis diæ lunæ acceſſu & receſſu alternum patitur curſum, non inſtàr magnetis ferrum attrahentis (vt pleriq; minus æquo aduertentes ſcripſerunt) ſed ollæ igni appoſitæ. Nam dum ignis radij ollam directè tangunt, æſtuat aqua, ſi obliquè, quieſcit. Hinc refertur bis ſingulis diebus curſu alterno, & mira æſtuaria patitur Oceanus, quò ſit latiſsimus, humidarumq; rerum omnium præ-

Digitized by Google

cipuus, Luna quoq; ei plurimùm dominetur. Cæteræ verò aquæ plus minuſué, prout vel ab Oceano diſtant, vel loci diſpoſitione afficiuntur. Propinquæ enim Oceano, quæ Normanniam & Scotiam interluunt, manifeſtè ſurſum efferuntur,& in diuerſum effluunt. Mediterraneum quoq;, ad Gades,apertiſsimè æſtuans intumeſcit, fluensq; tandem proxima quæq; verberat. Sed cùm Sardoum, Tyrrhenum & Siculum profundiſsima ſint (vt lib. metheor. 2. teſtatur Ariſto.) æſtum refluum quidem, ſed occultum habent. Adriaticum verò, cùm nec nimis latum,nec adeò profundum ſit, aliquatenus ſenſilem patitur. In hoc autem freto Meſſanenſi cùm profunditas octuaginta vix paſſus excedat, anguſtaq; ſit eius latitudo, palam tamen ſex horis fluit, totidemq; etiam in oppoſita refluit, patiturq; æſtus (vt diximus) viſu horrendos. Proinde motus lunæ in Epicyclis naturalem eis cauſam ſuppeditat: cui accedit & loci diſpoſitio. Cum nanq; ex Ionio latiſsimo proueniat pelago, & intra anguſtiſsimum (vt meminimus) coarctetur euripum, nec poſsit latius diffundi, protudendo ſuo impetu, & ad ſubaquaneos,cauernoſosq; ſcopulos irrumpendo non modò refluum æſtum, ſed eodem etiam tempore (quod miratu dignius eſt) in oppoſita curſus continuat. Quàm inconſyderatè autem Timæus, Liuius, ac veterum pleriq; alij, vel in ventos,vel in ſolem,vel in ſydera horum æſtuum cauſas reiecerint,nemo eſt, vel primas modò Philoſophiæ regulas ingreſſus, cui non ſit perſpicuum. Sed & alia in hoc freto res mira frequenter apparet. Nam mitigato turbine, quietoq; aere, circa diei exortum illuceſcente aurora, variæ animantium, hominumq; formæ in aëre crebrò cernuntur. Quarum aliæ penitus immotæ ſunt, pleræq; vel in aëre diſcurrunt,vel inter ſe dimicant, quousq; Sole incaleſcente, è conſpectu eripiantur:Harum Polyclotus lib. de Reb.ſicul.& Ariſtotelcs lib.de mirab.aud. meminerunt, quarum etiam hæc à Philoſophis redditur ratio: quod cùm in ijs regionibus,eo præſertim tempore,quo hæc cernuntur,ventos, aut omnino non ſpirare,aut exiles admodum, & aërem quietum eſſe conſtet, in ipſo aëre denſo atq; obtuſo diuerſæ animantium effigiantur ſpecies, quibus formam aër, quem tenues & leues quandoq; mouent auræ, variam præbet (quemadmodum æſtate in nubibus fieri videmus) qua tandem ſol incaleſcens in ventos reſoluit. In hoc freto præterea verno tempore, anguillæ non ſolum Sicilia, ſed tota etiam Italia probatiſsimæ capiuntur, murenæ inſuper adeo obeſæ, vt præ pinguedine ſuper maris aquam fluitantes ſemet captantium manibus vltro offerant. Eas Meſſanenſes Allampatas hodie vernaculè vocant, latini flutas, græci plotas. Accerſebantur (inquit Macrobius) murenæ ad piſcinas noſtræ, ab vsq; freto ſiculo, quod Rhegium à Meſſana deſpicit: illic enim optimæ à prodigis eſſe creduntur, tam hercule q̃ anguillæ, & vtrę̃q; ex illo loco græcè plotæ vocabantur, latinè flutæ,quòd in ſummo ſupernatantes, ſole torrefactæ, curuare ſe poſſe, & in aquam mergere deſinunt,atq; ità captu faciles fiunt: hûc vsq; Macrobius. In ſiculo mari (inquit columella) murenæ longè maximæ atq; optimæ, flutæ appellatæ, quòd ſummis in aquis fluitent: vnde accidit, vt in nimijs ſolis ardoribus exuſta cute, ſeſe mergere nequeant. Sed ad rem. Pelorus inter Siciliæ promontoria,ſolis temperie cæteris præſtat: quippe qui neq; hyeme imbribus in lutum diluitur, neq; æſtate caloribus ſoluitur in puluerem. Enimuerò cùm introrſum à vertice recedit, ſenſim in latitudinem panditur, ibiq; tres habet lacus, qui per ſubterraneos meatus, è proximo mari (vt exiſtimo) ſalſas aquas recipiunt. Horum qui minor, & Peloro propior eſt,ac balearis tantummodò fundæ iactu ab eo refugit, piſcibus abundat, atq; inter virgultorum opaca & condenſa ei proxima arbuſta, lepores perdices & attagines nutrit, præbetq; abundè: quô fit, vt duplicem hominibus voluptatem, piſcandi vtpotè & venandi ex eo conferri, & ſolinus ſcribat, & nos experiamur. Lacus proximus non peremuis eſt hodie, ſed

brumali

brumali duntaxat tempore ſtagnat. Tertius apud ſuperſtitioſos veteres ab ara, quæ in medio Dys eorum ſtabat, ſacer erat. Solino. Aquæ quibus ad aram perge batur, vix crura hominis abluebant. cœteræ mali imminentis periculo ne explorabiles quidam. Nam pars corporis, quæ eas tangebat, repentè arefacta deperibat: idq; in quodam ita vſu compertum eſt, vt cùm in eas longiſsimam icciſſet lineam, qua ima indagaret, toto brachio, quo eam ſtudebat ſuſtinere, temerè aquis immerſo, cõfeſtim elanguit. Quod ſi euentus ſtupendi cauſam requiris dæmonum opus proculdubio cenſendum eſt. Is lacus hodie etiamnùm tetro ſuo odore vicinos abigit. In eodem promontorio Orion Eunopionis Siciliæ regis filius ſtructa olim mœnia vallo foſſaq; muniuit: vbi & templum. Neptuno conſecrauit: Diodoro lib.5. Quod littora ſcopuliq; hi, à ſyrenibus, quæ vocum, cantuſq; ſuauitate prætereuntes nautas in ſaxa illiciebant, aliquando habitata ſint, quodq; Hercules á Rheginorum, Locrenſiumq; finibus cornu bouis innixus nando Pelorum appulerit (vt lib.5. Diodor. memorat) fabuloſa ſunt. Poſt Pelorum, Meſſanam verſus Phæthicini.fl.oſtium occurrit vibio Sequeſtri. Ibi Dianæ delubrum olim erat, cuius hodie ne lapis quidem extat: ſed paulò infra ædicula eſt, Mariæ virgini, cognomento à Grutta Sacra. Tota hæc ora maritima, à Peloro Meſſanam vſq; Euripo vicina, terræmotibus (quòd ſubterraneis vẽtorum agitationibus obnoxia ſit) frequenter percutitur.

DE ZANCLA ET MESSANA VRBIBVS.

CAPVT SECVNDVM.

A PELORO meridiem versùs, ſiue terreſtri, ſiue maritimo itinere proficiſcenti ad .p.m..12. curuum littus inſtar falcis occurrit, Brachium S. Raineri, & lingua Phari vulgò hodie appellatum. Ad huius Iſthmum, Siculi, vrbem condiderunt. & à torto loci natura (quam Zancliam eo tempore appellabant) Zanclam dixerunt. Thucyd.lib.6. Syllius &plærìq; alij, à falce quam Saturnum ibi depoſuiſſe autumant, fortuitum nomen accepiſſe contendunt. Sed Macrobius id omne fabuloſum docens, commenti tamen ingenium non improbat: quòd, cùm terra Sicula frumenti ſit feraciſsima, non abſurdè Saturni falx ibi decidiſſe conficta ſit. Hecatæus autem in ſua Europa, & Stephanus. Bizantius lib.de vrbibus, Zanclam à Zanclo gigante terrigena ibi ſupoſito denominatam ſcribit. Diodorus autem lib.5. veteres ſectatus, eam ab Orione immanis magnitudinis gigante, ac ſummæ induſtrię architecto, regnante in Sicilia Zancloto conditam, atq; ab eo cognominatam ſcribit: a quo eſt poſteà portus, iacta mole ſtructoq; aggere (quem Actin, hoc eſt, littus appellauit) in curuo ipſo ac falcato littore abſolutus eſt: cuius operis (ni fallimur) inter ædem S. Saluatoris, & turrim, quæ nauigantibus lumen præbet, ex craſsis lateribus, quadratisq; & ijs ingentibus lapidibus veſtigia adhuc cernuntur. Ea verò cum Charybidi, ne littora immanitate ſua corroderet, ab Orione iacta eſſent, perfecto opere ipſe in Eubœam inſulam profectus ibi deceſsit, atq; ab incolis ſuperſtitioſa religione imbutis inter aſtra relatus eſt: vt ex Heſiodo & Homero Diodorus refert. Fuit autem condita Zancla anno à mundi primordio. 3435. vt ſupputat Euſebius. At (vt Thucydidem ſequamur) paulò poſt eius initia, cùm Pyratæ quidam, ex Cumis inſulæ Eubœæ vrbe, in Siciliam, prædatorijs nauibus maria infeſtantes traieciſſent, viſa Zanclæ oportunitate, portusq; eius commoditate, quo ſe tutò recipere, & vndè præterfectos q̃facillimè adoriri poſſent, vrbem, pulſis, ex ea Siculis, occupauerunt, ac paruis, circa portus anguſtias, munimẽtis cõſtructis, eam ſibi ſedem delegeruut. Zanclen (lib.4. inquit pauſanias)

ab initio

ab initio prædones tenuerunt. Caſtellum enim deſerto loco, circa portum, & excurſionum maritimarum receptum, quo ex alto appellerent, munierunt. Sed cum non ſatis in ea præſidij haberēt Cumani, ex Cumis eorum patria, & Chalcide Eubœæ Metropoli incolas accerſiuerūt. Igitur Perieres Cumanus & Cratemenes Chalcidenſis ad id delectæ magnam ſuæ gentis vterq; Coloniam ducentes, eò traiecerunt, Quorum incolatu, accedentibus quoq; non paucis eò loci accolis breui, mœnibus & propugnaculis circum excitatis, in legitimæ vrbis formam coaluit. Thucyd. & Pauſan. Poſthæc Zanclæi in magnam ſpem gerēdarum rerum erecti, vt cognatorum auſpicijs, eorum potentia incrementa ſuſciperet, Chalcidenſes ex Eubœa nonnullos in Siciliam ſtruendæ alterius cuiusq; Coloniæ gratia, pellexerunt, vt ex Antiocho Strabo refert. Anthineſto itaq; duce Chalcidenſes cum compluribus Meſſenijs, á Gentilibus inuitati, Zanclam traiecerunt, ac ſubinde Zanclæorum auxilio Rhegium Brutiorum oppidum, á Siculis antiquitùs habitatum, adoriuntur, oppugnant, ac demùm capiunt, eiectisq; inde ciuibus incolunt, ſtatuuntq; vt Rheginorum deinceps Principes, è Meſſeniorum Peloponneſiacorum ſtirpe, vnde ipſi venerant, eligerentur. Proinde Zanclæorum res, ſicuti fortuna ac populo, ità & imperio per ea tempora non mediocriter adauctæ ſunt. Nam primùm Mylas, mòx Himeram in ora quam mare Tyrrhenum alluit, vrbes condiderunt. Thucyd. & Straboni: Quo tempore Euagoras Zanclæus Herculis ſignum à Crotoniate Ariſtocle factum, in Altis (quæ Olympiæ vrbs erat) muro incluſum, prope Achæorum donum, poſuit, inter maxima Priſcorum opera numerandum. Scribit idē pauſanias ſub idē tēpus Zanclæorum pueros triginta quinq;, chori magiſtrū, tibicinesq; ad feſtos ludorū dies (quos Rhegini eorū cognati ſolenni ritu de more agebāt) miſſos, in Charibdi fracta naue abſorptos, ad vnum omnes perijſſe. Quorū infœlices interitus maximo ſuorū, ac publico etiā luctu excepti, & plæriq; illis honores exhibiti sūt. Deniq; ſtatuæ magna arte à Calone ex ære elaboratę (quas paulo poſt Hippias, ex Græcię ſapiētibus vnus, elogijs decorauit) vnicuiq; eorum Altis quoq; poſitę fuerant, cum in ſcriptione: Donū id fuiſſe Zanclæorum. Olympiade deinde ſeptuageſima prima Zanclæi ſub Oenycino Schyte eorū monarcha, qui à Dario omnium æquiſsimus exiſtimatus eſt) vt Elianus lib. 8. teſtatur) ab Ionibus (quos per legatos, ad nouæ in pulchro littore vrbis condendæ conſilium, euocauerant) Samijsq; Phœnicum Medorumq; bello fractis (quos vicinorum accreſcentium inuidia Anaxilas Rheginorum tyrannus ad proditionem extimulauerat) dùm externo bello occuparētur, violati excluſiq; ab Hippocratis etiā pfida ſocietate proditi, & Regē & Vrbē, magnāq; ſuæ gentis multitudinem amiſere: De quibus & lib. 5. Politicorum. Ariſtot. Zanclæi (inquit) cum Samios recepiſſent, mox ſunt ab eis propria ciuitate eiecti. Sed nihiló fideliorem in ſe Anaxilæ amicitiam, anno ferè poſt occupationem decimo foedifragi Samij ſunt experti. Ille nanq; neſcio quo aut ſimulato odio, aut ſucceſſu hoſpitum irritatus, per Gorgum & Mantyclum Meſſenios Peloponneſiacos populares (quos ad id negocium è Græcia accerſiuerat) nouitiis ferè ad huc colonis vi edomitis, & vrbem, & libertatem, & vitā ēt plurimis ſine vlla religionis verecundia foedè eripuit. Eòq; facto, Zanclam funditus deleri, vt ne nominis quidem veſtigium ſupereſſet, mira celeritate curauit, atq; mille ab ea paſſus diſtantem nouam vrbem condidit, quam à ſua, ſociorumq; patria Meſſenam appellauit Thucyd. lib. 6. Strab. & Pauſan lib. 4. Hæc autem geſta ſunt (eodem Pauſania colligente) vndetriceſsima Olympiade, qua iterum vicit Chionis Lacon, principatum apud Athenienſes fungente Myltiade. Condita noua vrbe Mantyclus, alter ex Meſſeniæ coloniæ ducibus, Herculis templum, magnifice ſua ipſius expenſa conſtruxit, in quo erectus Hercules viſebatur: Hercules Mantyclus ab authore cognominatus, vt Pauſanias ſcribit: cuius ætate id ibi intra muros adhuc

Digitized by Google

ros adhuc fanum ſtabat. ſed hodie ſuper eius ruinis, non longè à præſulis ædibus templum Diuo Michaeli dicatum colitur. Anaxilas verò Rhegij gubernaculis Mycitho, Cheri filio, ſpectatiſsimæ fidei ſeruo commiſsis, ad nouam vrbem ampliandam totum ſe contulit, Herodot. lib. 7. Quæ quidem portus commoditate, Italiæ vicinia, Meſſeniorum incolatu, & Anaxilæ ſolicitudine, breui in pulcherrimæ vrbis formam euaſit. Cũq; eo tempore, ſingulæ Siciliæ vrbes in tyrannorum Imperium conceſsiſſent (vt lib. 4. Trogus. P. & Dion. Alicarnaſ. tradunt) ſolus Anaxilas ſumma iuſtitia ac prudentia Meſſanam moderabatur, & cum cæteris tyrannis Heroica virtute certabat. Qua fama effectum eſt, vt vndiq; ex proxima Italiæ regione, reliquaq; Sicilia ad nouam vrbem incolendam frequentiſsimè confluëretur. Anaxila autem poſt acceptam inſignem, à Therone Agrigentinorum tum tyranno victore, belli cladem, impetrataſq; iniquas pacis conditiones, domi mortuo, Mycithus qui in vniuerſam adminiſtrationem tutelarem, pupillorum nomine, ex teſtamento ſucceſſerat, prudentiſsimo fidiſsimoq; imperio effecit, vt neminem deinceps ſeruilis magis q̃ tyrannici nominis puderet. Hoc verò à pupillis, per Hieronis Syracuſani tum Regis, ſuggeſtionem, etiam abrogato, licentius viuentes adoleſcentes Principes adeò in ſe populi odium conciarunt, vt exactis tandem per vim dominis in libertatem, popularemq; Reipub. ſtatum ſe Meſſana vendicauerit. In eo porrò tantiſper ſtetit, dum Hippo, noua arrepta occaſione, recentem ei tyrannidem ipſe induxit: quo crudeliter ac diu dominante, à Timeleonte quoq; tandem expulſo, democratiæ Meſſanenſes reſtituti ſunt. Coeterum anno poſt à Zancla deleta, & Meſſana condita. 140. Olympiade. 114. & ab vrbe condita. 480. anno (vt ſupputat Euſebius) Mamertini barbarum genus hominum (vt in Pyrrho plutarchus, & in primo polybius ſcribunt) ſiue a Marte, lingua Oſcorum (qui Campani ſunt) Mamerte dicto, ſiue à Mamertio nobili Locrorum olim oppido, ità appellati, ſiue à Samo oppido, Appollinis oraculo expulſi, & in Siciliam profugi, ac per amicitiam intra Meſſanam recepti, temerato hoſpitij iure, ceſiſq; ciuibus vrbem ſibi occupauerunt: vti latius tum de his, tum de ſuperioribus rerum ſucceſsibus in hiſtorijs, ſuo loco commemorabimus. In ea verò intantum (Strabone referente) primo ingreſſu inualuerunt, vt ciuitas Mamertina, & ciues non Meſſenij (vt prius) ſed Mamertini, & eorum quoq; vinum mamertinum q̃ primum nuncuparentur. Ex hac Meſſanæ vrbis occupatione, primum ſtatim bellum Punicum inter Romanos & Charthaginenſes exortum eſt. De quo Romani conſecuta ad extremum victoria, vrbem hanc Meſſanam, quæ conſtantiſsimè eorum partibus adhæſerat, perpetua ſibi cõfœderatione ſociarunt, vt decreto, cuius in archiuo ſuo ipſi ſoli Meſſanẽſes (penes quos ſit eius rei fides) monumentum demonſtrant, in hæc verba abunde oſtẽditur. S. P. Q. R. Appio Claudio &. Q. Fabio Coſſ. Altero Meſſanam Siciliæ ciuitatem claſſe præfecto reſerante percepit: Hieronem Syracuſarum Regem, Pœnorumq; copias Hieroni coniunctas, tam celeriter ſuperauit, vt Appium Claudium Conſulem ad hanc rem gerendam potius ciuitas ſuæ virtutis admiratorem, q̃ belli ſuſciperet adiutorem. Nam rex Pœniq; vrbis non tam multitudine, q̃ animoſa nobilitate propulſi, victos prius q̃ ſeſe didicere congreſſos. Qui ante Conſulis aduentum vltra Leontinum profugi, pacem expoſcentes Romanorum gloria, Meſſanenſium virtute, propriaq; mulcta centum talenta ærario ſoluenda ſupplices impetrarunt. Ob quod ſtatuit, vrbem ipſam titulis nobilitatis extolli, alijsq; prouinciæ ciuitatibus ſacerdotes, eiuſq; ciues, Romanorum honore, Siciliæ caput illic fungi poteſtate Romana. Lapides eius à Leontino vſq; ad Fœdas extendi (Nam id ſpacium, cæteris deficientibus. Romanæ ditioni ſeruauit) Chirographum hoc Faſtis Romanis adiunctum, laudem

Ciuitatis

Ciuitatis oſtentans adſcribi, Romanamq; gratitudinem reſpondere. Approbatum eſt præſens decretum Patrum à Cn. Calatino trib.pl.poſt vrbem conditam anno quadringẽteſimo octuageſimo tertio. Remp.primo bello Punico turbante. Anno deinde ab vrbe condita.720.cum bellum Seruille in Sicilia conflatum eſſet. quod crudelius Siciliam q̃ bella Punica attriuit, ſola ciuitas Meſſana (vt author eſt Liuius) ſeruos coercuit. Quo facto per. S. P. Q. R. à vectalibus ſoluendis libertatem adepta eſt, vti patrum huiuſcemodi decreto, quod in eodem archiuo Meſſanenſes oſtendunt, meritò ſancitum eſt. S. P. Q. R. Seruio Fuluio Flaco, &, P.Calphurnio Piſone Coſſ.vrbem Meſſanam à Prouinciæ coloniæ tributis, cuiuſlibet vectigalis fixi, mobiliſq; pondere per omnia ſecula liberauit. Quia dum Siciliæ graue, formidabileq; ſeruile bellum multitudine conſpirantium inſtructa, copiarum potentiæq; magnitudine ſubiugaſſet, quod prius Romanos diſperſerat, conſulesq; terruerat, ſeruos Meſſanæ ſagaciter habitos, pace maturè frenatos, didicit. Quin vno.P.Calphurnio Conſule deſignando, luem Siculis, Po.Rom.ſtimulos, & à ſe obfuturum compar abſtulit nocumentum, atq; ſe iugi ſeruitute eripuit, vt precioſa libertate gauderet. Ex hoc enim præſens chirographum Faſtis Romanis adiunctum, laudem ciuitatis extentam decreuit adſcribi, vt gratiam meritis Romana circunſcriptio coæquaret. Approbatum eſt hoc patrum decretum ab Octauio Trib.ple.poſt vrbem conditam anno. 720. Rempub. bello ſeruili turbante. Decretorum iſtorum clariſsima monumenta, cum vetuſtate propemodum eſſent corroſa, Guilelmus huius nominis ſecundus Siciliæ Rex, Panormi in vrbe regia reſidens, ne Meſſanenſium rerum pulcherrimè geſtarum memoria deperiret à Gualterio Panormitano Archiepiſcopo, Raynaldo Syracuſio, & Ioanne Caietano Præſulibus tranſcribi ad verbum mandauit, prout eius diplomate dato Panormi anno. 1182. 4. die Maij, Regni eius anno.17.Meſſanenſes probãt. At cũ poſtmodum hec vrbs contra Senatũ populumq; Romanum rebellaſſet, Valerius Coruinus contra eam miſſus, claſſe inſtructa obſeſſam paruo negocio ſubegit. In cuius victoriæ gloriam, vrbis captę in ſe nomen tranſtulit, Valeriumq; Meſſanam ſe appellauit: vnde poſtea vnius litteræ anticheſi Meſſala vulgò eſt cognominatus, vt teſtatur Macrobius. Recuperauit tamen à ſenatu populoq; Romano iuris dicendi (vt Plutarchus in Pompeio recenſet) maximam ex antiquo inſtituto poteſtatem. Nam cum Perpenna, qui Marianas fouebat partes, Siciliam inuaſiſſet, eiuſq; motibus comprimendis, maximo apparatu Gn. Pompeius à. S. P. Q. R. legatus, rumore famaq; aduentus ſui pauidum hoſtem relicta Sicilia in fugam egiſſet, ciuitateſq; tam afflictas, q̃ quæ à ſenatu deſciuerant, clementiſsimè in gratiam recepiſſet, in Meſſanam ſolam, eò quòd omnium pertinaciſsimè aduerſas partes defendiſſet, animaduertere decreuerat, animaduertiſſetq; proculdubio, niſi allegata iuris dicendi, ex antiquis inſtitutis, à. S. Q. R. ſibi conceſſa poteſtate, iuſtitiæ conſcientia ab incepto vindicem auertiſſent. Cui cum armati etiam illud opponerent, ac velle ſe audiri deſperatius poſtulaſſent, hoc tantùm reſpondiſſe fertur Pompeius: Non definitis inſtituta recitare gladijs ſuccincti? Scribit Cicero in verrem, ab eodem Pompeio, Meſſana ad pelorum vſq; fabricatam eſſe viam, quæ Pompeia ab authore appellata ſit. Sed & alia hinc Lilybœum vſq; in Strabone via à Valerio valeria nuncupata recenſetur. Sacrariũ quoq; fuiſſe in domo Heij primarij ciuis Meſſanæ à Cicerone in verrẽ celeberrimum refert. In hoc quatuor ſigna pulcherrima viſebantur, vnũ Cupidinis marmoreum, Praxitelis opus, proximum Herculis æneum, egregiè perpolitum à Myrone. Ante hæc tabulæ erant, quæ totius ſacrarij religionem, ſtatuarumq; numerum ac nomina, cum ſuis authoribus ſignificabãt. Reliqua verò duo ſigna nõ quidẽ maxima, ſed eximię erãt & artis

& venuſtatis

Digitized by Google

& venuſtatis,quæ virginali habitu,ac veſtitu,manibus ſublatis, ſacra quædã more virginum Athenienſiũ,in capitibus repoſita ſuſtinebant,& Canephoræ vocabantur,Polycleti opera,quæ ſanè omnibus quotidie ad viſendũ patebant. Enimuero non huic modò ædificio,ſed & toti ciuitati, ſicut & ipſa Heij domus magnificentiſsima,præcipuo erant ornamento. Heij autẽ domus ea eſt (vt ipſi Meſſanenſes prædicant) quæ vetuſtate confecta à fronte Præſulis ædes ſpectat,cuius ipſum ſacrarium,de quo loquimur D.Michaeli hodie dicatũ conſpicitur. Numiſma vetus in argento affabrè excuſſum habeo,in cuius altera parte quadrigæ, cũ triumphali iugo,ac marginali inſcriptione: MESSENION, græcis expreſſa literis,ſpectantur, altera verò leporẽ exhibet.Id ab Anaxila factũ non temerè conijcio,quod & Meſſanam condiderit,& in Olympijs vicerit,& leporẽ ex Italia in Siciliã primus importauerit,vt ex Ariſtotele & Polluce retulimus.Hodie præterea duæ effigies lapideæ antiquitate mirũ in modũ corroſæ, quibus Scipionis & Annibalis imagines viuas contineri cenſent,Meſſanæ ad tẽplum maximũ oſtenduntur. Hoc quoq; inſigni virtutis merito anno ſal.407.& ab vrbe condita.1149. ciuitas Meſſana tũ pridem nobilis,inclaruit.Thedoſius Imperator Arcadiũ & Honoriũ filios, quos ætate iam ingraueſcente ex Flacilla ſuſceperat,anteq; è viuis migraret,quò Imperium eis ſe mortuo firmũ eſſet,in ſceptri ſocietatẽ adſciuerat, moriẽſq; Arcadio quidẽ Orientale,Honorio vero occidentale Imperiũ reliquerat:ipſiſq;, quòd per ætatẽ tanto oneri neutiq; ſuffecturos præuideret, tres tutores teſtamento dedit: Arcadio Ruſtinũ,Honorio Stilcontem Vandalum,Africã vero à Gildone tutelæ nomine adminiſtrari fecit.At cũ Ruffinus poſtmodùm improba regnandi libidine accenſus (vt per metum ſibi ad pupilli Imperiũ viã faceret) Alaricũ Gothorũ Regẽ ad arma contra puerũ ſollicitaſſet,Arcadius à Gothis & Bulgaris,qui ſupra Danubium ſunt,in Cephalenia terra mariq; duriſsimè obſidebatur. Huic cum alicũde, extremè periclitanti nulla auxilia cõuenirent,ſola Meſſana,re cognita, tã fraudis odio,q; adoleſcentis Principis miſericordia excita,pluriũ roſtratarũ nauium claſſem ex Siciliæ oppidis collectã in ſubſidiũ miſit. Quæ ex inopinato terga hoſtium premens maritimã primùm obſidionem,mox & terreſtrẽ fudit,fugauitq;,Archadiumq; ſolutũ cũ triumpho,ac faſcibus Imperialibus Bizantium perduxit:vbi ille expugnato Megapalatio (quo ſe cõſpiratores receperant)Ruffinũ ipſum,Conſtãtium,Caianũ,cæteroſq; ſceleris authores captos Cõſtantinopolim pertraxit, dignaſq; ante ſe pœnas dare coegit.Quo facto i huius tã egregij,ac memorabilis meriti præmiũ,Meſſana ab eo pro inſignibus crucẽ albã in rubro cãpo accepit,alijſq; muneribus,beneficijs,ac priuilegijs (quæ in hunc vſq; diem integerrimis Archadij roborata diplomatis ſeruat,oſtẽditq;) liberaliter,ac meritò donata eſt. Neq; enimuerò minus ei gloriæ ex Sarracenorũ expulſione prouenit, cuius initiũ huic potiſsimum vrbi Sicilia,tot annis fœdo gentilium Imperio vexata, & fert & feret acceptum ſemper. Cuius inſigne teſtimonium præſtitit in diplomate ſuo Rogerius ipſe Siciliæ Rex dato Panormi ipſo ſuæ Coronationis die. 15. Maij,anno ſal. 1129.in hæc verba:Nouimus itaq; narratione ſcripturaq; vetuſta pariter & moderna,quot labores & damna ſuſtinuerũt nobilis & laudanda ciuitas Meſſana, eiuſq; ciues,vt Chriſtianũ dominiũ,expulſis Agarenis, in Sicilia præfulgeret. Nam magnificũ quondã patrẽ noſtrũ ad illã capeſſendam introduxerunt, ipſum ope atq; opere promouerũt cũ maxima ſubſtantiæ, ac ſanguinis effuſione, donec in ipſius magnifici patris noſtri dominio ſecluſis infidelibus fuit tranquilla ſerenitas pacata.&c.Hanc vrbem antiquitus opulentia,ac ornatu,Romanis etiã imperantibus, ſitu,mœnibus & portu claruiſſe ex Polybij, & Ciceronis authoritate certũ ẽ.Mea verò ætate (præter illa) non parua quoq; ab ingentibus ꝓpugnaculis,populi frequentia,vrbis ad meridiem ampliatione,colliumq;, qui vrbi ad cladis periculum imminebant,deiectione,cõmendatio ſibi accreuit. Proinde ſita eſt Meſſana pro

maiori

maiori parte in planitie,ad littus maris,ortũ proſpectans,lõgior q̃ latior. Habet in conſpectu (freto vorticoſo,paruoq; eurypo interfluente) extremos Italiæ mõtes:ad quorũ radices oramq; maritimã,Rhegiũ,& Flumara de muro Calabriæ viſuntur oppida.Habet citra ipſius maris anguſtias curuũ telluris tractũ falcis(vt diximus) inſtar,longũ,ac tenuem,longitudinis vtpote paſſuũ circiter octingẽtorũ, latitudinis verò ferme centũ,ac maris interfluxu (qui portus eſt) ab vrbe mille & paulo plura.p.m.diſtantẽ,& ab eius dextera ꝓpagatũ, Brachiũ.S.Rainerij hodie, ſed ætate ſuperiori,& à.D.Hyacintho & à Lingua Phari,ac Meſſanæ appellatũ. Ea tellus cum inſtar iactæ naturæ molis propendeat,quouſq; in ſinuoſum arcũ curuata protenditur,quietũ,tutum,ſpatioſum, ac profundũ etiã ad littus ipſum efficit portũ.Nã & onerariæ,inuſitatæ etiã magnitudinis naues,tuto littori ita adhærẽt, vt nautæ altero pede littus,altero nauim ꝓpè attingant.Ingreſſus tamen ad eũ difficilis & periculoſus eſt,nec niſi perito duce prævio temerè obtinẽdus. Fretí nãq; vertigines,tũ curſus,ac recurſus,Charybdis præterea ipſa,quæ ad conuexũ curui littoris ſita eſt,ita aduerſantur,vt ſecundo etiã vento flante, nauigia portũ ingredi ſæpenumero impediantur.Ad verticẽ huius telluris curuæ templũ eſt,& Cœnobiũ ordinis. D.Baſilij illi cõiunctũ Seruatori oĩum dicatũ a Rogerio Normano Siciliæ olim Comite Meſſana capta erectũ, vt eius Diplomate dato Meſſanæ anno mundi. 6600. ſal.verò. 1090. conſtat. Quod ſubinde Rogerius Rex eius filius nobiliori, ac ampliori ſtructura formaq; a fundamentis inſtaurauit, pluribuſq; opibus,prædijs, ac tẽplis, & abbatijs ditauit,Archimãdritatuſq; titulo græcorũ more inſigniuit,vt eius diplomate dato anno mũdi. 6641. & altero dato Meſſanæ menſe Feb.anno mũdi. 6642. liquet.At ætate mea a Carolo Quinto Cæſare,ad vrbis & Regni tuitionẽ. Arx ibi munitiſsima, & ingentibus propugnaculis circumſepta,monacis intra vrbis mœnia ad tẽplũ.D.Marię à miſericordia remiſſis,inſigni opere cõdita eſt ab ipſo vertice ad huius vſq; Brachij cõuexũ (vbi turris ad nocturnũ nauigantibus lumen extribuendũ anno ſal.1556.ex quadratis lapidibus, affabre reſtaurata eſt) paſsim ad littora, moles ex ingẽtibus lapidibus, & craſsis lateribus cõpacta, vetuſtiſsima quidẽ hucuſq; viſitur, quam Orionis opus eſſe(cuius lib.5.meminit Diodorus)veriſimile ẽ. In hoc curuo littore,ſal ex aquis marinis ſole deſiccatis,in ſcrobibus gignitur,odorẽ violaceũ habens. Ad Iſthmũ eiuſdẽ curui littoris,arenæ & glareæ (quæ natura diuiſæ ſunt) freti vnctuoſo humore conglutinante,paulatim ſibi cohærent,ac lapideſcũt. A Septentrione Meſſana ad.p.m.12.Pelorũ habet promontoriũ,& Euripi fauces, Ab occaſu verò contínuis collibus,& montiũ iugis clauditur,& Mamertinis vinetis nobilitatur. Tritico caret,frumentiq; rariſsimã habet meſſem,eò quòd mõtibus & pelago cingitur. Verùm quia nemoribus & mororũ folijs,quibus enutriti vermiculi ſericũ faciũt,ſatis abũdat,tota eius & circũiacẽtis regionis ſeges lanæ ſericæ eſt. Hæc vrbs trãſeũtibus ex Italia in Siciliã nauigijs prima poſt traiectũ occurrit. Quocirca cũ ad Siciliã inuadẽdã aptiſsima ſit,Carolus Quintus Cæſar Siciliæ Rex,cũ anno ſal. 1535.mẽſe Nouẽ.poſt expugnatũ Tunetũ, eã inuiſeret,reſtitutis aggeribus,mœnibus, ꝓpugnaculisq;,ac nouis cõpluribus,ad iuſtã altitudinem, firmiſsimè circunquaq; excitatis munitiſsimã reddidit.Meſſanẽſes quoq; ipſi,qui antè, aquarũ vſu, quas ex puteis,aut fontibus exiguis hauriebãt,ſuſtẽtabãtur, ætate hac mea, aquã à Cãmari pago,qui duobus fermè.p.m.ad meridiem ab vrbe diſtat, perfoſsis duobus mõtibus,per ſubterraneos,& eos ampliſsimos cuniculos in vrbem affluentiſsimè adducũt.Sed & marmoream pilam, qua ipſa aqua in vrbem emittitur,egregio ſanè ſpectaculo, imaginum Orionis & quatuor fluuiorum, qui humanam formam exprimunt: Nili Sphyngi cubito innixi, Tyberis lupam cum infantibus ſuſtentantis, Iberi, & ipſius Cãmaris cũ ſuis inſignibus nobilitatam, affabre quidem, Ioannis Angeli Florentini opus, in area ædis maximæ anno ſal. 1554. poſuerunt

fuerunt. Fontem quoq; aliũ Zancloto regi portentoſæ ſtaturæ, Scyllæ &. Charybdis complexibus ad crura implicito, marmoreis etiam ſimulacris in foro maritimo, anno ſalutis. 1556. excitarunt. Aedes quoq; Meſſana complures habet, tum ſacras, tum profanas, easq; magnificas. Sed inter ſacras, ea, quæ à Meſſanenſibus condita Diuæ Mariæ colitur, pulcherrima eſt, & quo ad interiorem cultum cuicunq; Italicæ non temerè comparanda. Eſt & alia ibi ædis Diuo Nicolao ſacra, intra Archiepiſcopi ædes à Rogerio Normanno Siciliæ Comite extructa, ac Epiſcopatu à Troyna cò translato ab eodem inſignita: vt eius diplomate dato. 1080. menſe Iulio, conſtat. Cuius hęc ſunt verba. Cum ego Rogerius comes Calabrię & Sicilię eſſem in ciuitate Meſſana, venit ad me Robertus Meſſanenſium Epiſcopus obſecrans & petens à me, vt darem illi terras ad operandum circa ciuitatem Troynę, quarum auxilio tam ipſe, q̃ clerici ſui ſeruientes eccleſię, ſuſtentari poſſent. Ego vero quoniam ſemper in animo meo propoſueram eccleſiam Meſſanę magnis poſſeſsionibus ampliare, multisq; donis, ac oblationibus ditare, eo quod eum poſt acquiſitionem Sicilię, translata ſede Epiſcopatus à Troyna in Meſſanam, primum Epiſcopum erexerã, prędicti Epiſcopi Roberti precibus aures inclinaui. Et quę ſequuntur. Hinc nonnulli Meſſanenſes Epiſcopi, non ſuo ſolum titulo vtebantur ſed Troynenſes quoq; ſeſe Antiſtites nominabant, quemadmodũ in pleriſq; diplomatis legimus, quos ſub Rogerio deinde Rege ĩ erectionis cephaledenſis Epiſcopatus, & Archimandritatus Diui Saluatoris priuilegijs, Archiepiſcopos fuiſſe conſtat. Numiſmata in æs, argentum atq; aurum nullibi hodie in Sicilia, niſi Meſſanæ, regio conceſſu cuduntur. Tulit & Meſſana complures viros in omni genere ſcientiarum illuſtres.

Dicæarchus auditor Ariſtotelis celeberrimus Peripateticus, Geometra, & orator eloquentiſsimus Meſſanę natus eſt, vt teſtatur Laertius. Hic leges & decreta Meſſanẽſibus edidit. Lacedemonijs quoq; Politiam ſcripſit: quam ſingulis annis, ſtatuto perpetuo, repetendam, ſub mulcta, illis edixit. In Philoſophia quoq; compoſuit volumina. Græciæ mores, & Peloponneſi ſitum tribus voluminibus expreſsit. Huius clariſsimi Philoſophi in libris Dypnoſophiſtarum. pluries meminit Athenęus. Ariſtocles etiam Peripateticus, qui in naturali Philoſophia decem, & in morali totidem volumina ſcripſit, ac vter, Homeruſne an Plato doctrina pręſtaret, doctiſsimè diſſeruit, Meſſanenſis fuit. Suidę & Laertio. Licus quoq;, qui plures de Lybia & Sicilia libros edidit (teſte Laertio) Meſſanę ortus eſt. Lupus Poeta ille inſignis, cuius in libris de Ponto meminit Ouidius, qui de Perſeo & raptu Helenę carminibus hiſtoriam contexuit, Meſſanę ortus ſui principium debet.

Ibycus Hiſtoricus, & lyricus Poeta, vnus ex vniuerſę Gręcię lyricis, Meſſanę (teſte Laertio) natus eſt. Hic plura lingua Dorica edidit volumina, & ſambucam inſtrumentum muſicum, quod duabus in longum extenſis cordis profundum & tremebundum reddit ſonum, primus inuenit. Huius poẽma maximè laſciuum fuiſſe Tuſcul. lib. 4. teſtatur Cicero. Hic (authore Plutarcho in libro de facili loquacitate, & Auſonio lib. de monoſyllabis) cum in latrones incidiſſet, iamiam iugulum ſicis prębiturus, grues fortè ſuperuolantes cõſpicatus, ſaltem vos (inquit) meę mortis teſtes, & vltrices eſtote. Quo interfecto, aliquanto pòſt tempore, cũ ijdem latrones in theatro ſederent, ſpectaculo intenti, grues forte rurſum in aere prętеruolantes conſpexere, ac per iocum inter ſe in aurem ſuſurrarunt: en grues Ibyci. Quę verba cum pleriq; ex aſsidentibus audiſſent (quia iam pridem vulgata Ibyci morte, interfector ignorabatur) ſcelus ſuſpicati, vrbis Prętecto auricularem illorum ſermonẽ mox aperuerunt. A quo & illi vocati, interrogatiq; quidnam ea ſibi voluiſſet oratio, cũ hæſitanter atq; cunctanter reſpondiſſent, tormẽtis coacti, crimen ſunt cõfeſsi: Ita latrones gruũ indicio pœnas Ibico penderũt, perierũtq;.

Digitized by Google

Fuit & Euhemerus antiquus Hiſtoricus Meſſanenſis. De quo Firmius Lactantius de falſa relig. cap. 11. libro. 1. Res geſtas (inquit) Iouis, & cæterorum, qui Dij putantur, Euhemerus Meſſanenſis, qui in Sicilia natus eſt, collegit, hiſtoriamq; contexuit, ex titulis & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſsimis templis habebantur, maximeq; in fano Triphylæ Ionis, vbi auream columnam poſitam eſſe ab ipſo Ioue titulus indicabat. In qua columna geſta ſua perſcripſit, vt monumenta eſſent poſteris rerum ſuarum. Hanc Hiſtoriam Euhemeri interpretatus eſt Ennius, & ſecutus.

FVIT præterea Meſſanæ patrum noſtrorum memoria Cola piſcis, ſed Catanæ ortus, vir cunctis ſeculis admirandus, qui omnem ferè vitam relicta humana ſocietate, ſolitariam in freto Meſſanenſi, inter piſces peregit, adeò vt, quòd diu extra maris aquas eſſe non pateretur, Piſcis cognomentum adeptus ſit. Is plura hominibus naturæ abdita atq; ignota, de ipſo illo freto aperuit: cum veluti marinum animal, maxima eius profunda ſpaciaq; immenſa, etiam fœda tempeſtate reluctantibus aquis, natatu peragraret: quæ à me licet diligenter perquiſita Meſſanenſium nullus vnq̃ perdocuit. Cum itaq; hunc multos annos tanq̃ prodigium quoddam Meſſanenſes mirarentur, præcipuo quodam, ſolenniq; feſto die in fretum, ſpectante populo, patera aurea à Frederico Siciliæ tum rege eo præſente in mare deijcitur, quam Colæ inquirendam commendat. Ille cum tertiò (poſtq̃ ſemel atq; iterum eam è profundiſſimo vado eruiſſet) à Rege proiectam in mare merſus per imam fundi aream indagat, diu à rege, cæteraq; multitudine expectatus ad viuos nunq̃ emerſit. Suſpicatum eſt, in concauas freti cauernas prolapſum, atq; inundantibus vndiq; aquis oppreſſum interiſſe. Ita nimirum ducta per manus fama Meſſanenſes prædicant, & plures primi nominis authores de illo ſcribunt. At ſi quis quærat: quanam vi naturæ Cola tandiu ſub aquis, abſq; reſpiratione contineri potuerit, cenſendum eſt, fungoſos maxime, concauosq; ei fuiſſe pulmones. Animantia nanq; illa, quæ huiuſcemodi ſunt pulmonis, frequentiori anhelitus remiſsione non egent, quòd ſemel attractus aer diu conſeruetur, diutiusq; ob id ſub aquis eſſe poſsint, vt author eſt in libro de Reſpirat. Ariſtoteles. Ioannes Gattus quoq; ordinis Prædicatorum, anno ſalutis. 1440. Meſſanæ oritur. Fuit is Dialecticus, Philoſophus & Theologus nemini impar, mathematicus etiam non obſcurus. Docuit ære publico Florentiæ, Bononiæ, & diutius Ferrariæ. Is literarum græcarum auiditate in Græciam profectus, cum breuiſſimo temporis ſpacio eam percalluiſſet, Romam reuerſus eſt: vbi Biſſarionis Cardinalis Niceni auſpicio primum Alyenſis Abbas, mox Cephaledenſis Epiſcopus, ac demùm Catanenſis Præſul ſufficitur. Tanta fuit in hoc homine & diſcendi, & retinendi vis, vt admirationi omnibus ſemper fuerit. Nam quicquid perlegebat ſemel atq; iterum, id fœliciſsimè fideliſsimeq; animo imprimebat, proferebatq;. Venit in patriam tandem Epiſcopatus Catanenſis repulſam paſſus: vbi in morbum prolapſus, delatusq; in ædem Diui Dominici, in qua ſacris religionis ſimul & doctrinæ fuerat initiatus, febris atrocitate confectus, ſummum vitæ diem clauſit, publicoq; luctu, ac funere in æde Pontificali Diuæ Mariæ humatus eſt. Extant eius orationes aliquot coram Romanis Pontificibus habitæ, varia eruditione refertæ, ac mira arte elaboratæ.

Nobilitatur hodie Meſſana Ioanne Andrea Mercurio, ciue & Archiepiſcopo. ac ſãctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali digniſsimo. Sed ad deſcriptionẽ redeamus. Meſſana meridiem verſus egredienti ſtatim via regia recto quinq; paſſuum milium tractu occurrit, ita continuis ædificijs & colonis frequens, vt non ſuburbium, ſed vrbs ipſa intra pomœria ad quinq; paſſuum millia protendi videatur, pagis ea diſcriminatur, quos vulgo Furias media producta Meſſanenſes

Digitized by Google

nenſes hodie appellant. Eorum autem hæc diſtincta ſunt nomina: Cammaris, Burdunarus, vbi Abbatia Diuæ Mariæ eiuſdem cognominis dicata eſt. Sanctus Philippus à magno cognominatus, vbi & ſui nominis eſt Abbatia: Imminet huic pago mons Dimmaris nomine ad p. m. 2. cuius vertex in mare Tyrrhenum & Adriaticum eſt ſpecula. Cumia, Ardaria, Milis, vbi eiuſdem appellationis eſt Abbatia Ordinis Sancti Baſilij, à Rogerio Siciliæ comite olim erecta & dotata, vt eius priuilegio conſtat, Galatis, Sanctus Stephanus, Pozulus, Brica, Zampilerius, Annunciata, Scala, Zaëra, Gazis, Contiſſa, Caliſpera, Piſtumna & Roccamatoris, vbi alia eſt Abbatia pagi nomen communicans, anno. 1197. ex conſenſu Henrici ſexti Cæſaris, Siciliæ tum Regis, & Conſtantiæ Reginæ eius vxoris à Bartholomæo de luce, Paternionis eo tempore Comite, à fundamentis excitata. Poſt pagos à Meſſana. 12. p. m. ſequitur Scaletta oppidulum mari imminens, cui vicinum eſt monaſterium, Diuo Placito ordinis Diui Benedicti, Canonicorum aliquot Meſſanenſium beneficentia, collatis in fabricam expenſis, dedicatum. Huic proxima Itâla, quam media quoq; producta proferunt: vbi Sanctorum Petri & Pauli extat Abbatia, Diui Baſilij ordinis, à Rogerio Siciliæ Comite anno ab orbe condito. 6601. Decembri menſe ædificata, vt in eius diplomate legitur. Succedit inde Aly oppidulum, vino eiuſdem nominis celebre. Tota hæc ora à læua freto alluitur, à dextera verò continuis collibus & montibus cingitur, & vinetis Mamertinis decoratur. Surgit & inter colles Neptunius mons, Solino, Spreuerius hodiè nominatus, celſiſsimus, qui non modò ad vtrunq; mare, nimirum Adriaticum & Tyrrhenum eſt ſpecula, ſed ad verticem, hiatum etiam profundiſſimum habet, vnde maxima ventorum vis continuè efflat. Dioniſij fl. oſtium poſt Aly occurrit, Niſi vulgo dicti, cui, quòd inter rapidi torrentis arenas ramenta auri perpetuo fluunt, Chryſothoas apud græcos dicitur. Oritur hic, ex pluribus fontibus, qui è collibus vicinis ſcaturiunt. Ad eius verticem Niſa eſt oppidulum, quod ab Athenienſibus expugnari non potuiſſe lib. 3. refert Thucydides. De quo & Ouidius videtur locutus eo verſu: Niſiades matres, Sicilideſq; nurus. Id tamen (cum certi nihil habeam) nec refellere audeo, nec affirmare. In collibus huic oræ imminentibus, non longè à Niſa Minêra eſt auro & argento nobilis: vbi ſpecus, & caueæ in rupibus exciſæ adhuc viſuntur, in quibus veteres auri & argenti fodinas exercebant. Effoditur quoq; in eiſdem collibus alumen, ferrum & Porphyreticus lapis, alumen tamen in maiori copia. Fluuij Sauocæ oſtium. 3. poſt. p. m. ſtatim Niſi flumini ſuccedit, atq; è proximis montibus dilabitur, habetq; capiti ſuo ex edito colle impendentem Sauocam, recens oppidum, vnde nomen mutuat, quod ab ora. p. m. 3. refugit, quingentis, pluſminus, abhinc annis, ex pluribus Sarracenorum pagis, cum arce Pentefur à Rogerio Siciliæ Comite conditum, ac cœnobio Saluatoris Meſſanenſis, eiusq; Archimandritæ addictum. Vinum Sauocenſe tota hac ora habetur nobiliſsimum. Sauocæ contermina ſunt, Limina, Caſale vetus, Mandanichius (vbi Sanctæ Mariæ eiuſdem cognominis eſt Abbatia, à Rogerio Siciliæ comite anno à condito mundo. 6608. extructa) Locades, Guidimandrus, & Paglarus, parua ſanè & ſupra fretum ſita oppidula, ſimul & Fortia: vbi ſanctorum Petri & Pauli de agro ordinis Diui Baſilij eſt Abbatia, ab eodem Rogerio Siciliæ Comite erecta, vt eius priuilegio liquet. A fl. Sauocæ mille & quingẽtis paſsibus, à Meſſana verò. 24. p. m. Argenũ promõtoriũ ſequitur Ptolemæo, Caput S. Alexij hodie appellatum: vbi arx ſpecula, cui in collibus incubat eiuſdem nominis oppidulum. Argeno promontorio, ad tria. p. m. Mumuffi fl. oſtiũ patet: vbi Pelagius eſt ſinus, à S. Nicolao nomẽ habens: in cuius rupibus lapidis variegati eſt fodina, apud veteres nobiliſsimi, quẽ Taurome-

Digitized by Google

nitem appellat Athenæus. Oritur Muniuffus amnis, à montibus illi prominenti bus: ad cuius fontem, ab ora .p.m.3. diſsitum eiuſdem nominis eſt oppidulum. Tota vallis, quã hic fluuius & irrigat & alluit, platanis abundat, ſuprà deinde ſunt Calidorus & Gaggus pagi Tauromenitani, Fretum itaq; à Pelori faucibus incipiens huc vsq; extenditur & terminatur. Nam paruo primùm, mox diffuſiori maris ſpacio aperientibus ſese maris anguſtijs, ad læuam Brutios & Rheginos agros, Calabros hodiè dictos, & demum Zephyrium promontorium ſpartiuentum hac ætate appellatum habet, ad dextram Pelorum, Meſſanam, eiusq; pagos & imminentes colles oppidulis, (vt oſtendi) frequentibus & vino nobiles. His ſuccedunt deinde ea loca, in quæ à Charybdi abſorpta & à mari diſſoluta, velut in terminum reuomuntur: eaq; ratione hoc littus Tauromenitanum Copriam Græci dixerunt, quod fimus ſiue purgamentum eſt latinis. Sed fretum deinceps lato atq; immenſo Adriatici atq; Ionij maris curſu diffunditur.

DE TAVROMENIO ET NAXO VRBIBVS.

CAPVT TERTIVM.

TAVROMENIVM vrbs poſt Argenum promontorium p.m. 6. ſed poſt ſinum .S. Nicolai .3. poſt Meſſanam vero .30. arduo in monte, & difficili aſcenſu (cui Tauro olim nomen erat) ſita ſubſequitur. Author eſt lib. 16. Diodorus. Eſt autem mons ipſe, Appiano Alex. lib. 5. tradẽte, & rei vſu aſperrimus, acutiſsimosq; habens lapides. Vrbs verò medijs ĩ rupibus, partim ad mare vergẽtibus partim cœlũ ipsũ cõtingẽtibus ĩ montiũ angulo eſt cõdita. Aſpectu ſiquidem, quo in Eoum tendit inferiùs interciſas & præruptas habet rupes, in mare ſuperũ longè latèq; ,pſpicẽtes, ſuperiùs verò altiſsimas alpes, ad quarum angulum ſita eſt. Ad verticem Alpium extat arx, & oppidulum Mola nomine, tota Sicilia notiſsimum, quòd ſceleſtorum hominum, damnatorumq; eò frequens ſit relegatio, vetuſtum ſanè & ex pugnatu difficilimum & mœnibus circunſeptum, cuius ſitus per ſe nullis etiam mœnibus roboratus munitiſsimæ arcis vicẽ tueatur Circũquaq; latera habet tutiſsima, vel ex eo, quòd vicina ei loca in præceps labentia, nulli ſunt ſubiecta. Subeſt autem ei arx Tauromenij inferior eo modo, vt lapidibus ex Mola deuolutis facillimè obrui queat. Inter has duas arces Turris Maluicinum appellata à Ludouico Rege ad arcis inferioris frenandos temerarios auſus à fundamentis fuit erecta. Tauromenium verò conditum fuit ab Andromacho Timæi Hiſtorici patre ex reliquijs Naxi, Græcorum in Sicilia vrbis vetuſtiſsimæ, à Dioniſio iuniori Syracuſarum tyranno deletæ, vnde conditor ipſe erat oriundus, vt lib .16. ſcribit Diodorus, cuius hæc ſunt verba: Eodem fermè tempore (Dionisij vt pote iunioris) Andromachus Tauromenienſis Timæi Hiſtorici pater, opibus, animoq; plurimùm excellens, in vnum congregatis his, qui fuerant reliquiæ ab excidio Naxi dirutæ à Dioniſio, collem vrbi vicinum, qui Taurus nũcupabatur, à Tauri nimirùm forma, ad multùm temporis inhabitauit, & à diutina ſua manſione in Tauro, Tauromenium locum appellauit, breuiq; auctis oppidi rebus factum eſt, vt incolæ opulenti & locus honoratus redderetur. Noſtra tandem ætate (Cæſare vt pote Iulio adijciente animum ad Tauromenienſium incrementa) Romanorum Colonia illuc deducta eſt: huc vsq; Diodorus. Dicta eſt igitur Tauromeniũ quaſi Tauri fortitudo, Nã mènos græcè fortitu-

fortitudo, ſiue robur eſt latinè: vnde & vrbium muri mœnia ſunt appellati. Quod de Tauro viro & Mena vxore Tauromenitani ex vita Diui Pancratij referũt fabuloſum eſt. Erat primis temporibus Tauromenium paruum oppidum (vt Plutarchus in Timoleonte refert) ſed poſtq̃ cũ Rep. Romana cõfœderata, Romanorumq; eò colonia deducta eſt (vt in Verrem ſcribit Cicero) maxima ſuccepit incrementa. In ea enim vrbis veteris parte, quæ adhuc extat, priſcorum monumentorum reliquiæ plures visuntur. In prima ſiquidem anguli rupe orientem versùs, vbi collis conſpicuus ſurgit, anteq̃ ex Meſſana vrbem ingrediaris, lateritium ac coctile Theatrum, magna ſui parte integrum occurrit, quod ab eo, quod Romæ Coliſæum vulgus vocat, operis magnificentia facilè ſecundum iudicaueris. Ex tant quoq; ſubterraneæ ciſternæ duæ teſtudinatæ: quarum altera octo quadratis, ſed cemẽtitijs ſubnixa columnis, altera vero proſtrata cernitur, vtraq; mirabili ſtructura compactæ. Aquæductus etiam veteres ibidem conſpiciuntur. præterea nonnihil infra vrbem veſtigia templi Apollinis Archegeti (vt ex verbis Appiani Allexandrini licet colligere) & ſepulchra complura, ac pleraq; alia ſunt vetuſtatis indicia. Sed euenit in hac vrbe, quod & in cæteris vrbibus antiquis euenire ſolet, vt quidem reliquiæ ac monumenta quædam priſcorum operum aſpiciantur, ſed ita vetuſtate conſumpta, vt vel cuius figuræ, vel ad quẽvſum fabricata fuerint, nemo q̃uis perſpicaciſsimus indagator queat agnoſcere. In hac vrbe, ſubiectisq; ei agris, ſæpe numiſmata, nõ in ære tantũ, ſed in argento quoq; atq; auro aſſabrè excuſa græcis, latinisq; nominibus inſcripta paſsim effodiuntur. Tauromenium ætate Diui Gregorij Pontificis Epiſcopali dignitate erat ornata, vt in eius Regiſtro, vt vocant, legimus. hodie verò Archiepiſcopo Meſſanenſi ſubeſt. Extra vrbem, ad occidentem, prò mœnibus fons eſt, cui mea ætate Xiphonio nomen inhæret, qui vrbem ipſam valle ingenti præterlabitur, & influit. Ager Tauromenitanus cannæ mellitæ, & vini apud veteres (teſte Plinio) celebratiſsimi, quod in epulis pro Mamertino etiam ſupponi ſolebat, feraciſsimus eſt. Colles vitem & vuam Eugeniam miræ generoſitatis (vt lib. 24. ca. 2. Plinius refert) priſca ætate gignebant: quæ, quoniam proprio ſolo delectatur, feruenti vt pote ac calido, Romanis florentibus Albano tantum agro miſſa ſuccreuit, In cæteris verò vel aceſcebat, vel ſuauitatem amittebat. Mare Tauromenitanum opulenta piſcium captura inſigne eſt, mullorum præſertim copia, quos græcis trichias, barbatos Plinio, & Ciceroni Barbatulos appellari, idq; qua ratione ſupra commemorauimus. Tauromenio deſcendentibus littus primum, deinde ad duo ferè .p.m. campeſtris occurrit ager, Tauromenitanus hodiè appellatus, ad dexteram habens Aetnæ montis radices valle ingenti & perpetuo flumine ab Alpibus Tauromenitanis diremptas: ad ſiniſtram verò littoralem oram, in qua Cherſoneſus ſiue terrę eſt augulus in mare promiſsus .2. p. m. ab vrbe recedens, vbi arx eſt hodie Schixon nominata: quo loco vetuſtiſsima olim Naxus erat, à Chalcidenſibus Eubœæ inſulæ prima omnium inter græcas condita, prout in hæc verba lib. 6. Thucydides: Græcorum (inquit) primi Chalcidenſes ex Eubœa Siciliam tranſeuntes, cum Theocle illius deductore Coloniæ Naxum incoluerunt, & aram Apollinis Archegeti, quæ nunc extra vrbem viſitur, conſtruxerunt. hæc Thucydides. Strabo verò, licet non rectè inter Catanam & Syacuſas eam poſuerit, à Chalcidenſibus tamen conditam, & primam in Sicilia Græcarum vrbium fuiſſe, Authoritate Ephori, lib. 6. contendit. Eius hæc ſunt verba: Theoclem Athenienſem Ephorus dicit ventis agitatum Siciliam contemplatum fuiſſe, intellectaq; mortalium ſolitudine, ac terræ virtute, remeaſſe. Is cùm Athenienſes inducere nequiret, acceptis Chalcidenſibus Eubœę magno numero, Ionibusq; nõnullis & Doriẽſibus, magna ex parte Megarenſibus, eò nauigauit. Ex his igitur Calcidenſes Naxum

 condiderunt.

Digitized by Google

condiderunt. Huc vsq; Strabo. Naxus (lib. 6. inquit Pausan.) ciuitas in Sicilia condita est. Eoporrò tempore id cõtigit, quo (teste Aristotele) Hippobotæ id est equorum domitores, siue equites Remp. Chalcidensem administrabant. Qui enim præerant, viri principes erant, & ex magnis censibus optimates habiti. Atq; adeò eum annũ ab orbe condito quater millesimũ, quadragentesimũ quinquagesimũ tertiũ Eusebius supputat. In ara aũt Appollinis Archageti, quã & eodem ibi anno extra mœnia Theocles erexit, Græci, anteq̃ è Sicilia soluerẽt sacra facere, & euentuum futurorũ oracula exposcere consueuerant. Thucydidi lib. 6. Archagetes (lib. 5. inquit Appianus) ex Apollinis censetur simulacris, quod primum græci sacrum statuêre in Siciliam transfretantes. Græcis vero regem sonat seu Principem, qui titulus à superstitiosa gentilitate Apollini pluribus nominibus indebatur, quæ Poetis q̃ historicis sunt notiora. Extra Naxum Veneris quoq; templum fuisse religiosissimum idem Appianus scribit. Enimuero breui intantum hæc vrbs coaluit, vt paulò post initia nouitij fere adhuc coloni Catanam, Leontinum, & Calipolim vrbes in Sicilia celeberrimas condiderint, vt Thucydidi & Straboni credimus. Cæterum cùm postmodum Hiero senior Syracusarum Rex qui Geloni successit, minus in Naxijs, quibus dominabatur, cõfideret, & vt ad necessitates imminentes subsidia paratissima haberet, vrbem Chalcidensibus omnibus nudatam (vt lib. 11. tradit Diodorus) græcis quos ex Peloponneso acciuerat, & Syracusanis repleuit. Naxios verò patria eiectos in Leontinos trãscripsit, vt cum illis Leontinum vrbem incolerent. Aliquot deinde post annos à Dionisio iuniori, quòd ab eo ob tyrannidis offensionem meritò desciuissẽt, funditus tota vrbs vna cum Andromacho viro Principe extincta ac deleta est, vt Diodorus, Plutarchus, & Pausanias memorant: cuius quidem idem Pausanias lib. 6. scribit ne ruinarum vel fragmenta sua ætate superfuisse. Hodie vero eius fundamenta ac quædam, loco, cui adhuc Strages est nomen, obruta & ea stupenda vestigia ac sepulchra pleraq; ex quadratis lapidibus cernuntur. Hinc & accolæ, cum in eo agro ad domus pastorales construendas fundamenta effodiunt, frequẽter in monumenta iacentis vrbis ac velut sepulti quædam admiranda cadaueris ossa, lapidesq; quadratos incidunt. Euersæ (vt dixi) Tauromenium non nulla translatione ab Andromacho in mõte suffecta est: Quod & lib. 3. Plinius testatur: Colonia (inquiens) Tauromenium, quæ ante fuit Naxos. Peloritana ora (ait Solinus) habitatur Colonia Tauromenitana, quam prisci Naxum vocabãt. Ager Naxius (qui & planities Tauromenitana hodie dicitur, cuius & feracitas nota est) cùm magna ex parte campestris sit & latissimus, frequentibus fluuijs, & niuibus hybernis, multo solis ardore colliquatis, ex Aetna dilapsis, contumescit, & passim in Paludes abit, ac continentibus aquis, cœnosa illuuie & vapore humido campi nõ modo offenduntur, sed & aërem insalubrem reddunt. Cuius intolerabili inclementia Naxij primi conditores transmigrare, & Catanam vrbem condere sunt compulsi. Habuit & hæc vrbs suos viros illustres. Inter quos libro .6. Pausan. Tisandrum Cleocriti filium recenset: qui in Olympia quater, totiesq; in Pythicis certaminibus victor euasit, fateturq; Pausanias eius fama ac celebritate Naxi vrbis nomen ad se peruenisse, cùm sua tempestate ne ipsa quidem eius rudera decernerentur. Timæus quoq; Historicus Andromachi filius Tauromenitanus fuit, qui & Epithimei agnomen promeruit, ob id, quòd lacessendo, insultandoq; nõ Platoni, non Aristoteli, non Thucydidi, neq; alteri cuiq̃ vel historico vel Philosopho parceret: vt Plutarchus in Nicia refert. De eo, in libro de Oratore in hunc modum sentit Cicero: Post Callistenem (inquit) Timæus longè eruditissimus & rerum copia, & sententiarum varietate abundantissimus, & ipsa compositione verborum non impolitus magnam eloquentiam ad scribendum attulit, sed nullum vsum forensem. Hæc

Digitized by Google

ſem. Hæc Cicero. Hic (teſte Suida) Rethoricæ facultatis argumenta q̃ plurimùm neceſſaria, literis commendauit. Scripſit libros viginti de Rebus in Sicilia & Italia geſtis: quod opus hodiè græcum tantummodò habetur, licet nondum ad manus meas peruenerit. Scripſit & bellum Thebanum, vt in epiſtola quadam ad Luceium teſtatur Cicero, vixitq; annos. 96. Poſt Naxum, ſiue arcem Schixon Aceſinis amnis oſtium (Thucyd. lib. 4.) tertio miliario ſequitur: quê Aſinem lib. 3. Plin. Onabalam lib. 5. Appian. appellat, Alcantara Saracenice hodie, à ponte, ad illius traiectum olim conſtructo, apud nos vocatum. Ad ortum radices Aetnæ lambit. Oritur autem ſupra Randatium, à fonte, cui Salaciazo hodie nomen eſt, in collium iugis, inter Caſtanîam & Randatium erumpente. Inde igitur dilapſus Randatij muros alluit, ſtatimq; fluuio Rocellæ & fontibus Moijs auctus, Francauillæ miſcetur amni, ac deinde vallem ingentem ſcindit, ad dexteram Aetnæ radices, Caſtrumleonis, Francauillam, & Caltabianum oppida, ad ſiniſtram vero Mottam Camaſtri (cuius fl. augetur) & Tauromenitanos habens colles, numeroſaq; platanorum ſylua vtranq; eius ripam adumbrante, & maximam vallis partem occupante, Naxium agrum ſiue Tauromenitanum totum irrigat, feraciſsimumq; reddit, atq; Alcantaræ nomen recipiens mare demùm influit. Poſt Alcantaram ad mille paſſus Acidis fl. oſtium occurrit, apud veteres celebratiſsimi, quod flumen frigidum à mirabili eius aquæ frigiditate hodie dicitur. Ortum habet ad radices montis Aetnæ, vnico miliari à mari recedentem: Rapidiſsimo curſu incedit, vt Theocritus, cœteriq; vetuſtiores ſcribunt, & rei vſus oſtendit. Acis (inquit Euſtathius) Siciliæ amnis eſt, qui ex Aetna teli impetu decurrit, Acis etenim græcis eſt ſagitta. Itaq; à celeritate, qua defluit, nominatur. Herbiferum eum lib. faſt. 4. Ouid. vocat, & nos ità eſſe experimur. Quod autem ab Aci puero (quem amatum à Galathea Zelotypus Polyphemus occidit, quemq; poſteà Neptunus miſeratione motus in fontem ac flumen ſui nominis conuertit) appellationem acceperit, & ex eius ripis Cyclops Polyphemus ſaxa in vlyſſem cõiecerit (vt Homer. Odyſſ. lib. 9. & 3. Aeneid. Verg. ac cœteri Poëtæ ſcribunt) poëticum ac fabuloſum eſt. Id porro & Solinus & vſus teſtatur, quod tametſi Aetna incendijs ac calore celeberrimo monte demittatur, frigidiſsimam tamen aquam egerit, nec eo nomine à quoq̃ alio vsq̃ flumine anteuertitur. Ora, quæ ei proxima eſt, agrum habet Maſcalim, ab oppidulo eiuſdem nominis, ad radices Aetnæ ſito, (quod ætate ſuperiori regium & ad delitias factum vicum in noſtris Annalibus, ſed priſco tempore Aetnam vrbem fuiſſe legimus) nuncupatum. A quo non ità procul ſinus abeſt, à S. Thecla, cui ædicula ibi ſacra eſt, cognominatus: & deinde Xiphonium promontorium, Straboni. Caput Molendinorum hodie nominatum, Cæſaris, bellorum ciuilium tempore, frequenti acceſſu nobile, Appiano. Deinceps tres Scopuli à littore centum fermè paſsibus ſeiuncti ſunt: quos Cyclopum ſcopulos Plin. lib. 3. Fariglunos verò nos hodie vocitamus. Eos arx ſequitur, cui Acis quidem nomen eſt, in ſcopulo vndiq; præciſo, quem mare alluit, ſita: & eiuſdem nominis Pagi complures, parum à mari recedentes Vinetis, hortis, & aquis amœniſsimi. Quinq; deinde ad paſſuum milia paruorum nauigiorum eſt ſinus, qui ætate ſuperiori Ongia, ſed hodie lognina appellatur: vide ne ſit Engium: vbi & templum eiuſdem nominis ſpectatur Diuæ Mariæ ſacrum. A quo paſsibus fermè quingentis abeſt ædicula Diuo Ioanni à cuti (vt vocant) dicata, & ora vulgò quidem Licatia, ſed eruditis Decatria nominata. Is locus ille ipſus eſt, quem portuoſum Aneid. 3. Verg. poſt Homerum, in carmine: Portus ab acceſſu ventorum immotus & ingens Ipſe. &c. deſcripſit, quem etiam Portum vlyſsis Plin. lib. 3. appellat. Cæterum eructatione ſulphurea, ſaxisq;

ſaxisq; liquefactis ab Aetnæ crateribus illuc vſq; deuolutis portus ipſe & ætate mea, & plurimis abhinc retro annis obrutus nusq̃ apparet. Quem præcluſum profluuij Aetnei veſtigia adhuc hodie occupant. Proinde cum in Aetnam, qui huic oræ imminet, inciderimus, & res & ordo poſtulant, vt & de eo eiusq; diuerſis ac varijs ignibus plæraq; ſcitu & memoria non indigna ſubijciamus.

DE AETNA MONTE ET EIVS IGNIBVS.

CAPVT QVARTVM.

AETNA mons eſt, quem vernaculè Mongibellum Siculi hodie vocant, notior ſuorum incendiorum fama, Poëtarum fabulis, nobiliumq; Hiſtoricorum & Philoſophorum monumentis, q̃ vt prolixior de eo oratio debeat haberi. Celſior eſt cæteris, qui ſunt in Sicilia, montibus, ac cœlo proximus: ità, vt procul à remotiſsimis non ſolum Siciliæ, ſed Calabriæ quoq; regionibus ſereno die facilè ſemper in oculis videatur. Eſt enim altitudinis. p. m. ſupra. 30. atq; vt eſt arduus, ità & in radicibus ambitu eſt maximus. Habet etenim in circuitu ad radices. p. m. non minus centum. Deducit autem radices in orbem, & ſubinde ſeſe rotundo ac tereti magno corpore ſenſim extenuat, quousq; in ſupremum deſinat cacumen. Conſtat ſibi ſoli, montis alterius nullum habens coniugium, niſi eorum, quos ſuis viſceribus ipſe edidit. Eminus intuenti multò minor videtur, q̃ ſit: adeo vt, qui quantus ſit Aetna coram non vidit, rectè de eius menſura iudicare nequeat. Fundum habet ex topho lapide, ſubnigro aſpero & pereſo, bitumine ac ſulphure mixto. Aſcenditur quà breuior eſt, per Linguæ groſſæ & Randatij oppida. p.m. 20. quà longior & facilior per Catanam. p.m. 30. quà & nos anno ſalutis. 1541. Sexto Calend. Aug. inſcendimus. Porrò aſcenſus in tres ab accolis regiones diuiditur: Pedemontanam, nemoroſam, & apertam, quam vulgò diſcopertam vocant. Pedemontana regio, à Catana & littorali ora p.m. 12. ad Cœnobium Diui Nicolai de Renis nuncupatum, ordinis S. Benedicti attollitur. Ad radices circunquaq; oppidis & vrbibus: Catana, Tauromenio, Caltabiano, Lingua groſſa, Caſtroleone, Francauilla, Rocella, Randatio, Bronte, Adrano, Paternione & Motta nobilitatur. Incolitur præterea, quà meridiem & occaſum ſpectat, plurimis & magnis pagis, qui communi vocabulo Catanenſium vineæ appellantur. diſtincta verò hæc habent nomina: Culia, Caſalottus, Monſpelerus, Tricaſtagnus, viagrandis & alia id genus. Eorum incolæ, & qui campeſtria hæc vicatim habitant, ferox ſunt hominum genus, & ad arma promptum. Soli camporumq; facie tota fermè hæc regio tophacea eſt, aſperrimisq; ac combuſtis lapidibus horrida, quos ab initio & æui quoq; ſucceſſu Aetnæus ignis, recentes ſuper veteribus adijciens, euomuit. Verum ex concoctis ijs lapidibus, quos Catanenſes barbara voce Xaras appellant (cum natura pingue aliquid habeant) temporis vi confractis, & in fruſta deciſis, velut ex crematis lignis, arenoſi fiunt cineres, & præpingues, qui feraciſsimam reddunt tellurem. Hinc tota amœna eſt, &, vinetorum, domeſticarumq; omnis generis arborum multitudine ac ſingulari virtute fœcunda. Spatioſi quoq; tractus, qui ſunt in ea, lætiſsimas ferunt ſegetes. Adeo præterea pabuloſa apparet, vt pecuarijs, niſi ex auribus frequenter ſanguis extrahatur, ipſa ſatietas ſit periculo. Fontes habet circunquaq; perennes, & perpetua flumina, licet ignis, egeſtarumq; molium fluenta multos fontes & inuoluerint, & obruerint penitùs. Viæ quæ ſunt in ea ac ſemitæ, xaris omnia occupantibus, equitatu ſunt difficiles, & ad latrocinandum accommodæ. Terminatur hæc demùm regio (vt diximus) ad Diui Nicolai de Renis monaſterium, à Simone Policaſtri comite Rogerij Siciliæ comitis ex

Goffredo

Digitized by Google

Goffredo filio, nepote erectum, vt eius diplomate constat. Hûc nos primo die peruenimus, vnumq; ibi diem contriuimus. Proxima Aetnæ regio, quæ media est sylvescens, 10. circiter. p.m. scanditur. In ea cœnobio egressis Xaræ, & lapides molares nigri & horridi ad leuam statim occurrunt, quos anno salutis. 1537. exundans incendium per propinqua loca profudit: subinde nemus sequitur abietibus, fagis, pinetisq; frequens, vastum, arduum, atq; inuium prope viatori iter præbens: quippe in quo nulla humano pede trita semita appareat. Per hoc nemus cœlum ipsum tangens, perq; inuia loca iter intendimus. Vbi omnia vasta, muta, & adeo deserta erant, vt vel ipsa solitudo insuetos terruerit animos. Hîc fagorum corticibus Procerum aliquot, qui olim montem ascenderant, in ascensus sui memoriam, incisa nomina deprehendimus, quibus & nostra nos quoq; adiecimus. Tota hæc regio extrema aquarum penuria laborat. In ea aliquot vidimus ora in fornacis maximæ rotunditatem, ex quibus aliquando fluenta eruperunt ignea, cinerum, lapillorumq; squallentium congerie cincta. Plures præterea nemorosos, & editos offendimus colles, quorum cacumina voragines, licet sylvescentes, exhibebant. Eos veterem esse materiam ex visceribus montis olim proditam, postremi profluuij hiatus, qui similem ferè formam, enatasq; recens habebat arbores, arguebat. Mediam hanc regionem emensi ad rupem quandam deuenimus, vbi ascendentibus mos est pernoctare. Vlterius nanq; ob inopiam tectorum, frigorisq; rigorem sub diuo quiescere lethale prope censetur. Sed cum tres adhuc diei superessent horæ, quidam ex socijs ingenio præceps, moræq; impatiens ad superiora solus procurrens, nobis frustra reclamantibus, iter obibat quem tandem & nos, quanq̃ inuiti, ægrè subsecuti regionem montis tertiam sumus ingressi, quam accolæ (vt diximus) discopertam ideo vocant, quòd non solùm sylua ibi nulla, nulla prorsus sit arbor, sed herbis viresc entibus nuda, pungentiq; paucis passibus, ac squallido gramine lurida, ac deinde arenosa ad summum vsq; verticem tota illius est facies. Ascendit ea regio. p. m. ferè. 12. quæ per hyemem tota niuibus obsita, extremisq; frigoribus riget. Per æstatem quoq; nulla sui parte nec canitie, nec gelu caret: quod equidem admiratione dignum est, cùm vertex incendia propè sempiterna, iugi flammarum eructatione inter niues ipsas pariat, enutriat, ac continuet. Hanc regionem per aliquot passuum milia ingressis mons ingens, Aetnæ veluti progenies, à fronte nobis occurrit, quem Dorsum asini patria lingua monticolæ appellant. Quo ad dexteram relicto, falcato itinere perduo fermè miliaria progressis mons alter, cui a frumento nomen est, ad leuam impendens apparuit. Inter hos montes vallem subiuimus, quæ cùm aquarum esset indiga, equos præ siti languentès niuibus, quæ sub arenis vndiq; latebant, effossis refecimus. Vnde cum cliuus, & ad eius verticem ædificij effigies eminus nobis occurrerent, leni eô ascensu protecti vestigium vetustissimi fornicis lateritium totum deprehendimus, quod à Catanensibus Aetnicolisq; Turris philosophi nominatur. Prædicant siquidem, ducta à maioribus fama, hanc sibi Empedoclem olim ad explorandas Aetnęi ignis causas ex testudineo opere constituisse ædiculam. Hîc itaq; tametsi audax, & temerarium, ac rarissimo vix ante exemplo cognitum facinus non ignoraremus, præcipitante vespera, sub dio, noctem sollicitam ducere coacti ingentem lignorum, quæ in eum vsum cauti è sylua conuexeramus, strue incensa pyram extruximus, deinde raptim cœnati inter noctis tenebras æternos illos, ac terribiles summi verticis ignes, qui ad pas. prope. 200. supra nos emicabant, liquidò intuiti, ac distinctè contemplati, irrepente paulatim somno opprimimur. Ea incendia dum ego intuerer, mirarerq;, horror quidam, & ingens religio adeo me cepit, vt nunc quoq; sine horrore, meminisse nequeã. Illucescente verò duos vię comites, qui frigore, inter soporem penè obriguerant,

semimortuos

ſemimortuos offendimus, equosq; diſruptis noctu vinculis per montis decliuia ad loca temperatiora ſalutem ſibi quæſiuiſſe, amiſsis equis reliquum iter, ad faſtigium vſq;, pedibus confici oportuit. Duce igitur præuio in paruam vallem deſcendimus, quam, quòd ex liquefactis in alto niuibus decurrens ibi ſtagnet aqua, ſummoq; totius montis ſubſit tumulo, lacum appellant. Inde ad læuam deflexi iugum ipſum inuadimus, cuius aſcenſu maximè arduo, & hinc ſalebris impedientibus, illinc profundis arenis retardantibus, pedesq; noſtros retro quandoq; referentibus, perdifficili, cùm quingentorum paſſuum vix ſit altitudinis, duæ fermè horæ nobis conſumptæ ſunt, tandem ſuperato vertice, anhelantes aliquantiſper in ſponda conſedimus. Hic ſol ſubter nos mundo oriri viſus eſt. Hinc Siciliam omnem contemplati ſumus, fretum, & vniuerſa Calabriæ ora adeo ſub oculis iacebant, vt manu poſſe tangi viderentur. Calabriæ montes non littorales ſolùm, ſed mediterranei etiam, quinimo & Neapolitani, vicinæq; inſulæ non temere ſereno tum cœlo æſtimati ſunt. Hoc itaq; iucundo aſpectu aliquandiu refocillati vlteriùs ad ea, quorum ſtudio inſanum hunc laborem ſubieramus, perluſtranda perreximus. Ibiq; in primis planities arenis paſsim ſtrata, crebrisq; interſecta rimis, è quibus exilis fumus exibat, oblata eſt. In cuius medio hiatus maximus, & vorago ingens, crater à veteribus appellatus, ambitu. p.m. fermè quatuor patet: qui ſuperiori ore latiſsimus paulatim ad profundum vſq; ſe coarctat. Ex eo nebuloſa incendia tanta exhalabant, vt ab interiori inſpectu impediremur. Cæterum cum ea non continuè, ſed per interualla quædam erumperent, captata interſtitiorum occaſione, reptantium more, ad crateris labium prolapſis profundius intuendi copia fuit. Nihil autem ne tum quidem, præter horrendam voraginis formam, & latera eius exeſa, ac diuerſis rictibus igniuomis depicta, & ſulphurea incruſtatione delibuta cernere potuimus. Cum verò renouatum incendium vires reſumpſiſſet, inter fumum ipſum flammas modò craſſas, modò puras expirari animaduertimus. Sed remiſſa poſt materia, caligineq; ceſſante iterum intentius & oculis, & auribus in hiatum dimiſsi, ſimulatq; inſtar immenſæ ollæ, igni maximo appoſitæ, ſubterraneum in eo ſonitum, bullientesq; feruores, ac gementes intus cauernas percepimus, timor ſimul nos, horrorq; adeo vehemens inuaſit, vt veluti iam iam diſsipandi repentè ora retulerimus, execratiq; veſanum itineris conſilium confeſtim quà aſcenderamus, ſimus regreſsi. In ea altiſsima montis ſuperficie, totaq; eius plaga nullas vidimus xaras, lapideſué molares, quippe, qui tam altè inſcendere, vel vi extolli ob materiæ grauitatem nequeant: quæ interim inferius vel nouos hiatus ſibi aperit, vel è veteribus erumpit. Ex vnico verò, & eo immenſo verticis cratere vel ignis ipſe, vel fumoſa caligo, vel cinis, vel aliud huiuſcemodi leue genus efflatur. Ex quo etiam anno ſalutis. 1554. (quo hoc opus in manibus verſatur) conſumpta iam materia nihil emergit. Neq; quiſpiam hæc noſtra legens reprehendat, ſi aliqua ex parte à Strabone, Plin. & alijs authoribus, qui de Aetna ſcripſerunt, diſſentiant: cum & ipſo Strabone teſte, & rei vſu approbante facies hæc montis ſuperior mutationem ab igne frequenter recipiat. Nam aliquando illius vertex flammarum globos euomit, igniti interdum fluunt riui, quandoq; flamma, fumo, caligineq; obducta, ardentes cructat lapides, nunc demittitur, nunc vero incrementa ſuſcipit. Iccirco priſca quædam in hunc vſq; permanent diem, plura ſunt immutata, pleraq; recens edita. nam & anno ſalutis. 1537. cacumen montis ſupremum, quòd ſupernus ei erat vertex, in voraginem ipſam decidit, & ambitus factus eſt amplior, & Aetna demiſsior. Perluſtrato ita montis vertice, & eius ignibus exploratis, lapillos ſubnigros ſulphuris incruſtationem habentes, quos crater emiſerat, nobiſcum deferentes Catanam ſumus regreſsi. Ab hoc loco nihil alienum fecero, ſi ignea fluenta, quæ a primordio

Digitized by Google

mordio ad noſtram vſq; ætatem defluxerunt, vel prout ab alijs accepimus, vel nos ipſi vidimus, ordine recenſuerimus. Aetna mons, qui ab initio ferè cum multarum excidio vrbium, atq; agrorum crebris eruptionibus æſtuare conſueuit, quando primum omnium, vel quoties exarſerit, neq; memoriæ proditum, neq; hactenus compertum eſt. Quæ verò feruntur paſsim, & leguntur ſunt eiuſmodi: Sicanorum ætate, qui poſt Cyclopas vniuerſam Siciliam tenuerunt, ſæpenumero continuis incendijs efferbuit, quorum metu omiſsis orientalibus locis, quibus Aetna ſita eſt, quæ ad Occidentem vergunt, petere compulſi ſunt. Siculis poſtea Siciliam occupantibus, quoties Aetna igneos emiſerit globos, à veteribus, quorum quidem opera ad meas peruenerunt manus, non eſt traditum. Verum cum ad Græcos Sicilia peruenisſet, ad ſextum vſq; belli Peloponneſiaci annum ter duntaxat ignem euomuiſſe libro. 3. refert Thucydides. Græcorum verò primi Siciliam traiecerunt anno mundi. 4453. vt teſtatur Euſebius. Et Peloponneſiacum bellum cœpit anno mundi. 4777. Romanis deinde imperantibus, anno ab vrbe condita. 350. ingentes ignes, fauillasq; cum ſtrage plurium agrorum, & villarum emiſiſſe Aetnam ſcribit Oroſius, libro. 2. & ab eadem vrbe condita circiter. 600. paucis diebus ante ſeruile bellum Ser. Fuluio Flacco: & Q. Calphurnio Piſone Coſſ. ſimili feruore Aetna exarſit, Oroſio libro. 5. M. deinde Aemilio &. L. Oreſte Coſſ. vaſto eremore concuſſus igneis globis exundauit. L. pòſt Cœcilio Metello, & Qu. Flaminio Coſſ. anno ab Vrbe condita. 637. vltra ſolitum ebulliens, profluuium etiam cinereum emiſit, & Catanam vrbem, eiusq; fines ita oppreſsit, vt tecta domorum cineribus prægrauata corruerent. Cuius cladis mitigandæ gratia, S. P. Q. R. decem annorum vectigalia Catanenſibus remiſit. Tempore quoq; bellorum ciuilium (teſte libro. 5. Appiano) & Cæſare Caligula imperante (vt author eſt Suetonius) Aetna mons eodem oeſtro percitus ignem efflauit. Scribit libro. 2. c. 106. Plinius, flagrantem Aetnam ad. 150. paſſuum milium arenarum moles effudiſſe. Sed & anno ſalutis. 254. Calend. Februarij, & ſecundo anno poſt obitum Diuæ Agathæ, cum Aetna ignitos globos eructaſſet, Catanenſes, qui ſuperſtitioſo genilitatis cultu eo tempore detinebantur, Diuæ Agathę ob Chriſti fidem à Quintiano martyrio affectæ, ſepulchro ſaxum quoddam impoſitum hac diuina inſcriptione: Meutem ſanctam, ſpontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem, inſigne deprehendentes, miraculo perculſi tumulum aperiunt: velum, quo eius corpus tegebatur, contra ignem obijciunt. Quo facto (mirum viſu) incendium ſtatim, veluti illius veli aſpectum reformidans, relicta vrbe alio curſum ſuum tetendit. Catanenſes poſtea Chriſti fide imbuti, eo exemplo adducti, quoties Aetna ignes emittit, id velum incendijs obijciunt, quo Diuæ Agathæ beneficio Catana vrbs ſæpe aſſerta eſt. Inter memorabilia Aetnæ profluuia longè illud eſt præcipuum, quod ætate patrum noſtrorum decurrens per. 28. fermè paſſuum milium vſq; ad mare Logninæ peruaſit, atq; ingentem portum, cuius Homerus, Vergilius, & Plinius meminerunt, ita impleuit, vt hallucinatos Poetas pleriq; ſint arbitrati, cũ nulla prorſus vel ſtatio ibi hodie appareat. Quod ita ſubnigrum, ac firmum adhuc viſitur, vt non tam maiorum noſtrorum tempeſtate, q̃ etiam noſtra fluxiſſe videatur. Anno præterea ſalutis. 1169. pridie no. Feb. regnãte Guilelmo ſecũdo Aetna plus ſolito ſæuijt. Rupibus nanq; ingentibus, agroq; Catanenſi combuſtis, terremotu ſuo Catanenſium fines, atq; vrbem adeo labefactauit, vt Baſilica corruẽs Epiſcopum vna cum clero & populo oppreſſerit. Quin & deinde anno ſalutis. 1329. 4. Calend. Iulij, Friderico huius nominis ſecundo Siciliæ Rege rerum potiente, cum per plures annos abſq; igne, & fumo fuiſſet, hora diei. 23. repente contremuit, ac tonare cœpit. Mox è montis latere, quod Orientem reſpicit, in rupe, quæ Muſarra dicebatur, ni-

uibus

uibus eo tempore obſita, aperto nouo hiatu ignis erupit: quem, accreſcente veſpera, inſecuti candentes globi, ac auulſa montis viſcera, liquefactiq; ſaxorum orbes, veluti torrens, per decliuia, & ſubiecta loca graſſantes obuia quæq; abſumebant, quorum impetu ſimul, ac terremotu plures in ipſo monte, tam ad Orientem, q̃ ad Occidentem ſacræ & profanæ ædes vel dirutæ, vel proſciſſæ ſunt. Pleroſq; etiam aquarum perennium fontes terra dehiſcens abſorpſit. In littorali quoq; ora, quæ Maſcali oppidulo ſubeſt, nonnulla nauigia in littus paulò antè ſubducta crebris terræ concuſsionibus in mare ſunt reuulſa. Dum hæc ad Maſcalim fiunt, eiuſdem Iulij idibus circa ſolis occaſum, iuxta Muſarram rupem, ac templum Diui Ioannis Paparumetta cognominatum, ex inferioris montis parte ex inopinato hiatus alter, ac paulò poſt in eodem agro duo alij ſunt aperti, ea vi, ac violentia, vt ex quatuor crateribus paruo interſe interuallo diſsitis ingentium lapidum congeries vnà egeſtæ profundas valles, & nemorum ſaltus in montes arduos extulerint. Fluebat etenim ex quadruplici illa voragine riuus igneus, inſtar metallorum ex fornace liquentium, occurrentem tellurem, & ingentia ſaxa, ac arbores quaſcunq; non ſolum comburens, ſed abſumens, terraq; ipſa, quæ paulò antè calcabatur, incanduit, ac veluti ſpumis aquarum ad ſcopulos è fluctibus eliſarum latè inſtar excreſcentis fluminis profluuio igneo inundata, ac diſperſa eſt. Poſtq̃ verò igneus torrens diu, multumq; per plura montis ſpatia euagatus eſt, tribus tandem alueis ſeſe diuiſit. Quorum duo Orientem verſus ad Acis vſq; loca littori propinqua plures dies decurrerunt: tertius verò contra Catanenſium fines ſe direxit: quem, priusq̃ fines ipſos inuaſiſſet, velum Diuæ Agathæ à ſacerdotibus è mœnibus vrbis obiectum extinxit. Dum hæc in inferiori montis regione geruntur, in ſummo vertice non minori quoq; ad extremum tonitruum, ſaxorumq; ardentium rabie conflictum eſt. Vnde tantus præſertim cinerum imber per vniuerſam Catanenſium regionem defluxit, vt montes, agriq; ſub eo occultarentur, ac flante tum borea ad inſulam vſq; Melitam quæ. 160. paſſuum milium à cratere diſsidet, eorum copia, ac ſulphureus odor ſit abductus. Vnde & plures vtriuſq; ſexus homines, plurimaq; animantia & terra, & mari horrore perculſa (vt in vita Friderici Regis legitur) perierunt. Anno deinceps ſalutis. 1444. iterum Aetna terribili ignium eiaculatione Catanam verſus cum iter arripuiſſet, Petrus Hieremias Panormitanus ordinis Prædicatorum, magna vir pietate, cum cleri, populiq; pompa velum. D. Agathæ in occurſum contra incendia detulit, quæ quaſi illud reuerita, aliò iter ſuum conuerterunt, ac vigeſimo poſt die extincta ſunt. Eo tempore & mons ipſe contremuit, eoq; motu è ſummo cacumine vaſtæ quædam rupes diſſolutæ, collapſæq; vaſta ruina in ipſam voraginem cõciderunt. Vnde hiatus ille perpetuus multò amplior eſt factus. Hactenus itaq; ab alijs accepta: iam quæ ipſi viſu ſumus aſſecuti cõmemoremus. Aetna cum deficiente iam materia ſulphurea, & bituminoſa vel obſtructis meatibus nec ignẽ, nec fumum per plures annos emitteret, accolæ eius cacumen aſcendentes illæſi craterẽ etiam ipſum penetrabant. Sed inconſtans hæc manſuetudo fuit. Anno ſiquidẽ ſalutis. 1536. nono Cal. Aprilis flante auſtro, & ſole ad occaſum vergente nubes atra montis apicem operuit, & inter eam rubor emicuit. Tum repentè ex ipſo cratere ignei torrentis vaſta vis erupit, paulatimq; in modum fluminis magno montis murmure, ac terræmotu defluens orientem verſus deſcendit, lacumq; (cuius ſupra in deſcriptione meminimus) illapſus, magnam ibi repertam lapidũ congeriem liquefecit. Quæ ſupra Randatium oppidum præcipiti, ſed falcato volumine decurrens ouium greges, & animalia pleraq; obuiantia ſtatim demerſit. Ex eodem quoq; ſummo montis cratere mirum, ac horrendum viſu profluuiũ igneum occidentem verſus ſupra Brontem, & Adranum oppida eodem tempore effluere cœpit. Liqueſcentes enim lapides ſulphurei, ac bituminoſi vi ventorum

depulſi

depulsi lento fluxu, & intermisso, veluti ferrum candens, decurrebant: & qui primum defluxerunt, sensim amisso calore in priorem naturam, ac materiam subnigrā indurescebant. Pòst riuus alter igneus descendens non supra priorem fluebat, sed inter ipsius arenosam cutē & priorē ignē iā concretū immiscens sesc cursum medium sibi sua vi faciebat: ita vt & cutis superior, & superficies prioris æque esset dura. Qui verò ignis recēs erat, subter fluebat instar testudinis, quæ sub testa dura viuens lentè tamē graditur. ita fluenta, quæ prius indurucrāt, nouis cedebant, à quibus in partes disijciebantur. Nouissimis itaq; semper vincentibus multiplicabatur incendium ad latitudinē stadij vnius, profunditatemq; cubitorum circiter duodecim. Cùmq; totum refrixisset profluuium, lapidum molarium congeriem ab ore crateris ad terminum vsq; fluxus subnigram recens eructatam perpetuò reliquit. Ita lapides ipsi in eodem colore perseuerant, quo defluxerant. Sed quò recentiores, eò & nigriores, & firmiores: processu enim æui & pallescuut, & in arenas resoluuntur. Erat autem profluuij materia sulphurea, & bitumine mixta. Eo die D. Leonis templum in memore situm terræmotu primùm corruit, mox ignibus obrutum est totum. nihilq; nunc ibidem, nisi asperrimorum lapidum è cratere proiectorum acceruus conspicitur. Circa eadem quoq; loca, ad montis latera, terra dehiscente, pleriq; hiatus sunt perrupti. Ex quibus & fluenta ignea, & innumeri igniti lapides veluti tormento excussi præmisso prius fremitu in cœlum emittebantur. Ad hæc naturæ miracula visenda, tanti incendij modum, causasq; scrutaturus Franciscus Niger patria Platiensis, sed Leontinus incola, medica arte insignis, dum nimium diligenter, sed parum consultè propiùs ad fornaces accessisset, vno ex lapidibus, qui in cœlum ex hiatibus enomebantur, in caput eius dilapso consumptus occubuit. Hæc quidem mira. Sed quæ proximo anno obtigerunt, mirabiliora. Anno nanq; sal. 1537. Cal. Maij Sicilia tota diebus fermè duodecim tonare cœpit: Crebriq; sonitus, ac ingentes, quales ex tormentorum bellicorum ictibus edi solent, & grauiores quoq; non solùm Catanæ, & vicinis agris, sed Panormi quoq;, Drepani, Lilybœi, Saccæ, Agrigenti, & tota propè insula sunt auditi. E quibus paruo terræ motu facto domorum concussa tecta simul, & parietes nutabant. Sonituum huiusmodi, quos in Sicilia, & Aeolijs vicinis insulis familiares esse. 2. Metheororum lib. scribit Aristoteles, causam, exhalationi, quæ sub terris incluſa, siue ab Austro in Siciliam venit, siue in Siciliæ gremio gignitur, & ipse Aristoteles, & cæteri, qui de natura differunt, attribuêre. Ea namq; cum natura sit exilis, & velox, neq; terram mouere, neq; inde erumpere, sed sonitus duntaxat subterraneos procreare potest. Hi igitur sonitus, mugitusq; cùm increbescerent, tertio id. Maij in Aetna sub colle, quem incolæ Sparuerium vocant, hiatus quidam insoliti sunt aperti, è quibus tanta eiusdem materiæ igneæ moles est egesta, vt quatriduo. 15. p.m. iter cōficiens obuia quæq; sternendo exusserit, ac ad cœnobium vsq; D. Nicolai de Arenis defluxerit: vbi conglobatus Monasterio intacto, Nicolosum, & Mōpelerium pagos adortus plures eorū domos exusit, obruitq;. Terræmotu quoq; frequenti Catana, & vicinæ vrbes adeo sunt cōuulsæ, vt ciues relictis vrbibus ad campestria salutem sibi quæsierint. At clerus, & populus Catanensis cum incendia p.m. fere. 12. vicina, ac ocyus ad sese deferri prospicerent, ad aras D. Agathæ profugientes velū protulerunt. quo eminus proiecto ignis cōstitit, ac mox sedatus est, & Aetna tonare desijt. Verùm crater mōtis supernus nō multò post tantā subnigricineris per triduū molē efflauit, vt nō modò mōs ipse ac finitima, sed ad Pelorū, ac Pachynū, quinimo & Calabriæ Cosentiū vsq; interiacētia oppida cineribus operta, maria quoq; adeo sint circumfusa, vt trecentis. p. m. à Sicilia distantes naues, quæ Venetijs Messanam nauigabant, à ventis ferentibus latè cinere eiecto

fœdatæ sint: prout ipsi nautæ postmodùm retulerunt. Aetna deinde cum cineres euomere desijt, magno fragore, ac fremitu mugire cœpit: & inter mugitus ipsos summus montis apex abruptus à cratere superno absorptus est. Nam ætate mea cliuulus à Crateris orificio per passus ferme centum insurgebat, vndiq; præcisus, qui totius montis supremus erat vertex, quo tum intra voraginem palàm absumpto, Aetna factus est demissior. Sed cum postea Bronti agerem, oppidani seniores fidedigni viri (quippe qui rem ipsam viderant) retulerunt, hunc ipsum cliuum non olim Aetnæ fuisse verticem, sed ab eo anno sal. 1444. postremo prorfluuio eiectum crateris ori inhæsisse. Sed de igne Aetneo, quem nostra vidimus ætate, iam satis. Restat, vt eius causas paucis aperiamus. Quæ natura rarò fiunt non vna nituntur ratione: cum pleraq; certis careant causis: vt quæ casu fiunt: vt. 2. physicorum lib. docet Aristoteles. plura verò rationes definitas habent, vt syderum defectus, exhalationes igneæ, terræmotus, montium incendia, & cætera idgenus. Sol etenim in terram actus humidum fumum educit, qui si crassior erit, vapor appellatur, humidaq; gignit, vt nubes, pluuias, perennes fontes: si siccior, exhalatio erit, & arida producet, vt ventos. Exhalatio hæc in terræ cauernis generata si tota effluit, vi sua aërem propellit, ventosq; gignit. Si tota coërcetur, cum ignea sit, egressumq; motu velocissimo frustra quærat, terræmotus efficit maximos. Si non tota, leues. At verò si isthæc exhalatio in terram sulphuream, ac bituminosam inciderit, mox excitat incendia, eaq; magna vi propellens hiatum aperit, extraq; eructat. Cùmq; aqua maris, telluris foramina, meatusq; & suo frigore, & fluctibus obstruat, occludatq;, euenit hac ratione, vt hæc exhalatio q̃ facilimè iuxta mare accendatur. Iam verò, vt propiùs ad rem accedamus: Cum tellus omnis foraminibus quibusdam (quemadmodum Philosophi tradiderunt) distincta sit, ea certè, quæ mari vicina est, marisq; fluctibus alluitur, maiores habet fistulas, meatusq; ampliores, ob id, quòd mare suo fluxu eam exedit, consumitq;. Quòd si telluris partem debiliorem mare nanciscitur, multò facilimè eam erodit, pergensq; in eius viscera exhalationes creat, quæ si (vt diximus) in sulphuris venas incidunt, & bituminis, non difficulter incendia excitant. nam & in sulphure, & bitumine ignis concipiendi vis inest, & venti furentes sua vi aliena quoq; succendunt. Igitur Aetna cauernosa cum mari vicina sit, eiusq; radices maris fluctibus pulsentur, non solùm exhalationes intra viscera gignit, vt. 2. Metheororum scribit Aristoteles: sed & ventos extraneos æstuantes admittit, intusq; recipit, vt. 4. lib. Trogus tradit: quorum vi, ac potentia eius materia flammis incenditur. Quæ cum copiosa sit, semperq; suo calore humectantibus tellurem vndis recenti sulphure, ac bitumine renato nouetur, perpetuas flammas fieri non est mirandum. Quarum deinde in ea inclusarum, ventorumq; simul agitantium vis incredibilis non tantum sulphur, & viscera montis imbecilla, sed molares etiam lapides, fortioresq; neruos comburit, & liquefacit. Cæterum cùm principiò craterum ora vel angusta, vel clausa sint, molesq; ingentes à montis visceribus euulsæ, ac combustæ cautibus illidantur, remugientibus scopulis Aetna non ante flammarum globos emittit, q̃ interni strepitus antecedãt. Postmodũ verò patefactis hiatibus fluenta ignea etiã absq; præmisso strepitu prodeunt, & pro qualitate ventorũ modò pura, modò crassa, quandoq; pinguia, vel exilia, prout intra mõtis viscera sunt, excrementa emittuntur. Cineres deniq;, qui in imo sunt, acrior inde conflatus ventus expellit. Sed de causa Aetnæi ignis hucusq;. Mouet me autem & ridicula veterum superstitio, qui quoties Aetna ignem euomebat, magnum

quiddam

Digitized by Google

quiddam ei regioni, in quam globi proiectarentur, portendi credebant, vt bella, pestes, clades, & idgenus alia Orosio teste. Scribit quoq;. 3. lib. Pausanias Aetnæ crateres, apud priscos, portendendi vim hanc olim habuisse, vt siquis argentea, aureaq; numismata, tum vasa, tum cuiusuis generis victimas in eos abiecisset, ea si placide ignis infernè suscepisset, optimum proijcienti fuisse omen: si contrà ab igne proiecta extra pellerētur, pessimum. Nos autem Peripateticorum doctrinis, & Christiana veritate imbuti nullam horum ignium, præter naturalem, esse causam affirmamus. Templum in Aetna olim fuisse Vulcano dicatum, veluti & ipsum montem, lucoq;, & sacris arboribus, ac perpetuo igne septum tradunt veteres, quod canes asseruabant, qui miro ingenio castè, ac piè ad templum accedentes permulcebant: manibus vero impuris, aut scelere aliquo pollutos latratibus, ac morsibus impetebant. Quod cœlitus fieri eis videbatur. nos vero dæmonum imposturas has fuisse verius existimamus. Huius templi vestigium nullum hodie cernitur. neq; in qua montis parte fuerit compertum est: nisi monumentum illud Turris Philosophi nominatum, cuius supra meminimus, ab eo forsan sit reliquum. Sed plura, quàm statueram de Aetna. Hortatur ordo simul, & postulat, vt Catanam vrbem, quæ subsequitur, describamus.

F. TH. FAZELLI SICVLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS PRIORIS DECADIS.

LIBER TERTIVS.

DE CATANA VRBE.

CAPVT PRIMVM.

CATANA Vrbs vna sui parte mari alluitur, cæteris ad radices Aetnæ, cui subest, extenditur. Hæc à Chalcidensibus, qui Naxum in Sicilia ædificauerant anno mundi. 4462. vt in supputationibus Eusebius refert, & septimo, post Syracusas ab Archia occupatas, condita est lib. 6. teste. Thucydide. Anno etenim nono post Naxum extructam cum loca Naxi vrbis Chalcidensibus habitationi minus apta viderentut, quod paludum, ac fluminum ex Aetna orientium eruptionibus, quibus cœli inclementia excitabatur, essent obnoxia, (prout etiam hodie sunt) Theocles & Chalcidensium maxima pars è Naxo transmigrantes hoc loco delecto, sedes posuerunt, vrbemq; à Catano duce (vt à Græcis accepimus) Catanam appellauerunt: licet Thucydides Euarchum Naxiorum Coloniæ ad eam extruendam authorem fuisse scribat. Sunt qui à situ potius, quòd nimirum sub alto monte iaceat, eam denominatam velint. Nam Catana græcè sub alto est latine. Processu verò temporis cum Hieron senior Syracusanorum Tyrannus vrbem Catanam superasset, expulsis Catanensibus decem Megarensium, Geloûm, Syracusiorumq; milibus, magna quoq; finitimorum agrorum parte in capita distributa, eam habitandam dedit. Quàm cum Doricis, Laconicisq; legibus exornasset, vt lib. 9. Diodorus, & lib. 6. Strabo memorant, quo nouæ quasi vrbis conditor videretur, abrogato Catanæ nomine Aetnam appellauit. Cuius etiam non tyrannum, non

Digitized by Google

Regem, ſed habitatorem, ciuemq; ſeſe ſalutari voluit. Vnde & in certaminibus, quibus ſuperauerat, victor, non Catanæum ſe, aut Syracuſium, ſed Aetnæum noua ambitione, proclamari iubebat, vt Pindarus in Olympijs, & Pythijs tradit. Huic vrbi Hiero Chromium, quem ob ſingularem modeſtiam, probitatem, ac fortitudinem plurimum diligebat, gubernatorem præfecit, qui & ipſe in Pythijs victor Aetnæus eodem Pyndaro teſte promulgatus eſt. Catanenſes verò patria exutos in Leontinos tranſcripſit, eamq; illis ſedem conſtituit, iuſſitq; vt cum incolis, & ciuibus eam vrbem incolerent. Id autem ab Hierone propterea factum eſt, vt idonea, ac fida ſibi ad emergentes neceſsitates ſubſidia q̃ paratiſsima haberet, & vt ex hac vrbe decem milium colonorum quaſi à ſe condita præmia, laudesq; heroicas aſſequeretur. Moriens deinde apud hanc vrbem, & fato functus non minores Funeris honores nactus eſt, q̃ ſi vrbis conditor fuiſſet. Verum priſci illi Catanenſes, quos in Leontinos tranſcripſerat, vt eum mortuum audierunt, patriæ amiſſæ deſiderio Catanam reuerſi profligatis nouis colonis, tumuloq; tyranni terræ exæquato, vrbi ſuæ priſtinum Catanæum nomen Aetnæo abolito reſtituerunt. Illi verò Catana expulſi, vrbisq;, & conſilij indigentia in montanam Aetnæ montis oram profugientes, vrbem, cui antea Aetneoſia Diodoro lib. 11. Ineſla Thucydidi, & Inueſa Straboni nomen erat, à Catana 12. ferè. p. m. ad orientem diſsitam incoluerunt. Quam Aetnam appellantes Hieronem eius conditorem diuulgarunt. Hanc anno ab Vr. con. 820, bello ſeruili flagrante, cæſis in ea. 20. ferme ſeruorum milibus à Rutilio Coſ. bello receptam, ac Diodori etiamnum ætate extitiſſe legimus. Hodie verò neq; veſtigijs agnoſcitur, neq; quo loco ſteterit, niſi quòd ad Maſcalim vbi vrbis veteris iacentis plura circum arcem cernuntur hodie monumenta, pleriq; ſola opinione ac coniectura ducti fuiſſe eam referunt. Sed ad Catanam redeo. Ea antiquitùs ad eam oram, quà Naxus petitur, inſignem portum habebat, qui Aetnæ profluuio poſtmodum obrutus vaſtiſſimis lapidibus plenus hodie conſpicitur. Tria præterea Theatra memoratu digna erant in ea, quorum ruinæ adhuc viſuntur. Quippe muri pars, quæ Leontinos ſpectat, maximi theatri ex nigro quadratoq; lapide ſtructi, cui contigua eſt, præclaræ adhuc magnificentiæ monumenta exhibet. Alterum iuxta Stheſicoream, quam nunc Acidis portam appellant, in hunc vſq; diem admiratione non indigna ſui veſtigia reliquit. Tertium Catanæ intra vrbem prope ædem Diui Auguſtini ſpectandas hucuſq; reliquias monſtrat. Aedes quoq; complures Dijs veteris ſuperſtitionis ſacræ hac in vrbe olim erant. Sed præter cæteras Cereri religioſiſsima. Sacrarium (in Verrem inquit Cicero) apud Catinenſes erat Cereris eadem religione qua Romæ, qua in cæteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. In eo ſacrario in intimo ſignum erat Cereris perantiquum, quod viri non modo quid eſſet, ſed ne eſſe quidem ſciebant, aditus nanq; in id ſacrarium non erat viris, quoniam ſacra per mulieres, ac virgines confici ſolebant, hucuſq; Cicero. Sacrarium id extra portam vrbis, quam Regiam vocant, ſitum erat, vbi turris eſt hodie Epiſcopo inſcripta: cuius mira adhuc viſuntur monumenta ſuperſtructæ iam ſpiritui ſancto ædiculæ incluſa. Gymnaſium habebat Catana honeſtarum diſsiplinarum ſtudio celeberrimum, quod M. Marcellus captis Syracuſis erexit Plutarcho in Marcello, cuius pro mœnibus non longè à littore cernuntur ruinæ. Thermæ quoq; erant in hac vrbe cum columnis, & epiſtylijs marmoreis ornatiſsimæ: Quas vbi nunc D. Agathæ vetus eſt fanũ fuiſſe Catanenſes à maioribus per manus inſtructi affirmãt. Ex hac præterea vrbe à M. Valerio Meſſala Coſ. primo bello punico Siciliã turbãte, horologij vſus

logij vſus Romam eſt adductus Plinio lib. 7. c. 60. Aquæductus ex quadrato, & nigro lapide à viginti ferme. p. m. ex fonte, cui vernacule Butta hodie nomen eſt, qui non longè à Paternione oppido iuxta monaſterium Diuæ Mariæ Licodiæ emergit, in vrbem affluentiſsimè priſca ætate per pilas, arcusq;, aquas deducebant. Quorum magna, & integra moles, neq; inferior ea, quæ Romæ eſt, adhuc cernitur: licet dùm pararem hæc edere, ad noua vrbis propugnacula ſtruenda non parum diminuta ac diruta fuerit. Catanam vrbem priſco tempore equeſtri militia, ac eruditione, opibusq; fuiſſe inſignem Pindarus, cum ab equitatu, diuitijs, & ſapientiâ Catanenſes extollit, in Nemeis ode nona ſcribit. Quam & locupletem, honeſtam, & copioſam in Verrem Cic. commemorat. In hac vrbe (eodem authore) & ſummus Proardiorum magiſtratus fuit. Claruit olim & illuſtrium virorum ſepulchris, vtpote Stheſichori Poetæ Himerenſis, cui hûc profugo, defunctoq;, primo extra vrbem lapide, orientem verſus, ad portam, quæ ad Acim oppidum ducit, quæq; ab eius tum nomine fuit inſignita, ſepulchrum octo gradibus, octo cingulis, totidemq; columnis eleuatum à terra Catanenſes vouerunt: vt I. Pollux, Suidas, & Pauſanias ſcriptum reliquerunt. Cuius ſepulchri non longè à porta Acidis in æde Bethleem, in hortis Nicolai Leontini (qui apud veteres ſepulchrorũ erat locus) adhuc extat memoria. Clara quoq; fuit tumulo Xenophanis Philoſophi, qui poſtq̃ in Heſiodum, & Homerum elegijs inuectus eſt, Catanæ mortem oppetijt: vt teſtatur Apollodorus. Duorum etiam fratrum ſepultura, & pietate Catana celebrata eſt, quos Catanenſes quidem Anapiam, & Amphinomum, Syracuſani verò, qui de eorum patria contendunt, Emanthiam, & Critonẽ vocant. Hi Aetna quondam latè incendijs graſſante, parentes ſenio confectos, & ad ſui ab igne fluente liberationem impotentes, vt eorum vitæ conſulerent, Patrem vnus, matrem alter humeris ſufferentes ab incendij loco q̃ celerrimè aſportarunt. Cumq; parentum preſsi pondere tardius (vt par erat) iter conficerent, à vicinis, & inſequentibus ignibus viſi ſunt opprimi: qui tamen cùm ab incepto pio opere ob periculi metum non deſtitiſſent, ardentium ignium fluenta cùm ad eos peruenisſent (mirum viſu) iuxta illorum pedes in duas partes ſunt diſiecta, ac ipſos cum parentibus adoleſcentes, nullo eis illato æſtu, neq; incommodo, præterierunt. Sed poſt eos, vt res mira dilucidiùs appareret, rurſus flammæ in vnum corpus coierunt. Qua virtute, ac miraculo commendatis adoleſcentibus, poſt obitum eorum Catanenſes monumentum regia magnificentia erexerunt, regium perpetuum nomen indicentes. Piorum nanq; campum eum locum appellarunt, ac ſtatos, ſolennesq; honores perpetuò illis impendendos dedicarunt. Quos anno quolibet ætate etiam ſua Pauſanias libro nono, magna pompa perſolutos docet. Catana, poſtq̃ Sicilia, captis Syracuſis, facta eſt Romanorum prouincia, à Sexto Pompeio cum reliquis Siciliæ ciuitatibus vaſtata eſt, quam deinde CESAR AVGVSTVS (vt lib. 6. Strabo memorat) reſtituit. Iterum tamen eam Fredericus ſecundus Rom. Imperator, Siciliæ huius nominis primus Rex, quòd ab eo deſciuiſſet, ſolo fere æquauit: arcemq; in ea, quæ adhuc extat, in rebellionis formidinem poſuit. Qui pœnitentibus poſtea, ac ſupplicibus ciuibus indulſit, vt vrbem ſtructura humili, ac lutea reſtituerent. Cuius deinceps mœnibus Fredericus Aragonius, ſecundus huius nominis Siciliæ Rex, quem tertium falsò appellant, turres addidit. Martinus mox, vt domos qua vellent altitudine, ornatu, ac magnificentia, calceq; firmarent, conceſsit. Aetate verò mea CAROLVS QVINTVS CAESAR Secundus huius nominis Siciliæ Rex Catanam mœnibus, & propugnaculis munitiſsimis magnificentiſsimam reddidit. Nuper Anno Sal. 1554. Menſe Maio

Digitized by Google

apud Catanam,in fodiendo littore apud portum cognomento Saracenum, in tabula marmorea quadripedali, Fidius apud Græcos Trinomius veteris superstitionis Deus,tribus his nominibus appellatus: Semipater, Fidius, & Sanctus, & his alijs Honor, veritas, & Amor sub tribus imaginibus sculptus fuit repertus. Honor scilicet, & veritas manus dexteras iungentes, ille aperto capite, hæc pallio vittata, & Amor medius adolescens vtrunq; complectens. Huius festum nonis Iunij Romani celebrabant, per hunc iurabant, seq; obligabant, dicentes: Medius Fidius. De quo in. 6. Fastorum lib. fusè scribit Ouidius, & Plautus in Asinaria. Catanæ anno sal. 1355. prid. Cal. Aug. Friderico huius nominis tertio Siciliæ Rege rerum potiente,quem Auritum appellabant, Vacca ad macellum ducta vitulum effigiem humanam, ac vnum in fronte oculum habentem edidit. Nobilitatur & hodie vrbs hæc disciplinarum omnium, iuris præsertim Cæsarei, ac Pontificij gymnasio insigni. Tulit Catana olim viros illustres complures, quibus plurimum est nobilitata. Andronus in primis Catanensis fuit, qui inuenit ad tibiam morem, & modum saltandi, gesticulandiq;, ac rhythmos canendi,vt Athenæus libro primo refert.Charundas philosophus, & legislator Catanæ oritur.Hic(teste pol. lib. 2. & . 4.Aristotele)Catanēsibus,& cæteris Chalcidēsibus ciuitatibus,quæ erant circa Siciliam,& Italiam,leges condidit, vt etiam Aelianus lib. 3. scribit. Eius sepulchrum marmori inclusum cum arca stannea, in qua ossa eius recondita eran,tætate mea iuxta ædem D. Agathæ,quam veterem appellant, inuentum est. Diodorus quoq;,quem vulgus Lyodorum vocat,vir magica arte imbutus miranda præstigiorum machinatione Catanæ floruit. Is nanq; potenti carminum suorum vi homines in bruta animantia conuertere, omniumq; ferme rerum formas in nouas metamorphoses transfundere, longissimisq; a se spatijs dissitos repente ad se attrahere posse videbatur. Catanenses præterea adeo crebris lacessebat iniurijs,& contumelijs dehonestabat,vt vanissimæ credulitatis laqueis circumuenti ad cultus ei pendendi studium concitarentur. Qui cum capitis reus cruci tradendus esset, eliciorū carminū præsentissima arte e Catana Bizantium,cuius imperio eo tempore Sicilia suberat, & rursus e Bizantio Catanam lictorum manibus dilapsus paruo temporum interstitio per aera se deuehi iussit. Quibus veneficijs adeo populo factus est admirabilis, & eo tandem peruasit, vt in ipso quandam numinis potentiam esse rati errore sacrilego cultum sacris debitum ei exhiberent, Sed tandem a Leone Catanensi Episcopo diuina virtute ex improuiso captus frequenti in media vrbe populo in fornacem igneam iniectus incendio consumptus est. Sed quoniam in magiam incidimus, quam fraudulentissimam artem Romanis legibus olim grauiter punitam, ac vel ipso nomine perosam, execrandamq; esse nemo ignorat, non ab re fuerit & illud adijcere. Non omnia, quæ per magicam artem aut oculis,aut animis obijciuntur, ea re ipsa fieri: vt quod a Lyodoro homines in bestias transformatos creditum est, & quòd in asinum sese abijsse ipse testatur Apuleius, quodq; de Medeæ veneficijs passim & Poetæ, & historici loquuntur. Talia nanq; per humanorum sensuum delusionem,quibus ipsi dæmones plurimum præsunt,& non reuera inducuntnr. Cū etenim dæmones rerum cognitione ex ingenij acrimonia, longaq, experientia, atq; naturæ agilitate præstent, ea, quæ sunt (vt vulgato loquendi apud nostri tēporis philosophos more vtar) alterabilia facilè cōiungere possunt, & ea nonnūq̄ inducunt, quæ miracula esse videntur hominibus. Neq; propterea CHRISTI Dei nostri miracula magica arte, ac dæmonum incantamentis facta fuisse censendum est, vt Suetonius Tranquillus, Cor. Tacitus, Plinius, & Trogus P. falsò nobis imponunt. CHRISTI namq; opera vtpote mortuorum ad vitam excitatio, cœcorum illuminatio, & id genus cætera cum vim omnem excedant naturæ,prestigijs magicis fieri nequeunt,sed sola illius potentia,qui cōditor est

tor est naturæ. Sed iam ad institutum reuertor. Catanæ quoq; vrbi sepulchro D. Agathæ virginis, quæ pro christiana religione sub Quintiano Siciliæ quondam Præside anno sal. 152. occubuit, plurimum ornamenti accessit. Ea nanq; cum ob id solùm, quòd Christiana esset, tanq̃ malefica delata fuisset, plagas, fidiculasq; primùm, mox a pectore vbera sibi ferro, ac igne diuelli passa, demum ex pedum plantis derasa cute super ardenti foco placido vultu incedens intrepida inuictam mortem in carcere obijt. Cuius numen tanq̃ Catanæ vrbis tutelare maximo totius Siciliæ virorum ac mulierum conuentu, nonis Feb. q̃ religiosissimè colitur: tametsi Panormitani de eius patria contendant. Templum ei tota Sicilia maximum, & coenobium illi coniunctum ab Angerio Catanæ vrbis Episcopo conditum est, prout marmorea tabula ad septentrionalem ædis portam infixa has maiusculas in scripta demonstrat. Anno ab incarnatione domini. 1094. ind. prima, Vrbano secundo Papa Romæ, Philippo Rege Franciæ, Rogerio, Guiscardi Ducis filio Duce Italiæ, Rogerio quoq; fratre ipsius Guiscardi Comite totius Siciliæ, & Calabriæ Domino, Angerius Catanęę Abbatiæ episcopus cœpi hoc ædificare monasterium, & ad finem vsq; cõpleui adiuuãte dño nostro IESV CHRISTO. hucusq; in scriptio. Rogerius etenim Normanus Siciliæ Comes post exactos Sicilia Sarracenos Catana episcopali sede ornata, & coenobio ordinis D. Benedicti in eadem æde constituto, Angerium coenobij Abbatem simul, & vrbis Episcopum instituit cui, Catanam vrbem, Aetnam montem, atq; Acim oppidum dono perpetuò obtinenda dedit, reseruato sibi pro censu annuo vini cyatho, & pane: vt in eius diplomate dato Catanæ anno sal. 1092. videre est, Vrbano secundo Romano Pontifice id confirmante: vt in eius priuilegio dato Anagniæ. 7. id. mar. anno sal. 1092. constat. Nicolaus cognomento Todiscus Catanensis fuit. Is iuris pontificij scientia sua ætate nemini secundus, Abbas vulgò dictus est: quòd Abbas erat monasterij sanctæ Mariæ cognomento Maniacis ad radices montis Aetnæ siti. 8. p. m. a Randatio ad occidentem distantis. Nec multo pòst ad Panormitanum Archiepiscopatum ab Eugenio quarto Romanæ sedis Pontifice per Alfonsi Arragonum, & Siciliæ Regis intercessionem suffectus, postremò sedis Apostolicæ Senatui Cardinalis adscitus est. Bononiæ, & Senis instituendæ iuuentuti operam dedit. In totum pene ius pontificium eruditissima edidit commentaria, quæ a peritis maximo in precio habentur. Hic in concilio Basileensi anno sal. 1440. consilio, doctrina, atq; authoritate cæteris omnibus præstitit.

Galeatius siue Galeotus Bardasinus ætate superiori Catanæ oritur. Is singularibus naturæ incrementis euectus admirabili corporis magnitudine eò proceritatis excesserat, vt communem hominum staturam, verticesq; humeris superaret: cuius robustis, ac teretibus membris, vniuersæq; corporis magnitudini par virium robur, habitusq; adeo respondebant, vt tota eius compago exactissimo naturæ ingenio exculta, elaborataq; esse videretur. Igitur hastæ, lapidisq; iactu, lãcea, saltuq; omnem hominem facilè vincebat. Membrorum quoq; robori ingens animi decus affuit. Equo, ac pede bellator acerrimus. neq; illi situs, quominus fortitudinis suæ experientiam ederet, officere potuit. Armatura enim graui armatus, galeatùsq; humi stans, sinistra ephippium, dextra hastam militarem tenens strenuo saltu equum insiliebat. Grandi etiam statura equum absq; freno velociter currentem insidens, cruribus coxisq; sistebat. Asinum præterea magna lignorũ cõgerie, siue quocũq; alio onere graue, manibus e terra extollebat. Duos præterea ex robustissimis simul aggrediebatur, dũq; alterũ attrectaret, alterũ genibus compressum vrgebat: nec ante desistebat, quàm prius hunc, deinde illum pedibus subijciendo amborum manus post terga vinciret. Is cum Plumbinum Florentinorum eo tempore oppidum ab Alfonso Aragoniæ & Siciliæ Rege obsi-

Rege obsideretur, à tribus hostium equitibus petitus, vnum ex eis gladij capulo seminecem equo excussit, alterum citato equo medium amplexus, è sella extractum humi prostrauit, tertium cubito grauiter percussum in fugam vertit. Singulari certamine quater præliatus, bis in Italia, bis in Gallia Transalpina, toties victor euasit. Sed ad ordinem redeo.

Amenas fluuius Pindaro in Pythijs ode prima. Amenanus Sraboni lib. 5. & Ouidio Meta. lib. 15. Iudicellus ætate mea appellatus, vrbem Catanam subterlabens interfluit. Oritur autem ex radicibus Aetnæ montis, cuius cùm fons nondum peruestigari potuerit, in media tamen vrbe longo tractu pleno fluit aluco. Aliquando verò obturatis fontium venis totus per aliquot annos euanescit: rursusq; postmodum subitò erumpens excurrit. Ita alternis vicibus perpetuò, ignotis naturæ causis, itq; reditq;, tantam quandoq; Catanæ vrbi calamitatem afferens, vt inundationem, aut cladem inferat. Nam cùm excurrit, crassior vrbis aer redditur, ac insalubris, & pestilens Catanensibus efficitur. Ager Catanensis amplissimam habet planiciem; ac vberrimus, & frumenti feracissimus est. Qui cum obsitus est, annonæ caritas proculdubiò tota Sicilia sequitur. Catanenses colles, post igneum profluuium, & reiectum cinerem, quo exundant, vltra morem sunt fertilissimi. Cinis nanq; Aetnæus lætissima reddit vineta, & arua fructuosa. Extra moenia Catanæ vrbis p.m.3. ad occidentem, Coenobium est ordinis Carthusiensium Diuæ Mariæ à noua luce dicatum, ab Artali Alagona Mistrettæ olim Comite, & Siciliæ Proiustitiario à fundamentis erectũ & dote insignitũ: vt eius diplomate dato Catanæ mense Martio, anno sal. 1378. patet Sed ad ordinem D. Benedicti ab Vrbano Romano Pon. postea translatum: vt in eius priuilegio dato Romæ. 8. cal. Febru. Pontificatus sui auno octauo legitur. Sed rursus ordinem instituti nostri sequamur.

DE TERIA, ET SYMETHO FLVVIIS.

CAP. SECVNDVM.

POST Catanam vrbem p.m.8. Terias fluuius Tucydidi lib.6. & Pli.3. in mare se exonerat, & fauces habet: fluuius Catanæ, & Iarretta hodie à Scapha, qua Leontinum homines eius alueo traijciuntur, appellatus. Nam scapham siculi Iarrettam vernacula lingua mea quidem ætate vocant: cuius ibi toto anno ad viatores traijciendos vsus est. Hic præter anguillas, & mugiles, alosas præbet laudatissimas: sed & eius mugiles ab Athenęo sapidissimi censentur. Alosæ autem à mari ad prima veris signa agminatim huc, & aliquot Siciliæ flumina, quæ in mare lybicum fluunt, subeunt, vt aquarum suauitate salubrius foetum educant: ibiq; paucorum dierũ mora in vndis fluuialibus amissa, marinæ salsuginis aridtate mirificè pinguescũt, ac ouis ad ripam fluuij editis, ex quibus postea gignuntur, incipiẽte statim æstate, in maria reuertuntur. Caput habet ipse amnis in media fermè Sicilia triplex, quorum quodlibet ingentem facit fluuium. vnum quidem ad montem Nicosię oppidi oritur; quod fluens Trachynam, cuius vsurpat nomen, dextrorsum in excelsa rupe primùm, mox Cisarũ, oppidulum sinistrorsum relinquit, Maniacisq; agros decurrens alluit vbi. Broli, & vicinorum collium receptis fluuijs augetur. & subinde non procul, falcato fluxu dilapso, & Aetnę radices alluenti, Rayhalbuti, quod Sarracenici nominis oppidum est, fluuius ad dexteram, & mox ad sinistram Adriani aquę, è fontibus quidem magnis, & numero pluribus ortę, illabuntur, ac deniq; Paternionis oppidi, quod ad sinistrũ dimittit, aquis exceptis, auctus, eius quoq; nomen prioribus amissis susçipit: vbi anguillis, & tincis ab-

tincis abundat, ſcaphæq; eiuſdem nominis vſum habens, agrum Catanenſem excurrit. Inquo alteram habet ſcapham, quæ à ſancta Agatha dicitur: vbi & Teriæ apud veteres, hac verò ætate Catanæ nomen habet. Alterum Terię flu. caput ſupra Aſſorum oppidum, ad montem Artiſinum, quà orientem reſpicit, exoritur. Vnde dilapſus paulò inferius fontis maximi, qui ex Taui monte & ortum & denominationem habet, influxu augetur, & nomen adipiſcitur. Memoriæ proditum eſt, Taui fontem, iuxta quem Sarracenorum olim erat oppidulum, cuius adhuc cernuntur ruinæ, anno ſal. 1169. pri.no. Febru. Gulielmo huius nominis Siciliæ Rege ſecundo rerum potiente; duarum ferme horarum ſpacio à diei exortu ſuppreſſum omnino ſubſediſſe, ac magna mox ſcaturigine ſanguinei coloris latices, per horæ interuallum, ſtupentibus accollis effudiſſe. Prolapſus dein Taui flu. Calafibethā atq; Ennam oppida ad dexteram, ad ſiniſtram vero Aſſorum in montibus editis relinquens, fluuiolum ſub Enna oriundum excipit: vbi priori amiſſo nomine Chryſas à veteribus, Dictainus hodie vocatur. Dehinc longo tractu fluens Gurgalōgam fluuium recipit, & poſtea Agyra, Rayhalbuto, Centuripis, Apollonia, & Alycia oppidis ſiniſtrorſum, & procul relictis, in agrum Catanenſem fluit, atq; inter ſcapham ſanctæ Agathæ, & ſcapham Iarrettæ Teriæ fluuio miſcetur. Tertium verò caput, ad montem Aydonis, noui nominis oppidi, initium capit. Vnde dilapſus hoſpitium Cannæ, cuius ibi nomen induit, præterlabitur. Subinde longo, ſed obliquo fluxu excurrens, Gabellamq; hoſpitium aliud, eius mutuato nomine, Iudicam, Hyblam, & Ineſſam oppida proſtrata præterlapſus, Catanenſem agrum irrigat. Vbi inter ſanctæ Agathę ſcapham, & Iarrettam, Teriæ poſt Dictainum illabitur. Ita Terias tribus fluminibus maximus effectus, Leontinorumq; ſcapham habens inter Catanam, & Symethum fluuium prorumpit in mare: vt lib. 6. Thucydides ſcripſit, & nos viſu docemur. Cum Teriam traieceris, ad .4.p.m. Symethi flu. oſtium occurrit Thucydidi, & Straboni lib. 6. & Pli. lib. 3. licet Ptolemæus non rectè inter Tauromenium, & Catanam ipſum poſuerit. Symethus flu. (inquit Strabo) agrum Catanæum influit. & Thucydides: Profecti Catanam versùs caſtra poſuerunt ad Symæthum fluuium, in agro Leontino. A pellatur hodie is fluuius, à ſancto Paulo, à ponte eiuſdem nominis, ad eius alueum traijciendum ibidem extructo. Sed & ager eius ripis adiacens, Symethus adhuc dicitur. Ita vetuſti eius nominis nequaq; facta videtur obliuio. Quinq; fontibus, non longe a Mene vrbe exurgit. Eorum hæc ſunt nomina: Macubus, Pipinus, Ochula, Canalis Calcagnus, & Fons ferratus. Et dilapſo iuxta hoſpitatoriam tabernam à Gutterra nominatam, flu. Buffaritus, non longè à Platia vrbe exortus, ei ad ſiniſtram illabitur. Et Paulò pòſt flu. Paliconiæ, ab oppidulo eiusdem nominis & nomen, & ortum adeptus, ad dexteram in eum influit. Ita Symethus auctus Leontinos primum (vt Thucydides lib. 6.) mox Catanenſes agros, qui cōtermini ſunt, alluit: vt & lib. 6. Strabo ſcribit. Hic idem ille eſt fluuius, apud authores celeberrimus: quòd ad eius verticem, qui à faucibus p.m. ferme. 30. intus recedit, Thaliam Nympham, à Ioue compreſſam, duos peperiſſe gemellos poetarum fabulis traditum eſt. Quos cum illa, metu Iunonis optaret à terra abſorberi, paruit quidē terra nymphæ optatis: attamen eos Paulò poſt in lucem edidit. Vnde Palici dicti, quaſi ex terra renati; & pro Dijs à veteribus Siculis ſunt habiti. Quibus & lacum, & templum, ad verticem huius fluuij extantia, & miranda plura conſecrauit antiquitas. Cuius memorabilis ſuperſtitio cogit, vt fuſius de ijs loquamur: Lacus itaq; inter Meneum oppidum peruetuſtum, & hoſpitium Gutterræ, non magni ambitus, ad radices cuiuſdam collis, paulò infra Symethi capita, ad huc extat, Naphtia ætate

mea vulgo

Digitized by Google

mea vulgo appellatus. Qui aſsiduam ſcaturiginem turbulentarum, ac pene ſulphurearū aquarū, tribus in medio crateribus, quos & delos veteres vocabant, ad tres circiter cubitos in altum eiectans, non aliter, q̃ ſubiectis ignibus feruens ebullit olla. Cuius aquæ ad perpendiculum cadentes nunq̃ effluũt, ſed rurſum in eundem ſinum, qui eò tamen non fit amplior, recipiuntur, ac reſident. Cui, quòd palicos fratres, quos veſano errore Deos exiſtimabant, perpetuò adeſſe arbitrarẽtur, diuinos honores deferebant, crateresq; ipſos ſumma religione vetuſtiores Siculi venerabantur: iuxta quos & templum (vt lib. 11. Diodorus, & .5. Saturnaliorum Macrobius ſcribunt) porticibus, & architecturæ ſumptibus conſpicuum, ac tota Sicilia cultu, & religione per ſtupenda quædam miracula creſcenti longè clariſsimum, ac finitimis etiam Italiæ populis frequentatum, in planicie Dijs Palicis ædificarunt. Quò cum furti, vel cuiuſuis alterius cauſæ fides, ſeu iuramentum poſtularetur, reus cum actore deducebatur, ibiq; accepto fideiuſſore ab eo, qui iuraturus erat, de ſoluendo quod petebatur, inuocatis loci numinibus, ſuſpectus iurabat. ſi fideliter, diſcedebat illæſus: ſi peierabat; mox in lacum, crateresq; vel lapſus expirabat, vel luminibus ſaltem captus condemnabatur in litem; vt Diodorus refert. Ariſtoteles verò in lib. de mirandis auditionibus, multò aliter tabellis id fieri ſolitum ſcribit: quas iuraturus antè conſcriptas, & obſignatas in fontem emittebat: quæ ſi recte; ſuper aquas fluitabant: ſi dolo, ſtatim mergebantur; periurusq; repentinis correptus ignibus in cinerẽ palã vertebatur. Quamobrem ſacerdotes, quibus ſacri fontis, & templi cura erat, non priùs ad iusiurandum quenq̃ admittebãt, quàm ſponſorem præſtitiſſet; qui & quod petebatur, & expurgationis impenſas, ſi diuini iudicij ſupplicium repentinum luiſſet, pro eo ſtatim ſolueret. Templum verò ipſum Asylum præterea tutiſsimum erat, ſupplicibus quacunq; calamitate oppreſsis. Nam cum Siciliam ſoli ariditas, pluuiæq; inopia aliquando exhauſiſſet, annonæ caritate afflicti Siculi omne genus frugum in Palicorum aram congerebant. quæ ob id pinguis à veteribus eſt appellata. Vnde Aen. 9. Verg. Eductum (inquit) matris Luco Symethia circum Flumina, pinguis vbi, & placabilis ara Palici. Cuius beneficij religione, ac numinum reuerentia perpetua lege ſancitum fuit, vt ſerui fæuitiam dominorum fugientes tuti, ac inuiolati in id templùm reciperentur, donec iureiurando eis domini inpunitatem ibidem eſſent polliciti. Quod adeò religiosè obſeruatum fuit, vt nunq̃ datam ibi ſeruis fidem à dominis violatam fuiſſe Diodorus memoriæ prodiderit. Cum igitur rei nouitate, ac miraculis allecta populi eò frequentia conflueret, Ducetius Siculorum Princeps C. Nautio Rutilio, & L. Minulo Carunano Coſs. iuxta hoc Palicorum templum in colle, qui lacui prominet, vrbem, in quam ſe aduenæ reciperent, condidit, Palicamq; a Dijs vicinis appellauit. Qua muro ſatis firmo comunita, finitimos colonis agros diuiſit. Ea vrbs licet vbertate ſoli, & habitatorum multitudine, paruo tempore, in iuſtæ ciuitatis formam coaluerit, poſt ab hoſtibus euerſa breui defecit Diodoro lib. 11. teſte. Extant hodie in eodem colle huius vrbis veſtigia, non magno tamen interim ambitu compræhenſa, Templi quoq; ipſius magna circa lacum, & ea pro maiori parte obruta monumenta. Lacus autem ipſe ad angulum planiciei, circa collis radices turbidus, & mali odoris, ambitus paſſuum non minus centum: in cuius quoq; medio tres ſunt, veluti ollæ ſub igne feruentis, aquarum ſcaturigines. Quæ continua etiamnum eructatione ad tres circiter cubitus in altum comitante perpetuo æſtus murmure, aquas efferunt, rurſumq; cadentes in ſinum recipiuntur. Aquas huius ſtagni ſi mane ante Solis exortum bruta potauerint, repentino propè interitu occidunt. Nam licet frigidæ ſint, turbidæ tamen, & dirum exhalantes odorem, qui

Digitized by Google

rem, qui ex ſulphuris, bituminisq; materia, qua ſtagni fundus plenus eſt, vt bullæ ex eo aliquando efflatæ indicant, generatur. Hinc adeo pernicioſæ ſunt eius aquæ, vt non ſolùm potantia bruta, ſed ſuperuolantes plerunq; aues in periculum agant. Nam ex aquarum huiuſcemodi vaporibus, aër inficitur, & quò deterior eſt materia, eò concretior redditur: quo inſpirato, per inde, vt guſtato veneno aues pereunt. Aetate mea, cùm aliquãdo Sicilia ſiccitate laboraret, ſtagnum hoc prorſus exaruit: è cuius tum crateribus, ventis ſolum furentibus, puluis tantùm efflabatur. Sed de Palicis hucuſq; ſatis, ſi illud addidero: quod cùm eius, quæ à ſcriptoribus recenſentur, miracula veteri florente ſuperſtitione ſint edita, demonũ opera fuiſſe proculdubio exiſtimandum eſt. Ad Symethum fluuium reuertor. Cuius littoralis ora, quæ ab eius faucibus, ad Leontinos vſq; vergit, Xuthia priſco tempore vocabatur, à Xutho Principe ex filijs Aeoli vno, qui huic olim regioni dominabatur, vt lib. 6. Diodorus tradit. Poſt Symethum fluuium p. m. ferè quinq; fluuij, qui ſancto Leonardo hodie inſcribitur, oſtium ſequitur. Cuius nullus veterum meminit. Oritur is duobus capitibus. Quorum dexterum, ex duobus fontibus originem habet: altero, cui non longè à Bucherio oppido emergenti, Gileppo eſt nomen: alterò, qui iuxta Francofontem oppidum, vbi & priori miſcetur, à Paſſanito dictus eſt. Et excurrens cùm ad dexteram Leontinum vrbem mille paſſus reliquit, Reginæ nomen ſuſcipit. Siniſtrum verò non longe à Lycodia oppido, ex fonte Nuciforo oritur: & fluens paulò pòſt ordine augetur ex fontibus Callari, Ciramito, & Minachi: auctusq; Scumæ nomine appellatur: ac deinde in agro Militelli oppidi, ex alijs fontibus ampliora incrementa ſuſcipit. Vnde progreſſus inter Militellum, & Francofontem oppida, loco, cui Barrifaudo nomen eſt, vbi & plures frumentarias moles habet, hominum ingenio, atq; opera in duos ramos diuiditur: quorum ſiniſter in Lacum Leontinum, quem Beuerium vulgò appellant: influit: quem & piſcoſum facit: Dexter verò mille prope paſſus à Leontino refugiens, cum fluuio Reginæ miſcetur; pergensq; vlterius ab ædicula ſancti Leonardi, quam præterlabitur, nouum nomen acquirit. Vnde prorepens Lacum alterum piſcoſum, Pantanum appellatum, facit. Nam clauſo maris oſtio, fluuij curſus detinetur & amnis ſtagnat. Qui ad dexteram agris vicinis ſuper funditur, eosq; vel ob id inarabiles, & culturæ minime idoneos reddit. Ad lævam verò per aquæductus fluens, Pantanum ipſum progignit. Hinc tota ferè hæc regio paluſtris eſt. Leontinum frumenti Emporium deinde ſequitur: vbi ſinus paruus eſt, qui, quòd ad angulum quendam ſitus eſt, quo collis, qui ei imminet, in orientem ſe porrigere incipit, faciens Taurum promontorium, Ingluni vernacula lingua, quæ literis ſcribi minime poteſt, licet diſtinctè, proferatur, hodie Siculis nominatur. Iuxta emporium, & eius horrea templum quadrato, & ingenti lapide à Friderico ſecundo Cæſare, Siciliæ Rege imperfectum quidem, ſed mirum extat. In eodem loco arx eſt, & ager illi adiacens, qui Murgus appellantur. Fuiſſe ibi olim Murgentium vetuſtam vrbem eruditi omnes affirmant. Cuius deletæ plæraq;, licet obruta, in eodem agro cernuntur veſtigia, quod nominis, cuius aliquod ad huc ſeruat monumentũ, affinitas affirmat. Cicero in Verrem eam Murgentium. Strabo lib. 6. Morgantium. Liuius verò lib. 4. di ſecundo bello Punico Murgantiam appellãt. Quam quidem maritimam fuiſſe, nec longè à Syracuſis, his verbis teſtatur Liuius: Ad Murgantiam tum claſſem nauium centum Romanus habebat, quò euaderent motus excædibus tyrãnorum orti Syracuſis, quòue eos ageret noua atq; inſolita libertas, opperiens. hæc Liuius. Hæc à Morgetibus Aſiæ populis condita fuit, vt lib. 6. Strabo ex Antiocho refert. Morgetes (inquiens)

Rheginos

Digitized by Google

Rheginos Brutiorum agros cum Siculis primum incoluerunt. Vnde ab Oenotrijs eiecti, in Siciliam traiecerunt, & Murgentium hanc vrbem ædificarunt. quæ postea à Carthaginensibus fuit deleta; & Strabonis tempore prostrata visebatur. Sunt, qui Engium vrbem ex verbis Plutarchi in Marcello maritimã opinantur hoc loci stetisse, q̃ ex affinitate recentis, & vetusti nominis, & ex alijs quoq, coniecturis suspicantur. Et quoniam Emporium hoc Leontinorum est, quorum vrbs quinq; p. m. ab eo intus recedit; Leontinum vrbem, & si mediterraneam hîc describere non alienum a meo instituto fore censeo.

DE LEONTINO VRBE.

CAP. TERTIVM.

LEONTINVM, siue Leontium Ptolemæo peruetusta vrbs p. m. quinq; à suo maritimo Emporio distat. Hæc vrbs si altiùs eius originem repetamus, omnium Siciliæ vrbium antiquissima est. In ea namq; qui primi (quos quidem authorum memoria consequimur) versati habitauerunt, Lestrigones fuerunt. Gentem Cyclopum (inquit Solinus) fuisse in Sicilia vasti testantur specus. Lestrigonum verò sedes in Leontinis ad huc sic vocantur. Et Pli. lib. 3. Flumina Symethus &, Terias. Intus Lestrigonij campi, oppida Leontini &c. Quòd si etiam authores desint; vasti eius specus, qui in hunc vsq; cernuntur diem satis id demonstrãt. Huic vrbi vel à subita finium propagatione, vel a populi concursu conuenientissimum nomen primi eius habitatores imposuerunt. Leos enim græcè populus est latinè: & tino græcis extendere, vel multiplicare latinis sonat. Latos siquidem fines & incolarum frequentia, simul ac varietate celebres semper habuit. Post lestrigonas hæc vrbs à Siculis fuit habitata & subinde Naxiorum indigenarum colonia lib. 6. Thucydidi. Theocles (inquit) atq; Chalcidenses è Naxo profecti septimo post habitatas Syracusas anno Leontinos eiectis Siculis incolunt. hactenus Thucydides. Quo tempore Siculi eam habitabant Hercules Siciliam traijciens Leontinum venit. Cuius agri pulchritudinem admiratus, & quoniam summo honore ab incolis fuit exceptus, æterna ipse eis sui reliquit monumenta, quæ nobis à scriptoribus tradita non fuerunt. Deinde verò & Naxiorum sedes fuit. Nam Chalcidenses, qui Naxum incolebant ob aeris inclementiam inde discedentes, penatibusq; translatis in Leontinos venerunt. vbi Siculis bello superatis, eiectisq; suæ gentis coloniam duce Theocle posuerunt. Leontinos (lib. 6. inquit Strabo) Naxij, & quidem indigenæ condiderunt. eamq; vrbis partem, quam Tironem hodie appellant, quod natura munita esset, primùm incoluerunt: cui deinde circunducto muro amplissimo arcem quoq; triangularem, quæ adhuc extat, tria Siciliæ promontoria suis angulis spectantem, atq; exinde aliam vrbis partem, quam Ciuitatem nouam dixerunt, crescente populo addiderunt: vt lib. 16. refert Diodorus. Quam eam fuisse Leontini eruditiores opinantur, quæ Castellũ nouum hodie dicitur. Celebrior vrbis porta apud Leontinos eo tempore fuit, quæ Iracea vocabatur: vt memoriæ proditum est. Hæc vrbs eo tempore prudentissima Reip. politia, vt lib. Politicorum. 5. scribit Ari. quam, quòd a paucis ad ministraretur, oligarchiam nominabant, regebatur: inter quos & Lamim Megarensem aliquandiu præfuisse, atq; postmodum abactum refert Thucydides. èo tempore breui adeo hæc vrbs coaluit, vt confluenti multitudini Eubœam ad meridionale Siciliæ latus nouam vrbem Leontini condiderint Straboni lib. 6. Cum namq; omnium rerum, quæ ad humanam vitam sustentandam,

Digitized by Google

tandam, colendamq; desiderari queant, ager Leontinus vberrimã messem præbeat, nõ modo populos, veluti ad rei familiaris cõmune horreũ, sed & tyrãnos ad prædã sui inuitauit: seditionibusq; etiam intestinis nationũ, morumq; varietas, ac dissimilitudo occasiones sæpe præstiterit. Nam & æui processu in Panęcij tyrannidem peruenit. Tempore belli Athenienſis cũ plebs a primoribus vrbis desciuisset habitaculis prope omnibus solo æquatis vrbs deserta remansit Thucydidi lib. 5. Verum paulò post solitudinis tedio regressi Leontini locum vrbis Phoces nomine, atq; arcẽ Bricinnias, quæ in agro erant, occupauerunt. Phalaris quoq; Agrigentinorũ tyrannus cum bello Leontinos superasset, eos armis exuit. Ac ne deinceps res nouas moliri possent conuiuijs, ac vinolẽtiæ eos reiecit, Ita Leontini Maxima cum fœditate inter pocula obuersabantur. Inde apud Græcos in adagiũ receptũ est: Leontini semper ad pocula. Hæc vrbs a Syracusanis olim deleta est: quæ tamen postea restituta est Pausaniæ lib. 6. Morte demũ Hieronymi Syracusanorũ vltimi Regis insignis facta est. Sed de his, bellisq; omnibus latius in historijs. Hippagoras, Phrinon, & Aenesidemus Leontini priuata pecunia ad Eliam Græciæ regionem pro religione Iouem septem cubitorum magnitudine, cuius leua aquilã, iaculum dextera præseferebat, erexerunt, posuerũtq;. Vrbs Leontinum sita est hodie in tribus vallibus, totidemq; collibus prominentibus. Quæ res ad vesperã visis luminaribus, quæ ex domorũ feneſtris agminatim quodammodo lucẽt, eminus conspiciẽti, spectaculũ, tanq; stellati cuiusdã cœli effigiem, præbet. adeo vt intentius ipse aliquando speculatus septentriones hyadas, pleyadas, gnosiamq; ardentẽ coronã, atq; aliarũ multarũ stellarum species mihi ex hoc aspectu videre visus sim. At verò tres illæ valles, quibus vrbs circumfunditur tum profunditate ipsa, tum etiam paludum propinquitate, lacus præsertim, quem Beueriũ appellãt terrestrẽ, infectumq; aerẽ habitatoribus gignit. Is namq; lacus, vt pluribus ab hinc annis, ita & hodie Leontino ad mille passus in septẽtrionẽ adiacet. q.p.m. fere. 20. ambitu noua maiorũ nostrorũ industria è fõtibus indigenis, imbribus, ac flumine, cuius paulò supra meminimus, coactus, piscium, qui e mari eò alendi gratia deferuntur, toto anno ingentem capturam præstat. Ex qua magnum uectigal, quòd per multas Siciliæ vrbes venum portentur, distrahanturq;, Leontinis prouenit. Quocirca Carolus Cęsar Siciliæ Rex vt & incolarum salubritati mederetur, & vrbis, Iusulæq; munitioni prospiceret, delecto loco editiori, qui vrbi veteri imminet, & à meta denominatur, nouam vrbem situ, moenibus & viarum amplitudine claram, quam Carleontinum vocant, erexit. In hac vrbe. 7. Cal. Maias annuæ, solennesq; nundinæ totius pene Siciliæ, imo & Italiæ vicinioris frequentia, omniq; mercaturæ genere insignes publico foro perpetua institutione celebrantur. In agro Leontino primùm fruges iuuentas, & frumentum sua sponte nasci solitum, ac semente centuplũ fructum reddi longa memoria, & vsu compertissimum esse Cic. Diodorus, & Pli. scribunt. Refert Aristo. lib. de natura animalium. 3. c. 17. agrum Leontinum adeo pinguis pabuli feracem esse, vt oues ob pinguedinem sæpe intereant. Id circo pastores aduenıente vespera, seroq; diei pecudum greges ad caulas reducere solẽt, quo minus capiãt pascuæ, adeo ubertate ager ille luxuriat. Fontẽ esse in agro Leontino Lycũ noſe nobis hodie incõpertũ lib. 35. c, 2, Plinius tradit. q adeo pestilẽs ẽ, vt siqs ex eò potauerit tertio die emoriatur. imo & vnico hausu bibẽtes quãprimũ intèrimi Rufus Ephesius prodit. Ciues habuit hæe vrbs cõplures, à quorum virtute, rebusq; gestis illustrior est facta.

Sed inter eos Gorgias Philosophus, & Orator præcipuus fuit. Is patria Leontinus Charamantidę filius fuit, si Philostrato, & Pausanię, aut Philolai, si Aeliano credimus, Empedoclis discipulus, vt refert Quintilianus. Præceptor fuit Poli Agrigentini, Periclis, Isocratis, Alcidamantis, & cõplurium, Philosophorũ, atq;

Digitized by Google

oratorũ. Gorgiæ tanq̃ patri qcquid habet ars ſophiſtica ingenij, iure debet, vt au thor eſt Philoſtratus, qui vitã eius exactè ſcripſit. Quicquid ornamẽti Aeſchilus Siculus Poeta Tragicus addidit Tragœdię veſtẽ nimirũ, pulpitũ, perſonas, heroũ nuntios, qbus ſcœna, & ꝓſcœniũ ornatur, à Gorgia mutuatus eſt. Agatho Poeta tragicus, quẽ vnum ſapientẽ, pulchreq; loquentẽ ſcœna miratur, ſæpe in iambis ſuis gorgizat. Vehemẽtia præterea in dicendo, paradoxorũ ſpiritus, magni loquẽtiã, elocutio, tranſgreſsio, adiectiones, verba etiã poetica, ornatus, gratia, ex quibus oratio tũ dulcis, tũ potens emanaret, Gorgię inuẽtionis eſt opus. In Panægyricis quoq; eminentiſsimus eſt viſus. In oratoria, ac ſophiſtica arte vſq; adeo fuit eminens, vt ſingulo anno à diſcipulis centũ minas aſſequeretur, & alios ex patrocinijs dicendi quæſtus faceret. Hic vt Plato, & Cicero tradunt, de quacunq; re in diſceptationẽ, quæſtionẽq; vocatus copioſiſsimè ſe dicturũ profitebatur, auſusq; eſt in cõuentu omniũ ex ſingulis poſcere qua de re quiſq; uellet audire. Hic hominũ primus & aureã ſtatuã, & ſolidã, quæ ſuam effigiem ad viuũ prope exprimebat, ſeptuageſima circiter olympiade cum orationẽ Pythicam ex ara habuiſſet, Delphis in tẽplo Apollinis ſibi poſuit, vt .10. lib. ſcribit Pauſanias: cũ cæteris nõ au rea, ſed deaurata ſurrigeretur: tantus fuit eius docendæ artis oratoriæ quæſtus, vt Philoſtratus, Cicero, Diodorus, & Plinius memorant. Hic ob eloquentiã, famã, & cõmendationẽ à Leontinis inter legatos primus ꝓ auxilijs contra Syracuſanos impetrãdis Athenas miſſus eſt. Ingreſſus vrbẽ cũ in Senatũ ac populi conuentũ adductus eſſet, orationẽ habuit maxima acrimonia, arte dicendi, exercitationis inuẽtione, ac declamandi modo, atq; peritia adeo inſignẽ, vt licet Athenienſes ingenio ſummo, ſummaq; eloquentia pollerent, & nouitatẽ eius ſermonis, & colorũ rethoricorũ pinguedinẽ à cõmuni arte differentẽ admirati, præſidiũ, quod poſtulabat, libenter cõceſſerint. Hinc, vt Suidas ſcribit, vt Athenis publicè artẽ oratoriã ꝓfiteretur, verbis ſimul, & ſummis eum prẽmijs induxerunt. Vbi diù cum incredibili omniũ admiratione, attentioneq; auidiſsimè audiretur, Critiã, & Alcibiadẽ ambos ætate florẽtes, Periclẽ quoq;, ac Thucydidẽ ſeneſcentes ſibi deuinxit. Tandẽ viſendæ patrię deſiderio impetrata ab ſenatu venia in Siciliã ꝓfectus Leontinũ venit. Patria reuiſa, ac ſalutatis laribus, inquibus fuerat educatus, quorũ adhuc in regione Caſtelli noui diruta Leontini oſtendũt veſtigia, quaſi ſitim extinxiſſet, Athenas reuerſus eſt. Vbi tandẽ inedia ac ſenio ſũmo cõfectus occubuit. Cuius funus tanto honore ſunt ꝓſecuti, vt cum cæteri Areopagitæ ænea tantũ ſtatua ꝓ iuſtis donarentur, Gorgiã ſolũ aurea ĩ ſculpi ſanxerint. Vixit autẽ annos centũ & octo, ſiue centũ & nouẽ, vt Apollodorus tradit, ita corporis robore, ſenſuũ integritate, ingenio vegeto, & memoria firma, vt interrogatus, cur tandiu viuere vellet, reſpondiſſe dicatur à Cic. Nihil ſe habere, quòd ſenectutẽ incuſaret. Interrogatus iterũ causã tã longæ ſenectutis, & valetudinis in oĩbus ſenſibus vigentis, reſpondiſſe à Luciano in Macrobijs traditur: quód aliorũ cõuiuia nõ ſit ſectatus. Quó factũ eſt, vt in adagiũ Gorgię ſenectus puenerit. Cũ itaq; Gorgias ad ſupremũ ſenectutis deueniſſet, infirmitate detentus, ac morti vicinus in somnum dilapſus eſt. Tunc ad eum quidam accedẽs quæſiuit quid ageret. cui ille reſpondit: Iam me sõnus incipit fratri tradere, mortem ſomni fratrẽ appellãs, vt Aelianus libro .2. refert. Huius viri tres hodie orationes extant Florentię in bibliotheca D. Marci ordinis Predicatorum. Nobilitatur & hæc vrbs multo illuſtrius reliquijs Alfij, Philadelphi, & Cirini germanorum fratrum, qui à Tertillo Siciliæ Præſide pro Chriſtiana pietate fortiter occubuerunt, & pro numinibus tutelaribus iam ibi coluntur.

Leontino ita deſcripto poſt eius Emporium maritimum ad p.m. ſex Pantagiæ flu. oſtium ſequitur quod Bruca hodie appellatur. vbi & eiuſdẽ nominis Emporium proſtat, Flu. verò ipſe Porcaria, eiusq; oſtium hac ætate canale dicitur

Eſſe hunc

Digitized by Google

Esse hunc Pantagiam fluuium Ptolemæus ostendit, qui inter Catanam,& Taurũ promontorium Pantagiam ponit. Situs quoq; loci identidem indicat: Verg.etenim Aen.3.Pantagiam hoc versũ describit: Viuo præteruehor ostia saxo Pantagiæ, Megarosq; sinus, Tapsumq; iacentem. Porcariæ namq; siue Brucæ flu. ostium in vtraq; ripa rupes habet viuas ad viginti ferè cubitos altitudinis editas, ingrediturq; mare ipsum fluuium passus circiter mille: vbi & stagnat, & paruorũ nauigiorũ statio est. Ex utraq; igitur ripa ad fauces hic flu. viua habet saxa, præcisasq; rupes, cuiusmodi nullum non modó Sicilia, sed Italia quoq; fluminis ostium vidisse memini. Aeneę pręterea nauigatio ab eodem Poeta eo carmine de scripta hunc Pantagiam esse fluuium proculdubio ostendit. Aeneas namq; fretum prius,Symethum postea,deinde Pantagiam, ac Megaram, & Tapsum deniq; prętернauigauit. Quod & Ouidius quoq; (licet verso ordine) a Syracusis auspicatus hoc carmine demonstrat:liquerat Ortygiam,Megareaq, Pantagiamq; Ad extremum occasio qua Pantagię nomen huic flumini à veteribus fuit inditũ, & vnde fabula sumpta est,idem liquidò declarat. Sęuiente nanq; hyeme ex Leontinorum collium torrẽtibus, imbribusq; Porcarię hic flu. auctus tanta vi,ac violentia delabitur, vt saxa q̃plurima secum trahat, suoq; fluxu, delapsuq; ingentem reddat sonitum. Vnde Pantagias grecum illi nomen est impositum. quod totum sonans est latinis. Vnde & fabulam veteres huiusce modi commenti sunt. Ceres cum filiam Proserpinã passim quęreret, cymbalis,& tympanis circumcursitans sonitum, & tinnitum ciebat, vt quilibet rescire posset, quid nam ipsa in uestigaret. Cumq; ad hunc Pantagiam fluuium latius sonantem, & suis tinnitibus obstantem peruenisset, silentium ei imposuit. Claudianus etiã lib.2.à saxorũ tractu hunc flu.describsit his verbis:Et saxa rotantẽ Pantagiam. Minus igitur æquo aduerterunt,qui Pantagiã Marcellinũ esse flu.qui in Megarẽsi sinu profluit, scripserunt: cum neq, situs, neq; ordo,neq; res,neq; vllus eis deniq; authorum faueat, sed etiamnũ aduersentur. Ostreas fert Pantagias ad fauces tota Sicilia laudatissimas. Ostreę namq; siliceo sunt tegumento munitę & non nisi malleo à rupibus subaquaneis, quibus sunt affixę, diuelli possunt,gustu tamen sapidissimę sunt.Emporiũ hoc in mari non procul a littore fossam habet, quę nauiũ est ca pax,& tuta statio.Oritur Pantagias in agro Leontino inter Leontinũ,& Augustã, ex fonte, cui Aluiri nomen est hodie. p.m. ferme sex ab ostio recedenti: & plerũq; ad locũ,cui Gisira nomen est, margines egressus agris super funditur. supra Pantagiam flu.Lamis e Megara Gręcię vrbe secum ducẽs Coloniam: quo tempore Catana, & Leontinum à Naxijs conditę sunt in loco, cui prisca ętate Trotilo erat nomen oppidum condidit. Quod breui postea, vt lib.6. Thucydides refert, deseruit, & Leontinum cum Naxijs incoluit.

DE AVGVSTA, MEGARA, ET HYBLA VRBIBVS.

CAPVT QVARTVM.

PANTAGIAE flu.& Brucę Emporio Taurus promontoriũ Ptolemęo, quod sanctam crucem ab ędicula eiusdem nominis ibidem olim erecta hodie vocant, prominet, atq; in mare excurrit. Vbi & salinę plures, in quibus maris aqua infusa sal gignitur. A Bruca maritimo quidem octo, terrestri verò itinere tribus pas.m. Chersonesus Ptolemæo, peninsula latinis abest: quę tenui admodum spacio Siciliæ coniuncta est, dulciumq; aquarum prorsus indiga. Gemino portu dextra, leuaq; insignis, quanq̃ qui ad occidentem vergit solẽ latior tutiorq; portus est,Megaricus olim dictus, quod inter Augustam, & Megaram interfluat: quem Megarensem sinum fuisse constantissimum est. In hac peninsula Augusta noui-

Digitized by Google

nominis vrbs extat à Friderico Cæsare huius nominis secũdo, Siciliæ Rege post deletas Cẽturipas, quod oppidũ insolẽter ab eo desciuit, ãno sal. 1229. cõdita, quã Augustam a se appellari voluit. Ostendit id lapis marmoreus supra portam arcis inhęrens his versibus solenni charactere expressis insignis.

Augustam Diuus Augustus condidit vrbem.
Et tulit, vt titulo sit veneranda suo
Theutonica Fredericus eam de prole secundus
Dotauit populo, finibus, arce, loco.

Et in altera arcis porta, quæ meridiem respicit, lapis alter infixus hanc habet inscriptionem.

Huius apex operis ex maiestate decoris
Denotat actorem te Frederice suum.
Tunc tria dena, decem duo, mille ducenta trahebant
Tempora, post genitum per noua iura Deum.

Hæc vrbs ab exordio plures vastationes est passa. anno verò sal. 1360. cum à Friderico tertio huius nominis Siciliæ Rege ad Neapolitanum Regem Aloysium defeciisset, à Catanẽsibus, ac Syracusanis incẽdio fœdata, & solo æquata est. Cuius ruinas Augustani terram veterem vocant. Subinde tamen ab eodem Friderico restituta est. Aetate verò mea ãno sal. 1551. 16. cal. Aug. à Syna Solimãni Turcarũ Regis classis centum circiter triremium duce, capta prius arce, igne tota est absumpta. In intimo eius portus recessu parua est insula. Post Augustam, eiusq, isthmum littus circũeunti Yhadedæ sarraceni nominis flu. quem intus à sancto Iuliano appellant, ostium occurrit. Ortum habet is flu. 4. p. m. supra Leontinũ ad meridiem è duobus fontibus mille passus à se inuicem distantibus. Quorum alter Salicis, alter Chuppi nomen habet. Hunc fluuium deinde ad p. m. 2. Marcellini amnis in ipso Augustano portu fauces sequuntur. Intus vero cum proprio hodie nomine careat, passus Syracusarum à traiectu eius vrbis appellatur. Hunc flu. eum non ab re esse existimo, quem. 4. lib. de bello Punico Milliam vocat Liuius, eumq; inter Syracusas, ac Leontinum ponit. Marcellinum vero nomen vnde illi fuerit impositum, si non à Marcello Syracusarum expugnatore, incompertum mihi est. Oritur supra Sortinum oppidum ad occidentem p. m. 3. è fonte insigni, cui Fauara est nomen. & decurrens anteq; passus Syracusarum nomen accipiat, Curcuracium à Friderico Rege Tertio, quòd ad Claromontenses defeciisset, deletum oppidum, præterlabitur. Post Marcellinum p. m. Alabi flu. ostium patet Diodoro, & Ptolemæo, quem Cantarum hodie nuncupant. Ortum habet non procul ab ostio nisi passibus quingentis à fonte eiusdem nominis, vbi & Lymbetra olim arx erat à Dædalo extructa lib. 5. teste Diodoro. cuius hæc sunt verba. Dedalus apud Cocalum, & Sicanos diutius commoratus præclarus architecturæ præstantia extruxit in Insula quædam, quæ adhuc permanent, opera. Nã prope Megarã extruxit eam, quę dicitur Lymbetra. Ex qua ingens fluuius Alabos nomine in mare propinquum effluit. Hæc Diodorus. Lymbetra arx, quæ Diodori extabat ætate, hodie diruta pauca sui ostendit vestigia. Post Alabum per fundæ iactum ad latus vrbis dirutæ fons abest saluberrimus perpetuas effundens aquas: cui Cantaro etiam nomen est. ex quo Augustani aquas in vrbem ad potũ paruis nauigijs comportant. Imminet huic fonti, & Alabi fauces ad iactum lapidis sequitur prostrata quædam vrbs, quam mare ab vna eius parte alluit. Cuius moenia, quæ mille passus ambitu habuisse palàm est, ex quadratis, ingentibusq; lapidibus longè lateq; iacentia præsertim quà mari alluitur, domorumq; in ea vestigia mira conspiciuntur; quã Megarã fuisse vrbem nemo inficiari

Digitized by Google

inficiari poteſt, cum ex relatis Diodori verbis id planè conſtantiſsimum ſit. Nam cum prope Megaram, Lymbetram Dedalus arcem conſtruxerit, ex quà flu. ingens Alabos nomine in mare propinquum effluit, qui proculdubio Cantarus eſt, paucis paſsibus diſtans à mari caput habens, & authores hoc in loco Megaram, & eius portum ponunt: quis non videt dirutam hanc vrbem Megaram eſſe? Et rurſus quis Auguſtam Megaram fuiſſe sõniare poteſt? cum 6.p.m. ſi terreſtri itinere: ſi maritimo proficiſcaris, quinq; , & mari interfluente Auguſta, & eius Cherſoneſus ab Alabo diſtet fluuio, quem prope Megaram Diodorus conſtituat? Maritimam verò fuiſſe Megaram, & non mediterraneam, vt nõ rectè Ptole. tradit, Thucydides in. 6. his verbis oſtendit: Athenienſes, qui in Sicilia erant, mouentes è Catana nauigauerunt Megaram verſus, quæ eſt in Sicilia, & lib. 7. Athenienſes (inquit) viginti cum nauibus ante Megaram obſeruantes Syracuſanorum naues. Et in Verrem Cic. hæc habet verba: Hæc vna nauis ex claſſe noſtra non capta eſt, ſed inuenta ad Megariden, qui locus eſt non longè à Syracuſis. Et P. Mela. A Peloro (inquit) ad Pachynum ora, quæ extenditur, Ionium attingens mare, hæc fert illuſtria: Meſſanam, Tauromenium, Catinam, Megarida, Syracuſas. Quibus ſi Verg. & Ouidij pauló ſupra à nobis relata addideris verba, non ſupererit cauillandi locus. Megara igitur, quæ hæc iacens ad Cantarum eſt vrbs, lib. 6. teſte Thucydide à Megarenſibus ex Megara Atticæ regionis vrbe oriundis duce Lamo condita eſt: cui patrium nomen impoſuerunt. Strabo verò Megarenſes, qui Doridem incolebant, in Siciliam veniſſe ſcribit, & propterea à Dorienſibus Theocle Naxi conditore ſollicitante, conditam fuiſſe refert. Hanc vrbem Plutar. in Marcello Sicularum vrbium longè vetuſtiſsimam ob id (vt exiſtimo) appellat, quód priusq̃ à Dorienſibus ſiue Megarenſibus incoleretur, Hybla vocabatur, vt lib. 6. Strabo ſcribit. quod & Thucydides his verbis affirmat. Megarenſes Hyblone Rege Siculo Duce Megaras incoluerunt: qui Hyblęi ſunt dicti. hæc nanq; vrbs Hyblonis erat regia. Et licet Strabonis ætate Megara non extaret, Hyblæ tamen nomen propter Hyblęi nominis præſtantiam ex hoc loco memoria non exciderat. Hæc itaq; vrbs initio à Siculis condita Hybla, poſtmodum à Megarenſibus habitata Megara eſt dicta Et quoniam in Hyblam incidimus, poſtulat locus, vt Lectores admoneam tres in Sicilia fuiſſe Hyblas, vt Stephanus Bizantius ex Græcorum fontibus in ſuo de vrbibus libello ſcribit, maiorẽ, minorẽ, & minimã. Stephani hæc ſunt verba: Hyblæ tres ſunt Siciliæ ciuitates. eſt maior, cuius ciues Hyblei. Parua, cuius ciues Hyblei, Galeotæ, & Megarenſes: minor verò, quæ Nera nominatur. hæc Stephanus. Pauſanias vero lib. 5. duas fuiſſe ĩ Sicilia Hyblas ſcribit: Fuerunt (inquit) Hyblæ Siciliæ ciuitates duæ cognomine, Geratis vna, altera maior. Retinent hac etiam ætate priſca nomina. Earum altera in agro Catanenſi planè deſerta eſt, Altera in eiſdem finibus ad vici formam redacta. In hac fanum eſt Siculorum celebritate religioſum, Deæ, quam Hyblcam vocant dicatum. Ab hoc populo Iouis ſignum priſci admodum operis ſceptrum tenẽtis arbitror in Olympiam deportatum. Nam oſtentorum, & sõniorum interpretes eſſe, & cæteros, q̃ in Sicilia ſunt, Barbaros Deorũ ceremonijs colendis anteire Philiſtus prodidit: hucuſq; Pauſanias. Thucydides autem omnium trium Hyblarum meminit. Quarum poſtremam in agro Geleuſi fuiſſe ſcribit, vt paulò inferius memorabimus, alteram in agro Catanenſi, tertiam iu hoc loco conſtituit. Maior Hybla in agro Catanẽſi ſita erat teſte Pauſania. Hãc nõ longè ab Ineſſa, & Cẽtoripe fuiſſe lib. 6. Thucydides tradit, Cùm Atheniẽſes, capta Cẽtoripè, & incẽſis Ineſſorũ, & Hybleorũ ſegetibus, Catanã regreſſos memorat. Huius tantũ Ptolemęus meminit, cùm Hyblã mediterraneã facit, quę & ipſa Pauſanię ętate deſerta

ſerta erat ; licet eius nomen duraret,cuiusq; ciues Hyblæi ſolummodo dicebantur . Hæc fortaſsis ea eſt ,quã lib. Sicularum rerum .4. Tiellam Philiſtus fuiſſe refert : cùm ex tribus Hyblis Tiellam vnam nominat : quæ cùm noſtra ætate nomen etiam amiſerit,ſit ne ea Iudica vrbs deſerta , & proſtrata incompertum eſt . Altera Hybla , quæ in finibus Catanenſibus ſita à Pauſania , cuius ætate in vici formam redacta viſebatur , Geratis appellatur , ea eſt proculdubio , quam deſcribimus : quæ & à Catanæ finibus non longè abeſt , & Megara quoq; à Stephano vocitatur . De ea lib . 6 . locutus eſt Thucydides , cum Megarenſes Hyblæos cognominatos memorat . Huius itaq; ciues Hyblæi , Megarenſes , & Galeotæ dicebantur . Hyblæi quidem à prima vrbis appellatione , ſiue à Rege Hyblone ; Megarenſes autem ab altera vrbis huius ædificatione , & ab eorũ patria : Galeotæ vero à Galeote Apollinis filio , quem futurorum præſcium , veluti tutelarem Deum , & profeſsionis ſuæ ducem ſectati portentorum,ſomniorum , & oſtentorum augurali , & aruſpicina arte , interpretationeq; præſtabant . Magicas præterea artes callebant ; & futuros euentus adeo certò præuidere videbantur , vt non ab hominibus , ſed à Deo eorum dari reſponſa ab ignara plebecula cenſerentur . Gens in vniuerſum ſuperſtitioſa , quæq; in exprimendis Deorum cærimonijs cæteros in Sicilia Barbaros longè antecellebat . Horum primo de Diuinatione meminit Cic. ſomniorumq; interpretes ſagaciſsimos vocat . Hos & à Dionyſio Tyranno conſuli ſolitos ſcribit Aelianus . Fani ,quod Deæ Hybleæ religioſiſsimum ſua ætate in hac vrbe extitiſſe ſcribit Pauſanias , hodie nulla memoria , ſed iacentis alioqui vrbis miræ apparent ruinæ . Tertia in Sicilia erat Hybla , quam minimam appellabant: cuius non meminit Pauſanias . Thucydides tamen lib. 4. in Gelatino ſiue Gelenſi fuiſſe agro , & Cleandrũ Geloorum principem ibi interfectum tradit , & Neram quoq; vocatam Stephanus aſſerit . Sed quæ illa fuerit , ex ijs oppidis , quæ in eo agro vetuſtatis monumenta adhuc ſeruant , incertum eſt . Habet Buterium nonnihil antiquitatis , & viſuntur quoq; plures in Geloo agro priſcorum temporum ruinæ . De quibus quid coniectari poſsit , nihil habeo. Pro inde ad Megaram ipſam , quæ & altera fuit Hybla (vt diximus) redeo . Hęc circumquaq; fluuijs , & fontibus irriguis , ac portu nauium capaciſsimo , qui nunc Auguſtæ inſcribitur , erat inſignis . At poſtq; fuit à Megarenſibus habitata , adeo creuit potentia , vt centeſimo pòſt anno , ſuperante multitudine , incolæ (vt lib . 6 . Thucydides ſcribit) Selinuntem in Sicilia vrbem ad littus meridionale ſitam , Pammilio ducente coloniam , pulſis inde Phœnicibus , habitauerit . Cęterum ducenteſimo quadrageſimo quinto poſt eius ædificationẽ anno à Gelone Syracuſanorum Rege diruta (vt in eodem lib. Thucydides , & Herodotus in ſeptimo referunt) & paulò pòſt ob ſitus , & portus pulchritudinẽ à Syracuſanis reſtituta,poſtremò à M. Marcello,qui eius horrendo exemplo Syracuſanos , cæteròsq; Siculos ad deditionem per metum cogere voluit , capta , direpta , funditusq; euerſa eſt , vt lib . 4. de bello Punico ſcribit Liuius . Hanc mellis præſtantia , cuius ſecundas apud veteres obtinebat ,nobilitauit Pli. Eius namq; ager , & imminentes colles , vbi Melillis noui nominis oppidum eſt , thymi , atq; ſalicti floribus , quibus apes auidiſsimè veſcuntur , plurimum abundant . Quo circa eos Hybleos eſſe montes apud priſcos mellis ſuauitate celebratos nulli debet eſſe ambiguum : ea præſertim ratione , quod mel in eis , & circumuicina plaga natum cuiuis alteri in Sicilia ſtipato hodie etiam præfertur. Viros etiam eruditione claros peperit . Theogenes nanq; Poeta , qui Olympiade quinquageſima nona floruit , in ea (teſte Suida) natus eſt . Hic fecit elegiam de ſeruatis in expugnatione Syracuſarum. Sententias quoq;,ac vitæ præcepta elegis complexus eſt. Ad Cyrum præterea Regem,quem vnicè obſeruabat, Gnomologiam

Digitized by Google

mologiam ſcripſit, & pleraq; alia eruditionis monumenta carminibus expreſſit Epicarmum quoq; poetam comicum comoediæ inventorem Megarenſem fuiſſe in ſua Poetica Ariſtoteles, Cicero, Horatius: teſtantur & ſi non deſint, qui Syracuſas ei patriam attribuant. Hic multò ante chionidem, & Magnetē antiquiſsimos Comicos floruit, triumq; græcarum literarum, Lita, xi, pſi, inuentor fuit. Cuius & hanc ſententiam in Tuſcula. Cic. celebrat. Nollem mori: ſed mortem nihil æſtimo. Eum Plautus, Horatio in epiſtolis referente, imitatus eſt. Vixit autem annos nonagiuta ſeptem, vt Lucianus refert. Poſt Megaram dirutam vrbem ad paſſus fere mille fluuij, quem a ſancto Coſmano ab ædicula paulò ſupra huic diuo dicata hodie vocant, oſtiū ſequitur. vbi lacus eſt, quadrato lapide ad piſciū capturā à Friderico ſecundo Cæſare extructus. Oritur non longè ab oſtio, à fonte inſigni ad radices collium Hybleorum emergenti. Cuius ager cannæ mellitæ feraciſsimus eſt. Incubat ei ſupra ſuum fontem inter colles Hyblæos Melillis, iucundo terra, & mari proſpectu recens, ac tenue oppidulum. 4. p. m. à Megara, & eius ora refugiens. Quod anno ſal. 1542. quarto id. Decem. hora. 23. terremotu totum ferè collapſum ab oppidanis ſtatim reſtitutum eſt. Ad radices horum collium, vbi caput fluuij eſt, locus extat, qui Scala liliorum patria lingua nominatur: vbi frequentia Gigantum ſepulchra ſunt: quorum monſtruoſa paſsim ibidem oſſa effodiuntur. Et paulò poſt S. Coſmani oſtiū, p. m. 4. Tapſus peninſula Thucydidi lib. 6. & Verg. Aen. 3. inſula, Manghiſi Sarracenorum lingua hodie dicta occurrit, quæ anguſtiſsimo terræ limite in mari prominens peninſula eſt. Portum habet ad Iſthmum, quà Syracuſas vergit, Quà in mare protenditur, fluctibus par & arabilis tota eſt: quæ ratio Verg. eſt, quamobrem eam iacentem appellarit. In hac lamis Megarenſis, (cuius ſuprà meminimus) à Leontinis pulſus oppidum (referente Thucydide) condidit. Quod decedente conditore Megarenſes deſeruerunt, cuiuſq; nulla iam extant monumenta. Poſt Tapſum, iuxta Syracuſanam viam, Pyramis ex quadratis lapidibus, & eis ingentibus in excelſum ſurgens, peruetuſta quidem, ſed integra ætate mea cernebatur: verum eius quoq; anno ſal. 1542. concuſſus apex terremotu corruit. Plura in his agris priſcæ habitationis cadauera adhuc iacentia viſuntur, quæ lingua patria Syracuſani antiquitates appellant. Scribit quoq; Thucydides Bidim fuiſſe oppidulum non longè a Syracuſis. Bidis (inquit Cic. in Verrem. 4.) oppidum eſt tenue ſanè non longè à Syracuſis, & rurſus eodem lib. Bidenos populos parum à Syracuſis diſtantes nominat. Illud vero, quónam ſitum fuerit loco, incompertum mihi eſt, niſi dirutum oppidulum. 15. p. m. à Syracuſis ad occidentem diſtans illud ſit vbi hodie ædes D. Ioanni Abidini dicata viſitur. Sed & Diodorus lib. 20. Abicenum oppidum in his agris conſtituit: cuius quæ ſint veſtigia, non video: licet non ab re Bigenis agri nomen illius eſſe monumentum videri poſsit. In hoc agro Syracuſano, Sarracenis Sicilia potientibus, oppidulum erat Penthargiæ nomine, quod Rogerius Normannus Siciliæ comes, recepta iam Sicilia, quia ab eo præter fidem deſciuerat, funditus deleuit, vt exactius in hiſtorijs. Perſeuerat tamen eius nominis aliquid adhuc veſtigij. Turris etenim in eo agro nuper erecta, & ager illi adiacens Targia nominantur. Trogilorum portum ad hoc littus fuiſſe lib. 5. ſecundi belli Punici Liuius ſcribit. Quem paruam ſtationem, paruorumq; nauigiorum capacem, quæ hodie Stintinus vocatur, Syracuſani fuiſſe arbitrantur. Verum id, cùm is locus incommodam nauigijs præbeat ſtationem, lectoris arbitrio iudicandū relinquitur. Sed iā vrbē ipſam Syracuſas ſequēti libro deſcribamus.

In qua ſi prolixiores erimus, loci nos dignitas excuſabit.

F. TH.

Digitized by Google

F. THOMAE FAZELLI SICVLI ORDINIS PRAEDICATORVM. DE REBVS SICVLIS PRIORIS DECADIS.

LIBER QVARTVS.

DE VRBE SYRACVSARVM.

CAPVT PRIMVM.

VRBS SYRACVSAE, Siciliæ olim metropolis lib. 2. teſte Valerio, vrbiũq; Siciliæ princeps Solino, & omnino notior q̃ vt plurium titulorum commendatione indigeat, à Tapſo. 4. p. m. littorali ora conſequitur. Quæ cum Tetrapolis olim fuerit Ciceroni, Diodoro, Straboni, & Plutarcho: Prima eius pars, quę hodie colitur, priſco tempore, teſte Nicandro, Omotermon dicebatur. Hanc, cùm nondum mari eſſet circumflua, & inſula facta, agerq; eſſet logæo ex lapide, quem electum vocant (vt ex Ibyco lib. primo refert Strabo) paulò poſt diluuiũ Aetolij ex Aetolia regione, oppidoq; Ortygia profecti omnium primi incoluerunt. Quam ſimul, & Delos vnam e cycladibus inſulam eodem tempore tenentes ab eorum patria Ortygiam appellauerunt, vt idem Nicander memoriæ prodidit: licet ſint, qui à Diana, cui eam ſacrificauit antiquitas, Ortygiam vocatam fuiſſe ſcribant. Verum poſtea anno mundi. 4100. & ante Vrbem Romã. 700. (vt ſupputat Euſebius) Siculi pulſis Aetolijs eã habitauerunt. Hi nanq; cum in Siciliam traieciſſent, vrbi conſtruendæ locum idoneum quærentes, inter alia, quæ incoluerunt oppida, in hac optima, pulcherrimaq; Siciliæ adiacẽti peninſula, inter duos inæquales portus, & cui ſolo anguſto ſpatio duobus portubus interiecto Inſulæ nomen natura inuidit, primis habitatoribus eiectis, mœnia loco tutiſsimo, & quem pauci cuſtodire poſſent, poſuerunt. Porrò his ſedentibus quid in ea memoratu dignum geſtum ſit, nihil ad nos authorum aut inopia, aut incuria peruẽnit. Nomen autem vrbi Syracoſion grẽcè ea ratione fuit poſtea inditum, quod traho ad quietem latinè ſonat. At poſt trecentos circiter annos (vt Thucydides ſupputat) Olympiade xi. (vt Dionyſius Alicarnaſſæus lib. primo colligit) annoq; mundi. 4461. & ab vrbe condita. 412. Archias Corynthius, ex eorum numero, qui ab Alcæo Herculis filio deſcenderãt, Lydiæq; imperium ſupra quingentos tenuerant annos, vt lib. primo refert Herodotus, cum magna ſuorum manu è Corynthо in Siciliam profugis nauibus aduectus, Ortygiam ſuperatis bello, profligatisq; ſiculis, ereptam occupauit, ſedemq; ſibi oraculo ſortitam delegit. Cuius aduentus cauſam huiuſmodi in. 2. Amatoria perhibet Plutarchus. Abron Argiuus quidam Dexandri, Phidonisq; inuidiam, quorum clãdeſtinas in Corynthios detexerat inſidias, in Meliſſum, agri Corynthiaci vicum cum vxore profugiens filium ibidem ſuſcepit, cui & à loco Meliſſum nomen impoſuit. Qui & ipſe poſtq; adoleuit, è coniuge Acteonem genuit. Hunc adoleſcentem, quòd forma eſſet venuſta, moribusq; pro ætate delicatiſsimis, Archias inter Corynthios & opum, & dignitatis authoritate princeps ardenter amare, deperireq; cœpit. At cum nec prece, nec pretio explendæ ſuæ libidini aditum patẽre perſpiceret, vim ſtatuit experiri: aſſumptoq; audaci ſeruorum, ac domeſticorum ſatellitio Meliſsi domum inuadit, puerumq; vi aggreditur. Qui dum hinc Archiæ, factionisq; eius impijs manibus trahitur, inde patris, iniuriam fruſtra execrantis, Deosq; in tam nefarij ſceleris atrocitate obteſtantis, ſuorumq;

Digitized by Google

rumq; conatibus retinetur, inter distrahentium manus miserabiliter discerptus interijt. Quo facto orbus pater, qui visa ante oculos crudelissima filij nece exanimatus iam vitæ sibi ipsi finem decreuerat, arrepto cadauere recenti adhuc cruore madido Corynthum bacchanti similis ingreditur. ibiq; in fori conspectu miserandam gnati lanienam ostentans, lugensq; perq̃ miserabiliter, senatus, populiq; fidem, atq; auxilium implorat: patrisq; recentia in ciuitatem merita commemorans rogat, vt hinc seruatæ nuper reip. beneficio, inde tam horrendi facinoris infamia nefarium homicidium vlciscantur. Quæ oratio, lachrymæ, ac lamenta etsi populi iam animos in commiserationem pertraxissent, Patresq; manifesti sceleris fœditatem detestati tacitam apud se legum vindictam deposcere viderentur: tanta tamen erat Archiæ tota vrbe potentia, vt neq; qui resistere, neq; qui ius dicere in eum auderet, quisq̃ reperiretur. Hac itaq; Archiæ impunitate desperans pater obseruato ludorum Isthmicorum tempore, quos in honorem Neptuni celebrabant, conscensa ipsius ædis summitate Bacchiadis prius, ac Dijs omnibus ad vindictam tantæ iniuriæ inuocatis præcipitem sese de templo in caput deiecit. Nec multò pòst (mirum dictu) subitò hominum simul ac brutorum animantium contagione, frequentiq; strage per vrbem grassari pestis, agrosq; inaudita ariditate decoquere morbidus ardor, totamq; regionem infestare annonæ caritas cœpit. Iamq; de tota Corynthiorum progenie conclamatum fuerat, nisi consulto ad extremum Apollinis oraculo, acceptoq; responso non prius gentis mitigandam fore calamitatem, q̃ expiata læsi numinis iniuria, crudelisq; pueri mors vindicata foret: Archias ipse, qui oraculo tum fortè intererat, partim patriæ sua culpa in discrimen adductæ commiseratione, partim Neptuni metu spontaneum sibi exilium indiceret. Magnam itaq; Corynthiorum secum ducens Coloniam, nouamq; aliquam sibi vrbem conditurus Coryntho cessit. Sed ne inaugurato vrbi condendæ sedem deligeret, Delphis Apollinem consuli placuit. Cumq; sub idem ferè tempus forte & Miscellus quidam genere Achiuus ad oraculum de vrbe sibi condenda sciscitaturus conueniisset, (vt Antiochus, Plutarcho, & Strabone referentibus, scribit) atq; vterq; ante responsum opesné, an salubritatem appeterent, rogatus esset, Archia diuitias, Miscello incolumitatem poscente, vterq; voto potitus: Miscellus quidem in Calabriam ad Crotonem ædificandam, Archias verò in Siciliam ad Syracusas condendas Apollinis decreto relegati sunt. Hinc Crotoniatæ aëris temperatissimi, saluberrimiq; sortiti sunt locum. Syracusani verò ad summam rerum opulentiam, immensamq; diuitiarum abundantiam deuenêre. Prior itaq; Miscellus auxilio Archiæ, qui vna cum eo, licet diuersa classe post oraculum nauigabat, Crotonem vrbem condidit, vt ex Ephoro refert Strabo. Inde verò Archias cum Corynthiorum, Dorienſiumq;, ac maximo ex Teneo plagæ Corynthiæ vico Colonorum numero, lib. 8. Strabone authore, in Siciliam traiecit. Aethiops quoq; Corynthius genere nobilis ad deducendum Syracusas Coloniam cum eo profectus est. Qui etsi generis claritate insignis esset: tantæ tamen fuit vinolentiæ, vt inter nauigandum portionem Syracusani agri sorte sibi obuenturam Melituto socio, ac contubernali suo vendiderit: vt haberet quod interea bibendo, prodigendoq; turpiter helluaretur. Scribit in edillia Theocriti interpres Bellorophõtem etiam cum Archia, ac cætera Heraclidarum familia ex Coryntho Syracusas venisse, easq; simul cum illis incoluisse. Hinc author idem optimos fuisse Syracusanos, & Græcorum omnium fortissimos subdit. Syracusas (inquit Thucydides lib. 6.) qui incoluerunt Græci non Iones, neq; Hellespontij, neq; insulani, qui alijs seruiebant, sed Dores liberi è libera Peloponneso fuerunt. Syracusani (inquit Theocritus in Edilijs, & eius interpres) genus ducunt à Corynthijs, & Dores sunt. Dores enim Peloponnesum eo tempore coluerunt, quamobrem & Doricè, & Peloponnesiacè

ponneſiacè Syracuſani loquebantur. hæc interpres. Archias itaq; tot inſignes ſecum ducens colonos Ortygiam aduectus, & Siculis prælio victis, ac fœdè ad Siciliæ mediterranea fugatis in condendam, muniendam, prorogandamq; vrbem totus incubuit. Quam cum per aliquot annos fœliciſsimis progreſſibus, inſtitutisq; optimis quietè adminiſtraſſet, duabus ibi ex vxore filiabus ſuſceptis Ortygia,& Syracuſa appellatis (vt Plutarchus prodit) poſtmodum à Telepho, cui adoleſcenti forma conſpicuo ætatis florem decerpſerat, & ſuæ claſsis præfecto dolo interemptus eſt:atq; ita tandem antiqui ſceleris Meliſſo, Acteoniq; crudeliter oppreſsis licet ſeras, meritas tamen pœnas perſoluit. Mortuo Archia nihilominus vrbs ipſa & agri fœlicitate,& naturali portuum commoditate maxima ſuſcepit incrementa, vt lib. 6. & 8. Strabo ſcribit. Compluresq; in rep. dignitate,ac florentes habuit viros:quorum auſpicijs populos vicinos ſuæ ditioni ſubiecit,& plures Barbarorum ſeruitute oppreſſos in libertatem vindicauit. Cumq; Ortygia ſola Syracuſanorum pars eo tempore incoleretur, creſcente in dies multitudine aliæ ſubinde partes, quæ extra eam ſunt, ſucceſſu temporum additæ,ac muro cinctæ ſunt.Thucy. lib. 6. Adeo præterea ſub eius prope initia hæc vrbs potentia creuit, vt quatuor ſubinde in Sicilia vrbes Syracuſani condiderint: nimirum Acras,Caſmenas, Camerinam, & Ennam.è quibus Acræ quidem niuoſis in montibus,ſeptuageſimo, Caſmenæ vero in planitie nonageſimo,Camerina ad littus meridionale, centeſimo decimo poſt eiectos ab Archia Siculos(lib. 6. authore Thucydide) ædificatæ ſunt. Ac deinde Dionyſio iuniori Syracuſas tenente quidam Syracuſani eius tyrannidem fugientes in Piceno vrbem Ancon græco nomine ad chymericum promontorium condiderunt Straboni lib. 5. Quam vel ea ratione Siculorum fuiſſe Coloniam Pli. ſcribit. Quis ignorat (inquit ſolinus) Anconam à Siculis conditam? Nec moueat quempiam dixiſſe Iuuenalem: Ante domum veneris,quam Dorica ſuſtinet Ancon. Syracuſanos namq; Dores fuiſſe iam diximus. Proinde vrbem Syracuſas maximam græcarum vrbium euaſiſſe, pulcherrimamq; poſtmodũ multis in locis in Verrem ſcribit Cic. & Diodorus lib. 6. Imò non minorem Athenis fuiſſe ijs verbis lib. 7. tradit Thucydides:Athenienſes obſederunt Syracuſas vrbem nihilò per ſe, q̃ ipſæ Athenæ inferiorem, dantes ſpecimen ſuæ tum potentiæ, tum audaciæ. Et Plutarchus in Nicia: eſt (inquit) Syracuſarum vrbs Athenis non ferè minor: ad claudendum verò longè difficilior, cum propter camporum inæquabilitatem, tum propter adiacentium paludum frequentiam, & maris propinquitatem. Sicilia (inquit Florus lib. 2. Epitomatum) mandata Marcello nec diu reſtitit. tota enim inſula in vna vrbe ſuperata eſt. Grande illud, & ante id tempus inuictum caput Syracuſæ, quamuis Archimedis ingenio defenderentur, aliquando ceſſerunt. longè illi triplex murus, totidemq; arces, portus ille marmoreus, fons celebratus Arethuſæ. Quæ hactenus ei profuerunt, vt pulchritudini victæ vrbis parceretur. Hucuſq; Florus.Vrbis nanq; totius ambitum centum octuaginta ſtadiorum lib. 6. Strabo ſcribit, Quod & mœnia eius iacentia & murorum veſtigia liquidò adhuc oſtendunt. Vrbem Syracuſas non modò maximam,& pulcherrimam fuiſſe, ſed etiam ex quatuor maximis vrbibus conſtitiſſe Cic. cum egregia vrbis commendatione in verrem. 6. declarat.Cuius verba ſubieci.Vrbem (inquit) Syracuſas maximam eſſe Græcarum vrbium, pulcherrimamq; omnium ſæpe audiſtis. eſt Iudices ita, vt dicitur.nam & ſitu eſt communito,cũ ex omni aditu vel terra,vel mari præclaro ad aſpectum. Et portus habet prope in ædificatione,aſpectuq; vrbis incluſos. Qui cum diuerſos inter ſe aditus habeant, in exitu coniunguntur, & confluunt. Eorum coniunctione pars oppidi, quæ appellatur Inſula, mari diſiuncta anguſto ponte rurſum adiungitur, & continetur. Ea tanta eſt vrbs, vt ex quatuor vrbibus maximis conſtare dicatur, & quæ ſequuntur. Quatuor hæ vrbis partes

(eodem

Digitized by Google

(eodem etiam referente) Insula, Acradina, Thyca, & Neapolis appellabantur. Quod & Diodorus lib. 16. ijs verbis confirmat. Eratq; mirificus tumultus intra Syracusas, cùm Dionysius Insulam, Icetas, Acradinam, & nouam vrbem, reliquum omne vrbis teneret Timoleon. Liuius præterea, Plutarchus, & cæteri primi nominis authores, qui huius vrbis historias scripserunt, idem referunt. Quinimo & Strabo ex quinq; eam constare vrbibus scribit, ob id, vt existimo, quòd Acradina suo situ inæquali, & magnitudine ingenti gemina censebatur. O magnis (inquit Pindarus in Pythijs. 2. Ode) constitutæ vrbibus Syracusæ. Sed libet eas vrbis partes latiùs describere, prout à veteribus accepimus.

PRIMA igitur pars Chersonesus est, quæ ab initio Omotermon, quod simile balneo ē latinis: mox Ortygia, Deniq; Nasus Græcè, latinè verò Insula dicitur. Hæc cum ab Aetolijs primùm, deinde à Siculis, & demum à Græcis fuit occupata, peninsula erat, & nondum tota mari circumflua, vt ex Thucydide, & Strabone meminimus. Postea verò exuperante mari abrupto Isthmo insula est facta, & reliquis partibus angusto ponte adiuncta, vt Cic. memorat. Appositа Syracusis insula (lib. primo inquit Strabo) quæ hoc tempore ponte continuatur ad terram, prius quidem ager erat logæo ex lapide, quem electum vocat Ibycus. Verū nō manu facta, ē sed exaggeratione. hæc Strabo. Mea verò ætate, & pluribus antè annis ex congestis deletæ vrbis, ac proximæ arcis ruinis, iterum in peninsulam redacta tenui isthmo Siciliæ erat adiuncta. Deinde CAROLVS QVINTVS CAESAR dum hæc ipsa in lucem prodere pararem, isthmum perfringere, peruijsq; meatibus in antiquam Insulę formam reducere longo labore, eoq; non parum per maximam aquarum dulcium vim ex Isthmi visceribus affluentissimè promanantem impedito, conatus est. Id etenim cùm anno sal. 1552. mense Martio, me Syracusis ad Senatum, & populum concionante ageretur: operarij, qui in abrumpendo defatigabantur, in quadratos, & eos ingentes primùm lapides, mox in balneas è coctili laterculo extructas incidunt. Vnde lapidibus euulsis tanta aquæ potabilis vbertas erupit, vt in iustum fluuium quamprimū excresceret. Vbi & canalis orbicularis plumbei frustum duorum cubitorum longitudinis ab vtraq; parte has maiusculas literas latinas habens inscriptas inuentum est. TI. CL. CAE. AVG. GERM. Qui sanè titulus Tiberium Claudium Cæsarem operis authorem indicat. Ac deinde ab eisdem operarijs aqueductus ille plumbeus ad ædem vsq; sanctæ Mariæ à misericordia vulgo appellatam, vbi cœnobium ætate mea minoritarum, qui capuzzini nuncupantur, extructum est, protensus, continuatusq; inuentus est. quò aquas, quæ hodie à Paradiso nominantur, olim ad arcem Hieronis & ad Insulam deductas compertum est. Hæc pars vrbis duobus portubus maiori ad occidentem, minori ad orientem cingitur, atq; in vtriusq; portus ostium, aditumq; proijcitur. Maior portus ex Ionio fluit mari, faucibusq; est arctissimus: vix enim ad quingētos patet passus. Coarctantur eius fauces, ex vna, Plemmyrio promontorio, è regione vrbis sito, vt lib. 7. etiam Thucydides scribit, ex altera, oppidi vertice. vbi hodie arx est Maniacis nomine clara. In faucibus ipsis, Plemmyrio tamen magis adiacens, parua quædam est insula ambitus centum fere passuum, quam Thucydides Plemmyriam vocat, Syracusani verò sancto Martiano inscribunt. Portus maior, vbi à faucibus in mediterraneam partem diffunditur, latitudinem habet duorum ferè pas. milium: ambitum verò quinq;. Ad dexteram mœnia vrbis, & fontem Arethusam alluit. ad sinistram vinetis, & oliuetis decoratur: ad extremum Anapo fluuio ingenti, ac perpetuo alueo, & scaphis nauigabili, accommodatur. Portus maior non modò Insulæ latus, sed Neapolim, ac reliquas partes, cùm habitarentur, quæ ei imminebant, atterebat. ita vt ipse vrbe cingeretur, & in vrbis sinum influeret, vt lib. 7. in Verrem scribit Ci. Portus minor marmoreum circumquaq; sinum.

.l. Floro

Digitized by Google

l. Floro authore (vnde & marmoreus eſt appellatus) fundũq; quadratis,ac miris lapidibus magna arte ſubſtratũ habebat:quod eius adhuc clara teſtantur monumenta. Nam & (quod admiratione digniſsimum, imò ſupra veri fidem videri poſsit, niſi res ipſa ex aliqua parte ſuppeteret) aquæ ductus lapideus, non mediocris amplitudinis ibi ſub fluctibus maris fabricatus adhùc magna ſui parte integer viſitur. Quo aquæ ex perenni illo, licet abdito fonte, qui reliquas vrbis partes irrigabat, à proxima Acradina ſubter mare labentes hûc permanabant. Minor hic portus ſiniſtra ſui parte orientale Inſulæ latus, dextera verò Acradinæ mœnia percutiebat. Ex utroq; eius latere turres ſurgebant expugnatu per q̃ difficiles,è lapidibus exoticis ab Agathocle Syracuſanorum Tyranno extructæ: in quibus inſcriptiones cum authoris titulo legebantur, vt lib. 16. Diodorus refert, quorum hodie ne lapis quidem remanſit. Hac regione ædes ſacræ erant complures,vt in verrem. 6. ſcribit Cicero.ſed duæ præcipuæ, & quæ cæteris omnibus multis nominibus antecellerent. quarum vna Dianæ dicata erat, quam Lyena Syracuſani, hoc eſt morborum ſolutricem appellabant, quòd Siciliam graui morbo afflictam aliquando liberaſſet, vt falsò ſibi vetus perſuaſerat ſuperſtitio. A qua non minus Inſulæ nomen Ortygiæ inditum ferebant, quòd à Dijs eam dono accepiſſe & putaretur,& oraculorum reſponſis eſſet confirmatum. Sed & alia pleraq; fabulatur antiquitas:vt lib. 6. Diodorus commemorat. Et quemadmodum Delos inſula è Cycladibus vna ob id, quòd in ea Dianam genitam ferunt,præter alia ſua nomina Ortygia etiam nominatur:Ita & hanc Syracuſarum partem id ſibi nomen aſſumpſiſſe, Græci qui in confingendis fabulis faciles ſemper fuerunt, memoriæ prodiderunt. Hinc Pindarus ode. 2. totam Syracuſarum vrbem Dianæ ſacram, ſedemq; eius vocat. Templum igitur ei ſacrum religioſiſsimum erat, & confluxu hominum celeberrimum. Vbi Syracuſani feſtum diem magno virorum, ac mulierum conuentu quot annis per triduum magnis epulis, vino etiam largius per tribus diuiſo concelebrabant: vt Liuius. 3. decadis lib. 5. refert. In quibus ſacris, Paſtorum quoq; conuentus ſua habebat officia, vt Theocriti interpres prodidit. Hi nanq; ſolenni pompa omnes ſertis redimiti,ac ſcipiones manibus geſtantes, ceruos Deæ ſacros circum cornua coronatos agebant, panemq; in fruſta varijs ferarum generibus inciſum,peras ſemine, vtres caprinos vino repletos, quod paulatim in terram effundebant,gerentes, carmine inter ſe, ac Dianæ laudibus icto fœdere contendebant. quo qui præſtitiſſet, quaſi victor vrbem ingrediebatur, ciuitate donabatur,ac nobilis decernebatur: victi verò cæteri vicinos agros accolebant, victoriq; vitæ neceſſaria parabant, ac ſtata quotannis munera portabant: quæ conceptis ei hiſce verbis offerebant. Accipe hæc Paſtor, qui bona ſorte vrbem incolis. accipe incolumitatem, quam tibi à Diana ferimus. atq; ita poſtea hymnis & victorem, & Deam proſecuti in templum reuertebantur, ſacramq; rem ſuo ritu peragebant. Id verò templum in qua vrbis parte fuerit, incompertum eſt. Viſuntur tamen pauca antiquitatis veſtigia, & ea ſemiobruta in ea Inſulæ regione, quam Reſalibram appellant, quæ ædis Dianę monumenta eſſe pleriq; exiſtimant. Altera ibidem ædes Mineruæ fuit, & ea ornatiſsima. ad cuius verticem (lib. 9. ex Palæmone Athenæo referente) eminebat ex ære fuſo Mineruę ſcutum, auro illitum,ingens adeo,vt eminus a nauigantibus,atq; alto mari cerneretur. Quod è Syracuſano qui ſoluerant portu, cum primùm videre deſierant, ſcyphum fictilem, quem à Deorum ara iuxta Olympij fanum extra muros ſita conſulto acceperant, melle, thure,aromatibus,floribusq; repletum in Neptuni, & Mineruæ honorem in mare proijciebant: peractoq; ita veteris ſuperſtitionis voto læti curſum ſequebãtur. In hac æde equeſtris Agathoclis Regis pugna eccellentiſsimo pictorum artificio in tabulis q̃bus interioris tẽpli parietes veſtiebãtur,vt Cic,recẽſet,erat expreſſa:

Viginti

Viginti ſeptem quoq; pulcherrimæ tabulæ ſpectabantur, in quibus omnium Siciliæ Regum, ac tyrannorum imagines ad viuum depictæ colorum varietate, hominum commemoratione, formarumq; cognitione plurimùm delectabant. Valuæ inſuper templi aureis bullis, atq, ebore illuſtres, quibus nullas magnificentiores vllo vnq; tempore fuiſſe refert Cic. In quibus & Gorgonis os, & Meduſæ caput anguibus redimitum, artificio & impenſa præſtantiſsimum inhærebat. Harum deniq; valuarum tanta erat artificij excellentia, vt clariſsimis quibuſuis authoribus græcis magnam ſcribendi materiam ſuppeditauerit: qui & plura de his literarum monumenta poſteritati reliquerunt. Porrò Templum hoc, illud eſſe Syracuſani prædicant, quod maximum Syracuſis eſt hodie, & Præſulis ſedes. Eſt nanq; exutroq; latere tredecim lapideis columnis canaliculis vndiq; circumcauatis, abacisq;, & epiſtylijs ornatis ſuffultum. Cuiuſmodi plura Agrigenti, Selinunte, & Segeſtæ olim à Græcis condita viſuntur, Stabat in hac Inſula etiam ad anguſtias vtriuſq; portus arx Dionyſij, cæterorumq; Tyrannorum loci pulchritudine, ſtructuræq; opulentia, & magnificentia incomparabili longè præſtantiſsima. Quam Dionyſij iunioris tempore adeo amplam, & munitam inuènit Timoleon, vt magnus equorum numerus, grauisq; telorum multitudo, ac vniuerſa machinarum forma, & armorum affluens theſaurus, quæ ibi repoſita erant ad ſeptuaginta hominum milia ad bellum inſtruenda omni momento ſufficerent. Quam tum, vt abominandi dominatus memoria excideret, immiſſa militum manu funditus euertendam dedit, vt in Timoleonte Plutarchus ſcribit. Quòd autem hæc Dionyſij arx in anguſtijs huius Inſulæ fuerit, in eiuſdem vita apertè teſtatur Plutarchus, dum ei coniunctam Acradinam, & Euclidem, Telemachumq; Timoleontis legatos à Dionyſio accitos, occupato ab hoſtibus portu, cum quadringentis militibus in arcem ſimul, & palàm aſcendere non potuiſſe, ſed clàm, & paulatim ad Dionyſium, qui erat in arce, conueniſſe ſcribit. Idemq; in Marcello refert, quòd captis Tycha, & Neapoli, ac poſtmodum Acradina, cùm reliquum vrbis, quod Inſula erat, per proditionem recepiſſet, eam diripiendam militibus, atq; in prædam dederit, præter gazam regiam, quæ in ærarium eſt tranſlata. Officinam verò monetæ in arce fuiſſe ſatis conſtat. Gazaq; ipſa non in priuata domo, ſed in arce Hieronis, ac Hieronymi, ſuper ruinis huiuſce Dionyſianæ poſtea erecta ſeruabatur. Huius arcis porta marmorea, quæ ſeptentrionem reſpiciebat, ac ſeptem ex marmore ſtatuæ, & caput hominis marmoreum cum hac græca, latinaq; inſcriptione: Extinctori tyrannicæ: dum ad propugnacula vrbis ibidem excitanda fundamenta foderent, anno ſal. 1530. ſunt reperta. Anno quoq; ſal. 1553. ex eius loci profunda tellure eruta ſunt ad promouendam vrbis munitionem quadrata quædam ſaxa ingentia, mira, ac pleraq; ſubnigra, numero ſupra quatuor milia, quæ diſtincta quinq; ordinibus, ac certis ſpatijs erant interiecta. Super hac lapidum maximi ambitus mole arcis huiuſcemodi ædificium bitumine, & pice ordine reticulato ſubſtructum, vt ex eius veſtigijs deprehenſum eſt, erigebatur. Super huius ruinis poſtmodum (vt dixi) Hiero iunior domum ſuam regia ſtructura ædificauit. Qua poſt Syracuſarum à M. Marcello expugnationem & Romani Prætores vſi ſunt: vt in Verrem. 6. ſcribit Cic. Super ea demum ab incerto nobis authore euerſa, caſtrum, cui Maryhecto eſt nomen, à Sarracenis, vt ex forma, & nomine colligere licet, erectum eſt: quod & hactenus durat. Hæc porrò vrbis pars, quæ ſola hodie habitatur, tres hac ætate habet arces. Quarum vna ea eſt, quam Caſtrum Maryhettum appellari modò diximus. Secunda oſtio minoris portus prominet, Caſanoua à Syracuſanis appellata, quam Iaymus Alagona ædificauit, vt in eius porta lapis marmoreus infixus his literis indicat.

Digitized by Google

Hanc Alagona tuus fœlicem condidit arcem.
Magnanimus Iaymus: sit noua dicta domus.

TERTIA arx quadrāgularis formæ, ad cuius angulos quatuor sunt orbiculares turres quatuor ventos respicientes ad verticem oppidi, & ad fauces magni portus tuendas est apposita. Hanc Georgius Maniacius Bizantinus Constantini Monomachi Constantinopolitani Cæsaris, & Siciliæ Regis olim Præfectus lapide quadrato erexit. Cuius adhuc nomen retinet. Castellum nanq; perītioribus, sed vulgò Turris Maniacis appellatur. Huius portas Georgius in perpetuum tantæ fabricæ monumentum duobus arietibus insigni Græcorum industria, atq; arte ex ære Bizantij (ni fallor) fusis exornauit. Qui Panormum postmodum hac historia sunt translati. Cum anno sal. 1448. sub Alphonso Aragonum, & Siciliæ Rege, Syracusis vrbe pro curia, quam Cameram vocant, Mariæ vxori suæ concessa, à muliebri imperio per nouarum rerum studiosos nescio quos desciturn esset, Rex, qui tum Neapoli agebat, Lupo Ximenio Durreæ prouinciæ Proregè, vnà cum Ioanne Vintimilio Giracij Marchione, quem plurimum per id tempus apud Siculos authoritate valere perspexerat, per veredarios compescendæ seditionis, vrbisq; sub Reginæ fidem reuocandæ negotium delegauit. Ille, vti in mandatis habebat, Syracusas cum Marchione profectus, se in Maniaciam, Ioanni collegæ Casanoua arce designata, recepit. Ioannes ibi. cùm imperio nihil promoueri animaduerteret, ad solertiam studium conuertit: illectosq; ad se astu sub veteris necessitudinis prætextu, conficiendarumq; cum Rege, ac Regina rerum omnium, callidis pollicitationibus veluti ad epulas viginti ferè è patritijs coniurationis principes, clàm in arce capite truncauit. Quibus è medio sublatis, confestim tota vrbe seditio omnis profligata est. Quo facto Lupum, infecti, vti existimabat, negotij difficultate adhuc trepidantem, cum insperato nuntio aggressus, duos hos arietes in tam vtilis officij præmium ab eo acceptos in Castellum bonum oppidum suum, in quo & familiam habebat, transuexit. Quibus deinde patris defuncti tumulum Antonius successor eius decorauit. Sed cum postremò Henricus Antonij filius & ipse Marchio perduellionis reus vniuersam hæreditatem proscriptionis sententia in Regis ærarium contulisset, à Gaspare Spes Siciliæ eo tempore Prorege, ex Castello bono Panormum in Regiam, cui tunc Hosterio nomen, nunc vectigalium quæsturæ locus est, transmigrarunt. Vnde post aliquot annos cum per Ferdinandi Catholici Regis obitum Sicilia, & Panormus præsertim nouis tumultibus laboraret, ab Hectore Pignatello eius tempestatis Prorege, quòd eo loco Regi sedes minus tuta videretur, vnà cum Regia arietes quoq; in castrum ad mare, vbi & hodie spectantur, translati sunt. Sed ad rem. Hæc Insula licet parua sit, saxosa, nihilq; in se humoris retinens, & sexcentos in ambitu vix passus complectatur, pelagoq; circumfusa sit, multorum tamen fontium, instàr fluuiorum, dulces perpetuò aquas, affatimq; emittentium affluens est. Mirum profecto, ac rarum naturæ opus, & spectaculo dignum. Inter alios, fons in ea est ingens ad latus eius occidentale, quod portus magni fluctibus alluitur, medijs è saxis, ac speçu exundans, statimq; in mare fluuium emittens, cui nomen Arethusa est, notior apud Poetas, & Historicos, quàm literis explicari queat: quòd ea aqua in Syracusanis finibus non scaturiat, sed externa ex Peloponneso illuc sub mari naturæ cuniculis deducta perueniat. Siquidem Alphæum Achaiæ regionis fluuium terra absorptum, & subter mare in Siciliam per p. m. ferè. 500. fluere, atq; ex hoc fonte rursum emergere ex poetis Pindarus omniū primus, & ex historicis qui ad nos peruenerunt, Timęus, quos

Græci

Græci, & Latini ſunt ſecuti, tradiderunt. Et Pindarus quidem in Nemeis ode prima: O veneranda (inquit) Alphæi reſpiratio, celebrium Syracuſarũ germen, Dianæ cubile, Deli ſoror Ortygia. Quem (vt arbitror) imitatus Vergilius Bucolicorum ecloga. 4. ait.

Sic tibi cum fluctus ſubterlabêre Sicanos.
Doris amara ſuam non intermiſceat vndam. Et Georg. 4.
Et tandem poſitis velox Arethuſa ſagittis. Et in eodem.
Sed ante alias Arethuſa ſorores
Proſpiciens ſumma flauum caput extulit vnda. Et Aen. 3.
Sicanio prætenta ſinu iacet inſula, contra
Plemmyrium vndoſum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alphæum fama eſt hûc Elidis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare, qui nunc
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur vndis. Ouid. etiam Meta. 5.
Piſa mihi patria eſt, & ab Elide ducimus ortus.
Sicaniam peregrina colo: ſed gratior omni
Hæc mihi terra ſolo eſt. hos nunc Arethuſa penates
Hanc habeo ſedem, quam tu mitiſsima ſerua.
Mota loco cur ſim, tantiq; per æquoris vndas
Aduehar Ortygiam, veniet narratibus hora
Tempeſtiua meis, cum tu curaq; leuata,
Et vultus melioris eris. mihi patria tellus
Præbet iter, ſubterq; imas ablata cauernas
Hîc caput attollo, deſuetaq; ſydera cerno. Et Clau. 2.
Quas Arethuſæi latices, quas aduena nutrit
Alphæus. Et Silius libro. 14.
Hic Arethuſa ſuum piſcoſo fonte receptat
Alphæum, ſacræ portantem ſigna coronæ.

Timæus in ſuo de Italia, & Sicilia opere (referente Stephano) Alphæus (inquit) caput in Arcadia tollit: vnde Cuniculo depreſſus in Syracuſis Siciliæ fonte Arethuſa fluenta perducit. Timęum, & qui eo priores forſitan id memoriæ prodiderunt, eo argumento adductos arbitror, quod fama per manus ducta ferebatur poculum in Olympia in Alphæum Achaiæ fluuium deiectum in hoc Arethuſæ fonte repertum fuiſſe. Obſeruatum præterea Olympiacis ſacris, quæ quinto quoq; anno non procul ab Alphæo fluuio celebrantur, animalium, quæ pro victimis offerebantur ſtercora, & ſanguinem in Alphæum amnem deiecta ab Arethuſa fonte eodem planè tempore turbido emitti ſolere. Delphicus demum Apollo Archiæ ad condendas Syracuſas oraculum reddens hac (vt Pauſanias lib. 5. refert) deſcriptione vſus eſt.

Trinacriam ſupra medio iacet inſula ponto:
Ortygiam dixere. vbi cana fluenta refundit
Alphæus, pulchræ ſeſe immiſcens Arethuſæ. Hinc Pli. lib. 2. Cap. 106. Quædam flumina, inquit, odio maris ipſa ſubeunt vada: ſicut Arethuſa fons Syracuſanus, in quo redduntur iacta in Alphæum, qui per Olympiã fluens Peloponneſiaco littori infunditur. Et lib. 31. c. 5. eſt, ait, & illud miraculo plenum Arethuſam Syracuſis fimum redolere per Olympia, veriq; ſimile: quoniam Alphæus in ea inſula ſub ima maria permeat. De Arethuſa & Alphæo, Solinus: Verum eſt, inquit, hactenus, quòd conueniat fons, & amnis. Syracuſis, ait Pomponius Mela, fons mirabilis Arethuſa eſt, in quo viſuntur iacta in Alphæum amnem Peloponneſiaco littori infuſum. Vnde ille creditur non ſe conſociare pelago: ſed ſubter maria, terrasq; depreſſus huc agere alueum, atq; hîc ſe rurſus extollere.

Digitized by Google

Et Pausanias lib. 8. Alphæus fluuius (inquit) præter cætera flumina peculiarem quandam præfefert naturam. Nam subter euanescit sæpe, & rursus erumpit. Eius siquidem origo in Phylace Achaiæ est. Quò non procul aqua alia ex pluribus, & magnis fontibus conflata in ipsum delabitur, cui loco Symbola nomẽ est. Ex Phylace, & à Symbolis progressus in Tegeaticum immergitur campũ: mox in Asia rursus erumpit, & cùm Eurotæ fluuij aquas recipit, secundò in terram absorbetur. Tertiò deinde, vbi fontes sunt Arcades, emergit, & agrum Pisæum, vrbemq; Olympiam præterlapsus supra Cyllenem Eleorum nauale in mare irrumpit: Adriaticumq; mare subtermeans, in Ortygia, quæ prò Syracusis est, se ostentat, Arethusæq; miscetur, hæc Pausanias. Quæ ipsa pluribus argumẽtis lib. 5. affirmat: Meantem (inquiens) subter mare Alphæum amnem, fontiq; apud Syracusas immisceri quid causæ sit, quare non credã, non planè video: cùm Delphici Apollinis voce rei fidem factam meminerim, qui Archiæ Syracusas coloniam ducturo hoc respondit. Græcorum præterea, ac Aegyptiorum, qui in Aethiopiam supra Syenem, & Meroen vrbes venerunt, narrant Nilum fluuium quendam ingredi lacum, atq; inde, tanq̃ è terra continenti elapsum per Aethiopiam inferiorem in Aegyptum decurrere, atq; in mare postea, quod ad Pharum est, erumpere. In Hebræorum finibus amnem Iordanem ego vidi, qui Tiberiadem ingressus lacũ, puris aquarum vndis illum transuehitur, & in alterum lacum, cui mare mortuum est nomen, integer, ac incorruptus ingressus in ea ipsa palude consumptus euanescit. Alphæo persimilis fluuius est in Ionia, cuius fontes iuxta Michalis montis radices sunt, aquæ verò interpositum transmittentes pelagus prope Brachidas in portu quodam, qui Panormus appellatur, rursus emergunt. Hactenus Pausanias. Idem quoq; Athenæus, Lucianus, & alij pleriq; pro constanti asserunt. At Strabo lib. 6. fabulosum id totum, ac monstruosum arbitratur hac maximè ratione ductus, quòd circa mare, vbi Alpheus inter Phean, & Pytanen promontoria ostium facit, nullus reperiatur hiatus, quo absorptus amnis subtermeare Syracusas vsq; possit: sed maris fluctibus statim immisceatur. Ad hęc (inquit Strabo) cùm mari immisceatur, salsas necesse est habere aquas: neq; eo impetu pelagus ingreditur, vt potabiles, velut Arethusa habet, per tantam maris vastitatem, aquas secum ferre possit. At enimuero, tametsi Strabo author est grauissimus, contra eos solùm eius vrgent rationes, qui Alpheum fluctibus immixtum Syracusas integrum per tot passuum milia excurrere scribunt, quod supra fidem, ac sensum est pene communem. Nam & veteres omnes, qui hoc naturę mirum in literas retulerunt, Alpheum non ad ostium, neq; mari immixtum, sed ad mediterranea absorptum, demissumq;, vel totum, vel aliquam sui partem ad Arethusam vsq; subtermeare scripserunt: cum & quędam alia flumina subire terras, rursumq; emergi ex Plinio libro, 2. iam didicerimus, vt Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tigris in Mesopotamia, & pleraq; alia. Temerarij igitur est hominis Arethusę fontem ex Elide non profluere firmiter asserere, cùm in eo tot illustrium Græcorum ingenia subtili studiorum societate non sine causarum expresso iudicio consenserint, & nos ipsi ingentia flumina ex tam paruo Syracusarum scopulo, & iuxta littus occiduum mirè exoriri videamus. Quis enim Dei, vel naturę arcana mortalibus abdita rimari vnq̃ potuit? Quis ingenteis illas in ipsis terrę visceribus cauernas oculis introspexit? quę, maria omnia per tot temporum spatia, tantorum fluxibus fluminum nunq̃ excrescentia, perpetuò hauriunt, & exorbent? quę tamen negare dementissimum fuerit. Quis deniq; (vt ad nostra veniamus) subterraneos anfractus, quibus repletis vniuersa exuberantis aquę moles in apertũ cœlũ per cacumina montiũ euomitur, nõ admiserit? Proinde imbecillitatis humanę est non omnia scire, non omnia perscrutari oculis posse, cui sola ferè antiquitatis

Digitized by Google

tis memoria ſubuenire debet: tantum abeſt, vt priſcis fidem abroget. quibus & hac in re lib. de mirabilium auditionibus neq; Ariſtotelem puduit aſſentiri. Enimuerò Arethuſa (vt Cic. & Diodorus referunt) incredibili olim erat magnitudine vel ea ratione, quòd pleriq; fontes, qui circumquaq; emergunt, & ad officinas coriariorum diuerſa loca inſtar fluminum hodie excurrunt, ſimul confluentes, lacum efficiebant: qui vno ambitus ſtadio à ſpecu, vnde nunc exundat, ad fontem vſq;, qui ætate meà à canalibus nomen habebat, protendebatur. vt ſcruporum, aquarumq; veſtigijs adhuc cernitur: vbi vetuſta erat vrbis porta Arethuſæ olim, Liuio, ſed mea tempeſtate ſaccariorum appellata: qua Inſula capta à Marcello eſt, vt & Liuius refert, & nos vberius in hiſtorijs. Hæc cùm antè integra, & miris, vetuſtisq; lapidibus ſtructa ad aream cathedralis eccleſiæ pateret, & ſola ex antiquis portis ſupereſſet, vigeſimo circiter ab hinc anno ad tuitionem vrbis clauſa, prorſusq; extincta, vſum, formam, & nomen amiſit. Ea verò quæ hodie ad Arethuſam ducit, ſanctæ Mariæ à portu dicata, ætate paulò ſuperiori fuit aperta, cum antè nulla eſſet. Nam eius mœnia quodam tempore Arethuſa extrà alluebat, intus verò gradibus ingentibus in lapide exciſis, quos terra hodie operuit, præmuniebantur: quibus Syracuſani ad aquas, quæ intra muros quoq; tum ſcatebant, è fonte hauriendas deſcendebant. Sed diuiſus in plures alueos Arethuſa proceſſu æui huic muro portæ aperiendæ locum dedit. Pleniſsimus quoq; olim erat piſcium: quos, quòd (teſte lib. 6. Diodoro) ſacri Dianæ à ſuperſtitioſis haberentur, nefas erat tangere: adeo, vt qui bellorum tempore eos edere ſunt auſi magnas ſubijſſe calamitates exemplis probatum veteres ſcribant. Craſſas, ſalſioresq;, & ad potum iniucundas habet aquas. quarum vſum, cùm duræ, & incoctiles ſint, incolumitati humanæ minus conferre lib. 2. docet Athenæus. Non procul ab Arethuſa è medijs maris fluctibus fons aquæ dulcis mirè exundat, caputq; inter aquas ſalſas extollit, Oculus Cilicæ vulgò appellatus. cuius nullum veterum ſcriptorum meminiſſe vel ex eo cenſendum eſt, quòd è vicinis Arethuſæ fontibus vnus eſt. Qui cùm olim velut & cæteri, ex Inſula, non è mari erumperet, corrodentibus proceſſu æui fluctibus ea littora, occupantibusq; (prout murorum vrbis, ac domorum pendentes adhuc ruinæ, quos in ſicco prius iacentes, iam mare alluit, ſatis indicant) è medio ſalo nunc emergit. Nam cùm aqua grauis ſit, è mari ſurſum natura ſua non poſſet attolli, niſi ex edito prodiret loco: vt & ſuadet ratio, & primo Metheororum Ariſto. & Trogus lib. 4. docent. Quòd ſi ex Arethuſæ fontibus hic non eſt vnus: ex aliquo certè vicino monte eadem ratione, eodemq; Ariſtotele authore gigni, & ex pelagi vadis expellente eum interiori vento ſurſum emergere neceſſe eſt. Erat igitur Arethuſa fons ingens & piſcoſus, molibusq; iactis in mari, & reticulato ordine poſitis circunſeptus: quibus multa bituminis, ac picis mixtura iniecta, fluctus maris ab eo arcebat, cuius viſuntur adhuc clara veſtigia. Nam & coriariorũ vicinæ ſuper ijs molibus & materia hac bituminoſa officinæ cõſtructæ ætate mea cernebãtur. Quibus deletis propugnaculũ ingẽs ad robur vrbis, & portus munitiſsimũ, quod à ſancta Maria de portu dicitur, ſuperſtructũ eſt. Mea præterea ætate anno ſal. 1506. ipſe ad. 4. id. Ian. prorſus exaruit. Sed interim ad iſthmũ & littus marmoreì portus cõplures aquarũ fontes emerſerũt, qui cũ Arethuſa refluxit, ſcaturire mox deſierũt. Hęc itaq; in hac prima, Syracuſarũ ambitu cõtenta, vrbe, quę hodie ſola colitur, ſunt memoratu digna. Quę etſi natura munita, & ſitu ſuo vel à paucisſimis (teſte in Verrẽ. 7. Cice.) cuſtodiri poſſet: à Carolo tamen Cæſare inſignibus propugnaculis, & omni opere hac noſtra ętate adaucta, & roborata eſt.

ALTERA erat vrbs Syracuſis cui nomen grẹcum Acradina Ciceroni, Diodoro, Plutarcho, & Liuio, quod iuſta compoſitione ſummum verticem interpretamur: quòd maxima eius pars in mole nonnihil edita in In-

Digitized by Google

ſulam prominenti ſteterit. Hanc & cæteris munitiorem, amplioremq;,& quodammodo ex pluribus vrbibus compoſitam fuiſſe in Timoleonte, & Marcello Plutarchus,& ipſe loci ſitus indicat. Proximam quoq; Ortygiæ, & ſolo ponte ab ea ſeiunctam ſtetiſſe, non coniectura, ſed certo iudicio conſequor. Cùm enim Acradinam poſt Corynthiorum aduentum ob populi frequentiam, quæ Inſulæ anguſtijs contineri non poterat, Ortygiæ acceſsiſſe ex Strabone acceperimus: non longè ab ea certè condi debuiſſe quis dubitauerit? Quod & ex Liuij verbis ſatis manifeſtum eſt,dum (4. lib. 2. belli Punici) Andronodorus (inquit) qui Inſulæ arcem,& cætera,quæ poterat,præſidijs firmarat, poſtero die luce prima patefactis Inſulæ portis in forum Acradinæ, ac in aram Concordiæ aſcendit. Et ibidem lib. 5. priusq̃ (inquit) Marcellus Syracuſis potiretur,Thica, & Neapolis,quæ reliquæ ſunt vrbis partes, ei ſe dediderunt. Quibus receptis Marcellus omnibus copijs Acradinæ mœnia aggreditur. Ad quem arcendum non ſolùm qui Acradinam tenebant, ſed à Naxo etiam armatorum agmina relictis ſtationibus ſuis concurrerunt. Et in Timoleonte Plutarchus arcem Acradinæ coniunctam facit. Ea verò cùm ad Iſthmum ſteterit (vt præmeminimus) quæ etiam ſola cum Inſula à Dionyſio iuniori in extremis diebus imperij ſui tenebatur, quis non videt Acradinam Inſulæ proximam fuiſſe? In hanc autem me prolixiorem demonſtrationem (vti ſæpe aliàs) neotericorum quorundam circa veri inueſtigationem incuria coegit: vt conterraneos ſimul, & exteros monerem, ne ab hiſtoriæ,& rei ipſius fide & in hac, & in multis alijs deſcriptionibus illorum erroribus abduci ſeſe patiantur. Acradina igitur à paruo hoc Ortygiæ interuallo ad eum vſq; locum,qui Scala græca hodie dicitur,protendebatur,omnemq; inferiorem agrum continebat vſq; ad mare. cuius fluctibus quà Orientem,& Meridiem reſpicit, alluebatur, vt. 4. lib. de. 2. bello Punico Liuius tradit, & circumiacentia eius mœnia adhuc oſtendunt. In hac in primis,quà Ortygiæ proxima eſt, domus erat ingens,& inſignis,quam lectorum ſexaginta cognomento vocabant (vt lib. 16. ſcribit Diodorus) opus Agathoclis Syracuſanorum Regis. Hæc cùm omnia Siciliæ ædificia, etiam ſacras ædes quaſcunq; amplitudine, eminentia, ac nobili ſtructuræ elegantia ſuperaret, cœleſti fulmine poſtmodùm icta concidit: ac ne veſtigium quidem vllum ſui reliquit. Hac vrbis parte forum erat maximum, pulcherrimæ porticus, ac Xiſti ampliſsimi, in quibus athletæ per hyberna tempora ſeſe exercebant. Ornatiſsimum quoq; Prytaneum ſenatus, ſiue magiſtratus (id enim Prytanis Græcis ſonat) ad ius dicendum locus. Inter reliqua eius ornamenta ſignum Sapphûs Marci Syllamonis opus perfectum, elegans, atq; affabrè elaboratum erat, quod in baſi inciſum habebat epigramma græcum pernobile. Cuius memoriam quidem Cic. in Verrem. 6. numeros verò non recenſuit. Erat Acradinæ etiam ampliſsima curia, quam Syracuſani Buleuterium græcè, quod latinis curiam loquitur, appellabant. Inter templa verò, quæ plurima hac vrbis parte cernebantur, Iouis Olympij egregium in primis, ac diuina prope magnificentia ſtupendum ab Hierone iuniori, non procul à foro, iuxta theatrum, vnius ſtadij ſpatio in longum extenſum, latitudine atq; altitudine reſpondente, extructum fuit: pyramidibus, & metis plurimis, eisq; ingentibus,artificioſisq; inſigne: vt lib. 16. Diodorus refert. In hoc plurima Gallorum, Illyricorumq; ſpolia, quę Senatus, Populusq; Romanus Hieroni Regi aliquando dono dederat, affixa, appenſaq; videbantur. Erat in eodem & Iouis Imperatoris ſimulacrum religioſiſsimum, exquiſitiſsima,ac cœleſti propemodùm induſtria expolitum: quod vrion Græci, hoc eſt ſignum vocabant. Fuit nimirum illud ex tribus Iouis ſimulacris, quæ eo tempore in orbe ferebantur vnius generis pulcherrima. Duorum namq; reliquorum, alterum Macedonię ereptum in Capitolio poſuerat Flaminius: alterum

Digitized by Google

rum in ponto ſacerrimũ erat, vt in Verrem .6. Cic. tradit. Porrò hoc tertium præcipua Syracuſis colebatur veneratione: quod non modò ciues, & incolę, ſed aduenæ quoq; & viſere, & curioſiſsimo proſequi cultu conſueuerant. Tẽplum præterea Iunonis iuxta littus. Concordiæ quoq; ara præcipuæ religionis, & Aeſculapij ædis, inqua & ſignum Panos affabrè factum, ſtatis cæremonijs ſolenniter vnà cum Aeſculapio celebratum Acradinæ fuerunt. Fuit etiam in ea templum Bacchо, quem Liberum appellabant, ſacrum: in quo & ſua Ariſtæo, qui liberi filius, & olei inuentor Grecis eſt creditus, cum patre ſacrificia fiebant. cuius ſimulacrum pulcherrimum, & parium ibi caput religioſiſsimum ſeruabatur, vt Cic. in Verrem, & Diodorus lib. 20. ſcribunt. Neq; prætereunda eſt Sphæra ſolaris ænea, quam in hac vrbis parte commendat Athenæus: inqua motus omnium ſignorum cœleſtium, ſegmentorumq; figurationem, & quaſi typum quendam ortus ſyderum, atq; occaſus, cœli conuerſiones cum ſingulorum ventorum ratione, totumq; deniq; naturæ opificium ad oculum contemplari licebat. In extrema autem Acradinæ regione, quà ſeptentrionem ſpectat, arx erat Galeagra à Græcis dicta (quod carcer noxiorum eſt latinis) Trogilorum portui imminens Thucydidi: cuius ætate mea clariſsima, & ea maxima, in vinea Petri Auguſtani, nõ procul à Scala græca viſuntur monumenta. iuxta quam & Trogilorum erat porta Thucydidi & Liuio. Qua Leontinos reſpicit, regio erat, nomine Hecatompedon, vt Plutarchus in Dione refert. Latomiæ quoq;, ſiue latumiæ, quas tagliatas vulgò hodie vocãt, in hac (vt & Neapoli) ex quibus ad vrbem extruẽdam lapides petebant excauatæ sunt: quibus Dionyſius, & cæteri poſt eum tyranni pro carcere vtebantur. Opus (inquit in Verrem Cic.) erat Syracuſis ingens, & adhuc extat, totum ex ſaxo ſolido in altitudinem mirandam depreſſum, & multorũ operũ, penitus excisũ, & omni aditu obſepto munitiſsimũ. opus quidem multorum Regum, ac tyrannorum. Latumiæ (inquit Aſconius Pedianus) qui Syracuſis ſunt carceres, ſic dicuntur, quoniam loca ſunt, ex quibus lapides excauabantur, ſic dicti lingua Siculorum. Sub terra hi erant carceres maximi viuo ex lapide abſq; teſtudine exciſi. In eos qui publicè cuſtodiendi erant, etiam ex cæteris oppidis, detrudi videbantur. In Acradina alię ſpecus ſunt plures viuo ex lapide manu exciſę viſu mirabiles. Quarum præcipuæ ſunt: vna, quæ antrum ſancti Nicolai dicitur. alia ingens & miro artificio ad harmoniam, vocumq; reſponſa elaborata: rariſsimum profectò opus. in qua Echo non modò vocis editæ, ſed ſummiſſæ quoq;, neq; natura, vt alibi, ſed arte certa reſponſa refert. Tertia in hortis cœnobij Franciſcanorum, cui à ſancta Maria de Ieſu cognomen inhæret. quæ licet ore anguſta, vbi tamen penetraueris, lata eſt: & potabilem demum habet lacum. Et ſubter D. Ioannis templum ſpecus quædã latis vijs, ac trãſuerſis diſtinctæ, atq; inſtar vrbis excauatę: cimiterij ſuo tempore locus. Ad latera nanq; earum ſepulchrorum frequentia in lapide ipſo exciſorum viſitur. Deniq; & ea quæ ad D. Luciæ ædem magna arte effoſſa cernitur. In vniuerſum autẽ ampliſsima ac fortiſsima Acradina (vt Cic. ſcribit) vna lata via perpetua, multisq; tranſuerſis diuiſa priuatis ædificijs continebatur. Quæ omnia hac ętate temporum, ac bellorũ iniuria defecerunt. Porta eius vna integra, quà in mare ad Orientem patebat, non longè à duobus ſcopulis, qui Duo fratres appellantur, & via, quadratis, & eis vſq; ad littus ingentibus lapidibus ſtrata, quæ ruderibus antè oppreſſa latebat, anno demùm ſal. 1553. ex improuiſo reperta eſt.

TERTIA verò Syracuſarum vrbs, quòd in ea Fortunæ fanum antiquum fuerat, Thice, quod fortunam Latinis ſignificat, nominata eſt Ciceroni. quam Eniſneam etiam Plutarchus in Marcello ob id appellare videtur, quòd Fortuna vnius vna ſit. Ea muro Acradinæ ad occidentem hærebat, quæ cùm antè non ſatis ingenio eſſet munita, poſt Thraſybuli eiectionem à Syracuſanis muris

nis muris (vt apud Diodorum lib .11. est) ex quadratis, ijsq; magnis, quemadmodum Acradina, lapidibus circunsepta est: quorum non obscuræ adhuc ibi cernuntur ruinæ. Hi porrò non fossis manu factis, sed decliui tantum solo lapideo præmuniebantur. Situs enim eius (vt & maximæ Acradinę partis) moles quædam est paulisper edita, vndiq; natura præcisa, tota lapidosa, atq; aspera, velut & tota circumadiacens plaga. Gymnasium habebat amplissimum, & complures ædes sacras, colebaturq; & habitabatur frequentissimè Ciceroni. In eius vertice locus eminens, & vndiq; præruptus, Epipole græcè (quod alij loco imminere Thucydides, pleriq; supra vrbem, interpretãtur) cognominatus est. Huic enim tota Syracusæ vrbs, ac portus, quin & Pachyni promontorium ad dexteram, & ad siniſtram Pelorus, Calabriæ montes, Tauromenij alpes, & mons Aetna præclaro quidem prospectu subsunt. Epipole (inquit lib. 6. Thucydides) locus præruptus, & vrbi imminens est. cuius aditus vnus duntaxat est. Nam cæteræ partes, cùm arduæ sint, conscensum minimè prębent. Hic vrbetenus aliquantulum decliuis, & introrsum omnino patens locus, ideo Epipole à Syracusanis vocatus, quia eminet plurimum alij loco. hæc Thucydides. In summa Epipoles crepidine, ac vertice arx erat, Labdalus græce appellata Thucydidi: quã Hexapilon lib. 6. secundi belli Punici vocat Liuius. Hæc ex quadratis lapidibus, & eis admirandis miro artificio erat extructa. cuius magnificentiam prostrata adhuc ædificij cadauera testantur: quibus Syracusanæ iam deletæ vrbis nulla hodie extant maiora vetustatis monumenta. Apparent, inter alia, subterraneę ibi ad plura vrbis loca tendentes viæ, è lapide quadrato stratę, quibus aut Rex, aut milites, si quando aut seditio exoriretur, aut hostium ingrueret impetus, facilè ad cæteras inde vrbis partes penetrarent. Hunc locũ hodie Syracusani Mongibellisium vernacula lingua appellant. Supra Epipolen, ac labdalum stadijs circiter duobus ad occidentem tumulus est vndiq; præruptus, qui Euriolus à Thucydide lib. 6. quasi magna latitudo, à Diodoro verò lib. 20. Euryclos. 1. amplus circulus appellatur. In eius edito iugo arx est ineleganti opere à veteribus erecta, speculæ æq; atq; arcis speciem referens: quæ hodie semiruta cisternam in ipso viuo saxo excisam exhibet: & à iucundissimo, quem in vicinas, & distantes etiam Pachyni, & Pelori regiones præbet, prospectu, vernacula lingua Beluedere hodie à Syracusanis vocatur. Supra Euryolum p.m.fere. 4. arduus est mons vtrinq; rupibus præceps, eius vertex à Thucydide li. 7. Lepas (quod promõtoriũ latinis est) sed hodie Mons Crimitis media correpta vulgò appellatur. Ab Epipolis mille prope passus Leontinum versus recedens locus erat Leon à Thucydide lib. 6. dictus: cuius hac ætate nullæ visuntur ruinæ. Iuxta Epipolas, & sub arcem labdalum, Pentaphilum etiam horologium illustre, ac excelsum erat: opus quidem senioris Dionisij (vt in Dione scribit Plutarchus) & domus eiusdem regia: in quam platanos, quod nouæ essent arbores, ad ornamentum ex insula Diomedis transtulit Pli. lib. 12. c. primo, postea in gymnasium amplissimum (de quo diximus) conuersa. Complures in hac regione sacræ ædes: sed Fortunæ in primis vetustissima, ac celeberrima colebatur: à qua nomen habuit: Scribit quidẽ Plutarchus in suis politicis, Timoleontem post Tyrannos è Sicilia sublatos Fortunæ templum Syracusis quàm magnificentissimè condidisse. Nam à plerisq; præstantissimis factitatum veteris superstitionis viris legimus, vt rebus præclarè ab se gestis eo modo Fortunam laudandam, adorandamq; censuerint: an tamen in Thica id templum Timoleon erexerit, à scriptoribus, quorum opera ad manus meas peruenerunt, non est proditum. Moles, in qua duas vrbis partes Acradinam, & Tycham conditas diximus, Terracãtis vulgò hoc tempore cognominatur. Quæ cum aquarum natura esset indiga, Syracusanorum & potentia, & ingenio cuniculis subterraneis, quibus per totã vrbem ad latera (vt & hodie fit) aquæ deducebantur,

Digitized by Google

cebantur, ad hominis ſtaturam in imo perforatis facta eſt vberrima. Et ne concluſus aer, aut impedimentum aliud, curſum aquæ moraretur: tum ne per vrbis vias cuiq; huius commoditatis eſſet difficultas, in ſummitate ſpiracula (puteorũ inſtar) complura ſunt adhibita. Aquarum porrò ad egreſſus hęc ſunt nomina. Quá moles meridiem reſpicit Trimilia, Garelmus, & Paradiſus. quà verò ſeptentrionem Targiunis, Targia, Boſcus, & Targetta. Cæterum vbi caput habeãt, licet ad montem Crimitim coniectura ducamur, incertum tamen tenemus. Subtili namq; induſtria fontibus prorſus occluſis ſubterlabendo eò pertractę ſunt. Verùm aliæ aquæ, quæ prętер has per aquæductus cæmentitios Syracuſas fluebãt, tametſi vetuſta locorum, finiumq; nomina prorſus interierint: quales tamen fuerint, vnde, & quomodo ſint deductæ non eſt difficile cognoſcere: quòd ipſę earum formę magna exparte adhuc extent. Siquidem .20. ferè p. m. à Syracuſis ad Occidentem vallis eſt ingens, quæ in ſaxoſæ, atq; aſperę rupis angulo ſitum habet Sortinum noui nominis, & recens oppidum. Ad illius verticẽ fons magnus erumpit, cui Guciuno hodie eſt nomen, ſtatim fluuium emittens: qui paſſibus inde vix centum, duobus fontibus, altero ad ſiniſtram ob argenteas, quas voluit arenas, argenteo, altero ad dexteram Rugio, nomine, atq; vlterius ſub ipſo oppido, ex alio item fonte, cui Primus eſt nomen, augetur. Sortino prætерea quà meridiem reſpicit, collis Serramenzanus hodie dictus vndiq; præciſus incubat: ad cuius radices in meridiem obuerſas, & ad verticẽ vallis alterius, quæ inter Pantalicam molem, vrbemq; hodie dirutam Herbesum olim appellatam, & Serramenzanum collem interiacet, vberrimi fontes duo magno impetu exoriuntur Buttigliariæ vernaculè hodie vocati: qui & ipſi ſtatim fluuium conficiunt. Syracuſani igitur aquarum inopia ad operoſa conſilia adacti, hoc colle ſiliceam habente naturã ad latus meridionale magno labore, maximoq; prope ſumptu per longos tractus perfoſſo, cuniculum ingentem egêrunt: qui Conductus pulchræ fœminę appellatur. ac deinde arcu (inſtar pontis, qui adhuc extat, fluuij pons vocatus) extructo, Buttigliariæ aquas amplis ijs fiſtulis à venis deductas Guciuni fluuio, ſub Sortino, ad ædem Annunciatæ permiſcuerunt. Poſtremò nonnullis ductibus cæmentitijs, pleriſq; ẽt ſubterraneis, quorũ veſtigia pluribus locis apparent, per .20. fere p. m. magnificè ſubſtructis, aquas affluentiſsimè in vrbem deduxerunt. Quarum poſtmodùm fiſtulas, quò potus inopia Syracuſani in deditionem compellerentur, Athenienſes Syracuſanæ obſidionis tempore diſſciderunt, vt lib. 6. ſcribit Thucydides. Hodie verò hæ aquę dirutis iam canalibus Anapum fluuium, cui miſcentur, augent. Sed ad Tycham redeo. In decliuiori parte meridiem versùs, domus erat Timoleontis Corinthij, tyrannidis apud Syracuſas extinctoris, quę ei oculis orbato à ſenatu, populoq; Syracuſano perhibetur eſſe conſtructa. eam, vbi hodie ędis eſt D. Petro à Trimilia fonte cognominato ſacra, fuiſſe Syracuſani exiſtimant. Non procul inde aberant portę Agregarię, quas Segragianas in Tuſculanis Cic. appellat: extra quas magna ſepulchrorum erat frequentia. quibus immixtum Archimedis tumulum ſe reperiſſe gloriatur Cicero. His quoq; vicinum fuiſſe Sicam oppidulum ſuburbanum author eſt lib. 6. Thucydides. Super hæc verò quod ad Tycham addam, nihil eſt. Nam totus tam huius, q̃ Acradinæ ſitus, adeo campeſtris eſt & incultus, vt cum non liceat ibi alias Syracuſanæ magnitudinis ruinas, prætер paucas eas, quas recenſuimus, oculis cernere, ſola ferè ſcriptorũ celeberrima mẽtio, & authoritas efficiat, vt extitiſſe his partibus vrbẽ ſuo tẽpore, & ægrè adhuc credamus. Euenit autem tanta hiſce regionibus vaſtatio cũ Romanorũ (Sex. præſertim Põpeij) induſtria, qui nulla aut pauca in eis reliquerunt priſcorũ operũ monumenta, tum ſoli natura, quod cùm lapidoſũ ſit totũ, proſtratis ab hoſtibus ędificijs, quę altioribus fundamentis carebant, ruinę etiã ipſę quam facilimè inde dimoueri & aſportari potuerũt,

QVARTA

QVARTA ET vltima Syracusarũ vrbs, quę, quòd postremo ędificata sit Neapolis grecè, hoc est noua ciuitas est appellata, ad septentrionem Tychę, ad orientem verò Acradinę hęrebat, eo loco sita, qui Muragli vernacula lingua nunc dicitur. atq; adeo reipsa conuincuntur ij, qui eam inter Insulã, & Acradinam posuerunt. Ad eius summum Theatrum erat maximum Ciceroni, omniumq;, quæ in Sicilia fuerunt pulcherimum, Diodoro lib. 16. cuius adhuc viuo saxo incisa ex parte videtur forma. Rupibus nanq; partim incisis, partim muri gyris amplissimis constabat: ad cuius verticem ex Tychæ latere, antroq; manufacto, ac latis fistulis, aquarumq; ductibus sub ipsa viua rupe incisis, longissimoq; tractu excauatis fons emanat, qui obliterato prorsus antiquo Grecorum nomine, Sarracenicè Gar elme, quod foramen aquæ latinis sonat, corruptè Galermus hodie dicitur. Non longè à Theatro amphiteatrum erat orbiculare singulari architecturę magnificentia insigne: Cuius magnas, Illustresq; reliquias cernimus, Coliseum, & fossa granatorum vulgò appellatas. Duo quoq; hac regione inter cætera erant templa egregia, alterum Cereri, alterum Proserpinæ, quam liberam vocabant, sacrum, Ciceroni: Hieronis superioris opus Diodoro. Signum præterea Apollinis, qui Themytes Ciceroni, Themenytes Suetonio à iustitiæ (ni fallor) vaticiniorumq; opinione ita indito à priscis nomine dicitur: quod Tyberius Cæsar suprema voluntate, Syracusis Romam in nouum templum, quod in memoriam Augusti simul cum bibliotheca excitauerat, aduehi decreuerat: sed morte præuentus decreti sui euentũ non obtinuit, vt Suetonius in eius vita. c. 74. commemorat. In Neapoli portæ erant duabus alijs, quæ Syracusis celebratę sunt, nihilò inferiores Menetides à fabricæ fortitudine, & robore ita græcè denominatæ, quæ Anapum fluuium prospiciebant Plutarcho in Dione. Extra eas palus erat, quam Lysimeliã Thucydides, Pantanellam vulgus hodie vocat. Cuius (vt & aliarum quoq; illi adiacentium) vaporibus tota Syracusarum vrbe, ac præsertim hac parte cœlum inficiebatur, vt in lib. de consolatione ad Martiam scribit Seneca, & nos experimur. Hinc ad fluuium Anapum, & Olympicum vsq; via erat magnis, & quadratis strata lapidibus, mea ætate reperta. Quibus erutis ingens vrbis propugnaculum, quod vnicæ portæ vrbis hodie imminet, est excitatum. Paludem aliam fuisse Syracusis scribit Vibius sequester, quam Tyracam appellabant. vnde Tyracati nomen Acradinę, & Tychæ agro recens forsan obuenit. Hortus pro moenibus vrbis, qui Mython dicebatur, olim ab Hierone Rege sumptuosissimè ædificatus & consitus erat libro. 12. teste Athenæo Tres fontes extra vrbem insignes fuisse Tenenitim, Archidemissam, & Margeam, lib. 3. refert Plinius. Hodiè verò in agro Syracusano Cauę donnæ. 7. p. m. Sortinum versùs, & Ricalcaci p.m. 6. ab vrbe distantes fontes sunt celebres. Cacyparis fluuij aquæ ad agrum quoq; Syracusanum, qui Gereates dicebarur, olim deducebantur, vt mirandis aquæductibus in rupibus excisis simul & cæmentitijs hucusq; pro magna parte integris passim ante oculos cernimus. Sed & fluuij Cardinalis hodie appellati. 18. p.m. ab vrbe distantis, qui in valle Yhannicatini sarracenicè dicta totus mirè absorbetur, aquæ in agros Syracusanos per quosdam ductus. 12. p.m. in rupe excisos, & ponte etiam ad id extructo, quorum adhuc clarissima visuntur monumenta, antiquitus procurrebant. Tybrim fluuium ab hostium labore denominatum, Syracusis fuisse Theocriti interpres & nonnulli perhibent, quem Fossam vocat Seruius. Hanc Athenienses & Pœni Syracusanorum captiui belli iure ad ligonis exercitium expositi æquatis iuxta moenia collibus, pro vrbis munitione tanq; vallum confecerunt: in quam admisso alueo non mediocriter ciuitatem munierunt. Ab hoc nomine nonnullo pòst interiecto tempore Syracusani pleriq;, qui cum ingenti colonorum multitudine in Italiam Tyrannidis odio profugerant, iuxta Albulæ fluuij ripas, vbi

postmodum,

Digitized by Google

postmodum Roma fuit condita, sedibus positis, vetustissimo Albulæ nomine obliterato, fluuium Tybrim in patriæ memoriam, & quòd eiusmodi fossæ imaginem præseferre videretur, denominauerunt. Cui opinioni accedere videtur Plinius: qui lib. 3. c. 5. Tyberis (inquit) antea Tybris appellatus: Sed prius Albula. vt Albula primùm; mox Tybris à Syracusanis, atq; Tyberis demum à ducis Albani submersione transnominatus sit. Nam & Solinus scribit Italum Regem ab insula Sycilia cum Siracusanis ad Ianum peruenisse, atq; eius cõsilio, auxilioq; ciuitatem iuxta Albulã condidisse Capenam nomine: à qua deinde portę Romanæ Capenæ nomen fuit impositum. quod quidem ad hanc nostram sententiam non parum affert authoritatis. quanq; à Verg. ad Tybrim Regem quendam immanis staturæ Romanum, Tybridis etimologiam referri non ignorem. Sed hactenus quæ in quatuor illis Syracusarũ ambitu conclusis vrbibus aut sunt, aut fuerunt olim memoratu digna sigillatim recensuimus. Supereſt vt si quæ publica sunt, neq; his partibus peculialiter propria communi vrbis enarratione perstringamus. Hyberna Syracusis esse limpidissima, continuumq; ac perpetuum solem, qui nullo die quãtumuis nubilo ita arcetur, quin aliqua vrbis parte appareat, testatur & res ipsa, & Ciceronis in Verrem, & Plinij, & Solini authoritas. æstas verò propter paludum viciniam grauis olim erat, & intemperie prope infamis, vt ex Seneca retulimus. Leges plurimas in tã bene constituta rep. ad prauos mores reprimendos apud Athenæum Philaretus fuisse commemorat, quarũ etiam origo varia fuit. Inter alias itaq; (quia ordo ad temporum rationes accommodari non potest) vna fuit ea, quæ ad amictus communis fastum, insolentiamq;, quæ ad extremam luxuriam impudicitiamq; procedebat, compescendam, salutari, eaq; strictissima cautione lata est: Ne mulier vlla auro, vel purpura, vel floribus, aut prætiosius ornata & noctu nulla ratione, interdiu verò nonnisi vnica ancilla comite domo exiret. Quod si quæ secus committeret, adulteræ, aut meretricis publicã ignominiam subiret. Viris etiam sumptuosiori veste vti interdictum erat, ni se adulteros, cynędosq; publicè profesi ab omni administratione honestoq; commercio prohiberi vellent. Doli quoq; mali lex apud Syracusanos principium habuit eiusmodi vt lib. officiorũ. 3. Cic. refert. C. Camnius Romanus eques Syracusas cum venisset, hortos se velle emere edixit. Quod resciens Pythius Syracusanus auri faber homo vafer captata emptoris familiaritate cui dolum iam prę cogitauerat, habere se quidem hortos suburbanos amœnissimos ac maris fluctibus irriguos, non venales, sed suos (vt amicorum omnia) vtriq; communes dixit Ad quos Camnium in posterum diem ad cœnam inuitat. quò & piscatores complures ad fraudem conductos piscatũ conuocat. Ad hortos venit Camnius. conuiuiũ lautissimè paratum habuit. mox & cymbarum multitudo ibi affuit. Pisces quotquot cæperant ante pedes Pythij abijciunt. Miratur Camnius: sciscitatur, interrogat, remq; inquirit. Cui Pythius Quicquid inquit Syracusis est piscium, hic capitur. Hoc littore carere piscatores non possunt. His verbis incensus Camnius contendit cum Pythio, vt hortos omnino sibi vendat. Grauari ille primò, subinde ægre flecti simulat; ac tãdem Camnio hortos vendidit quanti voluit. Camnius pisculentis hortis beatus, vt putabat, postridie & ipse amicos ad rus inuitat. tempestiuè venit: nullos piscatores, nullasq; cymbas videt. Miratur. quęrit è vicinis quo piscatores abijssent. Responsum est, nullos ibi solere piscari. delusum se clarè statim animaduertit Camnius. stomachatur. conclamat. furore ac census perstrepit. Deos hominesq; inuocat, obtestatur. Pythium ad iudicium, sed frustra ducit: nondum enim lex de dolo malo erat edita. Est autem dolus malus, cum aliud dissimulatur, aliud dicitur. Hinc igitur Syracusis edictum est, sancitumq; legæ perpetua, vt dolosus, veluti perfidus, improbus, & malitiosus mortis pœna plecteretur. quæ & Romæ postmodum ab Aquilio promulgata est;

Tum &

Digitized by Google

Tum & ſanctiſsimam iurandi formam apud Syracuſanos introductã, teſte Plutarcho, ne quà fraudi locus eſſet, accepimus. Iuraturus nanq; in Theſmophorum deſcendebat templum, vbi Proſerpinæ re ſacra rite peracta infulam induebatur, ardentemq; manu tenens faculam ad concepta verba adſtringebatur. Proſerpina verò id teſte fiiebat, tum quòd Siciliam quaſi dotem a Ioue in clientelam recepiſſe, tum quòd Inferorum Regina à vetuſtate credebatur, vt & numinis reuerentia, & inferorũ metu à periurio abſtineretur. Erat & lex alia, qua ciuium plus æquo ſeſe efferentium audacia ac temeritas comprimebatur: cuiq; vel minima coniurationis, nouarumue rerum ſuſpicio, ad exilij mulctam ſatis eſſet, vti & olim ab Athenienſibus, ac ſubinde à Romanis ob ſeruatum legimus. inter quos nihil intererat, niſi quòd in oleæ frondibus Syracuſani, non in teſtula, vt Athenienſes, & Romani, qui ab ea hanc legem Oſtraciſmon, ſed Pentaliſmon Syracuſani appellabant, ſuſpecti ciuis nomen inſcribebant. Et cuius folia plura in comitijs in vrnam conjecta proueniebant, conſpicuam magnitudinem de conſilij decreto quinquennali exilio mulctabant, vt lib. 11. ſcribit Diodorus. Cæterùm cùm vrbis primores complures Pentaliſmi hac legè in exilium miſsi eſſent, qui patritij in vrbe remanſerant ne idem mali ſibi eueniret, vrbem vltro deſeruerunt. Quo effectum eſt, vt cum ignauiſsimi quiq; ad reip. gubernacula acciti, maioribus nouitatibus ac ſeditionibus adminiſtrationis imperitia populo cauſas præberent, quo vrbi collabenti ſuccurreretur, pentaliſmi lex prorſus abrogata eſt. Lege etiam ibi (referente Zenodoto) ratum erat, vt militũ, qui ordinem in bello deſeruiſſent, nomina ab hipparchis, hoc eſt equitum præfectis, in tabellis deſcriberentur: ne cuiq; commiſsi facinoris impunitas, ac ne impunitatis quidem ſpes ad licẽtiam occaſionem daret. vnde apud eos natum vulgatiſsimum prouerbium. Hipparchorum Tabulæ. Lex quoq; de ſepeliẽdis defunctorum corporibus ante Gelonis Imperium rogata eſt. Qua funerum ſumptibus modus pro cenſu cuiuſq; imponebatur. Sed & poſtmodum à Timoleonte magiſtratus introductus eſt, quem Iouis Olympij famulatum appellabat. Cuius religione in officio populus contineretur, cuiusq; edicta tanq; cœlitus à Ioue emiſſa obſeruarentur. Primus omnium ad id munus Callymenes fuit electus, ac deinceps is honos per manum traditus continuatusq; poſt annos demum trecentos abolitus eſt. Fuiſſe & Syracuſis digniſsimum Iouis Olympij ſacerdotium in Verrẽ ſcribit Cic. Cuius ferè huiuſmodi erat electio. Conſtitutis ex tribus hominum generibus viris tribus, qui electionis Principes eſſent, res hoc modo decernebatur. Quot erant renunciati, tot in hydriam ſortes conijciebantur. cuius deinde nomen exibat primùm, is ſacerdotium adipiſcebatur. Mos quoq; genti fuit, vt victores equis lauro coronatis, captiui verò tonſis crinibus in triumpho vterentur. Erat & Syracuſis lex, qua ad diſcrimen ingenuæ & ſeruilis perſonæ notandum, ſerui equi ſtigmate inurebantur. Erat enim ibi ingens ac ſordida ſeruorum turba ex omnifariam populis exulibusq; conflata, quos Callicyrios appellabant, vt in Politicis ſcribit Ariſtoteles. Qui eodem loco apud Syracuſanos habebãtur, quo apud Lacedemonios captiui, apud Theſſalos Peneſtæ, & apud Cretenſes Elarotæ. Opere nanq; ruſtico & agricultura ſumptum, ac victum ſibi queritabant. Quos, quòd numero dominos ſuperarent, ne ſeditionem aliquando multitudinis perſuaſione molirentur, vrbe poſtmodũ eiectos refert Suidas. Sunt qui Syracuſis ſaltationem, geſticulationemq; primò exortam ſcribant: idq; ab Hieronis ſenioris immani tyrannide, ac ſæuitia. Qui cùm inter alia dictu immitia Syracuſanos mutuis colloquijs vti vetuiſſet: iuſsiſſetq; vt ſi quæ communicanda eſſent, ea pedum mannum, oculorumq; nutibus, ac indicijs ſignificarẽtur, mox ſaltatores neceſsitas peperit. Quod & Ariſtoteles lib. Politicorum .5. his verbis affirmare videtur: Syracuſis (inquit)

deductores

Digitized by Google

deductores nuncupabantur & auricularij, quos ſubmittebat Hieron, vbicunq; congregatio fuiſſet aliqua. Cuius ſilentij plusq̃ ſeruilis impatientes Syracuſani Ioui Olympio, vt à tam ſæua Tyrãnide ſe liberaret, ſupplicarunt. Quod cũ morte tyranni euenisſet, numinis gratia ac commiſeratione impetratum rati, Ioui Liberatori auream ſtatuam erexerunt. At Tyrannis expulſis cum hoſpites & conductos milites in ciuium numerum adſcripſiſſent, confuſo ciuitatis iure recepti in ſeditionẽ venere; commiſsoq; cum Syracuſanis prælio libertatis vix bene guſtatę ſtatũ (vt eodem libro teſtatur Ariſtoteles) breui immutarunt. Celebrabatur Syracuſis in expiationem defunctorum gladiatorius ludus, vt libro primo, capite de ſomnijs ſcribit Valerius. Duo nãq;, qbus id aut cõmẽdatũ, aut ſuſceptũ erat ſingulari certamine in ſe mutuo inuehebãtur, donec alter aut occideretur, aut herbam porrigeret. Erat id ad inferias quaſi mortuorum. Exiſtimabant equidem ſi ſanguinem effudiſſent, mortuis piaculum fieri. In eo ludo Acenes Rufus Romanus eques, vt ſomnio noctu viderat, eſt occiſus. Celebrabantur & Iſthmia annis ſingulis, quoniam Corinthiorum erant coloni, vt Athenæus refert. Equidem Syracuſanos opibus florentiſsimos adeo fuiſſe vno ore authores omnes ſcribunt, vt aliarũ gentium diuitiæ quantumuis amplæ nihil ad Syracuſanas eſſent. Vnde natum adagium quod ſupra retulimus: Vobis ne decima quidem Syracuſarum adeſt. Nec minus voluptatum, ac delitiarum nomine celebrati olim ſunt. vnde & aliud prouerbium: Syracuſana menſa: abijt pro lauta & opipara. Cuius Plato .3. de rep. & Ariſtoteles 5. Politicorum lib. meminerunt. Hinc etiam illo .3. libro Athenæus ranarũ more aquaticarum ſemper in compotationibus eſſe, & luxui deditos in epiſtolis ſcribit Plato. Legimus autem & eò libidinis peruaſiſſe adoleſcentes duos, vt cùm neq; vtriq; ſexui, neq; affinitati, neq; legibus parerent, excitata inter primores ſeditione libertatis ſtatum bis inuerterint. Cuius incontinentiæ alterum exemplum eſt apud Ariſtotelem .5. Politicorum libro: alterum apud Plutarchum in ſua Politica. Celebratur & apud Ariſtotelem de hiſtoria animaliũ libro .6. & apud Pli. lib. 10. cap. .54. Syracuſanus vini potor, qui ouis ſub ſtoria poſitis tandiu potauerit, dum fœtum ederent. Nec id ſupra fidem videri debet: cùm non ſolum auium incubitu, ſed & fimo etiam obruta, aut calori igneo ſuppoſita foetum gignere & Ariſto. ſcribat, & nos experimento diſcamus. Pictura erat Syracuſis (cui necdum certus locus à ſcriptoribus eſt attributus) eximia arte elaboratum ſaucio tumidoq; pede leonem repræſentans. Hic Mentori Syracuſano obuiam aliquando factus cum ille metu refugeret, ante eum affectatis ad mouendam cõmiſerationem geſtibus pedis iniuriam oſtentabat, plagam lambebat, atq; opem, cum voce non poſſet, nutibus implorabat. Quibus ille commotus, confirmatusq; exempto feræ quo cruciabatur, ſurculo, perpetua ſibi eum humanitate deuinxerat. Cuius picturæ ſimul & hiſtoriæ meminit etiam Pli. lib. 8. c. 16. Signum quoq; Syrcuſanũ Leontij opus libro .34. c. 8. idem celebrat. quo puer claudicans tanto artificio exprimebatur, vt eius vlceris dolorem etiam ſpectantes ſentire viderẽtur. Memoratur etiã apud eundẽ lib. 8. c. 5. Menãder quidã Syracuſanus adoleſcens, qui in exercitu Ptolemęi Regis ſtipẽdia merebat adeo ab elephãto amatus, vt deſideriũ, quoties eũ nõ videbat, inedia teſtaretur. At verò inter Syracuſana opera multo oĩum maxime memorabilis fuit nauis illa Hieronis iunioris, qua neq; magnitudine ſupiorẽ, neq; architecturæ induſtria, ornatusq; excellentia inſignioręẽ vlla vnq̃ viderũt maria. Cuius & Athenęus ex Moſchione authore li. 5. meminit. Ad eã igitur Hiero fabricãdã lignorũ ex Aetna mõte ſtruẽ, quę ſexagĩta triremibus abundè cõficiẽdis ſatis factura putaretur, cædi curauit. Aes quoq;, ferrum, cãnabim, reliquaq̃; tãtę fabricæ neceſſaria ex Italia, Iberia, & Rodano flumine comparauit. Archi-

Digitized by Google

tectum verò ſummo operi præſtantiſsimum Archiam Corinthum præfecit, Trecentos operi faciendo materięq; dolandæ fabros artificesq; adiunxit, præter miniſtros artificio ſubſeruientes, qui nunq̃ (vt pleriq; ſcribunt) quingentis pauciores aſsiduo ſemper in opere verſabantur. Quibus ipſe etiam Archias dies totos ſe curatorem exactoremq; officioſiſsimum præbuit. His itaq, ſine vlla temporis laboriſq; remiſsione coædificãtibus intra ſex menſium ſpatium dimidium tantę nauis abſolutum eſt. Quod cum in mare deducendum mandaſſet, vt ibi commodius altera inchoatæ fabricæ pars compleretur, nullus neq; ab Archia, neq; ab vniuerſo architectorum Siculorum collegio excogitari potuit modus, quo tanti ponderis moles vel loco dimoueretur, donec ad extremum Archimedes ille æterni nominis mathematicus, qui cum Regi neceſsitudo ac familiaritas non vulgaris interceſſerat, adhibitis paucis hominibus, compactaq; clauicula machinali confeſtim cum nouo ſpectantis populi Regisq; ſtupore eam ſolus prope littore ſolutam in mare pertraxit. Quam deinde ſex alijs menſibus altera parte abſoluit. Erant claui ærei quibus tabulæ, trabesq;, & coſtæ colligabantur, decem (etſi quindecim nonnulli penſent) librarum ponderis. Qui quód ſpiſsiores denſioresq; eſſent, non alias q̃ lignis prius terebratis infigi poterant. Quibus demum coſtæ eleuatæ cum coaſſationibus tranſuerſis vinctę tegulis inſuper plumbeis adactis validius aſtringebantur, ſub quibus linteola concerpta cũ pice infarcta ſubierant. Habebat viginti ordines remigum, ædificiorum verò triplicem contignationem. Quorum infima oneri ac mercibus deſignata multiplicibus ſcalis deſcendebatur. Media, ad quam arti mechanicæ erat tranſitus, cænationes triginta iuxta vtrunq; nauis latus omnes pauimento, in quo belli Troiani fabula viſendo arrificio concinnata legebatur ſtratas, teſſellis vermiculati lapidis omnis generis continebat: in quibus lecti quaterni viris ſeruiebant. inter quos & nautarum conclaue quinq; lectorum capax erat. Thalami præterea tres, & culina, quæ coenationibus ſubſeruiret, ad puppim prominebant. omnia verò ædificia tectis laqueatis & poſtibus exornata inſigni erant opere. Summa nauis pars gymnaſium habebat, & laxas ambulationes pro ſuæ magnitudinis proportione. Eas omnes deambulationes horti omnis generis ſtirpibus foecundiſsimi ambibant. Erant hæ arbores fictilibus in vaſis, & plumbeis conſitæ. Hæderę prę terea, ac vites pampinis & corymbis omnia inumbrabant. Alebantur vites in dolijs terra plenis. quę ſimul cum hortis pari aquarum machinamento irrigabantur. Inde Aphrodiſium adibatur, hoc eſt cõclaue Veneri dicatum. quod triclinari etiam lectiſternio, pauimentoq; (quod achate lapide, alijsq; id genus nitentibus lapidibus, quorum eſt magna in Sicilia diuerſitas, ſplendebat) erat cõſtratũ. parietes habebat cupreſsinis tabulis, aſſeribusq; contextos, laqueatũq; ex eadem materia tectum. Fores etiam eborc, & odorata materia cõpactas, pictu raq; inſigniori, ac ſigillis exornatas aperiebat. Deinceps exhedra erat quinq; lectorum capax, quorum parietes poſtesq; buxo diſtincti mirè delectabant. vbi bibliotheca & in lacunari ſphæra inſtar ſolarij Acradinęi viſebatur. Balneum huic loco iunctum adibatur, inquo tres lecti cum ſolio ex vario lapide, & tribus æneis caldariis exculpto ſtabant. Erat in eadem naui iuxta proram aquarum dulcium receptaculum concluſum duarum mille metretarum capax, aſſamentis pice ac linteorum farctura compactum. Iuxta quod rurſus piſcina coaſſatione & implumbatura couſtans aquis marinis referta maximam piſcium copiam alebat. Habitationes præterea plurimæ militibus diſtributę, & his quoq; qui ſuper ſentinam erant. Equorum præſepia ab vtroq; nauis latere numero decẽ cũ frenis, ſtratis, pabulo, & omni equitatus ſupellectile ſuo loco ordinabãtur. lignariũ quoq; & clibani, foci, piſtrina, atq; alia itẽ miniſteria in nauis receſsibus expedita. Ad hoc athlãtes ibi nouẽ pedũ altitudinis certis interſtitijs

firmati

Digitized by Google

firmati ſculpturas prominentes à ſumma contignatione palorũ vice fulciebant. Turres erant in ea naui octo, binæ in Prora, in puppi, & in vtroq; erectæ latere. In muris etiam propugnacula erant munitiſsima. Præterea machina in medio castromate ſuper tripodes erigebatur (Archimedis inuentũ) quæ ſaxa tritalentaria, telaq; miſsilia duodeuiginti pedũ facilè ad vnius ſtadij ſpatium eiaculabatur. Hæc, & alia pleraq; machinamẽta propugnatoria, vt corui, lupi, & in ſummo malo carcheſia, ænea lapidum conceptacula ad lapidationem in hoſtium nauigia faciendam abunde ſuppetebant. Stabant namq; in vna terni, in alijs bini, aut ſinguli homines, lapides eiaculantes, quos ſerui in foris ſtantes, vitilibus, quallis, tempore pugnę ſuggerebant, trochleis ſubuehentes. Idem Archimedes cochleam eſt commentus: qua tantę nauis ſentina ab vno homine exhauriretur. Frumentum autem negotiatorium ea nauis capiebat, exportabatq; medimnûm ad milia ſexaginta. Salſamenta Sicula ad cadûm decem milia. Lanarum talẽta viginti milia. præterea viatorũ, nautarumq; medimnûm ſexaginta milia. Hãc itaq; monſtruoſam nauem poſtea Hiero Rex cum Aegyptus ãnonæ caritate vexaretur, frumento onuſtam in Alexandriã miſit, eamq; Ptolemæo Regi liberaliter dono dedit. Quæ vt exteris tunc temporis Syracuſanæ potentiæ inimicis metum incutetere, ita & nunc nobis ſatis indicio eſſe poteſt quanta olim fuerit Syracuſani Imperij maieſtas, ac magnificentia. Quare non temere Syracuſas ita variè laudant rerum ſcriptores, Græcarumq; omniũ vrbium maximam appellant. quam centũ & octoginta ſtadia (præter ſuburbana oppida) habere in ambitu, & Strabo ſcribit, & eius iacentia moenia nobis indicant. quam pulcherrimam vrbem dixit Cicero, Dijs, hominibuſq; communem, omnia complexam, certis legibus, æternisq; de uinctam, cuius deniq; ſpolijs multo tẽpore resp. Romana fuit ornata. Ea namq; capta, Marcellus vt non ſolùm ſuam ibi gloriam, ſed & maieſtatem populi Romani augeret, ornamenta, ſigna, tabulasq;, quibus hęc vrbs abundabat Romã conuexit. Vnde primum initium mirandi græcarum artium opera Romanis coepiſſe. 3. decad lib. 5. Liuius ſcribit. Viſebantur Romæ ad portam Capenam dedicata à M. Marcello templa, ijs ſpolijs propter excellentiam eius generis ornamentorum decorata. His, vrbis Romanæ maieſtas aucta, Deorum ſtatuæ inſignes, templa, porta, viæ, atq; altaria exculta, Deæ Veſtæ ædes, Syracuſana ſuperficie à Gn. Octauio fuerunt contectę. Capita quoq, columnarũ ex Syracuſis aſportata, & in Pantheo à M. Agrippa Octauij Aug. genero fuiſſe poſita lib. 34. c. meminit Plinius. Nec ſine inſigni fœlicitatis, magnificentiæq; progreſſu: adeo ei & Atheniẽſes, & Pœni inuiderũt. Quantas verò iam inde ab initio & ſtatus, & Imperij, & Principum mutationes ſenſerit, qui temporum ordinem obſeruauerit, non ſine ſumma admiratione contemplabitur. Primùm enim vt diuitijs & fœlicitate, ita & Imperio, rerumq; geſtarum gloria eam cœteris ferè, quæ tunc florebant, gentibus præſtitiſſe eſt compertiſsimum. Enimuero primi illi, qui poſt Aetolos, & Siculos cum Archia ad condendam vrbem venerunt, non Iones, neq; Helleſpontij, neq; Inſulani, qui alijs ſeruiebant: ſed Dores liberi ex libera Peloponneſo fuerunt. Quos omnes fortitudinis, ac rei militaris peritia toto orbe commendatiſsimos ſemper extitiſſe accepimus. Depulſis itaq; primo ſtatim impetu in inſulæ mediterranea Siculis principatum hi littoralis oræ obtinuerunt, nec non & illis poſtmodum cæſo Ducetio oppreſsis, regnoq; omni, atq; vrbe regia Trinacia funditus extinctis. Syracuſanũ Imperiũ non in Siciliæ modò finibus firmũ continuere, ſed & per vniuerſam pene Italiam longè, lateq; propagarunt: ita vt non ſolùm finitimæ gentes, ſed Orientis, ac Græciæ etiam Reges afflicti bellorum tempore eorum auxilia poſcerent. Quare rectè eis obueniſſe Strabo indicat, vt ſub dominatu conſtituti reliquos ſuæ ditioni ſubiugarent, ac libertatem adepti alios barbarorum ſeruitute oppreſ-

Digitized by Google

ſos in libertatem vindicarent. Cum Athenienſibus, & ſubinde cum Carthaginenſibus nō ſolùm æquis viribus, ſed victricibus etiam armis de Siciliæ Imperio pluribus annis decertarunt. Quibus ſuperatis, cum Romanis tandem æquo etiã marte primo bello Punico contenderunt. At deinde magnitudine potius ſua, quàm hoſtium viribus, aut fortunæ iniuria ſub iugum venerunt; factaq; eſt tam florentis vrbis resp. tyrānorum multo tempore domicilium, Gelonis inprimis, mox Hieronis, inde Trasybuli, & vtriuſq; Dionyſij, Dionis poſtea, Agathoclis, Pyrrhi, Hieronis alterius, ac poſtremò Hieronymi: cuius cæde apud Leontinos perpetrata, à Romanis tandē Marcello Duce ſubacta eſt: Quorū Imperio p ciuiliū bellorū tēpora declinante à. Sex Pōpeio Magni Pomp. filio vnà cū pluribus Siciliæ vrbibus vaſtata demum, ac proſtrata eſt Straboni. Ex qua deinde cæteris partibus deſertis, ac dirutis (vt erant) relictis, ſolam Inſulam Cæſar Aug. reſtituit. Diuiſo poſtea Imperio ſimul cum reliqua Sicilia Cōſtantinopolitano ceſsit. Quo regente anno ſal. 515. a Gothis cum vniuerſa Sicilia occupata, ac deinde Beliſario duce à Iuſtiniano Cæs. recepta eſt. Quã cùm anno 650. Conſtantius Imperator inuiſeret, à Mezentio in balneis, quæ Daphnææ dicebantur, ſuffocatus eſt. Anno poſtea 826. Michaele Balbo imperante cum tota Sicilia in Sarracenorum poteſtatem venit: eisq; per ducentos, & triginta circiter annos paruit. Quibus dominantibus anno ſal. 1027. octauo Cal. Auguſti Gaytus Maymonus Hiſpanus genere, ſed Sarracenus religione cum ingenti claſſe in Siciliã aduectus infra dies ſeptem totam vaſtauit, ac incendio abſumpſit: Syracuſanis omnibus partim gladio cæſis, partim ſecum in captiuitatem abductis. Deinde paulò pòſt per Normannos Chriſtianis reſtituta, & ſubinde à Gallis gubernata eſt. Quibus cæſis tandem Aragonenſibus Regibus ad hanc vſq; ætatem paruit Quibus regnantibus ſub Alphonſo primùm Rege in reginalem aulam cum Leontino, Argyra, Meneo, Vizinio, & Francauilla oppidis translata eſt: & exinde ad ſalutis vſq; annum 1516. per gubernatores Reginarum adminiſtrata eſt. Demum morte Ferdinandi Catholici Regis tumultuantibus Siculis & ipſa quoq; ſub Almerico Centelló Hiſpano, cui Reginæ nomine concredita erat, in ſeditionis partem venit: ſedatisq; Siciliæ rebus ad Regum rurſus dominatum redijt, idq; anno ſal. 1537. Nunc verò eo loco cōſtituta eſt, vt diximus, quo antiquitus prima pars Ortygiæ erat. Cumq; tota vrbs in Inſulam ſit traducta, & circumfluo mari cincta; vnica porta ad Iſthmum, vbi & pons eſt, à ſeptentrione aditum habet. In his Anguſtijs duo egregij, ac recentis operis ætate mea extructa ſunt propugnacula, quæ difficilem habent oppugnationem. Quà verò ab vtroq; portu mari circumalluitur, propugnacula ſunt idoneis locis, & ea maxima, munitiſsima erecta. Chersoneſus ipſa, quæ in mare porrecta inſulæ formam effingit, ad verticem arcem habet Maniacis, ab aperto autem mari Ionio pelago pulſatur, & perpetuis ſcopulis iacētibus natura munitur: vbi ætate mea iuxta ædem ſpiritus ſancti collapſis vetuſtate moenibus numiſmatum in æs, atq; argentum affabrè factorum maxima in fundamentis paſsim multitudo eſt reperta, ex vna Hieronymi Regis caput, ex altera parte Græcas inſcriptiones habentium, quibus Hieronymum Syracuſanorum Regem poſtremum operis fuiſſe authorem conſtabat. Et licet hac etiam tempeſtate habeat & pulchritudine, & portus commoditate, & moenium robore, propugnaculorūq; munimentis, quo cum alia quauis bene conſtituta ciuitate cōferri poſsit, & Siciliæ arx ſit munitiſsima; inopia tamen ciuiū, colonorumq; raritate q̃ maximè deploranda eſt. In memoria tamen antiquitatis non ab re conquieſcit; mutisq; monumentis, viuorum hominum, ſortisq; præſentis inopiam ſolatur. Fuit enim vt opibus, militia, & Imperio olim clariſsima, ita etiam (teſte in. 4. tuſc. qu. Cicerone) docti sima, & compluribus in quouis doctrinarum genere viris oruatiſsima,

THEO.

Digitized by Google

THEOCRITVS in primis Syracuſis natus eſt, patre Propagora cognomento Sunechide, matre Philina, quẽ Moſchũ appellatũ fuiſſe Terẽtianus refert. Claruit ſub Ptolemæo Lagi. Poëta fuit Bucolicus: ſcripſit poema lingua Dorica, diſtinxitq; in Edyllia: quorũ proprietas moribus, & verbis paſtoralibus maximè cõuenit. cuius .24. Eclogæ hodie & græcè, & latinè leguntur Suidæ. Quẽ, quòd Regi oblocutus eſſet, ſuſpendio condemnatum vitam finijſſe in Ibin author eſt Ouidius.

FVIT & Philolaus Crotoniatę filius, Pythagoricæ diſciplinæ ſectator, Syracuſanus. Claruit Platonis temporibus. Scripſit enim hic ad Dionem, vt ab illo ſibi Pythagoricos libros coemi curaret. Et cùm Plato in Siciliam veniſſet, librum quendam à Philolao cõſcriptum quadraginta minis argenti Alexandrini à propinquis eius coemit, vt ex Hermippo ſcribit Laertius.

PHILEMON Syracuſanus Alexandri Magni ætate floruit. Poëta fuit comicus, comœdiarumq; numerum ſuæ ætatis annis æquauit. Nonaginta ſiquidem ãnos vixit, totidẽq; comœdias ſcripſit. Deceſsit autẽ præ vehemẽti, nimioq; risu.

PHILEMON alter Poeta etiam comicus Syracuſanus fuit, quemadmodum Suidas teſtatur. Hic ſupra centeſimum vixit annum nullius ſenſus integitate amiſſa. Huic in sõnis nocte profunda nouem puellæ è domo ſua migrantes ſunt viſæ: interogantiq; cur egrederentur, reſpondiſſe feruntur: Apud hanc domum amplius nos immorari non licet. Expergefactus poſtẽq; filio ſomniũ expoſuiſſet, propediem mortem obijt. cuius filius & ipſe Philemon nomine, & Poeta comicus quatuor editis comœdijs deceſsit.

SOPHRON Eurpidis temporibus poeta & ipſe comicus Syracuſis natus eſt. Is mimos, hiſtrionesq; viriles, ac muliebres compoſuit. Scripſit autem poemata ſua Dorica lingua. Quorum legendorum ſuauitate Platonem pellectum obdormiuiſſe memoriæ proditum eſt.

CORAX vnus ex primis oratoriæ artis inuentoribus, vt Ariſto. teſtatur, Syracuſanus etiam fuit. Hic ciuibus exacta tyrannide liberè viuentibus perſuadere cœpit, vt deinceps libertatem vrbis conſeruarent. Cuius cognito ingenio, Syracuſani ſuos ei filios erudiendos tradiderunt. Hic primam orationis partem Exordium, alteram Agona, tertiam verò Epilogũ nominauit. atq; oratoriam artem poſt Hieronis ſenioris mortem publicè profiteri cœpit.

CHTESIAS, licet Tyſias pleriſq; appelletur, orator eminentiſsimus, Coracis diſcipulus Syracuſanus & ipſe fuit. Artem, & præcepta Rethoricę addidit, vt in Rethoricis Cic. ſcribit. Hic adoleſcens duplicẽ mercedẽ præceptori hac lege pollicitus eſt, vt tum demum ei perſolueret, vbi artẽ perfectè didiciſſet. Verùm cũ iam artem edoctus mercedem ſoluere cũctaretur, à Corace in ius pertractus eſt. Vbi coram iudicibus Coracem præceptorem percontatus eſt: quis eſſet Rethoricæ artis finis. cui ille perſuadere reſpondit. Agè inquit Tyſias: Si iudicibus perſuadeo nihil me tibi debere, non reddã, quia exactè artẽ nõ didici. At Corax Tyſiæ dilẽma, tanq; vitioſũ in diſcipulũ hoc pacto retorſit. Imo (inquit) ſi perſuades, dabis, quia tenes artẽ; & dabis ex pacto. Sin minus, dabis, quia ſententijs Iudicum damnatus. Quo cõmento tã vafro, tamq; callido audito Iudices admirati adoleſcentis verſutiam ſubclamarunt: Graui præceptore grauior diſcipulus. Quod ipſum ſunt qui nõ à Iudicibus, ſed à circumſtãtibus prolatũ prodant. Porrò Mali corui malum ouum ſubiunctum à Iudicibus in iudicio, ad nomen Coracis facta alluſione, tradunt. Simili[illegible] locus elegans, ac lepidus in noctibus Atticis libro 6. c. 10. refert[illegible]

DION Sy[illegible] à Gellio.

SOPHA[illegible] ſanus artem Rethoricam & ipſe conſcripſit, teſte Laertio.

poribus [illegible] Syracuſanus poeta tragicus Philippi Macedonis, & Alexandri tẽ

graphis[illegible] vti Suidas eſt author. Hic vnus ex ſeptẽ Græciæ poetis tragœdio

[illegible] ſeptuaginta tragoedias ſcripſit & poſtea Syracuſis deceſsit.

BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

EPICHARMVS alter à Megarensi Elothalis filius, licet Cous fuerit, magnâ tamen vitę partem Syracusis egit. Cui mortuo statua apud eam vrbem fuit erecta cum inscriptione: Epicharmus tanto viris doctis antecellit, quanto cæteris Sol syderibus.

PHOTINVS Syracusanus poeta comicus fuit, & comœdiarum inuentor. Hic Gelonis filios, cui familiaris erat, erudiendos suscepit, primusq; talari veste in publico vsus est, quam veteres in scœna tantùm proferebant. Contexuit præterea, & ornauit totam scœnam pellibus puniceis, vt Suidas scribit. De hoc libro. 14. plura habet Athenæus.

CHARMVS quoq; poeta Syracusanus fuit. Hic (vt lib. primo Athenæus tradit) ad quemlibet cibum in conuiuijs appositum dicterium ex tempore edere callebat.

MENECRATES quoq; Syracusanus medicus fuit, & Philosophus. Hic qnòd ab epilepsia grauissimo morbo hoïes mira arte liberabat, vt author est Suidas, noua ambitione Iuppiter vocari voluit. Quare cum aliquando ad Agesilaum Regem scribens, Menecrates Iupiter Regi Agesilao sal. dicit: in epistolæ frõte proposuisset: Rex, vt primum legit, reliquis nequaq̃ perspectis è vestigio hominis insaniam faceto responso reticulauit, dicens: Rex Agesilaus Menecrati sanitatem dicit, vt Plutarchus commemorat.

MARACVS Syracusanus in Problematis ab Aristotele clarissimus citatur. qui cum in maniam morbum non ita leuem incidisset, poeta (quod antè nõ erat) adeo insignis effectus est, vt longè cæteris sua ætate præstiterit.

PHILOXENVS poeta Lyricus Syracusanus fuit. Is (teste Suida) cùm quandam tragœdiam à Dionysio Tyranno editam non laudaret, sed censoria (quod aiunt) virgula totã damnasset, in Latomias coniectus Tarentum inde aufugit. At cum à Dionysio per literas reuocaretur, nihil aliud, quàm monosillabum ou sæpe iteratum pro responso reddidit.

CALLIMACHVS Euphratis Syracusani ex filia nepos de insulis versus scripsit, & poëmata omnis generis edidit. Cuius libri plusq̃ octingenti Ptolemæi Philadelphi tempore extabant.

MOSCHVS grammaticus & ipse Syracusanus Aristarchi discipulus post Theocritum scripsit.

ICETAS Philosophus Syracusanus fuit. Hic omnia ex harmonia, & necessitate fieri, terramq; secundũ primũ circulum moueri asseruit, vt Laertius refert.

ANTIOCHVS Historicus Syracusanus fuit, vt Diodorus, Cicero, Strabo, Dionisius, & cæteri asserunt, Xenophanis filius, lib. 10. teste Pausania, historiã à Cocalo Sicanorum Rege exorsus ad obitum vsq; Xersis Persarnm Regis (teste lib. 12. Diodoro) per septingentos annos nouem voluminibus complexus est. quæ quidem ad manus meas non peruenit.

PHILISTVS quoq; historicus Syracusanus fuit, & propinquus Dionysij Tyranni, vt Cic. Diodorus, & Plutarchus scribunt. Discipulus fuit Eueni elegiographi poetę. Hic libros. 12. de Sicilię rebus à me desideratos (authore Suida) scripsit. De Aegyptiorum etiam gestis, ac Libyæ, Syriæq; plurima edidit volumina. Dionysij quoq; sepul[illegible] quasi quendam theatralem sumptum tyrannicæ tragœdiæ, ac ebore, auro, & porph[illegible]yretico radiantem laudauit, & admiratus est, vt in Pelopide inter alia de eius rebus Plut[illegible]archus commemorat. Hic Dionysiũ senioré, cũ finẽ tyrannidi ex Platonis persuasu impone[illegible]re pararet, abinstituto reuocauit, vt Probus scribit. Illo siquidem regente acu[illegible] Dione Plutarchus) arcis custodię præfuit. Sed cum rumor esset cum [illegible]um matre rem habuisse, actus ab eo in exilium in Adriam se recepit. [illegible]laruit, [illegible] est auiorem historiæ suæ partem absoluit. nec Rege superstite [illegible]. Sub

Digitized by Google

ſus. Sub iuniori demum (illo defuncto) rediit, à quo acceptus etiam in Regni administrationem fuit. Aduersabatur maximè Platoni tum Syracusis agenti, quòd ille tyrannidi esset infensus, hic faueret. Cæterùm cũ obsesso à Dione Dionysio iuniori subsidium ex Iapygia allatum properaret, à classe interceptus propria (vt est apud Ephorum) manu sibi mortem conscíuit, licet ad Speusippum Philosophum Timonides Dionis socius (quẽ Plutarchus seqtur) scribens viuũ eũ in hostium potestatem venisse, ac ignominiosè necatum, corpusq; eius per Acradinam distractum, ac demum in Latomias coniectum fuisse tradat. Ephorus magnis eum laudibus effert. Quintilianus verò ita censuit: Philistus (inquiens) in historia vt Thucydide multò inferior, ita aliquanto est iucundior.

CALLIAS historicus etiam Syracusas patriam habuit. Hic Agathoclis Syracusani Regis res gestas pluribus voluminibus scriptas reliquit. Cuius opus non legi.

FLAVIVS Vopiscus Syracusanus fuit. Hic scripsit de Aurelianis thermis, quas hyemales in transtyberina regione ille ædificauit, quòd aquæ frigidi aeris ibi deessent.

LYSIAS orator præstantissimus, & domi nobilis, Syracusanus fuit. Cuius lib. 3. meminit Trogus, & Iustinus.

THEODORVS philosophus Syracusis est natus. Hic de re militari (teste Laertio) libros edidit.

ARCHETYMVS quoq; philosophus, & historicus Syracusis ortus (vt Laertius scribit) septem sapientum cum Cypselo Corynthiorum Tyranno congressum luculentissimè descripsit.

AT VEL in vno post hos omnes, & omnium tempore postremo Archimede Syracusani ingenij, atq; industriæ excellentia emicuit, in quem vnum totius philosophiæ perfectio ita conuênit, vt plures eum mirari, q̃ imitari possent. Fuit is Hieronis posterioris Regis affinis (vt in Marcello Plutarchus) & Cononis Samij præstantissimi mathematici discipulus, vt Probus, & plures scriptores testãtur. Quem adeo superauit, vt vnicus cœli, ac syderum spectator à Liuio, & Deus terrenus, ac diuini ingenij homo appelletur à Cicerone, à quo Lunæ, & Solis, & quinq; errantium stellarum motus in sphæra alligatos, & vitream sphæram, in qua mira conuersione dissimili motus circulorum videbantur, ac mechanico artificio factam, fabricatamq; fuisse contra Laertij authoritatem idem ipse Cic. affirmat. quem & bellicorum tormentorum machinatorem, inuentoremq; agnoscit posteritas. Enimuero quæ hostes ingenti mole, & acuta arte cum longissimi temporis dispendio instituebant, ea leui iste momento (vt Athenæus, & Liuius memorant) ludificabatur. Inter plurima verò eius facta, hæc habentur maximè memorabilia. Cùm Nilus fluuius suo incremento vim maximam limi, ac luti in agros attraheret, eosq; cum maximo incolarum damno obrueret, Aegyptij Archimedem (vt lib. 1. Diodorus refert) pro remedio consuluerunt. Quibus ille machinam quandam fecit à figura cochleam appellatam, qua limum omnem, quoties fluuius excrescebat, quàm facilimè exhauriebant. A quibus deinde id genus instrumentorum Hispani, qui eruendis metallis incumbunt, mutuati, loca, vbi metalla effodiuntur, decurrentibus subter terram fluminibus ciecta superius aqua, summa arte, diligentiaq; siccabant. Scripsit hic aliquando ad Hieronem se quoduis onus, vel maximum, etiam si alter esset terræ globus, paucis viribus posse non solùm mouere, sed in locum etiam alium ex alio traducere, vt in Marcello Plutarchus refert. Cuius cùm Hiero periculum sibi fieri vellet, nauem ingentem ex regijs onerariam Archimedes mercatus est, eiq; solitum addidit onus. Quam maximo antè hominum numero non sine insolita sudoris profusione vix loco motam, ille procul assidens nullo corporis

usu, sed

Digitized by Google

niſu, ſed ſolo manus contactu adeo tranquillè duxit, vt mari, ventoq; perlapſa putaretur: adeoq; facilè, ac planè, vt capturus eodem modo terrarum orbem vnicuiq; putaretur. Eo ſtupore perculſus Hiero, artisq; eius intellecta potentia exorauit, vt tum ad propugnandum, tum ad laceſſendum omne bellicorum tormentorum genus ſibi inſtrueret. Quibus mira & magnitudinis, & induſtrię demonſtratione paucis diebus perfectis non antè vſus eſt Hiero, quàm cùm pacificam, tranquillamq; eius eousq; artem, Syracuſarum obſidione perturbaret M. Marcellus, Archimedem ipſum, qui tum adhuc ſupererat, acerrimum vrbis defenſorem, ſuæq; artis teſtem agnoſcere coactus eſt. Scribit L. Pollio (quod lib. 9. Vitruuius etiã probat) illius & hoc fuiſſe inuentum. Hiero iunior Syracuſis regia poteſtate auctus auream coronam in quodam fano reponendam vouerat: aurumq; ad eam fabricandam dedit artifici. Ille auri loco argentum tanta ſubtilitate ſuppoſuit, vt aurea propè corona crederetur. Porrò Rex, quem doli ſuſpicio per delatorem ſuggeſta offenderat, cum furtum deprehendere per ſe nequiret, Archimedem rogauit, vt fraudulentum, atq; improbum artificem conuinceret. Cuius rei ſuſcepto ille onere caſu venit in balneum: ibiq; cum in ſolium deſcendiſſet, animaduertit quantum ſui corporis in balneo inſederat, tantum aquæ extrà effluxiſſe. Quod ſæpius expertus exclamauit tandem, iam ſibi fabri improbitatem cognitam eſſe. Tum verò duas fecit maſſas, alteram ex auro, ex argento alteram, eiuſdem ponderis cuius erat corona: licet inęquali magnitudine, vt ratio poſtulabat, cùm aurum natura grauius ſit argento: quippe quòd ex pluribus partibus terreſtribus, quàm argentum conſtet, vt. 4. lib. de cœlo docet Ariſto. Quo facto vas amplum ad ſummum vſq; labium aqua impleuit. In quod deinde argenteam demiſit maſſam: cuius quanta magnitudo in vaſe depreſſa eſt, tantum aquæ extra vas effluxit. Ea deinde extracta quantum aquæ emerſerat ex vaſe, tantundem eidem ad labra vſq; refudit, ac ſextario dimenſus eſt: vt eodem pacto, quo prius fuerat, vas aqua æquaretur. Porrò id expertus auream maſſam ſimiliter pleno vaſi immiſit: ex quo eò minor eſt egreſſa, quàm antea ex immiſſa argentea effuſa eſt, quò auri maſſa ob ſui grauitatem minor erat argentea. Subinde vaſe aqua repleto coronam à fabro corruptam in illud dimiſit: inuenitq; plus multò aquæ effluxiſſe ex vaſe, q̃ ex aurea maſſa. atq; ita argentum in corona ab eo immixtum, furtumq; clariſsimo indicio deprehendit. Longum eſſet ſingula eius opera deſcriptione complecti, & fortaſſe ſuperfluum: cum paſſim in hiſtoriæ contextu ſuos alia ſint locos habitura. Porrò cum multa mirabili ingenio pulcherrima excogitaſſet, amicos oraſſe fertur, vt poſt eius mortem ambitam cylindro ſphæram ſuo ſepulchro imponerent, ac inſcriberent: Ex continenti firmamento ad contentum quænam eſſet exceſſus proportio. De eius morte varia ſcriptorum extat opinio. Tradunt enim aliqui captis Syracuſis, cum repentè miles Romanus ei aſtitiſſet, ſeq; vt ad Marcellum ſequeretur, imperaſſet, parere noluiſſe, donec liniamentis quibuſdam, quibus toto & animo, & corpore erat intentus, applicata demonſtratione finem inpoſuiſſet: qua repulſa percitus temerarius miles rideri imperium ratus, ſtricto eum mucrone confodit. Vnde Pli. lib. 7. c. 37. Grande (inquit) & Archimedi geometricæ, & machinalis ſcientię teſtimonium M. Marcelli contigit interdicto, cum Syracuſæ caperentur, ne violaretur vnus, niſi fefelliſſet imperium militaris imprudentia. Alij ſcribunt eum viſo milite Romano, qui in ſuam necem gladio ſuſpenſo paratus eſſet, rogaſſe, paululum vt expectaret, quouſq; rem inueſtigatam, imperfectamq; abſoluiſſet: atq; ita non impetrata mora ſtatim trucidatum corruiſſe. Sunt & qui referant eum cum ad Marcellum victorem ſphæras, angulos, & quædam alia mathematica inſtrumenta, quibus ſolis magnitudinem ad aſpectum accommodare ſolebat, in regiam deferret, in milites incidiſſe: à quibus aurum pro ære portari

ſperantibus

Digitized by Google

ſperantibus interemptus ſit. Cic. autem, & Liuius tradunt, quòd inter vrbis expugnationem tanto ſtudio, tantaq; cura quibuſdam figuris, quas in puluere deſcripſerat, intentus fuerit, vt captam à Marcello patriam, ac demum irruentem in ſe Romanum militem, ac interficientem vix ſenſerit. Aegrè tuliſſe etiam Marcellum cum Archimedem interfectum fuiſſe cognouit, ſcribit Liuius: ſepulturæq; eius curam habuiſſe, ac eius propinquis perueſtigatis honori, præſidioq; nomen eius, ac memoriam fuiſſe. Extra vrbem tamen humatum eſſe conſtat. Cuius ſepulchrum aliquot annis pòſt ad Agragarias portas cylindro, & ſphæra, necnon epigrammate cum eius nomine inſcripto manifeſtum Cic. in Tuſc. ſe reperiſſe gloriatur, cuius verba libenter ſubieci: Ex eadem (inquit) vrbe humilem homunculum à puluere, & radio excitabo, qui multis annis poſt Dionyſium fuit, Archimedem. Cuius ego quæſtor ignoratum à Syracuſanis, quòd tum eſſe omnino negarent, ſeptum vndiq;, ac veſtitum vepribus, ac dumetis indagaui ſepulchrum. Habebam enim quoſdam ſenariolos, quos in eius monumento eſſe inſcriptos acceperam, qui declarabant in ſummo ſepulchro ſphæram eſſe poſitam cum cylindro. Ego autem cum omnia colluſtraſſem oculis (eſt enim ad portas Segragianas magna frequentia ſepulchrorum) animaduerti columellam non multum è dumis eminentem: inqua inerat ſpheræ figura, & cylindri. Atq; ego ſtatim Syracuſanis (erant autem principes mecum) dixi me illud ipſum arbitrari eſſe, quod quærerem. Immiſsi cum falcibus multi purgarunt, & aperuerunt locum, quò, cum patefactus eſſet aditus, ad aduerſam baſim acceſsimus. Apparebat epigramma exeſis poſterioribus partibus verſiculorum dimidiatis ferè. Ita nobiliſsima Græciæ ciuitas, quondam verò etiam doctiſsima ſui ciuis vnius acutiſsimi monumentum ignoraſſet, niſi ab homine Arpinate didiciſſet. hucuſq; Cic. Hac verò ætate non modò huius ſepulchri veſtigia nulla extant, ſed neq; in quo quidem loco fuerit, compertum habemus. Scripſit Archimedes plura: ſed quæ habentur, hæc ſunt opera. Opus de circuli dimenſione. Item de ſphæra, & cylindro: quod olim Nicolaus Quintus Romanus Pont. latinitate donari fecit. Item de Iſoperimetris figuris tam planis, q̃ ſolidis. Item de ſpeculis comburentibus. Item de quadratura. Parabolæ, opus acutiſsimum. Item de momentis æqualibus, ſiue de æqui ponderationibus. De eo in genere Iulius Firmicus, qui eius natiuitatem perquiſiuit, ſic habet. Hæc genitura diuinum facit artis mechanicæ repertorem. Hic eſt ille noſter, cuius ingenio fabricata ſphæra cœli lapſum, & omnium ſyderum curſus exemplo diuinæ imitationis oſtendit. Hic eſt Syracuſanus Archimedes, qui Romanos exercitus mechanicis artibus ſæpe proſtrauit. Hunc Marcellus in triumpho victoriæ conſtitutus, atq; inter ouantes militum ſtrepitus, & triumphales laureas collocatus lugubri mœrore defleuit. hæc Firmicus. Pugiles quoq; complures vrbs Syracuſarum habuit, inter quos & Hiero iunior cenſus eſt, cui victori odes duas dicauit Pindarus. Lygdamus etiam ille inuicta neruorum firmitudine clarus Syracuſanus fuit. qui tertia & trigeſima olympiade primus ex Olympico Pancratij certamine coronam reportauit, cuius oſſa concreta, & ſine medullis ſunt reperta, quem neq; ſudaſſe, neq; vnq̃ ſitiſſe Solinus aſſerit. Cuius deniq; corpus monumentis circa Latomias repertis iudicatum ſua ætate Pauſanias ingentis, ac monſtruoſæ ſtaturæ, cum Thebani illius Herculis proceritate æquare non eſt veritus.

EGESIAS filius Soſtrati Syracuſani ex matre à Stymphalo Arcadiæ vrbe, Iamiq; (quem infantem Pindarus, & eum imitati græci a draconibus melle, quod apibus ſubduxerant, fuiſſe educatum ſcribũt) nepos, Syracuſis, vbi ortum habuit, remp. geſsit: atq; inde poſtea ad fatidicam Piſæ aram vates Olympicus effectus eſt. ſubinde Olympiade circiter, 84. Olympiaca victoria, curru mulabus ducto conſpicuus extitit, vt. 6. ode in Olymp. teſtatur Pindarus.

Eudoxus

EVDOXVS secundus ex tribus Agathoclis filius, præterq̃ quòd poeta fuit comicus, ter quoq; vrbana certamina vicit, quinquiesq́; lenaica, vt Apollodorus refert in chronicis.

PLVRES sunt passim Syracusani illustres alij veris nominibus viri, quos cogor præterire, vt expeditior ad institutum progrediar. non possum tamen eam commendationem prætermittere, quam ex religionis, pietatisq́; hæc vrbs accessione promeruit. Ortu nanq;, & martyrio D. Luciæ virginis, quæ pro CHRISTI fide fortiter mortem subijt, quid non ornamenti accepit? Quid non ei splendoris addidit Stephanus ille patre Olybio Syracusis natus, qui virtute sua tertius huius nominis Pont. Romanus, & vitæ puritate pij viri dignitatem est assecutus?

SED & huic vrbi nonnihil claritatis accessit à D. Petro Apostolorum principe. Instituto namq; in ea præsulatu, D. Martianum Antiochenum primum Episcopum Syracusas misit. Præsulatũ verò postea Sarracenorũ occupatione abolitum Rogerius Siciliæ comes huic vrbi restituit. Sed iam satis de Syracusarum descriptione. Nunc ordinem sequamur.

POST Syracusas p. fere quingentis Anapus fluuius, eiusq́; ostium in intimum portus magni sinum influens proximè occurrit. Caput habet Anapus amnis supra Buxemam recens oppidum pas. circiter mille à fonte hodie Bufaro cognominato: egressusq́; Buxemam à leua, Palazolum verò à dextra præterfluit. vnde procurrens Ferulam noui nominis oppidum, & Cassarum vicum ad siniſtram relinquit, quorum & fontibus augetur, & Magni simul, ac Ferule nomen susscipit, vbi ingentibus platanis longo tractu per. 4. fere p. m. luxuriat. Cui deinde sub Herbeso, nunc Pantalica dicto, deserto oppido Buttigliariæ fluuius illabitur: Et paulo pòst sub Sortino oppido ad ædem Annuntiatæ miscetur Sortini fluuius, à Guciuno fonte ortus, vbi & Sortini nomen priori relicto susscipit, ac deinceps agrum Syracusanum alluens anteq̃ in portu eius magno se exoneret, p. m. fere. 2. dextera Cyanes celeberrimi nominis fonteseosq́; magnos Pisma, & Pismocta hodie dictos recipit, vt & res ipsa indicat, & in libro de Ponto hoc versu scribit Ouidius: Quaq́; suis Cyanen miscet Anapus aquis. Enimuero ad Anapi dexteram in eo loco duo ingentes erumpunt fontes Maior, & Minor, paruo inter se spatio distantes. Maiori hodie Pisma, Minori Pismocta, siue Pisma Cirini est nomen. Maior fluens dextera sui parte minorem recipit, & sic auctus non longè pòst Anapo illabitur. Cyanes itaq; fons apud veteres insignis, Pisma Cirini, & Pismocta hodie vocatur: adeoq́; immensæ profunditatis est, vt hominum perpendiculo, & funibus eam perscrutantium spem semper eludat. Cyane (inquit Plinius) Syracusarum fons crescente Luna crescit, & ea deficiente decrescit, quod nos vsu euenire vidimus. Nomen huic fonti vetustum à Cyane Nympha Cyanippi filia fuit ab authoribus inditum, cuius in Parallelis ex Dositheo Plutarchus hanc refert historiam. Cyanippus Syracusanus cùm Baccho sacra facere neglexisset, spreti numinis vindicta in tantam ebrietatem incidit, vt occurrentem in tenebris Cyanen filiam, licet reluctantem, violauerit. Illa stupratoris anulum è digito clàm surreptum nutrici commendauit, vt aliquando violenti stupri esset indicium simul, & vindex. Cumq́; deinde Syracusas pestis ob id facinus inuasisset, consultum Apollinis oraculum respondit: Si criminis author Dijs liberatoribus immolaretur, malum illico cessaturum. Ignorantibus itaq; Syracusanis quid portenderet oraculum, conscia rerum Cyane captum capillis patrem interemit, seq; super eum necandam coniecit, quòd patri vel inuita cessisset. Cyanæ deinde extinctæ, quòd sua, & patris morte patriam à peste asseruisset, Syracusani non modo diuinos honores decreuerunt, sed & perenni huic fonti, vbi stuprum patratum fuerat eius nomen indiderunt. Scribit lib. 6. Diodorus hunc etiam Proserpinæ olim sacrum, vel ob id fuisse, quòd Pluto vnà cum rapta ex

Digitized by Google

rapta ex Enna Proſerpina ſub terras in ſpeluncam ad aquilonem ſitam ingreſſus huc tandem penetrauerit, ac per fontis, quem ibi ſibi ipſe eruerat, hiatum, ad inferos deſcenderit. Cuius receptæ à veteribus fabulæ religione ab initio vſq; ad Cic. ætatem feſtos Proſerpinæ dies iuxta eundem celeberrimo virorum, ac mulierum conuentu Syracuſani etiam celebrabant. Hercules quoq; circumueſtigata Sicilia cum ad hæc loca peruenisſet, auditis quæ de raptu Proſerpinæ incolæ huius loci ferebant, ei, alijsq; veterum Dijs ibidem ſtata celebrauit, ac paruas victimas, tauroſq; in fontem immerſit. Quas deinde ab eo ceremonias mutuati Syracuſani in ſuorum ſacrorum vſum (vt in. 6. Diodorus commemorat) pertraxerunt. atq; Anapum quidem virili ſpecie, Cyanen verò fontem mulieris forma & pingere, & venerari ſolebant, vt lib. de varia hiſtoria. 2. refert Aelianus. Anapus fl. ab oſtio per aliquot p. milia incredibilis eſt amœnitatis. Tectus nanq; fronde ſaligna, ac populea, criſtallino alueo, viridibus ripis mira placiditate fluit. Piſculentus eſt, ac ſcapha toto anno nauigabilis. Poſt Anapum fl. ad occidentem p.m. tumulus parum eminens ſequitur. quem Polichnam, quaſi ciuitatulam lib. 13. Diodorus appellat. In quo velut loco & natura munito, & idoneo Athenienſes olim, & Romani deinde ad obſidionis commoditatem caſtra ponere conſueuerant. In eo templum erat Iouis Olympij celeberrimum, & oppidum Olympicum Thucydidi, Diodoro, & Liuio. in quo, præter cætera ornamenta, Iouis ſimulacrum erat religioſiſsimum: quod Hiero Syracuſarum Rex amictu magni ponderis aureo decorauerat, quem à Scipione Carthaginenſibus ablatum dono acceperat. quēq; poſtea ſenior Dionyſius iniecto Ioui laneo pallio detraxit, dicens: Aeſtate grauem eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum: Laneum verò ad vtrunq; tempus aptiſsimum Valerio de neglecta religione. Templum hoc proſtratum eſt hodie. Cuius iacentes plures, & erectę quædam cernuntur columnæ, ſed præterea nihil. Oppidum verò vſq; ad paruas quaſdam ruinas, quæ adhuc etiam obrutæ dignoſci poſſunt, defecit. Non procul ab Olympico templo, & iuxta Cyanen fontem Acarnania erat oppidulum Ciceroni in Verrem. Cuius hodie (vt exiſtimamus) loco, quem Carranum vocant, nonnullæ cernuntur ruinæ. Portus magni littora circundanti Plemmyrium promontorium Vergilio, Cherſoneſus Ptolemæo, poſt Anapum fl. m.p. fere. 2. occurrit. Quod orientem versùs procurrens vbi ad ſeptentrionem ſe flectit, magni portus fauces coarctat. Et quia vndoſum eſt frequentiſsimè, iure à veteribus Plemmyrium græcum nomen accepit, licet Maſſa Oliueria hodie vocetur. In eo priſco tempore eiuſdem nominis oppidum erat Thucydidi: quod Gilippus Corinthius ab Athenienſibus iam captum egregio ſtratagemate depopulatus eſt Plutarcho in Nicia. Cuius nulla hodie ſuperſunt veſtigia. Succedit huic ex ordine Longum promontorium Ptolemæo, Lognina hodie appellatum. Vbi & paruorum nauigiorum ſtatio eſt. quam eiuſdem nominis ſcopulus à littore paſſibus fere. m. refugiens efficit. Vlterius ad p. m. 6. Cacyparis fluuij oſtium ſequitur Thucydidi lib. 7. quem Yhaſiblim Sarracenicè hac tempeſtate vocant. Et ab oſtio p.m. intus recedens, fluuioq; hærens eiuſdem noīs arx inter ipſas rupes extructa. Vbi & aquæductus ingentes adhuc viſuntur, quibus huius fluuij aquæ in agrum Gereatem, qui ijs collibus ſubeſt, deducebantur. Oritur Cacyparis fl. non longe à Palazolo oppido ex fonte, cui hodie Bauli eſt nomen. Vnde dilapſus augetur ex fontibus Anillū, Arcus, Baiduni, & Bellæ, auctusq; Manghiſi nomen ſuſcipit, vallemq; deinde ingentem (quam hodie Cauam grandem vernaculè vocant) proſcindens ex pluribus etiam fontibus, qui in ea iucundo aſpectu ſcatent, quorum complures hodie terra abſorbentur, ſed olim per aquæductus, quorum veſtigia clara viſuntur, in eundem Syracuſanum deducebantur agrum, incrementa ſuſcipit: atq; procurrens Yhaſiblis arcem inter anguſtias rupium

dextera

Digitized by Google

dextera sui parte alluit. Cuius vsurpato sibi nomine ad mille tandem p. in mare illabitur. Sequitur inde Erinei fl. ostium Thucydidi lib. 7. Orini Ptolemæo, Miranda hodie dicti. caput habet in collibus vicinis, & à mari p. m. circiter. 4 recedentibus. Eius fontibus aspero in editis rupibus situ supereminet Auula recens & noui nominis oppidum. Proximum deinceps Asinari fl. ostium est Thucydidi lib. 7. & Plutarcho in Nicia, Falconara hodie, sed intus Noti appellati, Syracusanorum mira contra Athenienses victoria insignis Thucydidi, Diodoro, & Plutarcho. Ortum habet ad latus occidentale vrbis Noti in valle, quæ vrbem munit, ex fonte magno, cui vernaculè Fontana grandis hodie est nomen. Vnde adeo affluenter erumpit, vt continuò fluuium gignat, qui ad voluendas molarum rotas satis impetus ferat. Ad mille deinde circiter p. incrementa suscipit è fonte Guadarrumo: vbi & Notensium coriariorum sunt officinæ. Et ad quingentos postea passus augetur ex Ginuardo fonte. Nec adeo inde procul aquas fontis Nucifori recipit. Tot itaq; fontibus abundans plurimas habet frumentarias molas, trottasq; etiam præbet, & anguillas sapidissimas, atq; ad vtrãq; ripam hortis, & domesticarum omnis generis arborum fructibus longissimo tractu abundat: ex quibus Neetini non mediocres faciunt quæstus. Cæterùm cum Asinari fluuij capiti Notum hodie immineat, & totus inde ager, qui ad Pachynum vsq; excurrit, Neetinus appelletur: non alienum ab instituto erit, si Notum, & eius subiacentem oram hoc loco describsero.

DE NEETO, ELORO, ET MACHARA OPPIDIS CAP. SECVNDVM.

MAgno fluuij Asinari fonti moles quædam edita, saxosa, & aspera, licet plana (veluti & tota adiacens regio) incubat instar peninsulæ, cuius isthmus aquilonem respicit, satis vndiq; fossis natura præcincta, ac munita, asperrimisq; rupibus mille quingentorum ferme p. ambitu circunsepta. In ea sita est vrbs vetusta, & ingens Neas Diodoro lib. 11. Neetum Ptolemæo: sed hodie vnius tantum vocalis antithesi Notum vulgò dicta. Habet duas duntaxat portas, ad Isthmum vnam, cui & arx inhæret, alteram, qua flumen, & mare (à quo p. m. 8. recedit) petitur. Est ea parte accessu difficilis: quippe cuius ascensus p. sit mille, obliquus, peraccliuis, & arduus, maximaq; ex parte excauatis rupibus manu factus, quem vel pauciſsimi viri facilè tueri possint. Condita fuit à Siculis, quantùm ex lib. 11. Diodori colligimus. vbi Neam Ducetij Siculorum Regis patriam fuisse scribit. Duo nanq; ea tempestate regna in Sicilia erant, Siculorum, & Syracusanorum. Siculi nempe cum Syracusas, & vicina incoluissent littoralia, trecentos fere post annos aduentantibus Græcis cedere coacti in mediterraneam insulæ regionem profugerunt. Vbi Trinaciam, Neam, & complura alia oppida inhabitarunt, vt in eodem lib. 11. refert Diodorus. Fuisse autem Notum Neam vrbem, cum ex Cic. in Verrem verbis, quibus gentiles eius Neetinos appellat, hoc est Neam tenentes, tum ex Plinij lib. 3. authoritate, vbi Neenos eius populos à Nea proculdubio dictos vocat, satis constat. Huc accedit Ptolemæus, qui ipsum Neetum, etsi corrupta suo tempore, à vera tamen deriuata voce denominauit. At non parum etiam fidei addunt eiusdem populi in hanc vsq; tempestatem hæreditaria, & à tot seculis per manus quodammodo ducta in Syracusanos odia iam inde ab Ortygiæ colonis ob expulsionis iniuriam inchoata. Scribit lib. 11. Diodorus à Ducetio Siculorum Rege Neam in æquum campum translatam fuisse. Cuius verbis cum in molis vertice. 6. circiter miliarium leni ascensu ab hodierno Noti situ pyramis adhuc, & veteris

circumquaq;

Digitized by Google

circumquaq; ædificij monumenta diſtent, eius, quæ ante Ducetium ſtabat, veſtigia eſſe; & hanc, quæ modo colitur, ab eo ipſo conditam non abſurdè colligo: cum nominis perpetuitas, & authorum conſenſus affirmet. Huius vrbis mœnia, & pleraq; ex quadratis, & eis admirandis lapidibus extructa ædificia, & ruinoſi cuiuſdã tẽpli aliqua ex parte adhuc ſtãtis, & columnis etiamnũ ſubnixi, quod ſancto Heliæ nunc inſcribitur, machina, & integrum aliud templum, in via, quam planam dicunt, quod vetuſtate nihil niſi nomen immutauit, D. Ioanni dicatum, & quædam alia antiquitatis veſtigia vrbis hodie indicant vetuſtatem. In ea quoq; grecæ inſcriptionis ſupra portam antiquiſsimæ domus in regione viæ planæ inſculptum huiuſcemodi fragmentum excerpſi: Auditores Ariſtionis, auditoris Agathimi, auditoris Philiſtionis, auditoris Epicratmi filij Hieronis. Sunt qui parum aduertentes Neam Meneum eſſe ſcripſerunt: cum in eodem lib. 11. Neam diuerſam à Meneo faciat Diodorus: dum illam Ducetij patriã, & hanc ab eo conditam ſcribit. Extra mœnia aquilonem verſus ad p. m. 5. inſignis extat ſanctæ Mariæ ab arcu cognominata abbatia Ciſtercienſis ordinis, anno ſal. 1212. menſe Nouembri ſub Friderico ſecundo Cæſare Siciliæ tũ Rege, ab Iſimbardo Morẽgia, & Cara eius cõiuge erecta, vt ex eius cõſtat diplomate. Viros edidit Neas cõplures & bellica diſciplina, & doctrinæ præſtãtia cõmẽdatiſsimos.

DVCETIVS Siculorum Rex patria Neetinus fuit, vt diximus ex lib. 11. Diodori. vir quidem vt acri, & vehementi ingenio, ita ad facinora obeunda, ac res magnas aggrediendas animo ſimul, & manu promptiſsimus. Hic contra Syracuſanos, & Agrigentinos per plures annos arma exercuit, vt Diodorus ſcribit, & in poſteriori decade ſuo loco commemorabimus. Menenon, Palicam, Neam nouã, & Collatiam, ſiue Collatinam vrbes in Sicilia (eodem Diodoro teſte) condidit.

FLORVIT in politiori vtriuſq; linguæ literatura ſuperiori ætate Ioannes Auriſpa Neetinus. Excelluit namq; ingenio non ad ſolutam ſolùm orationem, ſed ad verſus quoq; componendos elegantiſsimo. Quo in genere nonnulla eius epigrãmata, in altero verò epiſtolarum opus egregium, & Hieroclis liber in Pythagoræ aurea carmina latinitate donatus, extant.

ANTONIVS Caſſarinus orator egregius Neæ natus eſt: quem ob famæ dignitatem Panormitani accitum publico ſtipendio tres annos, vt adoleſcentes inſtitueret, fouerunt. Cæterùm ad maiora aſpirans Conſtantinopolim profectus, decemq; annos in tanta vrbe degens in ſtudijs oratoriæ facultatis, & græcarum literarum cognitione tanta diligentia verſatus eſt, vt inter præclaros viros, quos Græcia, & Italia ſuo tempore vidit, vnus excellentiſsimus haberetur. Conſtantinopoli enim, quæ Chriſtiano tum imperio ſuberat, quinq; annos rethoricam græcè, & latinè miro cum ciuium, tum Imperatoris applauſu in auditorum magna frequentia docuit. Venit poſtea in Italiam, & Papiæ primùm, poſtea Mediolani, poſtremò Genuę publicè legens per multos erudiuit. Sed dum anno ſal. 1444. Genuę ob ciuium magna diſsidia ſtricto ferro excurſionem multi facerent per vrbem, ac nonnulli tentarent in domum, vbi Antonius erat, perfractis portis irrumpere, dum ipſe per feneſtram alterius domus, quę erat è regione, tranſilire nititur, in terram ingenti lapſu concidit, continuoq; expirauit. Vertit hic in Romanũ ſermonẽ Platonis libros de Rep. quod opus Alfonſo Sicilię Regi dicauit, pluraq; alia ex Plutarcho, & ex Platone latina fecit. Scripſit epiſtolarũ libros quatuor, & orationes duas, quarũ alterã habuit ad Philippũ Mariã, alterã ad Genuenſem ſenatum.

IOANNES Marraſius Neetinus poeta anno ſal. 1446. clarus in Italia eſt habitus. Senis hic Angelinetũ poema amatoriũ elegiaco verſu cõpoſuit. Quod Leonardus Aretinus in epiſtola, quã ad ipſum authorẽ ſcripſit, maximè probauit. Multa itẽ alia ingenioſi poetæ teſtimonia edidit. In qua arte doctorum omnium iudicio ſummus euaſiſſet, niſi medicinę deditus Muſis vltro ceſsiſſet.

Digitized by Google

PRAECIPVE verò hæc vrbs hodie D. Conradi Placentini miraculis circa eos præsertim, qui Herniam patiuntur, quotidie clari sepulchro nobilitatur. Sed ad oram reuertamur. Post Asinari fl. ostium ad Elorum vsq; dirutum Castellum tota ferme littoralis ora, quæ ad p.m.4. extenditur, Lauphis hodie vulgò dicta, clamorosa est ob id, quòd exesas habet speluncas, & asperas concauitates: in quas flante Euro, atq; Africo frequentibus procellis delata maris tempestas refringitur, ac refracta maximum edit fragorem, & quandoq; tonitrui similem. Hinc Elorum amnem, & non alia ratione clamorosum lib. 14. appellat Silius. Vbi Lauphi clamorosæ specus desinunt, locus est m. vix. p. à mari recedens, Muri Vcci rocari à domino loci vulgò vocatus, vbi ingens, sed iam prostrata vrbs, quam à theatris, quæ ibi ætate paulò superiori extabant, quorumq; adhuc fundamenta cernuntur, Coliseum, & Sanctum Philippum vulgò appellant, valle nonnihil depressa cincta, & mille passus habens in circuitu visitur. Cuius tametsi mœnia iacentia ex quadratis olim, & maximis lapidibus structa, & arcium, ædificiorumq; memorabiles ruinæ conspiciantur; quo tamen nomine apud veteres floruerit (si quidem Elorus vrbs vetusta in hoc agro ab authoribus posita non fuit, quam vel ob id fortasse Ptolemæus mediterraneam posuit, quamq; Stephanus Bizantius ciuitatem appellat, & quam statim ad piscinam sequitur eiusdem nominis castellum Plinio) incertum mihi est. Nam si scriptores insignem hanc vrbem, & non longè à mari olim stantem præterijssent, iure omnes reprehendendi forent. Hinc Syracusas vsq; via erat antiquitus plano lapide strata, quam Elorinam appellabāt Straboni. Iuxta mare lacus est, Gurgus Lauphi vulgò dictus. A quo non longè abest Pyramis orbicularis, & in acutum surgens, quadratis, & eis ingentibus lapidibus structa, cui nunc Turri pizzutæ nomen accesit. Lapicidinæ Elorinæ ad iactum lapidis à mari recedentes statim sequuntur. & mox Elorus Castellum Pli. prorsus iacens ad littus occurrit, trecentos in ambitu ferme passus olim habens. Cuius ruinæ, etsi pro magna parte sub terris, toto circuitu hodie visuntur. Vbi turris est, cui Sta in pace vernaculum nomen obuenit, à Blasco Alagona Mistrettæ olim Comite suis ad apicem circumquaq; insignibus memorabilis anno sal. 1353. excitata. Ad occidentem verò, & meridiem Cæsaris piscina adhæret, multis adhuc vestigijs clara. Gradus namq; in viua ipsa vrbis rupe excisi, quibus Elorini ad scaphas simul, & piscinam descendebant; aquæductus præterea solo excauati, quibus ex Eloro fluuio in piscinā aquæ deducebātur, integri adeo adhuc sunt, vt quàm facilimè etiā nunc in eā reduci possint. Hāc piscinam à Cæsare factam lib. 32. c. 2. his verbis Plinius testatur: Et manu vescuntur pisces in pluribus quidem Cæsaris villis. Sed quæ veteres prodiderunt in stagnis, nos in piscinis admirati in Eloro Siciliæ castello, non procul à Syracusis. hęc Plinius. Hinc Elorum arcem ad iactum sagittę plano, atq; arenoso itinere Elorus fl. & eius ostium Vergilio, Ouidio, Plinio, & Stephano sequitur, Abisus hodie vulgò dictus. Qui per p. m. ad ostium vsq; adeo leni, ac placido tramite incedit, vt stagni instar vix loco moueri videatur. Hyemalibus quoq; imbribus clauso ostio maris fluctibus adeo frequenter excrescit, vt agris more Nili superfundatur, stagnetq;: vnde pinguescunt plurimum. Qua ratione. 3. Aen. Vergilius: Exupero (inquit) prępingue solum stagnātis Elori. Hinc ad vtranq; ripam, tritici, lini, cannabis, ac domesticarum arborum feracissimus est, Scribit lib. 8. ex Apollodoro Atheneus, & ex supra citatis Plinij verbis comprehenditur, quibus & vsus suffragatur, in hoc Elori fluuio cicurum, hoc est mansuetum genus piscium, qui mugiles sunt, reperiri, qui inclamati accedere, & ex porrigentis manu capite extra aquas paulisper erecto placidissimè cibum capere consueuerunt. Sunt qui hunc amnem, Olorum appellent, quòd in eius ostio cygnorum multitudo frequētare soleat. Enimuero ager hic Elorinus vel hac etiam ętate prospectu & terræ, & maris iucundissimus,

Digitized by Google

diſsimus, ac venatu, aucupio, piſcatuq́; fluuiali, & marino gratiſsimus eſt. Quem quoq; ob varietatem florum, auium concentum, loci amœnitatem, & planiciem ſemper virentem Eloria tempe, quòd quaſi perpetuum ibi ſit ver, lib. Faſtorũ. 4. appellat Ouidius. Inſignis fuit hic amnis Chromij generi Gelonis, qui ſocerum adiuuans hîc Carthaginenſes fudit (vt in Nemeis Pindarus, & eius ſcholia ex Timæo referunt) & Hippocratis, qui iuxta eum Syracuſanos ſuperauit, & cœpit, memorabili victoria. Oritur nõ ex Pachyno promõtorio (vt Strabo, & plures veterum ſcribunt) ſed inter Cerratanum, & Palazolum oppida ad latus orientale Cerratani montis ex Gallo fonte, & augetur à fonte Chiappi, & à fonte Ilicis. Dilapſus deinde Atellari nomen vſq; ad Bayhachemum pontem ſuſcipit, retinetq́; ac ad p. m. 8. ſub arce Rendæ ex fluuio Dilemiſi, ex agro Granpolo in Valle ſeruorum oriundo, incrementa recipit. Et excurrens, in loco, cui Saccolino eſt nomen, ad dexteram ad iactum lapidis pyramidem relinquit orbicularem vetuſtiſſimam, viſuq́; nobilem ex quadratis lapidibus erectam. Sed paulò pòſt ad dexteram dirutum Yhadedi Sarraceni nominis oppidum, & ſuper colle eiuſdem nominis ſepulchra frequentia, ad ſiniſtram verò in loco pauliſper edito, cui Ioye eſt nomen, plures relinquit veteris habitationis ruinas: & defluens pontem ipſum Bayhachemum, qui eiusripas vtrinq; colligat, alluit. & inde, neglecto priori nomine Abiſus appellatus ad p. ferè mille leniſsimo, ac ſubaquaneo curſu in mare illabitur. Poſt fauces Elori fluuij. p. ferè. m. Pyratarum eſt ſtatio, Fundus muſcarum cognominata, atq; vlterius ad p. 1500. altera eſt ſtatio, quam Porticellum vocant. Cuius littori fons proximus Buyhutus Sarracenicè dictus aquã laxandæ aluo vtilem eructat. A quo deinde ad p. quingentos lapicidinæ (Pereriæ hodie dictæ) ſunt. quas Macharenſes fuiſſe, & ſaxa conſtruendæ, conſeruandæq́; Macharæ vrbi non procul inde diſsitæ vetuſto tempore ſuppeditaſſe neutiq̃ eſt ambigendum. Et totidem paſſuum interuallo ſalina. 2. p. m. ambitu, Cauda lupi cognominata diſtat: in qua effuſo mari ſal gignitur. Et paulò inde longius altera ſalina, ampla quidem Ruuectus appellata inſtat, quæ peninſulam quãdam efficit. Ad cuius oſtium Phœnicus portus eſt Ptolemæo, Nauſtathmus Plinio, Vindicaris hodie dictus, Macharenſis proculdubio olim ſinus. quem eiuſdem nominis inſula quingentorum paſſuum circuitus progignit, quam illi ab Auſtro, Africoq́; ad tutelam natura obiecit. Vbi & frumenti Emporium, licet ignobile, & turris recentis ad eius cuſtodiam à Petro Aragonio Alfonſi Hiſpaniæ, & Siciliæ Regis germano fratre, & Neti olim Duce ſtructura eleganti erectæ, imperfectum extat opus. Vindicari portui ad occidentem, & in ea, quam Ruuecti ſalina facit, peninſula, Machara vrbs Cice. in Verrẽ Ptole. & lib. 3. Plinio miris lacerata cadaueribus ad iactum fundæ imminet, à Neetinis, & villicis eius agri accolis, & ſenioribus Ciuitas Macharis incorrupto adhuc eius nomine, ſed vulgò citatella appellata. Vnde etſi neq; à quo diruta ſit ex græcis, latiniſq́;, quos hactenus vidimus, authoribus, compertum habeamus, ſoloq́; nomine à Plinio, Cic. Ptolemæo attacta ſit: hanc ipſam tamen ſemirutam Macharam eſſe, nomen ipſum & vrbis, & ſepulchrorum, quod hucuſq; perſeuerat incorruptum, liquidò demonſtrat. Erat autem eius ambitus (prout clarè ex eius veſtigijs conſtat) p. m. & quingentorum. Habitaturq́; non modò ea peninſula, ſed & depreſſus ille & ſubiacens locus, qui iactu lapidis à portu diſtat, vt antiquitatis monumenta confirmant. Viſuntur tota vrbe plurima ædificiorum, tum priuatorum, tum etiam publicorum veſtigia ſemidiruta paſsim obuia, viæq́; vt latæ, ita & proportione longæ. Templum eſt in ea orbiculare, & teſtudinatum priſco artificio ex quadratis lapidibus elaboratũ, adeo adhuc integrum, vt nõ vetuſtis, ſed Chriſtianorũ tẽporibus, Seruatori, cui nũc inſeruit, extructũ eſſe videatur. Fanũ itẽ eſt alterũ eiuſdẽ penè formæ, ſed vetuſtate collapſum. Balneæ quoq;

Digitized by Google

antiquæ architecturæ ſunt in ea, quæ ab imperitis templum fuiſſe cenſentur. In medio etiam vrbis ſpecus longiſsimæ, & pro tractus ratione latæ vijs, & frequentibus vtrinq; ſepulchris diſtinctæ non ſine voluptate inſpiciuntur, quòd ſubterraneæ quaſi ciuitatis ſpeciem preſe ferunt. Extra mœnia verò ad p. fere. m. occidentem verſus ſpecus ſunt aliæ ingentes, & eodem pene modo in rupe excauatæ, quæ ab accolis hodie Gruttæ Macharis appellantur, tumulorum frequentia inſignes. Ager Macharenſis, qui Ciceronis tempore totus erat frumentarius, vt in verrem ipſe teſtatur, hodie ob id maximè, quod colonis ea regio tota deſerta ſit, vepribus plenus, & incultus, pluribusq; ſupra vrbem ad dexteram veterum vicorum ruinis horridus conſpicitur. Macharam vrbem, & eius portum ad. 4. p. m. ſtatio Sarracenici nominis ſequitur Marzamenus; vbi & duæ eiuſdem appellationis ſunt inſulæ. Supra quam paruo interſtitio occidentem verſus iacentis oppiduli, & interius in agro, cui Burio eſt nomen, loco præſertim, quem Miſitellum denominant, à littore p. m. 2. ſemoto, complura priſcæ habitationis cernuntur cadauera. A quibus ad lapidis proiectum ædes abeſt magnis excita lapidum molibus, columnisq; & fornicibus ſubnixa D. Andreæ hodiè dicata. Nec ab ea procul confuſa proſtrati oppidi viſcera calcantur. Vbi ædicula D. Baſilio ſacra, & deinceps tumulus eſt D. Hippolyto cognominatus; circa quem nihil integrum, ſed iacens ſolum oppidum. cui vicinum eſt fanum vetuſtate celeberrimum: cuius tectum dumtaxat deſideratur, D. hodie Laurentio conſecratum. Sub quo ædes latet ſubterranea teſtudinei operis columnis ſuffulta. Huic fano vaſtæ, ſed vſq; ad fundamenta dirutæ vrbis, quæ tota nunc aratur, præclara hærent veſtigia. A qua quadringentos ferme paſſus alterius magni proſtrati oppidi admirandæ abſunt ruinæ: vbi & D. Petro nuncupatum extat templum. Ita totus hic ager, qui quatuor vix producitur miliaribus latitudine, veterum operum monumentis partim integris partim ſemirutis, partim vero in rudera contritis, pro maxima parte occupatur. Quorum quæ digniora ſunt D. Laurentio, & D. Petro, veterum nominibus prorſus obliteratis, inſcribuntur. Sed ad littus redeo. Poſt Marzamenum Farinæ pyratarum ſtatio occurrit. Et ſpecus apud inanes opum quæſtores foſſoresq; percelebris. ac demum ad radices Pachyni Moriella eſt ſalina, in qua ex imbribus congregatæ aquæ æſtuãte ſole in ſal concreſcũt. Atq; ita orientali clauſo Siciliæ latere, meridionale nunc agrediamur.

F. TH.

Digitized by Google

F. TH. FAZELLI SICVLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS PRIORIS DECADIS.

LIBER QVINTVS.

DE PACHYNO PROMONTORIO, ET MOTYA VRBE.

CAPVT PRIMVM.

PACHYNVS ex tribus Siciliæ promontorijs secundum p.m. post Mariellam in sublime surgit. vbi statim turrim habet speculam mari prominentem. Vnde deinde longè lateq; duorum fere miliarium spatio ad austrum in mare diffunditur, ac ibi demum pauliſper depressum ad siniſtram curuato littore ſe flectit, & peninſulam efficiens ad orientem procurrit. Cuius quidem peninſula ſexcentorum duntaxat paſſuum circuitum amplexa tota petroſa, aſpera, altisq; prærupta eſt cautibus, iſthmumq; anguſtiſsimum viginti vix paſſuum habet. Quo fit, vt brumali tempore tumeſcente mari, & fluctibus vtrinq; ſeſe obuiantibus in inſulam plerunq; abeat. Peloponneſum, Græciamq; proſpectat. à qua p.m. paulo plus. 400. diſtat. Nomen habuit ab aeris craſsitudine (pachys enim craſſum ſignificat) qua noſtra quoq; ætate eius frequenter ager tegitur. Cuius hodie nominis vix vna, aut altera retenta litera, mutato veteri prorſus nomine, caput Paſſalum vernaculè dicitur: ea fortaſsis ratione, quòd mare, quod hinc ad Melitam vſq; inſulam centum ferè miliarium interuallo interfluit (Cicerone. 6. in Verrem teſte) periculoſum eſt. Nam cum ex Meſſanenſi freto mare perſæpe ad Pachynum concitatiori curſu, quàm ad alia regionis huius littora peruoluatur, diſcrimini præternauigantibus ſolet eſſe, & formidabile. Ad orientem nullus ei fidus eſt ſinus. Sed quà meridiem reſpicit ad iſthmi littus ſtationem habet, quam Cic. 7. in Verrem Pachyni portum, ſed vulgus hodie Longobardum nuncupat; triremium tantum, paruorumq; nauigiorum capacem: qui fauces multis reflexibus tortuoſas, & ob id obliquum, difficilemq; ingreſſum habet. Mare ibi tinnis, echinis, & omnibus mari nantibus natura piſculentiſsimum eſt Solino. Sed hodie cum deſerta ſint littora, & colonis careant, nobis infœcundum apparet. Portui Longobardo proſtrata hæret vrbs p. fere m. habens in circuitu: in qua nihil ædificij cernitur vel pulchrum, vel integrum; ſed iacentia ſolùm antiquitatis veſtigia rudia, inelegantia, & cœaceruata paſsim proteruntur. Aedicula duntaxat non longè ab iſthmo ſemiruta extat D. Ioanni hodie appellata; & extra vrbem ad occidentem priſcorum more in rupibus inciſa ſepulchra remanſerunt. Sita erat hæc vrbs in plano, eiusq; longitudo ab iſthmo ad rupem vſq; acutam, vernaculè Pizzutam hodie dictam, maris fluctibus ablutã, quæ iucundiſsimum in Pachynum, quem inde quaſi picturam diſcernere eſt, proſpectum præbet. Hanc Motyen olim fuiſſe Pauſanias lib. 5. his verbis ſcribit: Eſt (inquiens) ad Pachynũ Siciliæ promõtoriũ, quod in Africã, & ad auſtros cõuerſum eſt, Motye vrbs: eã Afri Pœnis permixti tenent. Ea ciuitate bello ſubacta Agrigẽtini de manubijs puerorũ æneas poſuere ſtatuas dexteras tendentium, & vota ſe Ioui nũcupare ſignificãtiũ. adhærẽt ſtatuę illę altis muris. Calamidis opus eſſe & ip ſe ſuſpicor, & hominũ ſermõe vulgatũ eſt. hactenus Pauſanias. Hãc vrbẽ Antiochus Syracuſanus (eodẽ Pauſania li. x. referẽte) Gnidios, q ex Lycia regione aduenerũt,

Digitized by Google

condidisse tradit. A qua postea ab Elimis, & Phœnicibus prælio victi expulsi, in Aeolias insulas profugerunt. Hecatæus verò, Stephano scribente, Motyen hanc vrbem ab Hercule conditam, & à Motya muliere, ob indicatos ei ab illa boum fures, denominatam fuisse in sua Europa refert. In hac vrbe Macrobius lib. Sat. primo Apollinis Libystinis olim fuisse templum frequentia hominum, ac religione celeberrimum commemorat. Nam cum Motyenses graui aliquando Libycorum obsidione præmerentur, Apollinem inuocauerunt. nec multo pòst immissa hostibus peste, cunctisq; ea contagione peremptis, Motyenses periculo erepti Apollinem Libystinum appellauerunt, temploq; illi magnificè extructo, summũ ei cultum deinceps impenderunt. Cuius hodie nullæ cognoscuntur reliquiæ. Extitisse autem hanc vrbem & Christianis temporibus in vita Hilarionis D. Hieronymus his verbis testatur: Hilarion habens Gazanum secum ascendit classem, quę ad Siciliam nauigabat. Ingressus autem Pachynum promontorium Siciliæ obtulit nauclero euangelium pro subuectione sua, & Gazani. Quo nolente accipere; in eo magis lætabatur, quòd ab accolis illius loci mẽdicus putaretur. Porrò recogitans ne negotiatores de oriente venientes se notum facerent, ad mediterranea aufugit loca, idest vigesimo à mari miliario, ibiq; in quodam deserto agello habitauit. Et paulo infrà: Hesychius (inquit) discipulus eius cum audisset Hilarionem in Sicilia esse, cum Methone esset, ingressus Adriam prospero cursu venit Pachynum; & in quadam curui littoris villula famam senis sciscitatus consona voce omnium cognouit vbi esset. hucusq; Hieronymus. A Motye vrbe diruta ad p. m. 2. statio quædam occurrit, Algæ superiori ætate, sed hodie Palorum portus appellatus, paruorum nauigiorum capax. cui ad totidem p. m. proxima est paruula quædam insula à littore p. decem recedens, Currentum insula dicta, vbi mirum quoddam aliquando cernitur, quod & alijs Siciliæ locis notasse me memini. Ante Solis nanq; exortum dimicantium hominum, & classium imagines in aere conspiciuntur, quas paulo pòst illucescens sol consumit. Intus nonnihil ab ora semotum stagnum est à Comite Henrici cognominatum, ex pluuijs aggregatum, quod æstate in sal inarescit. cui & salina alia Dauila nuncupata ad mille passus succedit: quam post duo circiter miliaria salina, quam Mucaxarum vocant, subsequitur. Interius ab ora p. m. 2. vetustæ vrbis p. m. ambitus reliquiæ magnæ extant: quam, quòd testudinatam adhuc ædiculam habet, Cubam appellant. Ad oram reuertenti ad quingentos passus alia quoq; salina occurrit, Longarina nomine. rursumq; introgresso ad passuum milia 2. locus cognomento Ramundinus, apparet. vbi diruti oppidi reliquiæ non indignæ spectantur. Ad littus post Longarinam p. 500. sinus est ingens, cui Marza Sarracenice (quod portum sonat latinis) est nomen, Odysia Ptolemæo, Ediſſæ portus Ciceroni in Verrem. 7. dictus, nauium capax. à cuius ora paulum recedit eiusdem nominis salina. Ad occidentale huius sinus promontorium, quod ad mare meridiem versus excurrit, insignis vrbis disiectæ ambitus mille & quingentorum passuum, in præclarissimo, iucundissimoq; situ extant monumenta, arcisq; ad extremitatem à mari percussæ, ædiumq; veteris architecturæ in subterraneis simul, extantibusq; locis vestigia. Quibus etsi celebrem olim fuisse ciuitatem satis argumenti proferatur, quo tamen nomine apud veteres steterit, affirmare quidem nihil audeo, suspicari verò Euboëam, à Leontinis ad meridionale latus conditam Straboni, vel Callipolim fuisse, nihil vetat, hodie autem ab arce diruta Castellatium appellatur. Hanc stagnum statim sequitur, cui Murra nomen est, quod in salem æstate totum conuertitur: ac deinde stagnum aliud Gurgus salitus nuncupatum. Quod vnà cum pluribus alijs à Pachyno hucusq; ex aquis pluuialibus, ijsq; dulcibus, quæ neq; mare influunt, neq; mari turbantur

turbantur, sal gignit nobilissimum. Gurgo salito, eiusq; littori tres scopuli paruo quidem à se inuicem spatio, ab ora verò p. m.2. seiuncti adiacent insulæ Porrorum nominati. Deinceps P.m.6. post Castellatium, & Marzam, sinum iuxta littus maris lacus sunt duo piscosi, Busaitumus, & Busaitumellus, qui statim in mare influunt. Oriuntur autem à fontibus indigenis, & non longè à Spaccafurno oppidulo ex fonte, cui Fauara nomen est. Proximę eis sunt ingẽtes reliquiæ paruæ vrbis dirutæ, quam Ficallum hodie appellãt. vbi & templum ingens sanè, sed prostratis molibus iacens cernitur. super cuius ruinis hac ætate ædicula est eiusdem nominis D. Mariæ sacra. Vrbis autem moenia iacẽtia, ædificiorumq; fragmenta adhuc plurima supersunt. Collis extat iuxta vrbem in mare promontorij instar paulisper procurrens, vernaculè Cozzus sanctę Mariæ à Ficallo cognominatus. In cuius vertice arcis iacentis, ædificiorumq; veterum ingentes ruinæ visuntur. Ad radices verò, quæ mari iũguntur, fontibus pluribus viuo è saxo scaturientibus dulcissimas, & affluentissimas exhibet aquas. Sed & ipsam vrbem fons maximus influit. vnde tota hæc littoralis ora, regioq; Ficallus hodie nominata fluuijs, torrentibus, Lacubus, fontibusq; perq̃ irriguis, piscatione præterea, aucupio, & venatu multiiugas hominibus voluptates præbet. Sed & ijsdem in aere imaginibus, qualium in Currentum insula meminimus, frequenter est obnoxia. Quæ verò ea vrbs apud priscos fuerit, ex authoribus, in quorum opera hucusq; incidi, nihil colligere potui. A Ficallo ad p.m.2. loco, qui Puteus vetus dicitur, oppidi (vt apparet) vetustissimi fundamenta ob oculos iacent. à quibus passus ferme quingentos turris abest ingens, & magnifica, à Bernardo Incrapera Motycæ olim Comite erecta Puzzallus appellata, quam mare iambit, frumenti Emporium. Vnde ad Melitam insulam ex Sicilia propinquior est traiectus, vtpote p. milibus non amplius sexaginta. Puzzallum ad p.m.2. Mayanucus parua sequitur statio; & deinde ad m. passus Rayancinus, cui pari spatio Corciurus succedit. & postea non longiori interuallo Pixotus, & Samuel extant: moxq; etiam statio sancti Petri cognomine æquo itineris discrimine occurrit: vbi & vetusti ædificij cernuntur ruinę. Speluncæ ad mille & quingentos passus sequuntur, Sbruffaloræ vernaculè ob id dictæ, quòd in eas regressi fluctus maris, ac scopulis illisi admiranda per aliquot ora ad iactum lapidis à littore distantia spuma edita ingentem reddunt sonitum. Et paulo pòst vetus aliud frumenti Emporium sequitur, quod Vetera appellant horrea. vnde & fluuij Motycani Siclis nunc dicti, ostium non longè abest Ptolemæo. oritur is supra Motycam oppidum ad iactum fundæ, quod primo statim defluxu interlabitur, cuius quoq, denominationem apud veteres suscipit. Et decurrens deinde ad 4.p.m. Siclim noui nominis, sed insigne, & pulchrum oppidum interluit: à quo nomen, quod adhuc tenet, priori amisso accipit, & mare ad 3.p.m. ingreditur. A cuius ostio passibus .m. fons abest insignis ad littus inter ipsas frequenter maris aquas affluentissimè emergens, Aynlucata Sarracenicè adhuc nominatus. Ad pass. mox. m. 2. Hirminij omnium in hac ora celebratissimi flu. Plinio, hodie Mauli, & Raguſæ ostium sequitur. Caput habet ad verticem Cerratani montis ex fonte Ficus nomine, in medio itineris à Vizini ad Palazolum scatenti, statimq; augetur aquis alterius fontis Fauara appellati ad verticem eiusdem montis, & .m. vix.p. ad occidentem à Ficu distantis oriundi. Qui vbi confluunt, fluuium conuoluendis molendinis non impigrum faciunt. Vnde dilapsus Cerratanum vetusti, præsentisq; nominis oppidum præterlabitur. cuius nomen vsurpat, progressusq; paululum pluribus fontibus accrescit, Raguſamq; deinde noui nominis oppidum (cuius nomen priori neglecto suscipit) ad dexteram relinquit, decurrensq; sine

nominis

Digitized by Google

nominis iactura,in mari hic se exonerat. Hunc Mazzarellis ad m.p. parua sequitur statio. & ad m. & quingentos pas. moles quædam, & rupes extant rubræ. Qui locus an is sit, quem Brucam extremum vocat Ptolemæus, incompertum est. Et subinde ad p. m. Anigigeffi parua statio succedit. Quã ad quingentos pas. sequuntur priscæ, ac magnæ vrbis ruinæ, quas mare alluit, & accolæ Longobardum, Mulinazzum, & Chummũ hodie vocant. Hæc ædificiorum vestigia quæ partim omnino prostrata, partim vepribus, ac palmis syluestribus obruta sunt, tam multa ad .2. ferè p. milia protenduntur, vt continuatam vsq; ad eum locum, qui Sanctus Nicolaus nunc dicitur, & vbi hodie vetus est molendinũ Mulinazzum vulgò appellatum, quod fluuij è collibus Ragusanis, vbi oritur, aquę per conuallem defluentes rotabant, vrbẽ fuisse manifesto sint indicio. Huic vrbi occidentẽ versus ad pas. circiter quingentos imminet ager in sinu depresso mille passuum ambitum conficiens collibus circundatus,præfati fluuioli irrigatione ad culturã aptissimus,& amoenitate, quam hortorum, pomariorumq; vetustissimorum monumenta testantur, splendidissimus. Huic quòd tria ibi sunt distincta magnificentissimæ, elegantissimæq; structuræ balnea, à balneis nomen obuenit. Quorum duo semiruta,tertium prorsus integrum adhuc cernitur, opus sanè regium, & cui cunq; Romano non impar. Ei ad dexteram per iactum lapidis tumulus insurgit. in cuius cacumine, quod planum est,theatrum olim stetisse insigne, ac planè singulare ex forma, & maximis, admirandisq; priscorum operũ fragmentis liquet. Vnde etiam in subiectos hortos, colles, planitiem, vrbem ipsam, ac pelagus iucundissimus porrigitur prospectus. Quem secessui olim, curarumq; laxamento, & lasciuiæ diuersorio huiusce vrbis Regibus habitum non dubito. Et vt progrediar vlterius, rationes mihi hæ non ineptæ videntur,præsertim cum authoritate nitantur:quibus quodam tempore hic Inyctũ Cocali Sicanorum olim Regis ciuitatẽ regiam fuisse adducor vt credam. Hãc nanq; Aristoteles Politi. lib. 7. Herodotus lib.6. Diodorus .5. Pausanias, & Strabo lib. 6. ad latus Siciliæ meridionale constituunt,& Camerinæ proximã determinant, nulla alia inter se ratione disidentes, nisi quòd Inyctum Herodotus,Strabo,& Stephanus, Inycum verò eam Pausanias appellet. Fuisse porrò Inyctum Sicanorum Regum sedem,de quibus latè lib.12. teste Diodoro scripsit Antiochus, constantissimum est. Sed quo tempore,& quibus conditoribus inceperit,incertum: tametsi à Sicanis conditam verisimilitudo satis persuadeat. Hæc vrbs & balneorum,in quibus Minos Rex Cretensis suffocatus fuisse traditur, excellentia, & Scytis Zanclæorum Regis exilio insignis est. Vinum Inyctinum, quod olim lib. 6. teste Strabone,nobilissimum erat,hodie desideratur. Post Inyctum Cauconæ portus Ptolemæo, Caucones Procopio de bello Vandalico lib.3. Rasacaramis ætate superiori, sed Scaramis caput, & statio hodie succedit, & fluuij eiusdem nominis ostium, quem à sancta Cruce pleriq; nunc appellant, quiq; à fonte Fauara. p.m. ferè. 4. ab ora exoritur. Exesa deinceps ad passus aliquot spelunca est, supernè aperta & aspera, à columbis ibi nidificantibus Columbaria hodie denominata. In quã fluctus maris illisi cum spuma mirabili sursum feruntur, ac sonitum nuper faciebant tonitrui similem, qui vigesimo inde miliario exaudiebatur. Sed anno salutis. 1552. ex vi irrumpentis maris impetuosius concussa in sua viscera corruit. Huic intus ad p.m. in colle ædis est quadrato structa lapide columnis subnixa, quam Sterium pictum accolæ appellant, templum priscis præcellens. A Columbaria quoq; ad p. m. 2. in ora fluuij Oanis nomine apud Pindarum in Olympijs ode .5. celeberrimi,Frascularis hodie dicti ostium sequitur: Vbi & statio est eiusdem nominis. Oritur in montibus Ragu-

sanis

Digitized by Google

nis è fonte, cui ab ostio .7..p.m. Passus latus hac tempestate nomen est. & dilapsus per locum, qui passus Siclis hodie dicitur hîc in mare illabitur.

DE CAMERINA VRBE, ET TERRA NOVA OPPIDO.

CAPVT SECVNDVM.

CAMERINA vrbs ad passus ferme quingentos Oano, siue Frascularo fluuio proxima est. In mole quadam paulisper edita inter duos amnes Oanum, & Hypparim ac lacum, iuxta importuosum littus, quod postmodum Romanę classis naufragio miserè fœdatum est, à Syracusanis Imperio & potentia auctis duce Dascone, & Menecolo anno 35. supra centesimum post Syracusas, & Eusebio supputante ab orbe condito 4600. olympiade .45. ædificata, vt libro .6. asserit Thucydides. Camerina inquit Strabo libro .6. Syracusanorum colonia fuit, deducta græci nominis etymologia à camera, quod laborem, & neo, quod habitare significat, quasi post longos labores habitata, quanq̃ non desint, qui à lacu eã alluẽte vocatã malint. nã & Camerinũ neutro genere Duris Samius, referente Stephano, eã apellauit. Hæc vti præcocia, ita & immaturos sortita est euentus. Nam cum incolæ secundarum rerum insolentia elati, in conditores, ac principes suos Syracusanos insurrexissent, ipsis prælio superatis, subactisq; funditus deleta, inconstantes ab eo tempore semper successus habuit, vt pote quæ suis ipsa bonis abusa sit. Hippocrates enim Gelæ Tyrannus, qui postea pro complurium Syracusanorum, quos ad flumen Elorum debellauerat, captiuorum redemptione instantibus Corinthijs, & Corcyræis eam acceperat, vt libro .7. Herodotus refert, cõuecta mox colonia. 82. olympiade qua, Psaumis ex Olympia victoriam retulit, moenibus, & habitatoribus iacentem restituit, vt Thucydides, & Pindari interpres commemorant. Verum iterum à Gelone Hippocratis in Imperium successore, quód ab eo perfidè desciuisset, euersa est. Nec multo pòst ab eodem refecta, nouisq; colonis inductis in pristinum statum coacta flagrante primo bello Punico, quòd Carthaginensibus adhæsisset, à Romanis machinis, & tormentis expugnata, ac Romanorum de inde colonia authore Polybio habitata est. Nec iniuria eam in Olympijs ode quinta populi altricem vocat Pindarus. quippe quæ inter tam frequentes mutationes populo semper abundauerit, atq; alios quodammodo ex alijs peperisse videatur. Eius moenia Hipparis flu. Pindaro, Iporus Ptolemæo, Hyctaris Vibio Sequestro, Camerinensis hodie appellatus ostio suo, fluxuq; expedito ad occidentem alluit. Oritur .p.m.12. supra ostium ex fonte vberrimo olim Diana nuncupato Solino. Cui oppidulum à Sarracenis Yhomisum nomine ea ratione superedificatum est, vt fons ipse medio in foro scatens eam euomat vim aquarũ, quæ statim intra lapidis iactũ molis sufficiat conuoluẽdis, amnẽq; faciat, q Camerinam per .12. p.m. continuato cursu influat. Ad ripas eius frugum, ac domesticarum omnium arborum, cedri præsertim, arantij, ac cæterorum malorum, etiam punicorum est feracissmus. Mirum porrò & illud, quod de fonte hoc Dianæ scripsit Solinus. si que mulier impudica aquam eius vino immiscuisset, fontis indicio, qui in vnum corpus laticem cum mero coire non pateretur, vitam illico, scelusq; detectum iri: morisq; huic fuisse, vt quiuis suspectam adulterij vxorem in hoc fonte probaret. Hypparis flu. ad passus ferme

miraculũ de fonte

ferme quingentos, anteq̃ in mare irrumpat, ſtagnum interfluit. 2. p. m. ambitus, quod fontes indigeni ſupra viginti efficiunt, vrbiq́; ſubeſt, priſca ætate Heſperia, Camerinæ poſtea palus (vt eſt apud Vibium ſequeſtrem) à veteribus appellatũ. De eo ſimul, & Oano, Hypparíq́; fluuijs ode. 5. in Olympijs in hanc ſententiam Pindarus: O Pallas (inquit) vrbis tutelaris Dea caſtum concinit delubrum tuum, fluuiumq́; Oanum, indigenumq́; ſtagnum, & ſacros canales, quibus Hypparis irrigat exercitum, affingitq́;, & glutinat celeriter altum firmarum ædium nemus, ex deformitate ad lucem Camerineos proferens, vbi eius interpres: Hypparis (inquit) Siciliæ fluuius eſt, proximus Camerinæ tantus alueo ſuo, vt & naues recipiat, quibus ex montium vicinorum iugis arbores, ac immenſæ magnitudinis trabes Camerinam in ædium, baſilicarumq́; ſtructuram portari priſco tempore conſueuerant. Hinc à veteribus ratibus eum eſſe nauigabilem accepimus. quod & vaſtarum faucium ſitus & lacus ipſe adhuc manifeſtãt. At verò palus hæc licet olim plura vrbi commoda afferret, inſalubrem tamen, infectumq́; aerem frequenter gignebat. Quare Camerinenſes aliquando Apollinis oraculum conſulentes, an conduceret paludem, quæ vrbi grauis erat, exiccare; reſponſum accepere: Camerinam ne moueas. Sed illi cum frequenti peſte vexati diutius mali cauſam, quam leuare poterant, non ſubſtinerent in ſua poteſtate durare, ſpecta ta ſolùm vtilitate præſenti, oraculoq́, contempto, paludem exhaurientes incolumitatem quidem optatam ſunt nacti: ſed non multo pòſt in peius diſcrimen inciderunt. Ea namq; vrbis parte, quam ſtagnum antè inuiam fecerat, ingreſsis patefacto aditu hoſtibus, Camerina populata, neglectæ, licet ſuperſtitioſæ religionis infeſtas pœnas dedit. Vnde Ver. Aen. 3. Et fatis nunq̃ cõceſſa moueri Apparet Camerina procul, Et lib. 14. Silius: Et cui non licitum fatis Camerina moueri. Inde & antiquum apud Græcos adagium prouenit: Camerinã ne moueas, lippis propè iam, & tonſoribus notum. Lacus ipſe hodie extat, ſolaq́; piſcium captura inſignis, tincas, & anguillas profert laudatiſsimas. Vrbs verò Camerina opibus olim, & ædificiorum magnificentia clara hodie iacet, nihilq́; priſcorum operum, præter fundamenta, integrũ ſeruat. Nomen tamen i, ſolùm in a, mutato, Camerana vulgò retinens ingentes, ac latè diffuſas, easq́; intra totum eius ambitum (qui mille ferè & quingẽtorũ erat paſſuum) pro maxima parte obrutas oſtentat ruinas. Littora ei ſubiecta ætate mea inſanarum molium opere in profundum etiam mare iactarum omnium, quę alibi viderim, maximarum, in modum portus manufacti decorabantur: quæ anno ſalutis. 1554. cum iterum Camerinam inueſtigarem, omnibus vetuſtatis monumentis inde ad Terranouam oppidum aſportatis nuda, ac ſuis ornamentis viduata repperi. Ad verticem iacentis vrbis ędes eſt hodie D. Mariæ dicata, idibus Aug. ſolennibus nundinis, confluentisq́; populi frequentia celebrata. Ad eius moenia turris quoq; recens à Bernardo Incrapera Motycę olim Comite ex vrbis ruinis in ſpeculam erecta eſt. Extra vrbem ad ſeptentrionem locus eſt cimiterio, tumulorumq́; copia inſignis, arcis inſtar, quadratis lapidibus in ſublime excitatus. Pſaumis Acronis filius, qui olyimpiade. 82. quadriga victor euaſit Camerineus fuit. cui in victorię encomium Pindarus oden Olympiorum tertiam dicauit. Nobilitata quoq; fuit Orpheo poeta, qui deſcenſum ad inferos (vt Suidas ſcribit) verſibus compoſuit. Poſt Hypparis oſtium quingentis ferè paſsibus lacus eſt alius iactu lapidis à mari refugiens, ſed imbribus auctus. cuius aquæ lapillorum inſtar in ſal inareſcunt. Ad paſſuum deinde. m. 10. Dirillus hodie vocatus flu. & eius oſtium ſequitur, notiſsimus in hac ora, & celebrati nominis: qui cur à veteribus ſit præteritus, equidem ſatis miror.

Hic

Digitized by Google

Hic ad vtranq; eius ripam per multa pas. milia condensis obtegitur syluis, quæ latrocinantibus, ferisq; tutissimas latebras, ac propugnacula præbent. Oritur ad Vizinim noui nominis oppidum duobus capitibus. Quorum vnum p. m. 2. ad orientem illi imminet, & à fonte Paradiso ad agrum Mogi scatet, qui statim alterius fontis Fauarotta nominati aquas susscipit, & decurrens oppidum ad dexteram relinquit. Alterũ eius caput oppido, quà spectat aquilonem, hæret, quod ex tribus fontibus parum à Vizini semotis conflatur, quorum vni ab eo ad iactum lapidis distanti Coruo nomen est: alteri, qui paulò infra erumpit, S. Angeli ab ædicula eiusdem nominis denominatio obuenit. Tertius, qui sub oppidi moenibus exoritur, Sarracenicè Massar nominatur. Hi fontes simul iuncti radices rupis, cui superstructum est oppidum, alluunt, molasq; conuoluunt. Ita Vizinis oppidum inter duos amnes in rupe parum edita situm est. Hi duo fluuij infra oppidum loco, cui hodie Molendino Baronis nomen est, coeunt, & vnum fluuium faciunt; qui ibi statim nomen à Vizini sibi mutuat, dilapsusq; per ualles Lycodiam noui, Sarraceniq; nominis in colle edito, præruptoq; situm oppidum ad dexteram relinquit: atq; inde profluens loco, qui Rayhuleti nunc dicitur, fluuium Montis rubri non longè ab oppido eiusdem nominis oriundum recipit, dimissoq; ad sinistram Monterubro oppido fluuio Mazzaruni iungitur, & ab eo cognominatur. Vnde ad lęuam in niuosis montibus Claromonte oppido præterito defluens Viscarim oppidulum sinistra sua allambit, ac demum Dirillum Sarracenici nominis iacens oppidum, cuius vsurpat nomen, præterlapsus non procul inde mari illabitur. Non longè ab ostio stagnum est Cocanicum: in quo per æstatem non toto quidem, sed extremitatibus, marginibusq; tantùm aquę in sal exarescunt. Cuius & Pli. lib. 31. c. 7. in hunc modum meminit: In lacu Siciliæ (inquiens) qui Cocanicus vocatur, & alio iuxta Gelam sal in oris duntaxat siccatur, & non totum in salem abit. Paruo inde spatio abest fluuij, qui Manumuza hodie vocitatur, ostium, in agro Calatagironensi oriundi. Et non longo de hinc itinere fluuij Terranouę ostium occurrit ab oppido eiusdem nominis appellati. Cuius caput non longè à Platia oppido sese in scaturiginem egerit. Inde ad passus circiter quingentos Terra noua oppidum recens imminet frumenti Emporium, exiguo spatio distans à mari, super ruinis deletæ, atq; obrutæ vrbis conditum. Oppidani eam Heracleam fuisse & prædicant, & super porta Calatagironis solenni charactere ad illustrandam patriam inscripsere. Quorum errorem & recentiores Siciliæ etiam Reges secuti in diplomatibus suis augusto Heracleę nomine eã quoq; sed perperam, decorarunt. Quos omnes Strabo, Ptolemęus, & P. Mela inter geographos celeberrimi, Diodorus præterea ipse Siculus historicus lib. 16. & 19. ac Polybius lib. primo manifestæ falsitatis redarguunt, qui Heracleam inter Agrigentum, & Selinuntem locant. Veruntamen cum extra moenia huius oppidi orientem versus ad passus prope. 300. templum ingens veteris formæ ex quadratis, & eis admirandis lapidibus, iacens, columna vna (desideratis cæteris) cum epistilio adhuc erecta, ingentiaq; subter fundamenta cernantur; & ad aream ecclesiæ maioris eiusdem formæ fragmentũ alterius columnæ extet; & inter mare, & oppidi moenia priscorum operum vestigia, & phyalę figulinæ vetustissimi artificij, & pulcherrimæ passim, licet obrutæ; numismata quoq; Hieronis cum inscriptione, & plurima Minotaurum ex vna parte exprimentia in æs, & argentum pulchrè facta passim reperiantur; vetustam hîc olim fuisse vrbem proculdubio censendum est. Sed quæ nam fuerit, Callipolis ne, an Euboea, quas in hac ora olim fuisse sitas lib. 6. Strabo testatur, nihil affirmo. Verba Strabonis hæc sunt: Ora, quæ à Pachyno ad Lilyboeum

lyboeum extenditur, tota relicta est, priscarum tantùm habitationũ vestigia seruans. Agrigentum; & Lilyboeum permanent. Nam cum hæ partes agro subiaceant Carthaginensi, longa, & diutius perdurãtia bella maxima ex parte plagam hanc extinxerunt. Et paulò infrà. Non enim (inquit) Himeram habitari amplius nouimus, non Gelam, non Callipolim, non Selinuntem, non Euboeam, neq; alias plures. Et paulo pòst: Cocali regia, atq; barbaricarum quoq; permultæ sunt deletæ, sicut comici memorant. hncusq; Strabo. De Cocali regia iam diximus. Himera verò, & Selinis, ac Gela quonam steterint loco, nihil addubitatur. Quocirca reliquarum duarum alteri, nempe Callipoli: veluti Gelæ propinquæ, si quid coniectura, & Strabonis authoritas patiuntur, his priscis propè Terrenouæ monumẽtis sedes assignari potest. Sed id posteris, quibus maior scriptorum veterum copia suppeditabit, censendum relinquimus. Terranoua gemina est hodie, vetus vt pote, & noua moenibus cinctæ. Sed quæ vetus est, & ad occidentem vergit, deserta ferme iacet. Recens verò cùm lata sit, pro mensuræ modo sublimes habet muros, & frequenter habitatur. vtraq; tamen, quanq̃ altera est recentior, non adeo priscæ est structuræ. Siquidem annis ab hinc propè duocentis à Sarracenis captum, ac dirutum id oppidum legimus. Quo nomine etiam exinde à Siciliæ Regibus ad meam vsq; ætatem vacationem militiæ, & publicorum munerum habuit. Hodie verò Marchionatus titulo nobilitatur. Terranouæ, & eius agro ad. p. m. 8. Buterium in edito monte situm noui nominis oppidum imminet, ruinis, & eis ingentibus antiquę habitationis superstructum. Quod au Hybla minor olim fuerit, & si ad Thucydidem, qui eam in agro Gelensi constituit, accedere videatur; quia tamen in eodem agro Mattorium fuisse scribit lib. 7. Herodotus, nihil assero. In littore à Terranoua sex mille passus Nanfriæ noui nominis fluuij ostium abest, qui infra Buterium, cuius ibi nomen assumit, emanat. à quo ad centum propè passus fluuij Yharrubę ostiũ occurrit. Qui caput habet ex fonte sancti Petri ab ostio. p. m. 4. distanti. Huic ad. 2. p. m. proxima est Falconera regij, & si recentis operis, arx ad mare sita.

DE GELA FL. ALICATA, ET GELA VRBIBVS.

CAPVT TERTIVM.

VCCEDIT Falconerę arci ad. 10. Terranouæ verò ad. 18. p. m. Gela fluuius cum suo ostio Ver. Aen. 3. Ouidio lib. Fastorum. 4. S Et Plinio, Himera Ptolemæo. Salsus hodie dictus, veterum scriptis celebratissimus, & alosiarum, anguillarumq; piscatione præstantissimus. Nominis autem proprij ratione à priscis (vt Stephanus Bizantius refert) inde est mutuatus, quòd ad ostium frequenter atram, nimiamq; exhalet caliginem, quam olim Siculi barbara voce Gelam vocabant. Immanẽ autem hunc fluuium. 3. Aen. nominat Verg. Immanisq; Gela fluuij cognomine dicta, quòd ob vorticosas, quas secum defert aquas, periculosum habet traiectum. vnde & lib. Fastorum. 4. Ouidius: Et te vorticibus non adeunde Gela. Porrò ætate mea, & in mediterraneis, & ad ostium flu. Salsus nominatur: quòd mineras, & lapicidinas alluat salis; eoq; infectas ad ostium vsq; deferat aquas. Eum Solinus mediã diuidere Siciliam, & ex eodẽ nasci-

fonte

fonte quo alter eiusdē nominis fluuius, qui mare Tyrrhenū influit, & hunc dulcē, illū verò salsū, sed prēter fidem refert: cū res è diuerso se habeat, vt suo loco explicabimus. Caput habet Gela flu. triplex. vnū ad Nebrodidē montem Madoniā hodie dictū, quà meridiē respicit, ex fonte, cui Donna alta est nomē, ab ædicula D. Mariæ ibi dicata. cuius aquę deinde plurimū incrementi accipiunt ex nonnullis fontibus, qui supra Petraliā oppidū in collium iugis Madonię continuatis emanant, & à sancto Archangelo ab æde eiusdem nominis cognominātur, & fluuium gignunt, qui Petraliam inferiorem lambit, eiusq; nomen ad se trahit. Dilapsus inde fluuiolum excipit nomine Pillizarū inter Gangium & Petraliā oppida oriundū. & paulò post Rayhalsuttani Sarraceni diruti oppiduli, quod prēterlabitur, aquis augetur. Caput alterū habet Gela ad Gangium noui nominis oppidū ex propinquis defluens collibus. Qui paulò inferius fluēta prouehens ad sinistrā flectitur, & Rayhalloanne Sarracenico etiam iacente oppido relicto, paruorum fontium salsas assorbet aquas, à quibus salsi tum primùm nomen induit. In quod exinde Gangi cognomēto veteris (Sarraceni, & á Friderico Siciliæ secundo Rege solo æquati oppidi, sup cuius ruinis monasteriū est structū ordinis D. Benedicti) fontes duo, quorum alter, qui olim oppidi erat fons, intra coenobium, alter ad eius hortos oritur, sinistrorsum illabūtur. Vnde recto deinceps fluxu pergens mineras salis, & lapicidinas complures interfluit, quarum aquis & augmentatur, & salsior redditur. Duo exinde ij fluuij Salsus, & Petraliæ, proprijs quisq; alueis decurrentes ad locum qui Mandra Plani hodie dicitur, sub arce Rasicudiæ, quā ad m.p. & in edita rupe sitā dextrorsum relinquunt, simul iuncti cōfluunt, & alterius nomine prorsus amisso, fluuius ingens, qui ex duobus factus est vnus, Salsi tantùm cognomentū retinet. Tertiū Gelæ caput ad montē Artisinā ex fonte eiusdē noīs oritur, qui paululū excurrēs Amurellus appellatur, & inter Calataniserrā, & Petrapretiā noua oppida in loco angusto, qui Caput arsū hodie dicitur, fluuio salso miscetur. Dilapsus deinde fluuius salsus dū ex mediterraneis in Geloū agrū p angustū inter colles iter influit, editā dextrorsum relinqt rupē, vernacule Rocca stricti appellatā. Ad cuius cacumē in viua ipsa rupe ingētis staturæ Leo vetusto, & elegāti artificio excisus est, q ab excelso eo loco viatoribus, & agro Geloo sese ostētat, in priscorū, aut victoriæ, aut Imperij signū ibi (vt existimo) sculptus. Ita Gela tot ramis auctus Gelois agris ablutis, in mare iuxta Alicatā vrbē aquarū Sarcinas deponit, ostiūq, paruis tantū nauigijs portuosū aperit. Hyberno tēpore frequēter Gelois cāpis inundat, & ī stagna se ingerit, atq; insulā facit: ramusq; ab eo vnus ad occidetē diuellitur, cuius ostiū Flumicellū appellāt. In ea insula, quā stagnās flu. efficit, mons Gela, & Alicata vrbs extāt. Gelæ ostio ad dexterā Alicata hæret vrbs, ab ipso salso fluuio Græcū procul dubio nomē adepta, vt ex .20. Diodori lib. colligimus. Alicas enim grecè salsū Latinis significat. Habet passus ferme octingētos in ābitu, & peninsulæ īstar ī mare ꝓcurrit, tribusq; partibus à fluctibus īpetitur: sed quà occidentē spectat, Gelæ mōti, cuius radices occupat, subest. Cōdita q̄dē ex ruinis Gelæ vrbis; sed à q̄bus, & quo tēpore nōdum legimus. Fruēti hodie ē Emporiū. ad. an. sal. 1553. 5. idus Iul. à Turcica centū ferme triremiū classe, cui se Frācica foedere iunxerat, igne vastata horrendā ad huc acerbissimi casus faciē retinet. Nobilitatur autem sepulchro Angeli Carmelitę Hierosolymitani pij viri, q̄ de Turcarū exortu, īcremētis, ac demū excidio multa vaticinatus ē. Vrbi mons editus & in mare aliquatenus ꝓfusus iuxtà ad occidentē incubat: ī quo Gela magna olim Sicilię vrbs sita erat, vt Diodorus lib. 20. & Plutarchus in Timoleonte tradūt, ab Antiphemo, & Entimo āno mūdi. 4509. post Syracusas vero. 45. cōdita. Quod & in hæc verba testatur lib. 6. Thucydides. Gelā Antiphemus è Rhodo, & Entimus ex Creta cōdiderūt āno .45. post Syracusas habitari coeptas, impōsito à flu. Gela vrbi nomine, cū locus, vbi nunc sita est vrbs, quiq; munitus

I. autea

antea muro erat, Lyndij vocarentur. Et idem lib. 7. Cretes (inquit) vnà cum Rhodijs Gelam condiderunt. Nomen autem vrbi à Gela præterlabente flumine indiderunt, vt Thucydides, & Vergilius quoq; (prout oſtendimus) ſcribunt. Quod & Silius lib. 14. confirmat: Venit ab amne trahēs nomē Gela: venit & Hæſa. Et lib. 2. Claudianus: Nomenq; Gelā qui prębuit vrbi. Scribit Duris Samius, cunctas fere Siciliæ ciuitates à præterlabentibus fluuijs nomen traxiſſe, vt Himeram, Selinuntem, Camerinam, Agrigentum, Camicum, & Gelam. Sunt tamen qui authoritate Ariſteneti diuerſam huius nominis cauſam producāt. Tradunt enim Latium, & Antiphemum fratres ad Delphos de habitando loco ad Apollinem acceſsiſſe. Quorū ibi alteri, Latio nempe, vt orientem nauigaret, reſponſum eſt, ſed cum Antiphemus effuſo riſu oraculum ſuſcepiſſet, ſtatim & ip ſe reſponſum accepit, vt occidentem peteret. Inde itaq; in Siciliam aduecti hanc vrbem condiderunt, eiq; à riſu (id enim græcis gelos ſonat) quo oraculum acceperant, nomen imposuerunt. Qui verò mortales fuerint Lyndij, à quibus antè occupatam, muroq; cinctam Gelam in ſuperiori contextu Thucydides refert, ab eo non eſt proditum. Cæterum Herodotus lib. 7. aperte à Lyndijs, qui ſunt ex Rhodo, & Antiphemo Gelam fuiſſe conditam ſcribit. Quod ita planè accipiendū cenſeo, vt diuerſis temporibus Entimus, & Antiphemus conuenerint: priorq; Antiphemus cum Lyndiorum colonia ex Lyndo vrbe Rhodienſi muro vrbis terminos definierit, poſtea verò Entimus ad abſoluendū opus inchoatum, populumq; augendum cum Cretenſibus ſuis ex foedere ſuperuenerit, atq; promiſcuè vrbem inhabitauerint, communiq; conſenſu ei Gela nomen imposuerint. vtcumq; autem seſe res habeat: Doricis eam legibus conditores inſtituiſſe Thucydides lib. 6. eſt author, quibus ita breui coaluere, vt anno centeſimo octauo poſt eius ædificationem Agrigentum vrbem ab eis conditam referat. Et, vt Plutarchus in Tymoleonte tradit, inter magnas Siciliæ ciuitates olim fuit. Et Pauſanias lib. 16. à Gelois in Altis poſtremum omnium theſaurorum donumq; præcellens ſtadio proximum poſitum teſtatur. Erant enim ſuo tempore in hac vrbe plura, eaq; egregia Dædali opera, quæ in Iunonis honorem apud Boeotos Argiui dedicauerant, hûc ab Omphace deportata, præcipuum ciuitatis ornamentum, vt lib. 9. idem Pauſanias memorat. Signum quoq; Apollinis maximum, & pulchritudine præſtantiſsimum ante eius moenia olim magna religione ab incolis cultum Diodorus celebrat. Cæterùm cū olygarchia conſtaret, quam rebus nouis vt plurimum obnoxiam cenſuit Plato, vt pote paucis remp. gerentibus, & idcirco imbecillioribus, vt lib. 5. Politicorum Ariſtoteles & lib. 7. Herodotus ſcribunt: à Cleandro Pataræo ſeptē annis tyrannide occupatur. eoq; poſt ſeptenniū per Sabillum prompti atq; audacis animi virum Geloum interfecto, Hippocrates eius frater Imperium quaſi hæreditatis iure inuaſit. Qui cum totidem annis non minori dominandi animo præfuiſſet, illato Siculis bello ante Hyblam minimam Gelæ conterminam relictis Euclyde, & Cleandro liberis ſub cura Gelonis interijt Thucydidi lib. 4. At Gelon Telinis vatis filius ſuſcepta pupillorum cura ſub adminiſtrationis tutelaris prætextu liberis Hippocratis dominatu fraudatis ipſe ſibi Gelæ Imperiū occupauit. Quod cum paulo pòſt Syracuſas quoq; vrbē eſſet adeptus, Hieroni fratri Gelon poſsidēdū reliquit, vt lib. 7. Herodotus refert. Fuit etiā Gela aliquādo Lampichi viri (vt in Charonte & Mercurio teſtatur Lucianus) ſuperbiæ, fauſtus, crudelitatis, & violentiæ maximę tyrannide diu oppreſſa, poſt Atticum verò bellum à Carthaginenſibus miſerè, foedeq; populata: à quibus ſignum illud Apollinis ſublatū & Carthaginē in victoriæ trophæū aſportatū fuit, vt Diodorus, & Plutarchus ī Timoleonte referūt. Ac cùm poſtea Timoleon Corinthius plures Siciliæ vrbes tyrānide, & bellis diſiectas reſtauraſſet, iter alias colonias, quas

ex Chio

Digitized by Google

ex Chio insula Duce Gorgo in Siciliam adduxerat, huc etiam demandatis habitatoribus vrbem tum penè desertam liberaliter restituit. Scribit Solinus, in agro Geloo stagnum esse, quod tetro odore proximantes abigit. & fontes ibidē duos, ex quorum altero si sterilis biberit, fœcundam, ex altero verò si fœcunda, sterilem reddi. Sed vbi hac ætate ij sint, incompertum habemus. Sal Gelous tanti splendoris est teste Pli. lib.31.c.7. vt imagines, veluti speculum recipiat. Et quod in lacu Geloo idem scripsit, ad margines æstate, & non toto stagno sal gigni, nos in ipso Gelæ fluuio vsu euenire didicimus, Habet Gela.quà septentrionem, ac mediterranea spectat, Campos latissimos, & eos frumentarios montibus ea parte circunseptos. Vrbs verò ipsa, quæ & Strabonis tempore deserta erat (vt ipse lib.6. commemorat) hodie prorsus iacet. cuius ruinæ, vt diximus, vrbi Alicatę condendæ in fabricam surrexerunt. Eo fit, vt nihil integrum ibi, erectumq; vetustatis superst: Sed lapides tantùm quadrati ex ipso monte, & id genus obruta antiqui operis monumenta aliquando effodiantur: Sepulchra quoq; ac Cisternæ veteris ædificij complures appareant. Vbi ætate mea lapis marmoreus his maiusculis inscriptus litteris est repertus:

CAESARIB.
SACRVM.
L. CAELIVS M.F.
QVADRATVS.
D.S.P.

Numismata præterea ærea, atq, argentea interdum reperiuntur cum hac græca inscriptione: GELOORVM. Nobilitata fuit ortu Apollodori vetustissimi poetę, comici, & Timagoræ Philosophi auditoris Theophrasti, vt Suidas scribit, atq; Aeschili poetæ sepulchro, & Gelonis Syracusanorum Regis cunabulis. In hoc agro (vt diximus) Hyblam minorem collocat Thucydides, & supra Gelam, Mattorium oppidum ponit Herodotus lib.7. quod quidam Geloi ob seditionem eiecti olim incoluerunt. Et Cacyrum aliud oppidum ibi dem stetisse scribit Ptolemæus. Duo quoq; in eodem agro prisco tempore fuisse propugnacula, & ea natura, & opere munitissima, quorum vni Phalario, alteri Ecnomo erat nomen, Sed Phalarium à Gela flu. stadijs.12. distabat: Ecnomus verò fluuio tantùm interfluente à Phalario recedebat, vt Diodorus lib. 19. scribit. Cuius hæc sunt verba. Occupauerunt autem Carthaginenses quendam verticem in Gela Ecnomum cognomēto, quem fama erat Phalaridis fuisse propugnaculum. Vbi & Taurum æneum, quo flagitiosos, igne suppositō, vltimo mulctabat supplicio, eo loci fabricatum à Perillo constabat. Quo facto is locus cognomentum acceperat. ecnomus nanq; græcè sæuitiam latinis sonat. Ex altera parte Agathocles propugnaculum aliud, cui Phalarium erat nomen, & ipse occupauerat. In quorum medio fluuius interfluebat, quem vtraq; hostium acies veluti munimen habebat. Et paulò inferius, Phalariū autē propugnaculū distabat ab Himera fluuio (qui Gela est) stadijs.12. sed & via, quæ ad id tendebat, tota plana est. Et deinde. Agathoclis (inquit) milites terga vertentes, & Geloam vrbem profugientes cum siti detinerētur, ex eo, quòd sub Cane erat tempus, ac hora meridiei, aquam fluuij Himerę, quæ salsa erat, cū aliam nō haberent, inuiti biberunt. Quamobrem plurimi eorum salsedine aquæ deficcatis introrsum vitalibus mox iuxta flumen interierunt. hæc Diodorus. De Ecnomo quoq; sic habet Plutarchus in Dione: Proficiscente ab Heraclea Syracusas versus Dione ducenti Agrigentinorum equites, qui Ecnomum incolebant, ad eum se conferunt, & post eos Geloi &c. Romani (inquit Polybius libro primo) Messana mouentes, & superato Pachyno promontorio Ecnomū nauigant; quo in loco pedestres copię

Digitized by Google

classem præstolabantur. Ex ijs itaq;, quæ Diodorus refert, Gælam iuxta Alicatam olim stetisse, Ecnomumq; in agro Geloo fuisse tumulũ, qua Gela occidentem respicit, & Phalarium ad orientem paululum ab Ecnomo, & Gela fluuio interfluente semotum: ac eos toto cœlo errasse, qui Gelam vrbem ab hoc loco distantem posuerunt, iam satis constat. At cum Pœni (vt eodem lib. Diodorus scribit) ex Agrigento ad Gelam expugnandam, Agathocles verò, vt eam defenderet, è Syracusis accessisset: existimandũ est Ecnomũ propugnaculum, eũ olim fuisse tumulũ, quem hodie Poggium Muciaccum Alicatenses appellant. 2. p. m. habentem in ambitu: in quo lapides ingentes quadrati, & structurę veteris monumenta cernuntur. Quę inde ad propugnacula ciuitatis Alicatę construenda ætate mea sunt asportata. In cuius verticis medio fons est, qui riuo in Gelã fl. illabitur. Adiacet autem Gelæ flu. ad occidentẽ passus circiter quingentos, Alicatæ verò vix p.m.2. In eo tumulo anno sal. 1553. militaris Siciliæ equitatus veluti in loco natura munitissimo castra posuit. Ex altera fluuij parte quà orientẽ spectat, tumulus est alter, Poggius longus hodie nominatus à Gela flu. p. m. fere. 2. sed ab vrbe. p. m. 3. à mari verò mille tantum passus recedens: vbi veteris etiam ædificij mira uisuntur vestigia, quæ Alicatenses antiquitates appellant. Hunc igitur ipsum Phalarium fuisse censendum est. Post montẽ Gelam, qui vinetis hodie abundat, flumicelli flu. ostium sequitur. Hic torrens ex stagnante flu. Gela augetur, vt diximus; æstatæ verò in sal siccatur. Deinde ad p.m. insula parua est à S. Nicolao cognominata, iactu fundæ a littore recedens. vbi nonnulla priscę habitationis indicia, & nauigiorum est statio. quam in littore turris sequitur Millayha. Hæc ora aucupio, & venatione nobilitatur, alit enim perdices, & attagenes præstantissimas. Yhafis turris deinceps est. cui Castellatius mons succedit; vbi magnę, sed dirutæ arcis sunt reliquiæ, Et Balatella postea est pyratarum diuerticulũ. Mons inde Clarus arx insignis, & mari prominens sequitur à Claramontanis ducentis ab hinc plus minus annis excitata, vbi nõ longè a littore splendidi sulphuris est minera. Deinceps ad .p.m. Punta alba, & scopulus illi adiacens Petra patellę vernaculè apellatus, occurrunt. In hac littorali ora Camicum olim vrbem stetisse, quam Dedalus Cocalo Sicanorũ Regi ædificauit, munitissimam, lib.s. Diodorus refert. cuius hæc sunt verba: Dædalus iuxta eam, quæ nũc Agragãtina est, in loco, qui dicitur Camicus vrbẽ supra petram effecit munitissimam, quæ expugnari nequiret, ob arctissimũ, difficillimũq; ad illã ascensum: ita, vt aditus tribus, aut quatuor viris facilè custodiretur. In ea Cocalus regia cõstructa thesauros omnes condidit. In camico Herodotus Minoem à Cocalo interfectum fuisse diuersè ab alijs authoribus lib.7. scribit his verbis: Fertur (inquit) Minoem cum Dædalũ vestigans in Sicaniam, quæ nunc Sicilia dicitur peruenisset, vi eius vitæ in Camico allata occubuisse: Interiecto deinde tepore omnes Cretes, præter Polychnitanos, & Presios, diuinitus instructos cum magna classe in Sicaniã traiecisse, & quinquennio obsedisse Camicum, quam (vt mea fert opinio) Agragantini incolunt. Ad extremum cum neq; illam expugnare possent, neq; ibi permanere, fame electi ea relicta abierunt. hæc Herodotus. Quæ verò sint hodie Camici vestigia, & si in hac littorali ora mirandæ extent ruinæ, neq; hominum memoria, neq; authorum monumentis hactenus consecuti sumus. Sed Agrigentum suo ordine describamus.

F. TH.

Digitized by Google

F. TH. FAZELLI SICVLI, ORDINIS PRAEDICATORVM. DE REBVS SICVLIS, PRIORIS DECADIS.

LIBER SEXTVS.

DE AGRIGENTINO VRBE.

CAPVT PRIMVM.

DECIMO post Puntam albam miliario, Agragæ fluuium ostium sequitur Polybio, Dragi vulgò hodie dicti. Sed anteq̃ ad ostij traictum peruenias, ad sinistram ædicula est Diuo Leon sacra. Oritur ex collibus Raphadalis oppiduli, vnde delapsus veteris Agrigentinæ vrbis mœnia lambit, Dragiq; ibi nomen suscipit, & sub ipsa deinde vrbe, in loco, qui Rucellus dicitur, fluuium sancti Blasij, qui & ipse vrbem, quà orientem spectat, ex collibus vicinis defluens præterlabitur, aquis receptis auctus mare ingreditur. Hunc fluuium Agrigentini (vt Aelianus libro. 12. recenset) pueri forma depingere, diuinisq; honoribus afficere solebant, cuius simulacrum apud Delphos ex ebore aliquando dedicarunt. Ad eius ostium ijs, qui maritimum hoc littus incolebant, forum olim, & Emporium, cognomento Agrigentinum, constitutum fuisse, Strabo libro. 6. & Ptolemæus scribunt. Quod prorsus defecit, porticuum, saxorumq; quadratorũ vestigijs solùm relictis, quæ in littore semiobruta, molis instar hucusq; cernuntur. Intus autem ad. p. quingentos supra mille imminet Acragas, siue Agragas, Græcis, Agrigentum latinis, Pli. lib. 3. vasta quondam vrbs: quam, Geloi anno propè centesimo octauo post Gelæ vrbis initia delectis sibi coloniæ authoribus Aristone, & Pistilo condiderũt: eam ab amne proximo, vt Tucydides lib. 6. Duris Samius, & Stephanus Bizantius tradunt, appellantes. Polybius autẽ &. fl. & vrbẽ à regione Agragã nominari scripsit, quòd fertile ibi sit solum, & fœcundus ager, vt græci nois etymologia ostendere videtur. Nã acros græcis summũ, gæa terrã, siue agrum sonat, quasi solum ferax, siue aruis prægnans. Doricis eã legibus fuisse à cõditoribus imbutã idẽ Thucydides testatur. Quare Lucianus in Phalari Agrigẽtinos Græcos, Doresq; fuisse perhibet, tametsi Strabo lib. 6. Ionicũ Agrigẽtũ cognominet. Ea porrò, veluti & Syracusæ, ex paruis initijs soli feracitate, & Carthaginis vicinitate, à qua p.m. ferè. 159. distabat, tanta breui tẽpore suscepit incremẽta, teste Diodoro, vt nulli tandẽ aut Siciliæ, aut totius etiã Italiæ optimè constitutarũ vrbiũ tũ belli, tũ pacis laudibus facilè cederet. Eius nanq; agri in primis cũ vini, olei, fructuũq; domesticorum prouentu præstarẽt, quorũ inopia tota Africa ea tẽpestate extremè laborabat, vt idẽ Diodorus tradit, cõuecto Carthaginẽ eiusdẽ annonę cõmeatu, tã ingẽtes quæstus fecit, vt ad tãtas opes, magnificentiã, & authoritatẽ, quæ deinde cõsecuta est, non imbelle initiũ dederit. Siquidẽ ea victus abundantia, & facilitate allecta multitudo, mutatis non temere sedibus, eò velut ad cõmune horreũ cõfluxit, populũq; simul, atq; vrbem eò magnitudinis (Laertio authore) perduxit, vt decem. m.p. ambitu, quo vrbs continebatur, octingenta hominum milia censa perhibeantur. Extra mœnia quoq; circa littus præsertim, quòd accrescenti indies aduenarum numero vrbs angustior fieret, suburbia, quorũ incolæ à ciuitate nullo aut iure, aut legibus, aut dignitate differebant, passim accreuerint. Quare non iniuria Agri-

gentinos salutaturus Empedocles verè naturali eos huiuscemodi titulo, ac conuenientissimo aggressus est.

Vrbem qui flaui ad ripas Acragantis amici
Incolitis magnam, res & curatis honestas.
Saluete.

Quam salutationē interpretatus Laertius. Amplū (inquit) Agrigentum Empedoclē dixisse ferunt, quod in illo octingenta hominum milia inhabitarent. Neq; verò hac amplitudine aut luxus, aut magnificentia ibi inferior fuit, vnde Empedoclis vulgatum illud in ciues suos celebratur axioma, quod & Platoni Aelianus adscribit: Agrigentinos ita ædificare, ac si perpetuò victuri; ita conuiuari, ac si postri die morituri forent. Vnde & ædes Agrigenti fuisse conuiuijs tantùm, & comessationibus publicè extructas in Dypnosophistis Athenæus memorat: quas ob frequentiam, confluxumq; compotorum, triremem appellabant. De cuius denominatione, huiuscemodi lib. 2. recitat historiam. Iuuenes aliquot patritij ordinis cū in eam aliquando conuenissent, paulòq; inter se liberius poculorum mensura cōtendissent, vino adeo incaluerunt, vt cerebri vertigine oppressis domus omnis agitari, circumagi, ac subuerti quoq; videretur: eoq; illi in naui esse, ac periclitari sese arbitrati instrumenta mox, & vasa omnia, & quicquid illo capitis turbine occurrebat, tanq; naue exoneraturi in viam, veluti in mare, festinantissimè abiecerunt, profuderuntq; necnō accurrentibus hinc inde qui proiecta diriperent, opē, ac pleraq; alia editis vocibus inclamarunt. Quibus excitī accurrerunt populares, ciues: & sequenti die senatus affuit, qui ciuilis eos modestiæ admonuit. Quibus præ temulentia neglectis, eorum vnus; Viri ò Tritones (inquit) ego naufragij me tu perculsus infra thalamos me conieci, atq; in imo iacui, & id genus alia deliria semisopitus adhuc eructauit. Sed iterum sub mulcta reprehensus cum socijs gratias senatui titubanter egit. Subinde omnes, cum conseruati (inquiunt) ex procella portum ingrediemur, inter marinos Deos vobis, vt seruatoribus Dijs in hac communi patria statuas æneas in foro subrigemus. Hi post biduum cū evaporato mero vix ad mentem redijssent, ex rei nouæ memoria, turpiq; hoc ebrietatis exemplo ædibus triremis nomen ab Agrigentinis est impositum. De magnificentia porrò Agrigentinorū scribit Timæus, referente Diodoro, adeo eos fuisse splēdidos, vt lecythis, & xistris argenteis, ac lecticis ex ebore totis vsi sint. Sed multo clariora magnificentię argumēta in eorū tēplis, theatris, aquę ductibus, piscinisq; fuerunt, quæ tanto numero, ac tā splendidæ structuræ & apud authores celebrantur, & vestigijs adhuc passim ob oculos iacentibus cognoscuntur, vt non immerito Romanas excedere ruinas censeri debeant: quibus tamen occasio non mediocri subsidio fuit. Nam cum magnam Carthaginensium captiuorum multitudinē haberent, quos Thero Agrigentinorum Tyrannus apud Himeram vrbem cum Gelone Syracusarum Rege debellauerat (vt posteriori Decade memorabimus) ne otio illi tabescerent, & vrbs ipsa publicis decoraretur ædificijs, ad cædendos lapides, & ad maxima Deorum templa construenda eos proposuerunt, vt libro. 11. Diodorus scribit. Habebant autem ea Doricam formam, vtpote tredecim ex vtroq; latere columnis striatis, & canaliculis vndiq; excauatis subnixa. Quorum moles adeo erant insanæ, tantæq; magnitudinis, vt non ab hominibus communis staturæ, sed Cyclopibus, & gigātibus erectę, & absq; luto, & calce interlitę adeo firmę, vt immensa ędificia, ęternaq; opera posse sustinere viderentur. Verum ex illis ad nostram ętatem nullum integrum, sed prostrata omnia cernuntur, non tam annorum iniuria, q̄ summo maiorum dedecore, qui quę paruis fulcimentis conseruare poterant, vel impensarum, vel laboris tędio turpiter corruere, atq; interire cum maxima posteritatis iactura permiserunt. Porrò quę adhuc ex ruinis discerni possunt, eiusmodi ferè sunt. Aesculapij insigne

erat

erat templum, quà vrbs occidentem, Heracleamq; spectat, vt libro. 1. tradit Polybius. In quo signum Apollinis pulcherrimum visebatur, Myronis authoris nomine fœmori argenteis characteribus minutissimis impresso, inscriptum, vt in Verrem. 6. scribit Cic. Hoc simulacrum cum à Carthaginensibus expugnato Agrigento esset ablatum; deleta postea Carthagine Scipio Africanus iunior magni illius Africani nepos Agrigentinis restituit. Huius templi duæ ætate mea tantum erectæ columnæ, & nonnullæ etiam ibi stratæ in vinea Aloysij Portuleuæ iuxta pastorale eius tuguriolum supersunt. Alterum templum stabat trecentis circiter passibus ab Aesculapio ad orientem disitum Ioui Olympio sacrum, & omnium, quæ in tota vnq̃ Sicilia fuerunt, maximum, vt refert Diodorus, & ipsa etiamnum designatione, & ambitu liquet: eius siquidem longitudo trecentos & quadraginta pedes, latitudo sexaginta, altitudo verò absq; fundamentis centum & viginti continebat. Muri cum ipsis columnis simul erigebantur. Columnæ exteriori facie ouales, interiori verò quadratam habebant formam. Porticus templi altitudinis, magnitudinisq; immensæ erant. In ea porticu, quæ orientem Solem respiciebat, fabulosam gigantũ contra Iouem coniurationem, qua eum cœlo pellere moliti sunt, pulchritudine, & amplitudine statuarũ iucundã visu, elegantissimo opere sculptã admirari licebat. In altera porticu, quæ occidẽtẽ spectabat, excidiũ Troianum ita excellenti industria expolitum erat, vt ipsa heroum corpora non tam sculpta, q̃ viua crederentur. Huius templi tectum Carthaginensium bellum, quod secutum est, ne perficeretur fuit impedimento. Id templum licet processu æui olim corruerit, pars tamen eius tribus gigantibus, columnisq; suffulta diu pòst superstitit: quam Agrigentina vrbs insignibus suis additam adhuc pro monumento habet. Inde Agrigentinis vulgatũ carmen. Signat Agrigentũ mirabilis Aula gigantũ. At tandẽ Agrigentinorũ incuria anno sal. 1401. 5. id. Decemb. 10. Ind. in extremas ruinas abijt. nihilq; aliud hodie eo cernitur loco, quàm insanarũ molium cumulus, Palatium gigantum vulgò adhuc appellatus, vt hoc epigramate imperitiã barbariemq; purã sonante a poeta quodam eius seculi, & casum, & tempus memoriæ (dum prosternebatur) proditum, in Archiuo Agrigẽtino inueni.

Ardua bellorum fuit gens Agrigentinorum
Pro cuius factis magna virtute peractis
Tu sola digna Siculorum tollere signa
Gigantum trina cunctorum forma sublima
Paries alta ruit, ciuibus incognita fuit.
Magna gigantea cunctis videbatur vt dea.
Quadricenteno primo sub anno milleno.
Nona Decembris defecit vndiq; membris.
Talis ruina fuit inditione bisquina.

Tertium erat templum Agrigenti Herculi dicatum non longè à foro, vt. 6. in Verrem Cic. tradit, & sola via à Iouis æde seiunctum, sanctissimè veteris superstitionis tempore cultum. In quo ipsius Herculis ex ære fuso simulacrum tanti ornatus habebatur, vt pulchrius sibi nullum vnq̃ fuisse visum idem Cic. fateatur. De cuius compilatione à Verre, suisq; militibus cõmissa, fortiq; ciuium defensione in hæc verba refert: Hoc templum (inquit) ad dilapidandum cum suos armatos, & seruos duce Timarchide noctu Verres misisset, & templi custodes armatorum concursum persensissent, editis vocibus conclamauerunt, ac obsistere conabantur: verum ab armatis fustibus, & clauis mulctati sunt repulsi. Ita custodibus repulsis serui effractis templi valuis, ac conuulsis repagulis templum ingressi Herculis signum demoliri pergebant. Sed cum huius sacrilegi facinoris fama tota vrbe percrebuisset, ciues omnes non modò robusta, sed affecta quoq; ætate, & viribus infirmis eo accepto nuntio nocte illa excitati surrexerunt, telumq; quod

quilibet

cuilibet fors obtulit, arripuerunt. Igitur ex tota vrbe ad defendendum Herculis fanum concurritur. Situm nanq; erat id templum ad vrbis mœnia mare respicientia. Agrigentini in Verris seruos magna irruunt vi. cedunt illi, & in fugam se vertunt. Ita Agrigentini Herculem, quem falso errore ducti Deum arbitrabantur, defenderunt. Ex hac historia Agrigentum veterem vrbem Ciceronis ætate superfuisse constat. In hoc etiam templo visebatur & alia tabula, in qua Herculem infantem coram Alcmena matre, & patre Amphitryone pauentibus dracones strangulantem Zeusis pictor expressérat. Quam cum nullo satis precio permutari posse author censeret, dono Agrigentinis dedit, vt libro 35. c. 9. refert Pli. Huius templi vix hodie vna erecta permanet columna: quæ illa est, quæ iuxta Iouis templum inter saxorum ingentium tumulum (quem adhuc templum Herculis appellant) exurgit. cæteræ iam in acérunm abierunt. Quartum Concordiæ dicatum erat templum, ab Hercule quingentos ferè passus ad orientem recedens: quod Agrigentini à Lilybœtanis post adeptam contra eos victoriam constructum illorum impensa affirmant: quod idipsum tabula marmorea, quæ nunc in foro nouæ vrbis pendet, his maiusculis literis inscripta demonstrat: CONCORDIAE AGRIGENTINORVM SACRVM, RESPVBLICA LILYBITANORVM, DEDICANTIBVS M. ATTERIO CANDIDO PROCOS. ET L. CORNELIO MARCELLO Q. PR. PR. Id illud ipsum templum est, quod in Diui Gregorij à Rapis Agrigentini olim Episcopi cultus conuersum, maxima sui parte integrum adhuc visitur. Quintum erat templum Iunoni Laciniæ sacrum. Cuius meminit Diodorus. In quo tabula erat eximio Iunonis simulacro insignis. Quam facturus Zeusis omnes Agrigentinorũ virgines nudas sibi exhiberi voluit, è quarum numero delectis quinq; forma præstantissimis, reductisq; in iudicium singulis singularum membris, quod in vnaquaq; laudatissimum erat, in effingenda Iunone expressit, reddiditq;, vt lib. 35. c. 9. Pli. memorat: Zeusis nanq; etsi (vt in Poetica tradit Aristoteles) pulchriora omnia in pingendo exprimeret, pulcherrimam tamen Iunonem effingere voluit, ne qua mulier esset, quæ tota Iunoni sese conferre auderet. Id templum Gelias postea capto à Carthaginensibus Agrigento hostium impetum euasurus, cum eò confugisset, irrumpentibus in illud hostibus ne in captiuitatem veniret, combusit, ac se ipsum cum ijs omnibus, qui secum ibi aderant, igni dedit, vt Diodorus memoriæ tradidit. Sextum erat templum Pudicitiæ sacrum, omnium, excepto Iouis fano, maximum celeberrimumq;, quod hodie sexcentos fermè passus à Cõcordiæ templo distans, & ad vrbis angulum orientem spectantem situm cernitur, Turris Pucellarum vulgò appellatum: cuius aliquot columnæ discissæ, ni succurratur, vniuerso templo ruinam minantur. Septimum erat Agrigenti templum Proserpinæ dicatũ, religiosissimum quidem, & ab Agrigentinis maxima cultum veneratione: ob quod Pindarus in Olympijs Agrigentum Proserpinæ sedem appellat, vbi Anacalypteria festa, & Theogamia celebrari solebant. Illa quidem, quòd tertio die ex ædibus matris ducta reuelata sit: hæc verò quod à Cerere post longa quærendi fastidia tandem repertam (vt author est Hesychius) in cœlum ad Iouem reductam credebant. Octauum fuit Agrigenti templum Castoris, & Pollucis appellatum, vt ibidem Pindarus refert, magnificentissima fabrica extructũ. Agrigentini enim Castorem, & Pollucem præ cæteris mortalibus in Olympijs venerabãtur, quibus & Theogenia etiã festa instituerãt. Sed quo loco posteriora duo hæc templa steterint, nullis vestigijs adhuc comperi. At verò omnium admiratione dignissimum est, quod subijcimus. Templum erat Agrigenti extra mœnia Vulcano sacrum, in colle ob id Vulcanio dicto, vbi hodie ædes est Diuę Mariæ a Monte serrato dicata, teste Solino, qui illũ non longè à lacu, in quo supernatat oleum, qui is collis imminet, fuisse scribit. In hoc enim tẽplo priscæ superstitionis

ritu

ritu sacrificantes ligna vitea nullo admixta igne super aram struebant. Vbi si sacrum probabatur, sarmentorum fasces, licet virides, ignem concipiebant, qui sacra celebrantibus sua flamma alludebat. At si forte suo flexu illorum quempiã contingebat; quos non vrebat, illis id voti rite perfecti præsagium erat. Quæ omnia friuola, ethnica, ac dęmonum fuisse ludibria nos quidem persuasum habemus. Fuisse & alia plura Agrigenti, præter hæc, templa memoria non indigna, ex multis, quæ de eorum structura authores prodiderunt, abunde colligimus. Porrò lapicidina, ex qua ingentes illæ lapidum moles his templorum, ædificiorumq; publicorum fabricis excindebantur, Cauecta hodie dicitur: quæ proxima est ædi D. Blasio sacræ. Vbi & duæ sunt admirandæ magnitudinis lacunæ, ad aquas ex pluuijs congregandas excauatæ, columnis subnixę. Erant & Agrigenti aquæductus etiam sumptuosæ structuræ (teste Diodoro) quibus ex collium, ad quorum radices, & latera vrbs erat condita, vicinis fontibus aquæ in vrbem deducebantur: quibus quia construendis Phæax Agrigentinus, vir nobilitate præstans à Senatu fuit præpositus, & suo labore, & operum excellentia meruit, vt à se aquæductus Phæacij in posterum vocarentur: quorum pleraq; adhuc supersunt visenda vestigia. Theatrum præterea ibidem erat eminentissimum: quod libro Stratagematum tertio maximè celebrauit Iulius Frontinus. Quod hodie ex obrutis fundamentis, quæ à templo S. Nicolai non Procul absunt, vix etiam cognoscitur. Piscina etiam pro mœnibus ad occidentem sumptuosissima, quam Diodorus portum appellat, manu quoq; Carthaginensium captiuorum fabricata, & Geloni Regi, vt amico, & benemerenti ad delitias, voluptatemq; à populo consecrata. cuius ambitus septem stadiorum, profunditas verò viginti cubitorum cernebatur, ad quam tam fluuij, q̃ vicinorum fontium aquæ confluebant: piscibus varij generis tum pabulo loci, tum aquarum etiam tẽperamẽto & ad vsum, & ad delitias nutritis referta: quam & olorum quoq; multitudo in eam volitantium, ac supernatantium, & aspectu pulcherrimam, & iucunditate amœnissimam reddebat, vt idem Diodorus, & Athenæus lib. 13. scribunt. Hæc æui cursu, & ciuiũ inertia Diodori etiam ętate tota collapsa videbatur. Sita autem fuit eo loco, vbi hodie horti sunt Abbatię, & Angeli Strazanti medici non spernendi, quos adhuc fluuius, & fontes interluunt. Agrigentinos proceres maximę fuisse liberalitatis, atq; hospitalitatis nomine non mediocrem vrbi splendorem attulisse Diodorus est author. De quibus Empedocles dicere consueuerat: Portę sunt honorabiles exterorum, sine fraude aliqua. Inter quos primas tenuit Gelias (quem lib. 1. Telliam appellat Athenęus) omnium sua ętate ditissimus: qui (vt lib. 4. c. de liberalitate memorat Valerius) vir fuit opibus excellens, sed animo, q̃ diuitijs multo locupletior: in pecunijs erogandis potius, q̃ contrahendis procliuus. Hic ędes suas publicę liberalitatis officinam esse voluit. Hic publicis vsibus idonea extruebat monumenta; grata oculis Agrigentinorum spectacula edebat: ac epularum magnifici apparatus subsidia tribuebat. Vniuersis pręterea inopibus priuatim alimenta, dotes virginibus, pauperibus subsidia, malo fortunę euentu quassatis solatia erogabat. Cuius ędibus hospites postremò tum vrbani, tum etiam rustici benignissimè excepti varijs muneribus ornati postea dimittebantur. Cuius deniq; possessio omnis omnium quasi commune patrimonium erat. Hunc ferunt authores in vrbis portis quotidie seruos constituisse, qui exteros, aduenasq; pręstolati in suam domum deducerent. Scribit quoq; lib. 15. Timęus cẽtũ milites è Gela vrbe aliquãdo tẽpestate ingruẽte Agrigẽ tum deuenisse, omnesq; in domo Gelię hospitatos refectis vniuscuiusq; vestibus, quas vis tempestatis absumpserat. Refert etiam ex Antiphone lib. 1. Athenęus in eandem sententiam quingentis equitibus ex Gela eadem, qui hiemis tempore frigoribus acti, Agrigentũ secessẽrãt, in Gelię domo hospitatis singulis vestem, & interulam,

& Interulam,ac lautiſsimam illum præbuiſſe cœnam. Sed & Polycletus (referente Diodoro) memoriæ reliquit; Cum apud Agrigentum militaret, locum ſe vidiſſe,in quo Gcliæ vaſa deſignabantur; ex quibus trecenta eodem artificio inciſa erant, menſuram amphorarum centum quodlibet continens. Iuxta quæ vas aliud miræ magnitudinis extabat ſupra mille amphorarum capacitatem habens, ex quo, tanq; ex fonte in vaſa,quæ diximus, aquæ influebant. Hunc tamen pro tot virtutibus ſtatura puſillum fuiſſe proditum eſt. Vnde cùm aliquando ad Centuripinos ab Agrigentinis orator miſſus ea de cauſa ab eis irrideretur,facetè, & commodè (vt familiare tum Siculis erat) reſpondit: Proprium eſt (inquiens) Agrigentinis, ad claras vrbes claros, & proceros ad obſcuras autem obſcuros,& ſtatura puſillos mittere oratores. Magnificentiæ quoq; clarum in Antiſthene Agrigentino, quem Rhodum vocabant, exemplum effulſit, Is nanq; cùm filiam nuptui tradidiſſet,ciuibus omnibus (quod mirabile dictu eſt) per vicos lautiſsimam celebrauit cœnam. Coegit quoq; per totam vrbem lignorum ſtrues cuſtodibus adhibitis:quibus ſignum datum eſt, vt cùm primùm ab arce lumen aſpicerent,ignem lignis adhiberent. Igitur cùm ſponſa per vrbis vias equitans circunduceretur,ab arce lumen emicuit;tum ſtatim lignis (vt in mandatis habebāt) incenſis non per vias tantùm, ſed è feneſtris quoq; ac ſummis ædium culminibus ignium globis effulgentibus creberrimis tota ciuitas ardere viſa eſt. Ad quod ſpectaculum exciti vicinorum oppidorum, pagorumq; incolæ, ciuesq; omnes ipſius vrbis huius viri excellentiam ſpectatum venerunt. Quorum multitudo tanta fuit,vt vrbis viæ tametſi latiſsimæ, eos tamen capere vix poſſent. Connumeratis nanq; ſolùm his, qui è vicinis oppidis aduenerāt, ducenta hominum milia Antiſthenis filiam,pompamq; eius nuptialem proſequi nō ſine excellenti omnium ſtupore memoratum eſt. Exenetus etiam Agrigentinus non eſt prætereundus,ſed his meritò annumerandus. Hunc etenim cùm ex Olympia, nonageſima ſecunda olympiade inopinatò victor in vrbem reuerteretur, curru ſplendidiſsimo,trecentis comitantibus quadrigis, quibus omnibus equos albos iunxerat,inuectum maximo applauſu ab Agrigentinis receptum Diodorus memoriæ prodidit. Enimuerò Agrigentum quoq; fuiſſe olim equis,quos ad Olympica certamina alebant,celeberrimum hoc verſu indicat Ver.lib.Aen.3.Arduus inde Agragas oſtentat maxima longè Mœnia: magnanimûm quondam generator equorum. Quibus cùm frequentes victorias è Græciæ agonibus retuliſſent (vt Pindarus,& Strabo ſcribunt) tantam celebritatem promeruêre, vt in Cappadocia, cùm aliquando equina proles penè defeciſſet, iubente oraculo, ex equorum Agrigentinorum grege admiſsarijs ab indigenis emptis,reparata ſit. Vnde equina armenta longè præſtantiora Cappadocibus ſuccreuerunt. Quo nomine ſcribit etiam Pli. lib. 8. c. 42. Agrigentinos equis ſuis illuſtribus non ſolùm tumulos, ſed pyramides quoq; extruxiſſe. Timæus quoq; ad ſuam vſq; ætatem equorum, qui ocyus cucurriſſent, complura pyramidalia ſepulchra Agrigenti duraſſe memorat. Agrigentum vrbs cum ſatis ſplendoris ſuſcepiſſet, proceſſu æui in tyrannidem Phalaridis incidit.Cuius nomen ob eius ſæuitiam notius eſt,quàm vt longior de eo(ni res moneat)ſermo ſuſcipiatur.Fuit ergo Phalaris ex Creta Inſula,vrbe Aſtyphalide,patre Leodamante ortus. Huius mater (vt ex Pontico Heraclide Platonis diſcipulo lib. 1. de Diuinatione refert Cicero) anteq; Phalarim ederet,viſa eſt in ſomnis videre Deorum ſimulacra, quæ ipſa domi conſecrauerat. Ex quibus Mercurium vidit ex patera, quam dextera manu tenebat, ſanguinem fundere,qui cùm terram attigerat,viſus eſt referueſcere adeo, vt tota eius domus ſanguine repleretur. Quod ſomnium crudelitatem, tyrannidemq; filij præſagiuit. His itaq; parentibus prima ipſius ætate orbatus cum adoleuiſſet, Aſtyphalyde ob tyrannidis ſuſpicionem exulans, Erithia vxore,& Paurola filio domi relictis,

Digitized by Google

relictis, Agrigentum contendit. Vbi cum opibus, & literis, potentiaq; honoratior euasisset, vt. 5. Poli. lib. scribit Aristoteles, tyrannidem primus omnium inuasit, vt lib. 7. c. 56. Plinius tradit. Nam cum in vniuerso terrarum orbe tyrannidis author, atq; inuentor primus Theseus censeatur; in Agrigento certè (eodem Pli. teste) libertatem hic primus mancipauit: quam fœdare aggressus est eo tẽpore, quo Pythagoras Samius, Tarquiniusq; superbus Romę regnabat, vt Liuius, & Gellius & Eusebius scribũt, anno mũdi ferè .4550. si rectè colligit Eusebius, & antę vrbem conditam. 64. Fuit Phalaris solerti vir ingenio, maximo animo, aperta fronte, & studiorum liberalium amantissimus. Hinc Stheſicoro Himerensi poętæ lyrico suo nomini infenso a sedemum ob eam ipsam rem intercepto, musarum reuerentia pepercit. Cuius quoq; demortui vxorem, ac filios fauore, & beneficijs est prosecutus. Calleschrum item manifestè illi insidiantem captũ, coniurationisq; crimen confitentem, Polycleti Messenij philosophi, ac medici insignis gratia seruauit. Cheritona, & Melanippum insidias sibi struentes, captosq;, ac scelus fatentes q̃ benignissimè susceptit. Chariton enim Agrigentinus adolescentum formæ mirificè studiosus (vt lib. 2. de vera historia testatur Aelianus) Melanippum Agrigentinum animo præstantem, & forma egregium adolescentem ardentissimè amauit. Cum autem Melanippus cum quodam Phalaridis necessario in iudicio ob quandam causam decertaret, iussit Phalaris Melanippo, vt amitteret causam. At ille cum non paruisset; Phalaris accusationem omnem, atq; iudicium sustulit: quin & mortem ei est minitatus. Grauiter hanc iniuriã, & iniquo animo ferens Melanippus Phalarim statim opprimere statuit. Remitaq; Charitoni credit. Socios sibi vt ad tam arduum facinus deligat, ascisçatq;, impensè rogat. Chariton se ipsum ad vindictæ societatem exhibet: sed occasionem bene gerendæ rei expectandam dicit. Verùm hic rem diutius secum meditatus veritus ne amores suos in discrimen inijceret, solus ipse Melanippo inscio rem tantam aggredi cogitat. Occasione igitur sese offerente, sumpto mucrone ad Phalarim contendit interimendum. Sed cum Phalaris continuè satellitum comitatu stipatus, & q̃ diligentissimè munitus esset, custodesq; in portis exploratores haberet, Chariton dum incautè Tyranni ædes ingreditur, comprehenditur; in carcerem conijcitur; & vt conscios prodat, torquetur. Sustinet ille cruciatus fortiter, præclareq; tormentis resistit. Cum verò causa in longum protraheretur; vltro Melanippus ad Phalarim ingrediens palàm se Charitonis consilij non modò socium, sed insidiarum quoq; fuisse authorem confitetur; indignum iccirco asserens diutius illum tormentis affici; cum iam socius, & author criminis habeatur; causamq; deniq; tentatæ necis ingenuè aperteq; enarrat. Phalaris vbi hæc audiuit, vtriusq; fortitudinem animi, amoremq; admiratus illico vtriq; pepercit; & vt non solùm Agrigento, sed à Sicilia quoq; abirent, iussit. Hos postea Pythia his verbis commendauit: Mortali authores generi cęlestis amoris Et Charitõ fœlix, & Melanippus erat. Scribit lib. 13. Athenæus Apollinem hoc pietatis opere motum vitam Phalaridis duos annos prolongasse. quod ridiculum esse, apud Christianos constantissimum est. Cæterum licet hæc à veteribus de Phalaride tradantur; eiusdemq; elegantissimæ epistolæ, quas Angelus Politianus Luciano adscribit (ad quod credendum, nisi alicuius veterum authoritate firmetur, minimè adduci possum) virum eum ostendunt insigni eruditione, prudentiaq; præditum: ipsum tamen crudelem, tyrannum, immanemq; lib. officiorum. 3. & omnium crudelissimum. 6. in Verrem Cic. appellat. Pleriq; etiam grauissimi authores illum mentis efferatæ, agrestisq; naturæ, fuisse scribunt: vt voluptati ei semper fuerit flagellis homines cædere, cruciatorum exaudire gemitus, cædesq;, & carnificinas spectare, & ad se aduentantes hospites supplicio afficere, atq; torquere, vt Plutarchus in Parallelis refert. Quinimo & lactentes

infantes

infantes illum frequenter coctos comediſſe, lib. 1. referente Athenæo, Clearchus eſt author. At quod de ipſo maximè vulgatum eſt, quodq́; iuſtæ ſæuitiæ laudabile fuit exemplum, non eſt à me hoc loco prætereundum. Perillus, ſiue Perillaus, vt alij proferunt, faber ærarius Agrigentinus, aut Athenienſis, vt alij ſcribunt, Phalaridis ſæuitiæ gratificaturus nouum quoddam ſupplicij genus excogitauit. Bouem æreum naturali ſtatura maiorem apud Ecnomum arcem, cui ab eius ſæuitia nomen prouenit, vt lib. 19. Diodorus refert, aſpectu pulcherrimum, atq; accuratiſsimè ad veri bouis imaginem, & cui ſolùm motus, & mugitus, vt viuus putaretur, deerant, expreſsit. Hunc præterea bouem author ad vſum ſupplicij huiuſcemodi miro ingenio elaborauit, vt rei ſuppoſito igne boui incluſi cremarentur. Interficiendus nanq; aperto machinæ dorſo in eam conijciebatur quo clauſo, ac igne ſubiecto intruſus homo vehementer plorabat, vocife rabatq́; inuſitatis detentus doloribus. Ac demum mugitus veluti bos pro eiulatu humano ciebat triſtiſsimos. Hoc igitur nouum, & inauditum ſupplicij genus Phalaridi Perillus obtulit munus ab eo ſperans regium. Phalaris viſo boue, & aliquandiu conſiderato, artificis ingenium maximè extulit. Poſtea cenſens nunq̃ niſi à ſæua, carnificiq; mente ita horrendam machinam excogitari potuiſſe; authorem ipſum ante alios ad periculum artis ſuæ faciendum meritò condemnauit, bouiq; incluſum ſubmiſſo ſtatim igne comburi iuſsit. Scribit in Phalaride Lucianus hunc bouem Delphos miſſum, vt in Apollinis templo, cui eum dicauerat, reponeretur: Delphosq́; munus repudiaſſe. Diu deinde Phalaris in vexandis hominibus eo inſtrumento vſus legitur: ac à Carthaginenſibus expugnato poſtmodum Agrigento Carthaginem bos in ſignum victoriæ abductus, ac demum deleta Carthagine à P. Scipione Africano iuniori Agrigentinis reſtitutus eſt, vt. 6. in Verrem refert Cicero. Multa Phalaris & fecit, & dixit ingeniosè. Nam teſte Ammiano incendiarium inuenit, quod ab eo nomen accipiens phalarica dicitur. Hæc ad modum haſtæ valido ferro trium pedum longitudinis præfigitur, inter cuius tumbam & haſtile ſulphur, reſina, & bitumen conuoluuntur oleo infuſa, et ſubinde baliſtæ impetu directa prærupto munimine, ardens ligno figitur, turritamq; machinam incendit. Cum quædam aliquando Siciliæ loca natura munitiſsima fruſtra oppugnaret, ſimulato cum eis fœdere, frumenta, quæ reſidua ſe habere dicebat, apud eas vrbes depoſuit. Verùm ſubinde operam dedit, vt ædium culmina, in quibus ea frumenta conferebantur, reſcinderentur. Quibus diſciſsis, pluuiæ in horreis receptæ frumenta omnia putrefecerunt. Huius rei oppidani ignari, fiducia commeatus in horreis à Phalaride congeſti, proprio tritico prodigè ſunt abuſi. Quod ille reſciens primo æſtatis initio bello eos inuaſos rei frumentariæ inopia ad deditionem tandem compulit, vt lib. Stratagematũ. 3. c. 4. Iul. Frontinus eſt author. Dum Agrigentum, ac pleraſq; Siciliæ ciuitates tyrannide affligeret, multi eum ad deponendum imperium hortati ſunt. Quorum vni Demoteli philoſopho reſpondiſſe fertur: tyrannidem humanæ vitæ comparari. Sicut enim homo ſi priusq̃ naſceretur, quæ mala eſſet in vita perpeſſurus, præſcire poſſet, naſci nunq̃ vellet: poſtq̃ verò iam natus, vitamq; ipſam, licet ærumnis circundatam, expertus eſt, inuitus ab ea diſcedit: Sic Tyrannus, ſi eius ſtatus calamitates prænoſceret, priuatam procul dubio vitam anteferret: ſed tyrannidem aggreſſus fruſtra ad eam deponendam ſolicitatur. Pythagoræ etiam Samio, & Epicharmo Megarenſi Siculo identidem ad eam rem hortantibus reſpondit: Aggredi tyrannidem appetentis eſſe: deponere minimè. Comparans eam actionem ſagittario, qui ſimulatq; ſagittam emiſerit, non habet eam amplius reuocandi poteſtatem. Deniq; Zeno Eleates philoſophus Agrigentum venit, ſuaſurus eidem, tyrannidem vti deponeret, vt. 2. de officijs Cicero, Et lib. 3. c. de patientia Valerius commemorant. Sed cum fruſtra

pluribus

Digitized by Google

pluribus diebus apud eum fuiſſet, Agrigentinos tandem quoſdam nobilitate inſignes ad eum cædendum pertraxit. Porrò coniuratione patefacta, cum captus à phalaride Zeno, ſpectante populo in foro ad prodendos coniurationis ſocios cruciaretur, neq; illorum quempiam nominans, domeſticos tantùm eius in ſuſpicionem adduceret, ex eculeo tandem omnes ciues ignauiæ, ac timiditatis tanta iracundia, minisq; arguere cœpit, vt repentè ea voce concitati Agrigentini duce Telemacho Agrigentino, ſed Thebanorum ſanguine prognato, facto impetu lapidibus Tyrannum obruerint, vt Cic. & Valerius, quos ſequimur, tradunt. Exercuit itaq; tyrannidem Phalaris (iuxta Euſebij ſupputationem) annos triginta vnum, vt alij verò colligunt, ſexdecim. Eo porro de medio ſublato, mutataq; totius vrbis fortuna, Agrigentini ſanciuerunt, ne cui cærulei coloris veſtimentum geſtare ſub mulcta liceret: quòd Tyranni ſatellites, corporisq; cuſtodes eo colore ad ſubligacula vſi fuiſſent, ne vel geſtamen, quod oculos offenderet, ex tyrannide videretur vsq; ſupereſſe, vt in ſua Politica refert Plutarchus. Atq; inde Agrigentini libertatem adepti per plures annos centum ferme & quinquaginta fortiter tutati ſunt. Cæterum anno mundi. 470. quo tempore Siciliæ vrbes in tyrannidem ceſsiſſe author eſt Euſebius, Thero Aeneſidemi filius Agrigentum occupato imperio refregit, vt libro. 7. Herodotus, &. 11. Diodorus produnt. Cuius ſtirpem Pindarus, qui ei duas Olympicas odas dicauit, ad Cadmum vſq; Thebarum conditorem, atq; Oedipodem refert. Ex cadmo ſic. Cadmi filius (teſte Menecrate) Polydorus fuit. Polydori Hæmon, qui contribulem ſuum occidens Athenas profugit, & inde Rhodum, ac demum Agrigentum incoluit. Ab Hęmone vſq; ad Theronis matrem generationes viginti ſeptem numerantur. Ex Oedipode verò ſic. Oedipus Laij Therbanorum Regis filius fuit, qui Laium patrem ex inopinato occidit. Oedipodis filij fuerunt Etheocles, & Polynices. Polynicis Theſander. Sed Etheocle, Polynice à ſe mutuo occiſis, Theſandri ſuperſtitis filius fuit Thiſamenes, cuius Antheſion. cuius Theras: cuius Sanius. Huius Telemachus, & Clitius. Quorum Clitius in Thera inſula permanſit. Sed Telemachus inde collecta multitudine Siciliam venit, & agros plures in Agrigento obtinens ex proceribus factus eſt vnus. Qui tandem (vt pręmeminimus) Phalarim Zenone ſuadente occidit. Ex Telemacho natus eſt Calliopęus. cuius Emmenides. cuius Aeneſidemus. Huius Theron, & Xenocrates. Theronis filius Thraſideus. Xenocratis verò Thraſybulus. Theron igitur Aeneſidemi filius, regio genere Thebanorum, ſed Agrigento vrbe exortus, tyrannide patriam occupauit. Qui tamen ſumma modeſtia, iuſtitia, clementiaq;, Reipub. adminiſtratione per ſexdecim functus annos, non mediocrem gloriam, dum vixit, diuinasq; poſt vitam laudes promeruit, vt Diodorus in. 11. & nos in poſteriori Decade latius commemorabimus. Therone defuncto, Thraſydeus eius filius, quaſi hęreditatis iure Agrigentinorum dominationem inuaſit. Hic cum ſuperſtite adhuc patre iniuſti iam inde, ac ſicarij nomine eſſet infamis, multo crudelius illud in opprimenda vrbe aſſumptis faſcibus eſt proſecutus: Syracuſanoq; pòſt prælio ſuperatus, eiectusq; Agrigento, & à ſuis, & ab Hierone apud Megarenſes, ad quos profugerat, capitis reus non indignum vitę finem obtinuit. Agrigentini verò impetrata à Syracuſanis pace, quam antè non ipſi, ſed Thyrannus offenderat, ciuium decreto deinceps Remp. rexerunt. Sed neq; hęc quies illis diuturna fuit. Anno nanq; ante ſalutem. 581. mundi vero. 4779. (vt Euſebius ſupputat) Athenienſium (duce Alcibiade) repentino inſultu, & libertatem, & vrbem amiſerunt. Poſt Atticum quoq; bellum vrbs à Carthaginenſibus expugnata,

Digitized by Google

depopulataq; adeo fuit, vt vix vrbis faciem præseferret, & deserta exinde fuerit remansura, nisi Timoleon magnam colonorum multitudinem ducibus Megelo, & Feriſco ex Helice Achaiæ vrbe, quam mare postea absorpsit, eò adducens, ciuibus etiam priſcis, qui diſperſit erant, ad penates ſuos reuocatis ciuitatem (vt est apud Plutarchum) deintegro restauraſſet. Ac multo deinde inhumanius rurſus à Carthaginenſibus cum maiori Siciliæ parte ante primum bellum Punicum capta, ac eo flagrante pro quadam arce belli contra Romanos poſſeſſa, à Romanis. L. Poſthumio, &. P. Aemilio Coſſ. per vim occupata, profligatisq; Carthaginenſibus direpta, ac ſeruorum maxima inde multitudine, opibusq; varijs abductis, cum ſumma calamitate Romano ſubiecta eſt imperio, Sed rurſum postea à Gallis Carthaginenſium ſtipendiarijs vaſtata (vt libro. 1. Polybius refert) inconſtantem, atq; eam ſemper acerbam fortunam tolerauit. Quam ſubinde ſecundi belli Punici tempore poſt captas à. M. Marcello Syracuſas Leuinius Ro. Conſul pulſis Carthaginenſibus receptam militibus in prædam expoſuit. Vbi & defectionis authores virgis cæſos ſecuri percuſsit, vt Liuius. 3 decad. liber. 6. commemorat. Atq; ita iteratò poſt tot clades Romanis ſubiecta, cum habitatoribus penè vacua inueniretur, à Tito Manlio Siciliæ Prætore per Senatus conſultum ex pluribus Siciliæ oppidis colonia collecta, veteribusq; ciuibus domum redire compulſis populo repleta eſt. Quocirca cum duo eſſent in vrbe Agrigentinorum genera, alterum ciuium, colonorum alterum: Scipio veritus ne colonorum multitudine ciues victi aliquando pellerentur, lege cauit, ne plures eſſent coloni, q̃ veteres, vt. 4. in Verrem Cic. ſcribit. At verò à quo poſtremò vrbs tanta fuerit deleta, quibuſnè authoribus in collem veteri vrbi imminentem, vbi nunc eſt, tranſmigrauerit, incertum eſt. Id ſolum hodie conſtat, quòd vetus vrbs, quę vulgò adhuc Ciuitas dicitur, prorſus iacet, nulla ędificiorum antiquorum (vt dixi) maieſtate integra. Sed eorum quędam ſemidiruta, cętera omnia iacentia, herbis, rubis, virgultisq; obſita, ac alluuionibus ſimul & aratro ſepulta paſsim intra, & extra mœnia, quorum pars adhuc extat, conſpiciuntur, quę tamen eiuſmodi ſunt, vt facilem prębeant eius potentię admirationem. Lapides etiam tantę apparent molis, vt qui obeliſcos ignoret Aegypto aduectos, non facilè ſibi perſuadeat ingentes eas moles potuiſſe hominum viribus eò comportari, ſiue in altum poſtea attoli. Sępe ipſe adij loca illa ampliſsima: ſępe tanto ſpectaculo intentus penè obſtupui, non modò ob tante amplitudinis, magnificentięq; miraculum: ſed ob tam efficacem temporis edacitatem, fortunęq; inuidiam, quę omnia tam mirificè comminuerunt. Nec fieri potuit, vt poſtq̃ ſingula oculis, animoq; luſtraui, mœniaq; olim magnificè ſtructa, & ſplendidiſsimè exornata, nunc verò longè lateq; diſperſa, ac templorum pręſertim deploranda, & ea monſtruoſa cadauera, aliorumq; ingentes priſcorum operum ruinas mirabundus reuiſi, abſq; repetitis, geminatisq; ſuſpirijs inde vnq̃ diſcederem. Venit enim mihi tum non temere in mentem tantorum heroum, primatum, virorumq; illuſtrium, quorum commemoratione non vrbem vnam, ſed totum terrarum orbem dicas reſplenduiſſe, prudentia, humanitas, eruditio, militia, ſplendor. Enimuero in ea & natus eſt, & floruit Empedocles ex Methone, vt Hippobotus, ſiue Archionio, vt Thelanges Pythagorę diſcipulus ſcribit, patre, clariſsimus philoſophus, Parmenidis primùm vnà cum Zenone Eleate diſcipulus. A quo poſtea diſcedens Anaxagoram, & Pythagoram audiuit, quorum alterius conſtantiam vitę, grauitatem, habitumq;, alterius de natura rationes ſectatus eſt, vt ſcribit Alcydamas, referente Laertio. Quod mihi ſatis veriſimile videtur: cum magna ex parte in ijs, quę de rerum principijs docuit, cum Anaxagora ſenſerit. Vterq; enim Chaos, in quo oĩa mixta, cõfuſaq; fuerãt, initio fuiſſe eſt opinatus:

est opinatus: licet alter infinita, finita alter rerum principia constituerit; quemadmodum in opere de Physicis auscultationibus tradit Aristoteles. Qui & in suo Sophista (quod opus apud latinos non extat) scribit eundem Empedoclem fuisse primum artis oratoriæ inuentorem, sicuti Dialecticæ Zenonem. Cui & in vitis adstipulatur Satyrus, qui & medicum illum fuisse, & oratorem optimum, Gorgiamq; Leontinum, qui oratoriam artem primus literis illustrauit, ipsius discipulum extitisse, eiq; persæpe cum magiam exerceret, affuisse, refert. Fuit Homeri in primis studiosus. Vnde Aristoteles in lib. quem de Poetis inscripsit, Homericum eum appellat, & in dicendo summo acumine, in scriptis quoq; suis, translationibus, cæterisq; figuris poeticis vsum asserit. Multa opera composuit. quorum tria & quadraginta se per legisse fatetur Hieronymus philosophus, vt testatur Laertius. Scripsit versu heroico de philosophia naturali opus insigne. cuius fragmentum in bibliotheca Medica Florentiæ hodie visitur. Quod opus Aristotelem vidisse liquidò constat, tum quòd eiusdem est farinæ cum eius philosophia, quam habemus, tum quòd multis in locis eius ipse versus citat. Vnde & in sua Poetica eum ita Homero comparat, vt illis solùm communem versum tribuat. Idcirco Homerus poeta, Empedocles verò philosophus naturalis est appellatus. Timæus verò & illis, & alijs multis eum modis virum admirationi habitum fuisse prædicat. Non solum enim nuntiabat futuras tempestates, sed excogitabat quoq; remedia, quibus fieret, ne ab illis fruges corrumperentur. Vnde & ab Agrigentinis Colysanemon, hoc est ventorum inhibitor, est nuncupatus: quòd cũ Agrigentũ vrbs, & eius ager aliquando vento infestaretur vehementiori, periculum ille omne, expansis circa vrbem, collesq; in vtrium instar, asinorum pellibus, auerterit, vt. 18. lib. Timæus, referente laertio, memoriæ prodidit. Pestilentiam quoq; multis in locis ignium suffitu ab eo sedatam lib. 37. c. 27. author est Plinius. Retulit & Heraclitus ipsius arte corpus humanum exanime, triginta dies fuisse integrum, incorruptumq; seruatum. Fuit & vates futuri præscius, vt patuisse Heraclytus apud Laertium dicit versibus ab eo compositis, quibus Agrigentinos incolas saluere iussit: à quibus & Deum se credi, & diuinos sibi honores deferri voluit. Cæterum Aristoteles ipsum fuisse in primis liberum, atq; ab omni ambitu alieniſsimum affirmat, quòd regnum Agrigenti vltro à ciuibus sibi delatum forti, constantiq; animo renuerit, simplicitatem vitæ Regum delitijs præferens. quod & Zanto quoq; scriptum reliquit. Agrigenti etiam triennalem magistratum constituit, qui mille hominum cœtus erat. Ad quem non ij solũm, qui diuitijs, aut natalium splendore excellerent, sed mediocris quoq; fortunæ viri, atq; è populi numero honestiſsimus quisq; admittebatur. Quem Timæus, referente Laertio, non approbat. Cum aliquando in Olympia equestri certamine victor fuisset, atq; ex præscripto animatis abstineret, ex myrrha, thure, & aromatibus alijs bouem confecit; quem distribuit ad Panagyrin conuenientibus, vt ex Pythagoræ instituto propagatum legimus. Pertinaciſsimè verò simultates, ac inimicitias & suscipiebat, & exercebat, vt Suidas, & ex veteribus plures scribunt. Cum Deorum numerum exquisiturus esset, veste purpurea vtebatur, vt lib. 12. Aelianus refert: sertum quoq; aureum in capite, ærea in pedibus sandalia, ac laureos ramos in manibus ferebat. Claruit ætate ferè qua Xerxes ab Atheniensibus nauali prælio Themistocle duce Salamina fugatus est: quaq; Fabij ad Cremeram occubuere, &. M. Coriolanus Romam debellaturus ex Volscis aduenit, vt lib. 17. c. vltimo Gelius scribit. Tradit deniq; Laertius Empedocle totam Siciliam decorari: eumq; tum bello, tũ ingenio toto terrarum orbe sua ætate non habuisse parem. De obitu verò eius

Digitized by Google

varia feruntur. Heraclides siquidem tradit, quod cum sacrificio ad Pysianactis agrum vnà cum alijs interesset, peractis ritibus pleriq; diuersis agri locis sparsim sub arboribus fusi vmbram quæsierunt: solus autem ipse cum in loco, vbi ad rem diuinam conficiendam accubuerat, remansisset, mane facto, à cæteris surgentibus quæsitus non comparuit. Cuius deinde socijs quid illi factum esset, ignorantibus, vnus è seruis retulit; media nocte se vocem magnam audiuisse, quæ Empedoclem euocabat: cumq; surrexisset, nihil se præter lucem, ac tædarum splendorem vidisse. Pleriq; verò, quos Phauorinus sequitur, asserunt eum Messanam venientem casu crus perfregisse, ac tandem apud Megaram dolore inualescente peremptum, ibiq; sepulturæ traditum, cum annos vixisset septuaginta septem: tametsi, aliqui centum & nouem vitæ eius fuisse annos scripserint. Sunt & qui euulgauerunt Agrigentinis ipsum infensum Sicilia decessisse, nauigasseq; in Peloponnesum, atq; ibidem obijsse. Quibus adstipulatur & Neantes Cizicenus apud Laertium, qui eum Methone vita defunctum scripsit; quò ob pullulantis quædam domi tyrannidis exordia profugerat. Quidam verò narrant, quod postq̃ Panthiam mulierem Agrigentinam genere nobilem à medicis desperatam curasset, immortalis ab Agrigentinis, & cæteris Siculis propè sit habitus. eoq;, vt suæ immortalitatis fidem constantiorem faceret, in montis Aetnæ crateres viuum se coniecerit. Cuius deinde proiecta ab Aetnæ eructatione sandalia iuxta voraginem inter cineres sint reperta, vt Suidas refert. Quos secutus lactantius lib. Diuinarum Institut. 3. & causam, & modum, quo se in incendium deiecerit, explicat. Quorum assertioni his versibus accedit Horatius: Deus immortalis haberi Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam Insiluit. Hoc quoq; non longè inferior & alter Empedocles superioris auus, non solùm rei militaris peritia insignis, cuius specimen olympiade. 71. victor non aspernandum edidit; quare & belligerorum equorum alumnum eum vocat Laertius; sed & philosophiæ etiam cognitione clarissimus quatuor & viginti tragœdijs editis mortuus est.

CREON philosophus, & medicus Agrigentinus etiam fuit, ab Empedocle satis commendatus. Ab hoc Pli. lib. 29. c. 1. medicorum factionem, à qua se Empiricos nominant, cœpisse refert. Enimuero tria fuerunt medicæ professionis apud veteres, & hodie quoq; sunt genera. Empyrice, quæ nullis rationibus, sed solis experimentis constat; Iatraleptice, quæ vnguentis, & fricationibus curat; Pharmaceutice, quæ medicamentis medetur.

ACRON Zenonis filius, & domi nobilis, Agrigentinus fuit, vt testatur Suidas, philosophus, & medicus præstantissimus, antiquior Hippocrate, publicè cum Empedocle Athenis legit, & pleraq; dorica lingua in medicina, & philosophia scripsit volumina.

POLVS orator celeberrimus Gorgiæ Leontini discipulus Agrigenti nascitur. Hic postq̃ Græcorum, Barbarorumq; genæalogiam, & quot viri illustres ad Troiæ excidium sunt profecti posteritati in scriptis reliquisset, è vita decessit. De eo Lucianus in Herodoto scribit, quod callidè, vbicunq; ludos publicos fieri sciebat, ibi semper orationes habere consueuerit. Vnde breui notitiam, & laudem apud cæteros adeptus est. Fuit hic quoq; philosophus eminentissimus, cuius meminit Arist. in procœmio Metaphysicæ.

DINOLOCHVS Epicharmi comici discipulus Agrigentinus fuit, poeta summus, qui comœdias quatuordecim doricè scripsit.

ARCHINVS Agrigentinus tragicus poeta sexaginta tragœdias composuit, quibus perpetuum apud mortales nomen consecutus est.

SOPHOCLES vir clarissimus, atq; disertissimus, qui Romanorum tempore claruit, vt in Verrem scribit Cic. Agrigenti quoq; nascitur.

XENOCRATES

Digitized by Google

XENOCRATES item Teronis germanus, cui Pindarus duas dicauit odas, Agrigentinus fuit. Hic Pythiade. 24. curru, aurigandiq; arte victor euasit. Atq; hæc quidem de vetere Agrigento. Noua autem vrbs in colle sita est: quæ antiquæ vix ad p. mille incubat, & licet lõgè illa sit inferior magnitudine,& claritate:ornatur tamen Episcopatus titulo, qui sub diœcesi sua. 25. maxima continet oppida,quibus a Rogerio Normanno Siciliæ Comite fuit insignita, vt eius diplomate constat huiusmodi. Ego Rogerius Calabriæ, & Siciliæ Comes diuino munitus præsidio, gladio supernæ gratiæ cinctus, galea, & scuto bonæ, & laudandæ intentionis adornatus Siciliam petij contra nefandam Sarracenorum feritatem pugnaturus. Quos septiformi Dei gratia, ac cooperante, imò omnia efficiente diuina misericordia expugnaui:illorumq; superbiam,ac instantem eorum contra fidem nostram audaciam minoraui, & (vt verius loquar) pœnitus ad nihilum redegi. Quis etenim visa Castellorum, & ciuitatum eorum vasta, & ampla ruina, ac palatiorum suorum studio mirabili compositorum ingenti destructione Sarracenorum, quorum vsibus superfluis hæc deseruiebant, non consideret magnas deiectiones per me factas,immensasq; eorum clades? Horum igitur potentia, ac contra Christianos insania prorsus annihilata, & tota Sicilia mihi, & meis obedientiam præstante, Ego Rogerius prædictus Comes anno sal. 1093. Vrbano apostolicæ sedis præsidente,Rogerio Duce Calabriæ,& Appuliæ, in cõquæstu Siciliæ simul ecclesias episcopales ordinaui. Quarum vna est Agrigenti ecclesia, cuius Episcopus vocatur Gerlandus. Cui in Parochia assigno quicquid intra fines subscriptos continetur.videlicet à loco vbi oritur flumen subtus Corilionem vsq; super petram de Zineth,& inde tenditur per diuisiones Iatinæ, & Cephalæ,& inde ad diuisionem Bichari,inde verò vsq; ad flumen Salsum, quæ est diuisio Panormi,& Thermæ, & ab ore huius fluuij vbi cadit in mare.Et protenditur hæc Parochia iuxta mare vsq; ad flumen tortum. Et ab hoc,& abinde vnde oritur, tenditur ad Pyra subtus Petram Heliæ, atq; inde ad alium montem, qui est supra Pyra.inde autem vsq; ad flumen salsum, vbi iungitur cum flumine Petre Heliæ. Et ex hoc flumine sicut descendit ad Imprandum, qui locus diuidit Agrigentum, & Butheram, atq; inde per maritimam vsq; ad flumen de Bilichi, quod est diuisio Mazariæ vsq; ad subtus Corilionem, vbi incipit diuisio. Horum verò omnium si aliquis aliquid prędictę ecclesię, & Episcopo suo abstulerit, vel iniustè detinuerit, qualiscunq; persona fuerit, anathemate damnetur. In proprio autem tam tui, q̃ successorum tuorum iure casale Cacta cum centum villanis in perpetuum trado, atq; concedo. In quo frumento concedo tibi singulis septimanis. prętera quęcunq; in posterum liberalitate Principum, vel oblatione fidelium eadem Ecclesia Agrigenti iustè, ac canonicè poterit adipisci, firma tibi, tuisq; successoribus, & illibata permaneant. hęc Rogerius. Quę omnia Vrbanus Papa dicto Episcopo Gerlando confirmauit, vt eius priuilegio dato Bari anno sal. 1099. 6. id. Octobris patet. Nobilitatur igitur hodie Agrigentum æde Cathedrali quadrato lapide Structa, ac sepulchro. D. Gerlandi primi post exactos Sarracenos Agrigentinorum Episcopi, miraculis conspicui.

AD verticem iuxta templum maximum ędes habet hęc vrbs magnificè olim à Manfredo, Ioanne, & Friderico Claromontanis conditas, hodie dirutas. quarum ruinę specimen habent cuiuscunq; priscę habitationis. Plura sunt in ea vrbe publica, sed magnificè ab eisdem excitata opera, vtpote templum maximum, cœnobia. D. Dominici. D. Francisci, Carmelitarum, monasterium Monialium. D. Benedicti, Xenodochium, vrbis,quà mare spectat, mœnia,& pons. Quorum posteri quia à Martino Siciliæ Rege desciuerunt, perduellionis sententia capitis sunt mulctati. De quibus latius in historijs. Ioanna

Pancica Agrigentina mulier ætate mea Bernardo Belluardo Agrigentino nupta tantæ fuit fœcunditatis, vt tricies circiter enixa tres supra septuaginta ediderit liberos. Quod præter fidem nulli videri debet. Siquidem . 7. de natura animalium, c. 4. scribit Aristoteles mulierem quandam quatuor partubus viginti edidisse liberos, Singulo enim partu quinq; emisit. Magnus quoq; Albertus mulierem quandam in Germania configuratis, conformatisq; in vtero duorum & viginti infantium corpusculis aborsum feciſſe: aliam verò etiam septuaginta; Sed & aliam eieciſſe in peluim corpuscula auricularis digiti magnitudine centum & quinquaginta refert. Et (vt amplius increscat admiratio) Margaritam Henneburgensem Comitissam anno sal. 1276. ætatis verò suæ. 42. in die Parasceues, nona hora, ante meridiem infantes viuos promiscui sexus trecentos sexaginta quatuor peperisse fama per ciues ducta, publicis inscriptionibus, & ipsorum cadauerum numero, quæ adhuc in eadem visuntur vrbe, constantissimum est. Quorum masculis Ioannis, fœminis verò Elisabeth Guido Episcopus suffraganeus Traiectensis, qui baptismo eos initiauit, nomen imposuit. Hi porrò statim vnà cum matre decedentes in maximo templo, atq; in eadem vrna tumulati epitaphium habent in tantæ rei indicium. Et (vt nostra etiam demum adijciamus) anno sal. 1430. Messanæ mulier quædam annos. 24. nata nouem infantulos vno simul partu edidit. Quæ posteaq̃ peperit, vnà cum filijs extincta est. Et licet sint, quibus septem in vtero cellulæ placeant, & propterea totidem duntaxat fœtus concipi posse ex Galeni quoq; de spermate libro tradiderint, vnde & iureconsultos lapsos errore censendum est; ea tamen omnia & temere prodita, & opus illud Galeni non esse eruditis perspicuum est. Sed iam de ijs, quæ intra mœnia sunt, satis. Lacus est in agro Agrigentino, in quo oleum supernatat. De quo lib. 35. c. 15. in hæc verba scripsit Plinius. In lacu Agrigentino bitumen liquidum, pingue, liquorisq; oleacei inficiens riuum gignitur. Id arundinum foliis incolæ colligunt citissimè sic adhæresens: vtunturq; eo ad lucernarum lumina olei vice, itemq; ad scabiem iumentorum, hæc Plinius. In lacu Agrigentino (inquit Solinus) oleum supernatat. Hoc pingue hæret arundinum comis de assiduo volutabro, è quarum capillamentis legitur vnguentum medicum contra armentarios morbos. Fons iste ætate mea in supradictis Angeli strazanti hortis extat. In quo oleum, quod genus est bituminis, supernatat: quo collecto ad diuersa morborum genera curanda Agrigentini hodie vtuntur. At quoniam influebat olim hic fons cum cæteris vicinis piscinam, cuius meminimus: Plinius, & Solinus lacum ipsum appellarunt. Fons alius est perennis in eisdem hortis dulcis, & potabilis ex specu exundans. cuius aqua temporis de cursu subalbi instar marmoris lapidescit. Vidimus nos anno sal. 1528. mense Aprili lapidem ex aqua ibi genitum tegulæ, quæ diu aquis in fonte subiacuerat, ita hærentem, vt vnum esset, sed distinctum, artis, & naturæ opus. Quod profectò nobilioris ingenij viris spectaculo fuit. Et non minus nobis admirationi fuit vas lapideum, quod multo tempore in eius fontis imo steterat, crusta marmoris ex aqua prognati circuntectum. Lacus alios esse Agrigenti lib. 6. scribit Strabo gustum quidem maris habentes, naturam verò discrepantem. Nam grauia, quæ natabilia nullo pacto sunt, lignorum instar supernè fluitant, & nequaq̃ demerguntur. Quod ex crassiori aquarum natura euenire censet Aristoteles, Sed vbi nam sint hodie hi lacus, incompertum habeo. Ager abest ab Agrigento ad aquilonem quatuor passuum milibus, cui Mayharuca Sarracenicè hodie est nomen, culturæ minimè idoneus: eius etenim facies, quę vix quingentos ambitu passus habet, tota prope cinerulenta est. Hic enim limosas scaturigines, vtpote aquam cineri permixtam ex pluribus faucibus perpetua euomit reiectatione, solo nunq̃ deficiente,

ficiente, vt Solinus etiam prodidit. Id autem admiratione digniſsimum eſt, quod Solinum latuit, & nos vſu euenire didicimus. Singulis ferè luſtris locus iſte furit, & cœli tempeſtate ſuborta, præmiſſoq; fragore maximo, ac denſo nimbo tanta huiuſcemodi luti, cinerumq; moles exinde effluit, vt telluris ſolum ad ſex ferme cubitorum altitudinem excreſcat. Orificio ſi lineam etiam magni ponderis infigas (quod non niſi magna vi ob oris anguſtiam fieri poteſt) à vento ſubterraneo excuſſa extrà ſtatim proſilit. Ager alius eſt Agrigenti p. m. 8. ab vrbe ad aquilonem etiam recedens, Aborangius appellatus: in quo ſalis eſt minera, naturam à cæteris diſcrepantem habens. Si enim igni iungitur, calore ſoluitur: ſi aquæ, dureſcit, crepitatq;. cuius Pli. lib. 31. c. 7. & Solinus meminerunt, & nos fidem probauimus. Metalla quoq; Salinarum Agrigenti eſſe authores tradunt: quæ miniſterio cautium, lapidumq; funguntur. nam illinc ſculptores ad ſigna hominum, Diuorumue facienda excudere ſolent. Non longè ab hoc agro inter Agrigentum, & Bibonam noui nominis oppidum, lacus eſt ſulphureus Biſſana vulgò dictus, centum ferme paſſus habens in ambitu, immenſus: In quo crateres ſunt duo viciſsim ad trium cubitorum altitudinem aquas perpetuò emittentes. Sed hactenus quidem de Agrigento. nunc deſcriptionem ſequamur. Ad oram reuertenti traiecto Acragæ fl. oſtio ad p. m. ferè. 3. Agrigentinum frumenti recens Emporium occurrit, & deinceps p. m. 9. arx eſt ſpecula à Monte rubro nomen habens: poſt quam ad m. paſſus Siculiana noui nominis tenue frumenti Emporium ſequitur. Et intus paſſus mille à littore recedens eiuſdem nominis eſt oppidulum anno ſal. 1350. à Friderico Claromontano conditum. cuius inſignia ad arcis apicem adhuc cernuntur. Poſt Siculianam Emporium flu. Cannarum oſtium ſequitur ex propinquis montibus oriundi. In ora littorali, quę deinceps vſq; ad Heracleam extenditur, ſcopuli ſunt frequentes, ac rupes ingentes continuatæ, claſsis Romanæ naufragio inſignes. Flagrante nanq; primo bello Punico octoginta ſupra ducentas Romanorum naues in ijs littoribus illiſæ naufragium horrendum fecerunt, vt lib. 1. teſtatur Polybius, & nos exactius in hiſtorijs.

DE MINOA, ET HERACLEA VRBIBVS, CAPVT SECVNDVM.

HIS rupibus caput album ſubſequitur. vbi vrbs vetuſta, Minoa prius, & ſubinde Heraclea dicta, vt author eſt Liuius, interijt, Anno mundi. 4000. (vt ſupputat Euſebius) à Cretenſibus poſt mortem Minois eorum Regis condita, vt lib. 5. his verbis refert Diodorus: Cretenſibus, qui defuncto in Sicilia Minoe abſq; imperio remanſerant, inuicem diſsidentibus quidam, qui Sicanis aſſueuerant, contempta patria in Sicilia manſere. Horum pars ciuitatem condidit; quam ab eorum Rege Minoam dixerunt. Et lib. 6. Dion (inquit) Zacyntho duabus nauibus acceptis cum diſceſsiſſet, prætернauigans Agrigentinos Minoam vrbem tenuit. Ea vrbs ſuperioribus annis à Cretenſium Rege Minoe fuerat extructa, quo tempore perſecutus Dædalum vſus eſt Cocali Sicaniæ Regis hoſpitio. hucuſq; Diodorus. Quibus verbis non ſolùm eam à Cretenſibus conditam; ſed poſt Agrigentum etiam ad occidentem ſitam fuiſſe Diodorus tradit. Dion etènim cum è Zacyntho Græciæ inſula (Zantes vulgò hodie dicta) quæ ab oriente Siciliam reſpicit, nauibus ſoluiſſet, non aliter prætернauigans Agrigentum Minoam tenuiſſet; niſi Minoa Agrigentum ad occidentem

Digitized by Google

tem ſequeretur, Et Plutarchus in Dione in hanc ſententiam habet: Dion ſuperuacuis armis, & ſarcinis in Minoa relictis, vt ea Synalus, qui præfectus erat vrbis, ad ſe vbi tempus eſſet, tranſmitteret, Syracuſas verſus recto itinere proficiſcitur. Agrigentum igitur prætergreditur: atq; ducenti Agrigentinorum equites, qui Ecnomum incolebant, ad Dionem ſeſe conferunt. Et poſt eos Geloi, ac deinde illi commeanti Camerinęi quoq; ſeſe ſocios adiungunt. hæc Plutarchus. Ex quo Dionis è Minoa ad Syracuſas itinerario eã poſt Agrigentum ad occidentem ſtetiſſe conſtantiſsimum eſt. Quod verò Minoa Heraclea poſtea fuerit appellata de. 2. bello Punico lib. 4. Liuius ſcribit. cuius hæc ſunt verba: Per idem ferè tempus & Himilco, qui ad Pachyni promontoriũ claſſem diu tenuerat, ad Heracleam, quam vocant Minoam, quinq; & viginti milia peditum, tria equitum, & duodecim elephantos expoſuit. hæc Liuius. At quod Heraclea inter Agrigentum, & Thermas coloniam, quę nunc Sacca eſt, ſita fuerit, conſentiunt coſmographi ferè omnes, Strabo, Ptolemæus, & P. Mela. Et Strabo quidem in hunc modum: Hinc, hoc eſt à Lilybeo, cum ad contiguum Latus deflexeris, ad Heracleam quidem ſunt ſexaginta quinq; p. m. ad Agrigentum verò inde Emporium viginti. Ptolemæus autem poſt Agrigentum occidentem verſus Heracleam ponit in tabulis, & ſunt hæc eius verba: Lilybœum, Mazaræ, Selinuntis, Pintia, Heraclea, Agrigentinum Emporium. P. quoq; Mela in hunc modum habet: Inter Pachynum, & Lilybœum, & Agragas eſt, & Heraclea, & Thermæ. Ex hiſtoricis verò Diodorus lib. 20. ſic habet: Agathocles parta victoria Agrigentinorum agris mouens Selinuntem petijt. Sed inter eundum Heracleenſes à Xenodocho libertate antea donatos rurſus ſibi ſubiecit. hæc Diodorus: Longè igitur Terranouenſes cum Regibus, qui in eorum errorem publicorum diplomatum teſtimonijs conſentiunt, aberrant, dum Terranouam oppidum Heracleam fuiſſe ſibi blandiuntur. Heraclea non eadem cum Minoa, neq; eodem tempore condita eſt, neq; ſimul cum ea floruit: ſed deletę ab incertis nobis authoribus Minoæ ruinis, à Dorieo Lacedæmone Heraclidarum vno ſuperſtructa eſt, vt Herodotus lib. 8. & Pauſanias lib. 3. teſtantur. Cum enim Hercules occiſo Eryce ea ſeruitutis lege regionem illam obſtrinxiſſet, vt ſuis in poſterum, qui in Siciliam aliquando deferrentur, pareret: anno mundi (vt in ſupputationibus teſtatur Euſebius) 4780. Dorieus Anaxandridæ filius genere Heraclidarum ſatus cum ſuorum colonia in Siciliam veniens ſuper Minoæ proſtratæ vrbis monumentis ciuitatem condidit. cui à ſuo genere, ſuoq; Rege Hercule, Heracleę nomen indidit, vt abunde nos in hiſtorijs. Heraclidæ (inquit Ariſtophanes referente Pauſania) enm propter paupertatem Athenis, & alijs Græciæ partibus habitare commodè non poſſent, & nobiliſsima eſſent familia, Siciliã venerũt, & Heracleam vrbẽ condiderũt. hæc Ariſtophanes. Ea tamẽ, quòd inconſtans ſub conditore haberet dominiũ, multasq; perpeſſa ſit mutationes, confuſo poſtea nouo cũ veteri nomine promiſcuè ab authoribus denominata eſt. quippe quæ cum non magna à paruis principijs ſuſcepiſſet incrementa, à Carthaginenſibus tum inuidia, tum metu, nequando viribus aucta Phœnicum imperium ob vicinitatẽ deleret, ſimul & à Segeſtanis expugnata, atq; occiſo Dorieo euerſa ſit. At non multo pòſt cum Selinuntij, qui ad. 30. ferme. p. m. vicini erant, ſuorum eò colonia adducta eam incolerent: Eurileon, qui cum Spartanis quibuſdam ex infœlici illa cum Phœnicibus, Segeſtanisq; pugna ſupererat, pulſis inde Selinuntijs, eam recepit, vt lib. 5. Herodotus memorat. Vendicauit & eius ſibi imperium Dionyſius Syracuſanorum Tyrannus, vt lib. 12. refert Athenæus. Agathocles ſubinde cum ab imperio deſciuiſſet, magna vi eam agreſſus, diripuit, ſubiecitq; Diodoro lib. 20. Porrò Romanis Siciliæ imperantibus, cum habitatoribus ferè ob diu quæ perdurauerant bella, viduata eſſet: P. Rutilius. Coſ. per

ſenatus conſultum

Senatus consultũ decretã illuc deduxit coloniã, legesq; illis dedit de cooptando senatu, & ad seditionem euitandam statuit quoq; ne nouorum colonorum numerus veteres excederet, vt. 4. in Verrem scribit Cicero. Cuius eam ætate extitisse vel ex ea mentione satis conpertum est, hodie verò prorsus iacet, Erat autẽ duorum ferè . p . m . ambitus, vt eius prostrata ostendunt moenia, quorum circumquaq; cernuntur fundamenta: sita in rupe paulisper edita, & vndiq; sed ea præsertim parte qua fluctibus pulsatur celsis rupibus præcisa, & natura munitissima. Porrò in ea hodie nihil integrum veteris ædificij visitur. Sed tota aratur, laterumq;, ac fictilium vasorum fragmenta singulis ferè annis aratro passim eruta obijcit. Ad vrbis medium subterraneę specus manu factæ adhuc sunt duæ: quæ vtrum cisternę fuerint, an sepulchra, incertum habemus. Qua vrbs aquilonem spectat, tumulum habet, ad cuius verticem arx erat, Castellatium hodie dicta, quæ diruta cernitur. Vrbem ipsam, quà occidentem respicit, per centum circiter passus Lycus fluuius Diodoro lib. 16. & Plutarcho in Timoleonte Platanis hac ætate appellatus, præterlabitur. A moenibus vrbis ad Lycum vsq; aquæ ductus integer adhuc extat, quadrato sed gypseo lapide, quo ea regio plurimum abundat, extructus. Monumenta vrbis reliqua cum forma careant, ignoratur ad quem vsum fuerint cõfecta. Pro moenibus complura in viua ipsa rupe excisa adhuc granaria mari imminent: in quibus Heracleenses frumenta etiam in annos seruabant. Fuit etenim olim Heraclea frumenti Emporium nobilissimum, vt primo lib. tradit Polybius, cum annonam inde ad Lilybœum primi belli Punici tempore affatim delatam refert. Visuntur præterea infra vrbem in ipsa quoq; rupe effossa integra adhuc horrea littori hærentia. Sed & ad ipsum littus in subaquaneis scopulis stationem Heracleenses ferris excuderunt, quò tuto ad frumenta deuehenda, nauigia littori adhærere possent. Ad vrbis extremum, quod mari supereminet, turris est hodie, specula Capitis albi appellata, tum quòd tota ea moles lapidea, cui vrbs superstructa erat, albi est coloris, qui eminus per quinquaginta ferè miliaria discernitur, tum quòd aliquatenus veluti promontorium in mare procurrit, quod caput siculi hodie appellant. Situs vrbis adeo est oculis gratus, & vitę humanæ accommodatus, vt Siciliæ Reges mirari satis non desinã, cur eam tã fœdè in interitum prolabi permiserint. Lycus amnis pro moenibus ostium aperit, mareq; ingreditur: priscorum scriptis celebratus ea potissimum causa, quòd Syracusanis, & Carthaginensibus pro imperij termino à Timoleonte fuerit definitus. A cuius sinistra prominet ad iactum lapidis vrbs ipsa iacens, Bissentia hodie ab accolis dicta: sed à dextra subiacet ei planicies ingens, S. Petri abedicula eius nominis cognominata, culturæ peridonea, & fluuialibus aquis irrigua. Quam stante adhuc Heraclea vinetis, & hortis consitam fuisse non est ambigendum: Ager enim hic latissimus tritici etiam feracitate præstat. Sed & Lycus ipse, qui plurimas olim vrbi commoditates suppetebat, piscosus etiã num est hodie: anguillarumq;, cephalorum, ac alosiarum largam habẽs capturam. Oritur inter Castrum nouum, & Camaratam noui nominis oppida ex paruis quidẽ fontibus. Quibus se primùm aliquatenus exilis, ac macer colligit. sed paulo pòst amne sancti Petri, qui ab æde illi sacra sibi nomen mutauit, maximè augetur. Subinde vallem ingentem longo tractu scindit, & molas frumentarias conuoluens Camaratam ad dexteram, & montẽ eiusdem nominis editissimum, ad sinistram verò in montibus Misilmerim (quẽ oppidani Montem mellis nescio qua ratione appellant) Suteram, Rayhalmutũ, Gructas, & Raphadalim à longè relinquit oppida. Dilapsus postea fluuiolum cognomento Salsum ex radicibus Montis mellis iuxta salis fodinas oriundum recipit,

recipit, & priori deinceps ammisso nomine Platanis appellatur. Decurrens deinde Muxaro Sarraceni nominis arce ad sinistram relicta Turbulo fluuio ad radices montis Camaratę meridionales prodeunte repletur. Deniq; multis ambagibus defluens hyeme adeo intumescit, vt inter immania Siciliæ flumina connumeretur: & ad Heracleam tandem in mare mutato sæpe ostio se exonerat. Isburi flu. Ptolemæo, quem Sarracenico idiomate Mayhasolum hodie vulgus nominat, post Lycum .4.p.m. interuallo ostium sequitur. Oritur hic iuxta Sanctum Stephanum recens oppidū. quo dextrorsum relicto ad .p.m.4. aquis, quæ ad Bibonam oppidum vbertim, & expluribus scaturiunt fontibus, augetur. Quem Rifesius deinde flu. ad montem eiusdem nominis emanans influit. Vbi Mayhasoli nomine susceptо in mare postea hoc loco sese effundit. Ad .p.m.5. ordine succedit Sosij flu. ostium Ptolemæo Calatabellottæ ab eiusdem Sarracenici nominis in editissimo monte sito oppido appellati. Caput habet ad Prizim oppidum ex fonte, cui Labro est nomen. & defluens Palatium Adrianum Græcorum oppidulum alluit, vbi ex fonte eiusdē nominis incrementa suscipit. Qui dilapsus inter angustissimas montium rupes ad sinistram Acristiam, desertum hodie oppidum, & Burgium Millusium, ac Villafrancam, ad dexteram verò Busachinum, Clusium, Iulianam relinquens oppida, fluuium ex fonte maximo, Fauara Calatabellottæ ob id appellato, quòd ad orientales eiusdem montis radices affluentissime ac periucundè emergit, intra sinum recipit. Inde per aliquot ambages delatus Triocalam vetusti nominis, & belli seruilis initio infame, sed hodie deletum oppidum, ac Caltabellottam, & Misilicasimum postea arcem ad dexteram deserit, & mare ibi ingreditur.

DE THERMIS, ET SACCA VRBE.

CAPVT TERTIVM.

Vccedit post Sosium amnē.p.m.8. Thermæ Ciuitas Diodoro lib. 19. P. Melæ, & Plinio. Sacca hodie dicta: vnde & mihi F. Th. Fazello origo est.

S Hanc Thermas sine adiectione P. Mela, Thermas verò Coloniam Plinius nominat. Sed quorum hominum, quoue tempore, quibusq; ducibus huc fuerit deducta colonia, neq; hominum memoria, neq; authorum operibus, quæ quidem ad manus meas peruenerunt, cō pertum mihi est. Thermæ verò a priscis vocata est à geminis Thermis, quas natura in monte, cui subest, aqueam vnam, sudatoriam alteram progenuit. Vrbes porrò duas Thermas nomine in Sicilia fuisse à veteribus proditum est: ad Tyrrheni maris littus vnam, ex reliquijs deletæ vrbis Himeræ, ex qua nomen suscepit, alteram ad Lybici maris oram, quam modò describimus, excitatam. Hæc ad montis (vt dixi) radices sita est: quibus ille nō modo mari vicinus, sed ad mare etiam procurrens plures habet cauernas, vnde lutoso sulphure, sale, ignibus, & calentibus aquis abundat. Inde per totum montis tractum aquarum fœtor maximus, sulphur, & ignis, & aquarum calidarum scaturigines effluunt: quę simul natura collectæ apparatissimas conficiūt balneas, neq, vlla ex parte Baianis inferiores. Proinde cum ea, quæ sunt in hoc monte, inter naturæ miracula connumerentur, nullo modo prætereunda, sed planè ordine recensenda putaui. A mari cum montem ascendis ad iactum fundæ quatuor aquarum meatus paruo inter se spatio seiuncti, sed diuersas, propriasq; vires habētes per occultos naturæ cuniculos emissi occurrūt.

Quorum

Digitized by Google

Quorum ſulphureus latex eſt vnus, qui balneas natura feruentes, & arcanis naturæ myſterijs ſaluberrimas facit: quas thermas vocamus. vnde nomen, vſus, ac ornamentum ciuitati acceſsit. Hæ ſunt, quæ ante huius oppidi initia, cum ad Selinis oram emergerent, Selinuntinæ aquæ vocabantur, quarum lib. 6. Strabo meminit, easq; ſalſas appellat. Altera eſt ſcaturigo balneis proxima, quam Sanctam nuncupant ob id, quòd ſemel pota, quaſi ſancta naturæ vehementia corpora laxet. Nec procul abeſt tertia potabilis, quam idiomate Sarracenico Rabuyhanam nunc dicunt. Quarta ad iactum fundæ ab ijs Heracleam verſus refugiens ſalſas ferè, & tepidas habet aquas, ad vlcera deſiccanda præſentiſsimum præſtantes remedium. Hæ cum ſuo curſu in ſubiectum agrum fluunt, pedetentim per ſe in numeroſam, ſubnigram, aſperam, ac poroſam lapidum congeriem rigeſcunt, quibus ad fornices, teſtudinesq; operum Saccenſes vtuntur. Id quoq; miraculo dignum eſt, quòd exhauſtus lapidum effoſsionibus ager, temporis ſucceſſu per dilapſos continuè latices nouis ſubinde lapidibus, ac quaſi repullulaſcentibus, nouam foſſoribus, fabricisq; materiam progignit. Porrò diuerſitatis in hac aquarum vicinitate hæc à phyſicis perhibetur ratio: quòd licet crateres, è quibus effluunt, q̃ minimo à ſe inuicẽ ſpatio diſsideant: interiores tamen, qui theſauri ſunt aquarum, interuallis nõ ita vicinis cohæreant. Cumq; per diuerſas venas diuerſis etiam mineris imbuantur, diſsimilem inter ſe vel ſaporem imbibunt, vel contrahunt colorem. Caloris autẽ in omnibus cauſa naturalis eadem eſt, vapor ſub terris genitus, qui cum ſulphureus ſit, accenditur, aquasq; afficit materiæ beneficio, per quam fluunt. vt. 2. Metheororum lib. & de proprietatibus elementorum docet Ariſtoteles, & aquarum ipſarum odor guſtusq; teſtantur, & viuæ calcis exemplum, cui ſi aquam infuderis, ſtatim feruebit, ſatis indicat. At enimuero cur fons ille poſtremus lapideſcat, ideo fit, quòd calidus ſit, & vnctuoſus, vt Probl. parte. 24. c. 11. tradit Ariſtoteles. Lapis enim cum humoris defectu conflctur, qui calore potius, q̃ frigore deficit, & hæc aqua calida ſit, ac limoſa, & impura, fit, vt cum terram, aut ſolidum quodcunq; tãgit, hæreat, atq; affigatur. Vnde quoq; euenit, vt dum lapideſcit, pannos, truncos, & cætera id genus ſolida, quæ in eo agro reperit, ſecum agglutinet, induretq;, circumfunditur nanq; ab eis rebus limus. Quare & lapidem non fieri ex pura neq; terra, neq; aqua, ſed ex vtraq; ſic inter ſe mixta, vt alterum mole vincat, & Auicenna, & Magnus Albertus aſſeruere. Ab ijs aquis montem ſubeunti medio ferme itinere ſpecus rupi innata, à Tayhano Sarracenicè dicta dextrorſum obuia eſt, vnde voci etiam eminus emiſſæ Echo reſponſa expreſſa refett. Sed non procul inde ad montis latus mare ſpectans puteus eſt obliquus, & immenſus, vnde magnus effertur ſonus, venti ne ſubterranei, an laticis ad ima delabentis, incertum. Ad verticis ſpondam foramen quoq; eſt montis viſcera penetrans, ex quo etiam perpetuus effunditur ſonitus, aquæne etiam, an venti, adhuc ignotum; tametſi illius perpetuitas, & vniformitas aquas eſſe dilabentes indicare videantur. Ad verticis verò angulum ad meridiem obuerſum, & infra ædem ipſam ſacram tria ſunt antra in viua rupe exciſa. Quorum vnum, quod primum in occurſu eſt. D. Calogero colitur, ob id quod eius corpus ibi tumulatum creditur, proximum nullius rei memoria celebratur. poſtremum autem balneum eſt ſudatorium vetuſtiſsimum quidem, & non modo Sicilia, ſed tota Italia celeberrimum. In quo abſq; calentis aquæ vſu ſolo vapore perpetuo ibi ingenito, calentiq;, & ad varios morbos pellendos efficaci, ſudores ſtatim cum ingrederis, natura prouocat copioſiſsimos, eoſq; (vt ferunt medici; & rei vſus oſtendit) ſaluberrimos. Habet antrum ſedilia circumquaq; manu facta complura, in quibus ſudaturi ægri ſedent, literis quibuſdam, quibus cuiq; ſedi ſuus morbus, quem ſanabat, ſignificabatur, Phœnicibus ne, an Damaſcenis, cum neq; à Græcis neq; Hæbreis Chaldeiſq; legi vnq̃ potuerint, nobis incertum, inſcripta: quarum pleræq; vetuſtate carroſæ cernuntur. Eas

& Michael

Digitized by Google

& Michael Sauonarola in ſuo de balneis opere, & fama per manus ducta à priſcis medicis deletas Saccenſes affirmant. Antrum hoc cum anguſtius eſſet, quàm vt ægrorum hominum multitudini ſatisfaceret, cuneis, alijsq; ferreis inſtrumentis dilatatum eſt, vt adhuc ex multis ſignis conſtat. In eo ad dexteram ſpelunca eſt natura quoq; latiſsima: ad cuius aditus leuam naturalis eſt puteus profundiſsimus: quem plures, quod deſcenſus eius non præceps adeo, ſed propè placidus ſit, accenſis facibus, & funibus directi auſi ſunt perſcrutari. Cæterùm cum ad aliquot paſſus deſcendiſſent, ſtillicidiaq; calentis aquæ complura ex viua rupe vberrimè defluentia offendiſſent, & in viarum ambages primùm, ac deinde in anguſtias incidiſſent, horrore, metuq; à progrediendo abducti, ne ſuffocati interirent, ad ſuperna reuerſi ſunt. Hoc antrum à Dædalo architecto præſtantiſsimo cum ad Cocalum Sicanorum Regem profugiſſet extructum his verbis libro. 5. Diodorus teſtari videtur: Dædalus (inquit) tertiò edificauit in ora Selinuntina antrum, ex quo ita euaporabat ab igne fumus, vt aſtantibus paulatim ſudor ex calore eliceretur, curarenturq; cum voluptate adeuntium corpora nulla caloris percepta moleſtia. Quod quidem id ipſum fuiſſe eo argumento colligitur, quòd in tota hac ora Selinuntina ſudatorium nullum, nulliusq; alterius antri veſtigium cernitur: non quòd ante Dædalum nullum extiterit: ſed quòd ab eo paruum prius, anguſtumq; cognita eius efficaci virtute & latius redditum, & humanis vſibus ſit attributum. Mons etenim ipſe pleriſq; alijs in locis in parua preſertim ſpecu, Pucellarum hodie appellata, quæ ab hoc antro ad iactum lapidis orientem verſus diſtat, ſudat ſulphura, & vapores emittit. Quæ ſi ſcalpris excauetur, facilè ad balnei vſum, huius inſtar antri, perduci poſſet. Mons ipſe. D. Calogero, quem eò Petrus Apoſtolorum princeps ad dæmones expellendos quo tempore mons gimmariarum, quæ palmæ ſunt agreſtes & oppidum ipſum Sacca appellabatur legauerat, & re, & nomine ſacer eſt. Vbi & vitæ curſu ſanctiſsimè peracto mortem obijt. Cui ad verticem iuxta antrum ipſum templum ſuper erectum populo, & miraculis celeberrimum eſt. Quo Iunio præſertim menſe ex omni ferme Sicilia morbo aliquo afflicti ad balnea Diuo nuncupata confluunt: vbi præſentaneum experiuntur remedium. Quò factum eſt, vt & Xenodochium ibi ad ægros excipiendos ſtructum ſit. Sed ad Thermas Ciuitatem redeo, quæ monti ad occidentem paſ. propè. m. ſubeſt. Hæc priſco tempore locus erat humilis, & figulorum vicus, libro. 19. teſtatur Diodorus, & Trogus adſtipulatur: poſtea, colonia neſcio qua Nobilitata, vt ex Plinio oſtendimus. Sed proceſſu temporis pulſis per Normannos è Sicilia Sarracenis à Rogerio Siciliæ Comite muris, ppugnaculo orbiculari, & Arce veteri munita, non parũ decoris acceſsionis habuit. Quę ab eodẽ poſtea Iulettæ filiæ (quam vulgo gilettam appellabant) cum adiacenti regione conceſſa eſt, prout ex eius diplomate à Rogerio filio & Siciliæ Rege poſtmodũ anno ſal. 1100. confirmato, patet. Fuit Giletta Rogerij Siciliæ Comitis ex Adelaſia ſecunda eius vxore filia, & Rogerij Regis germana, quæ Roberti Zamparroni Comitis amores experta, cum eo a patre aufugit. At non diu poſt ſtuprum Zamparrono ipſi connubio iuncta, a patre benigne recepta, & hoc oppido donata eſt. Quo potita, ſtatim ad ſui facinoris expurgationem Aedem ſacram. D. Mariæ Magdalenæ titulo inſignitam a fundamentis ibidem erexit, atq; oppidi tutelarem & maximum templũ conſtituit. Erat Sacca eo tempore licet parua, & quæ vix mille laribus habitari poſſet, mœnibus tamen cincta: quę magna ex parte adhuc integra conſpiciuntur, ea regione, cui hodie Terra vetus nomen eſt. Ampliata poſtea fuit à Friderico ſecundo Sicilię Rege, & in eam ciuitatis formam, qua eſt hodie, redacta, mœnibusq; latioribus circunſepta anno ſal. ferè. 1330. Quę poſtremo cum iactu tantùm lapidis mari promineat, nouis muris, & propugnaculis ingentibus à Carolo Quinto Sicilię Rege munitior eſt reddita. Habet frumenti Emporium inſigne, quò trãslatũ

Heracleenſe

forma, & mira lapidum longitudine, craſsitudineq; ſtupenda templa ſunt iacentia, quibuſuis tota prope Europa non modò comparanda, ſed etiam ſuperiora. Quorum duo columnis ſtriatis, tertium planis ſubnixa hærebant. Eorum maximum Iouis Forenſis fuiſſe lib. 5. Herodotus, & 14. Diodorus teſtantur. His mox Selinis vetuſtiſsima, ſed hodie proſtrata vrbs, Terra pulicorum nunc dicta adhæret. Cuius ingentes ruinæ, admirandaq; ante oculos ſunt veſtigia. Sita fuit ea in pauliſper prominenti in mare, ac præciſo tumulo, quem ne voracitate vndarum, quibus à meridie alluitur, circa fundamenta corroderetur, ab imo circa vrbem quadrato lapide in ſummam ciuitatem murus magno ſumptu excitatus ſuſtentat: quo ſummoto vrbis latera corruere ſit neceſſe. Vrbi, fluuioq; etiam illam ad occidẽtem præterlabenti, Selinuntis veteres nomen indiderunt ab appio, quo circumpoſitus ager ætate etiam mea plurimum abundat. Selinon etenim græcè appium eſt latinè. Verg. autem Aen. lib. 3. Selinim palmoſam dixit à palmis aut domeſticis, quibus fortaſsis ſua ætate abundabat, aut ſylueſtribus, quas etiã nunc profert nobiliſsimas. Intra moenia duo viſuntur templa non adeo magna: quorum vnum ſtriatas habet columnas, alterũ verò planas, quod fanum ne fuerit, an prætoria domus, incertum eſt. Sed & arx in ea mari imminens adhuc viſitur: quæ etſi proſtrata ſit, cadauera tamen habet ingentia, & arcum vnũ hucuſq; perſtantem. Ruina tota vrbe ſparſa per multa iugera cernitur, calcaturq;, fundamentis, ſubſtructionibus, & domorum monumentis omnem ferè eius partem occupantibus. Hæc non ſolùm priſca ætate inter magnas, ſed etiam inter magnificas numerabatur; vt ex ijs, quæ multa eius durant, apparet, & hiſtoriæ docent. Hanc vrbẽ & eius oram primos omnium Phœnices tenuiſſe refert Diodorus, quibus poſtmodum pulſis ãno mũdi. 4554. (vt ſupputat Euſebius) & centeſimo poſt Megarã (vt lib. 6. Thucydidi placet) Megarenſes Siciliæ indigenæ duce Pammilio incoluerunt. Megarenſes (inquit) anteq; à Gelone expellerentur, centum, poſtq; illic habitare cœperunt, annis, Selinuntem miſſo illuc Pammilio condiderunt. Hanc cum aliquando ex adiacentis ſtagni Yhalicis fœtore peſtis vehementius graſſaretur, Empedocles philoſophus Agrigentinus aquas duobus è propinquo amnibus proprio ſumptu per arctã, & manu factam foſſam, in ſtagnum immiſit, quo ex congreſſu aquarum dulcium purgato, lues ceſſauit. Quocirca ei à Selinuntijs tanq; ciuitatis liberatori, diuini honores prouenere, vt lib. 8. tradit Laertius. Porrò vrbs ipſa ſub initia adeo coaluit, vt Heracleam, quæ & Minoa erat, occiſo à Phœnicibus, & Segeſtanis, Dorieo, & alijs (præter vnum Euryleontem) ducibus, qui cum eo in Siciliam venerant, per vim propriam occupauerit. Sed Euryleon collectis Spartiatis, qui reliquiæ poſt infandam Doriei cædem ſupererant, magna vi perditam vrbem aggreſſus expugnauit, eaq; pulſis inde Selinuntijs potitus eſt. Quare non multo poſt cum Pythagoræ monarchia vexaretur, inito cum Selinuntijs fœdere, vrbem Pythagoræ tyrannide liberauit: eoq; expulſo Selinuntis dominium ipſe inuaſit. At Selinuntii pauco interpoſito tempore impetu facto eum in Iouis Forenſis templo, quò confugerat, miſerè confoderunt; vt lib. 5. Herodotus memorat. Iouem Olympium Selinuntij maximè venerabantur, nec domi ſolùm templo forenſi extra mœnia illi extructo, feſtisq; ſolennibus religionẽ ei peculiarẽ, honorẽq; ſingularẽ deferebãt: ſed Altis quoq; anteq; à Carthaginenſibus duce Annibale fuiſſent ſubacti, & patria pulſi theſauro inſigni dotauerũt, In quo & Liberũ patrẽ, ore, pedibus, & manibus eburneis fuiſſe lib. 6. author eſt Pauſanias. Plura hanc vrbẽ cũ Segeſtanis ob finiũ cõtro

uersiam, & sponsalia quædam, bella gessisse, lib.6. Thucydides scribit. Sed paulo pòst anno ducentesimo quadragesimo secundo posteaq̃ fuit condita, à Carthaginensibus duce Annibale Gisconis filio expugnatam, atq; sexdecim Selinuntiorum milibus cæsis, & cæteris in captiuitatem abductis igne absumptam lib..14. Diodorus, & lib. .6. Pausanias prodũt. Paucis verò pòst annis ab Hermocrate Syracusano collectis qui ex tanta strage fuga euaserant, moenibusq; refectis, restituta est. Succedente deinde primo bello Punico Romanis adhærens, M. Marcello auxiliares milites contra Syracusanos misit, vt Polybius, & Silius scribunt. Strabonis verò ætate & hæc, & pleręq; aliæ in hac meridionali ora sitæ vrbes, ob perdurantia inter Romanos, & Carthaginenses bella, desertæ visebantur. postea tamen instauratam ius Italicum à S. P. Q. R. habuisse, hoc est tributi vacationem, & immunitatem, apud Vlpianum titulo de censibus in hunc modum legimus: Est & in Sicilia Selinis, & Traianopolis, quæ sunt coloniæ, & habent ius Italicum. Vrbs hęc, quæ mirandis cadaueribus prostrata Pulicorum terra à Siculis hodie dicitur, quæq; proculdubio Selinis est, quænam apud veteres fuerit, non solum mea, sed & maiorũ meorũ tẽpestate, Siculos latuit, prorsusq; ab omnibus ignorabatur vel ob id, quòd Mazaram, quæ sedes est hodie Antistitis, sequiturq; deinceps ad p.m.12. Mazarenses Selinuntem fuisse gloriabãtur. quos Volaterranus, & cæteri viri haud indocti secuti, in errorem ipsi quoq; prolapsi sunt. Nam cum Strabo, Ptolemęus, P. Mela, & Plinius nullã aliam præter Selinim in hac ora posuissent vrbem: eruditi, qui Mazarensium persuasionibus inducebantur, etsi mira huius vrbis cernerent monumenta; ne tamen falsa, siue incerta pro veris, certisue efferrent, quænam apud priscos hæc fuisset vrbs ignorare se ingenuè fatebantur. Imperita plebs nouo nomini alludens ob ea, quæ extra vrbem diruta, & ea stupenda visuntur adhuc templa, Pollucis vrbem, cuius nulla meminit historia, inscitè, ne dicam stultè asserebat. Ego verò cum ad veram eius denominationem peruestigandam complures, eosq; vetustissimos scriptores frustra peruoluissem, neq; mihi ipsi vnq̃ in communi opinione satisfacerem; distuli tantisper laborum meorum editionem, dum certiori aliqua cognitione plenior huius dubitationis fieret fides: indignum ratus si aut in ea ignoratione tam profunda conterraneos meos diutius versari, in qua tot ante me seculis consenuerant, aut tantam vrbem prorsus interire paterer. Hac cogitatione turbatus, cum anno sal. 1549 ordinis tunc mei Prouincialatus officio simul, & quadragesimali concione perfuncturus Mazaræ agerem, Selinuntis vestigia, quàm & ego vna cum vulgo Mazaram esse existimabam, nimio visendi studio accensus, moenia, ædes cũ sacras, tum prophanas, agros præterea, ac cætera omnia, quæ ad Mazaram vrbem pertinent, semel, iterum, ac tertiò perlustraui, vrbem circuiui, ac singula q̃ accuratissime animo simul, & oculis inspexi. Cumq; nullum antiquitatis vestigium, nihilq;, quod vetustatem prese ferret, reperissem: ab vrbis Iuratis, cæterisq; primoribus quæsiui, vbinam veteris eorum Selinutinæ vrbis essent ruinę. At illi cum nullas, vel minimas priscæ habitationis reliquias, quas mihi ostendere possent, haberent: percontatus sum quo authore, quòue argumento ducti, Mazaram Selinuntem esse didicissent. Cumq; ij nõnisi maiorum suorum opinionem, vocemq; in medium afferrent: hæsitare tunc primùm cœpi, suspicariq; eos ambitione potius, q̃ authoritate, falsò in Mazaram Selinuntem retulisse. In ea itaq; suspicione per tres annos versatus, tandem anno sal. 1551. .10. Cal. Octobris in .14. Diodori librum, qui nuperrime ad manus meas peruenerat, incidi; vbi Pulicorum hanc vrbem Selinuntẽ fuisse, & Mazarensum

errorem

errorem manifestè deprehendi, Diodorus enim ibi Mazaram aliam esse à Selinunte,& vlterius sequentem, expressè refert. cuius verba hæc sunt: Annibal acceptis Segestanorũ, aliorũq; sociorũ conductis militibus,soluẽs à Lilybæo Selinuntem versus proficiscitur. Cumq; ad Mazaram fluuium peruenisset, oppidulum, quod ad flumen erat, cœpit. Ad vrbem autem Selinuntem cũ postea appropinquasset, in duas partes exercitum omnem diuisit. appositaq; obsidione, collocatisq; machinis summa vi vrbis muros pulsabat: sex enim turres ingẽtes effecerat. hæc Diodorus. Quæ verba circa horã noctis quartam vt primum legi, sensumq; percepi, præ gaudio vix me continui, quòd ab interitu tantam vrbem excitasse mihi sum visus. Ex eo namq; Diodori contexu Mazaram Selinim non esse, sed occidentem versus sequi constantissimum est. At cum Pulicorum terra. p. m. 12. ad orientem Mazaræ in littore succedat, habeatq; admiranda vetustæ, ac Doricæ structurę vestigia; quis non videt Pulicorum terram Selinuntem esse? Neq; igitur cosmographi, & historici tantam hanc Pulicorum vrbem, qua nulla, præter Agrigentum, in meridionali latere celebrior fuit, præterierunt, vt Siculi perperam arbitrabantur: quo casu iure alioqui optimo incusandi forent: verùm exactè non solũ meminerunt, sed eius etiã primordia, ac res gestas, quas posteriori decade memorabimus, copiosissimè descripserunt. Neq; verò neganda est Mazarensibus venia, qui opinionis errore, non rapina tandiu falsum sibi Selinuntis nomen vsurpauerunt. Sed is demum posteritatis odio digniſsimus est, qui omnium primus tot ante nos hominibus improba, patriæ suæ extollendæ cupidine,tanti, tamq; diuturni erroris, veluti & ille alter in Terra noua, causam dedit. In vrbe quoq; agrisq; eius passim ærea, & argentea reperiuntur numismata, quibus ex vna parte anguis mulieris vbera sugens cum græca inscriptione: SELINONTION, ex altera verò canis (vt mihi videtur) imago expressa est. Quod etiam solum ad veritatis fidem astruendam efficacissimum est argumentum. Porrò à Sarracenis Siciliam inuadentibus omniũm prima occupata, & illis per Normannos postmodum expulsis, soló æquata est. Templa verò ipsa, quæ extra moenia sunt, ab Annibale Giscónis filio cum ipsa tunc vrbe prostrata fuisse lib. 14. Diodorus scribit, & nos latius in historijs. Hanc ad iactum lapidis Selinis fluuij Plinio, & Ptolemæo, q ordinẽ non seruat, Madiunis hodie dicti, sequitur ostium: à quo nomen vrbi inditum fuisse Duris Samius maluit. Oritur hic inter Partannã, & Castrũ veteranum oppida, quæ ab ostio. p. m. ferè. 5. recedunt, ex Fauara fonte, à Bigini arce quingentis tantum passibus distante; adeoq; affluenter emergit, vt statim rotandis frumentarijs molis sufficiat. Cui Biginis deinde fons illabitur, qui prisco tempore per aquæductus, quorum plura adhuc visuntur vestigia, Selinuntem, a qua. p. m. circiter. 3. ab est, deducebatur, atq; sic auctus mare ingreditur. Ab hoc ostio mille passibus, vrbis Selinuntinæ sepulchra sequuntur, mari 500. passus imminentia, quæ separata sunt, & longo tractu terræ condita, quadratoq; lapide circunsepta. Tres lapicidinas habet hęc vrbs vetustissimas quidem, & insignes, ex quibus lapides pro construenda, conseruandaq; tanta vrbe antiquitus sunt excisi. vna fluuio hæret ab vrbe p. m. 2. distans: altera ad aquilonem sita in loco, qui Bugilifer dicitur. 4. miliaribns ab vrbe distat: tertia ad occidẽtem illi sex. p. m. imminet, in loco Ramuxara Sarracenice cognominato, ex qua admirandæ, & insanæ illæ moles, columnæq; ingentes ad vrbis templa erigenda ornandaq; excisæ sunt. Visuntur adhuc in ea plures columnarũ moles circunciſæ, licet nõ euulsæ,nõ minori cum iucunditate, quàm vrbs ipsa, & prostrata templa. Sed & via, quæ ab hac lapicidina in vrbem du-

Digitized by Google

cit, quæq; tota hodie nemorosa est, magnis passim columnarum molibus, quæ à portantibus olim exciderant, maximam præbet conspicientibus delectationem. Tres hæ lapicidinæ non modò ab eruditis, sed & à rudi quoq; vulgo simul, & ab accolis Latumiæ ad hanc vsq; ætatem appellãtur. Nec admiratione caret, quòd ea vox cũ græca sit, tot annos & inter barbaras quæ Siciliæ postmodum imperarũt tot nationes, villicosq; ipsos, incorrupta perseuerauerit. Post Selinũtiorũ sepulchra promõtoriũ Granitulis, ac triũ fontiũ, qui ibi emergunt, & mare statim influunt, succedit: vbi & piscium larga captura. cui tumulus pauliſper editus interius ad. p. m. 3. imminet, Cozus appellatus. ad cuius verticem dirutæ arcis, quæ Castellatium hodie dicitur, extant ruinæ. Ad radices autem, quà spectat aquilonem, castrum est Perribayda, à quo ad occidentem. p. m. interuallo Ramuxara abest locus, vbi insignis lapidum minera est, cuius meminimus. Post tres fontes. p. m. 5. fluuij Arenæ ostiũ occurrit, id nomen habentis, quòd ad fauces circum iacentes albas teneat arenas. Sed paulò intus Deliæ nomine vocatur. cui sinistrorsum S. Trinitatis templũ incubat. Ortũ habet is amnis ex. 3. fontibus nõ longè à Salemi oppido emergentibus. Quorum qui. 3. p. m. ab eo recedit Rabicis nominatur. Alter qui pas. m. ab oppido distat, Gibelis. tertius, qui pari spatio ab eo abest, Gurgus donnę appellatur. Hi confluentes Salemis oppidi molendina voluunt, dein magno Salemis fluuio ex propinquis collibus hyemalibus imbribus collecto miscentur. Dilapsus Salemis amnis, Magni nomine amisso, Delia primũ, mox Biligerus, ac demum ad ostium Arenæ nomen accipit.

DE MAZARA VRBE.

CAPVT QVINTVM.

MAZARA (media producta) post Arenæ fluuium ad. p. m. 2. extat vrbs, quam mare alluit. hæc prisco tempore, cum Selinis staret, oppidulum erat, & Emporiũ ad fluuium, stagnumq; eiusdem nominis, situm, quod ab Annibale Gisconis filio nullo negotio captum ex lib. 14. Diodori, qui primus inter veteres eius nominis meminit, paulò superius retulimus. Processu inde ęui circiter annum sal. 826. à Sarracenis vnà cum reliqua Sicilia occupata, in eam vrbis formam, qua nunc cernitur, adaucta est, regioniq; nomẽ dedit. Eam deinde anno sal. 1080. Rogerius Normannus Siciliæ Comes superatis, ac pulsis è Sicilia Sarracenis, mœnibus cinctam, & arce munitam, cùm Panormo Robertus Guiscardus frater eius germanus potiretur, Regiam sibi cõstituit, decretoq; in ea Stephano Rhotomagensi primo Episcopo, ac æde cathedrali testudinata Seruatori extructa sedem antistitis (vt & est hodie) perpetuò eam sanciuit. vt eius diplomate dato Mazaræ anno sal. 1093. mense Octobri constat. Vnde adhuc vicinę, neq; adeo ab ea recedentes vrbes, etiamq; Panormus ipsa portam vrbis à Mazara appellatam habent, quà ea tum temporis frequentissimè adibatur. Quicquid enim habet dignitatis nõ adeo antiquæ, Sarracenis id, Normannisq; acceptum meritò feret. Nam quod tota ea regio ab Himera amne ad Drepanum vsq;, Vallis Mazaræ appelletur, id per diuturnam Sarracenorum Regis, & subinde Rogerij in ea habitationẽ obuenit. Hodie verò frumẽti, vini, olei, & pecoris exuberans est. Stagnũ illud maritimũ, quod eius mœnia occidentalia alluit, cùm per mille ferme passus in mediterranea protendatur, portuosum est, & paruorũ nauigiorũ capax. quod ideo (ni fallor) à Diodoro, & Ptolemæo

fluuius

fluuius appellatur, quia fluuiolus è mediterraneis duobus fontibus à Salemi oppido. 3. p. m. distantibus, quorum vni Sanagia, alteri Rapicalidus est nomen, exortus, dilapsusq; in illud influit: à quo & oppido nomen fuisse impositum authores scribunt. Mazaram vrbem, & stagnum ad mille passus promontorium Caput fœtus vulgo, Caput fœderis eruditis nominatum sequitur. quòd Africæ littoribus reliqua Sicilia propinquius esse nautæ prædicant. A quo deinde p. mille Turris est Sibylliana à Sibylla Cumæa, qua Lilybœum nobilitatum perhibetur, appellata. Et vlterius fluuij Marsalæ est ostium, qui p. m. quinq; à mari recedens caput habet ex pluribus fontibus, quibus ab ipsa re Caput fluuij nomen inhæret, augeturq; mox à fonte maximo Fauara nominato. A capite is amnis vsq; ad fauces domesticis quorumuis fructuũ arboribus est refertissimus. ad cuius etiam capita, tractumq;, qui inde ad vrbem vsq; protenditur, aquæductus lapidei magna parte diruti adhuc visuntur: quibus hæ aquæ olim ad Lilybœum vrbem, quæ non procul inde abest, deducebantur. Sed hactenus de meridionali latere. nunc septentrionale describamus.

F. TH. FAZELLI SICVLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS, PRIORIS DECADIS.

LIBER SEPTIMVS.

DE LILYBOEO, TERTIO SICILIAE PROMONTORIO, VRBE, ET PVTEO.

CAPVT PRIMVM.

LILYBOEVM tertium Siciliæ promontorium sequitur Zephyrum, & Libyam, à qua p. m. 127. dissidet, respiciens, tribusq; p. m, sub aquis protensum, cuius saxa, quòd tribus ferè cubitis mari tegantur, cæca vocat Vergilius Aen. 3. Saxis Lilybeia cæcis, flexo littore brachia dextrorsum representat, & portum ibi facit natura tutissimum, atq; amplissimum. Ad quem quia per stagna, quæ hac etiamnum ætate ante vrbem, quà mari alluitur, occidentemq; spectat, apparent, nauigantibus erat iter, difficilis admodum olim ingressus, nec nisi peritis, expertisq; obtinendus patebat, vt lib. 1. Polybius scribit. Fauces autem eius hodie iactis in profundum molibus, quarum adhuc magna ibi congeries spectatur, nullis nauigijs subiri possunt. Cuius obturationis Romani pulsis aliquando Carthaginensibus, Captaq; vrbe feruntur authores. In hoc promontorio vrbs eiusdem nominis olim erat mœnibus, fossis, ac ipso portu munita, vt idem Polybius refert, condita à Phœnicibus longo tempore post Selinim. De qua in hunc modum lib. 14. Diodorus: Annibal (inquit) Giscónis filius ingenti classe Africo mari permenso contra Selinim vrbem veniens ad promontorium Lilybœum, quo in loco longo pòst tempore eiusdem nominis à Phœnicibus ædificata est ciuitas, exercitum omnem exposuit. Vnde Cic. in Verrem Lilybœos quidem barbaros, vrbem verò ipsam. 7. splendidissimam vocat.

quippe

Eius quippe situs & terra, & mari iucundissimus est. Nobilitata verò fuit Sibyllę Cumanæ incolatu, atq; sepulchro, illius nimirum, quæ duo volumina, parcius Tarquinio Prisco pretium offerente exussit. Vnde Solinus: Lilybœtano (inquit) promontorio Lilybœum oppidum decus est Sibyllæ Cumanæ sepulchro. Diodorus autem lib. 5. & Macrobius libro Saturnaliorũ, nõ modo vrbem, sed puteum etiam Lilybœum celebrant. De quo plura fabulatur antiquitas. sacer nanq; apud superstitiosos erat veteres: è quo bibentes statim vaticinari videbantur. Quod opus dæmonum fuisse, qui coniecturis futura prædicere aliquando censentur, Christianus nemo dubitat. Puteus, is planè est hodie, qui in templo. D. Ioannis Baptistæ ad verticem promontorij magnificè extructi visitur: Vrbs verò etsi defecerit (quod per quem contigerit, hactenus ignoratur) mœnia tamen & aquæductuũ, ædificiorumq; nobilium, & pleraq; alia sui non obscura reliquit monumenta. Sed & promontorium ipsum in parte nomen adhuc retinet. Caput etenim Boéi, & ædes in illo sacra à S. Ioanne de Boeo habet nomen. Quæ tandem anno sal. 1555. sub maioris tuitionis vrbis prætextu à CAROLI CAESARIS ministris minus accuratè solo æquata est. Anno quoq; sal. 1556. cum ad noua vrbis propugnacula excitanda inter eandem ædem, & mœnia nouæ vrbis fundamenta foderẽt, in solum marmoreis tabulis stratum longũ, & pro ratione latum, atq; marmoreas aquarum pilas, & aquæductus ingentes inciderunt: quibus aquæ Rayhalia, Yhadidis, & Sultanis Sarracenicè hodie dictæ, quæ ad aquilonem. p. m. 5. ab vrbe absunt, in Lilybœum deducebantur. existimatumq; est spatium illud marmoribus stratum Lilybœi vrbis olim fuisse forum. Lapicidinæ complures sunt extra vrbem subterraneæ, & instar humanæ habitationis latissimè excauatæ: Scribit Strabo lib. 6. virum quendam, cui Strabus erat nomen, adeo perspicaces habuisse oculos, vt è Lilybœo hoc promontorio, classem è portu Carthaginensi soluentem conspicatus, nauium numerum, velorumq; seriem dinumeraret. Quod Valerius, Plinius, & Solinus à Varrone mutuati etiam tradiderunt. Sed & hodie sereno cœlo à Yhadidi loco paulisper extra vrbem edito caput Africæ, quod Bonum hodie, sed Mercurij promontorium veteres appellarunt, cernitur. Hæc vrbs cum Romanis primo bello Punico, cum Carthaginensis esset imperij, plura bella gessit, à quibus tandem capta est, vt in. 1. lib. Polybius, & nos in historijs. Super ruinis Lilybœi vrbis Marsala ciuitas processu temporis fuit erecta. Sed à quibus, & quo tempore fuerit condita, etsi nobis sit incertum: à Sarracenis tamen non desunt, qui asserant eam & excitatam, & nomen adeptam, vel ob id, quod Marzala Sarracenicè, Portus Dei est latinè. In domo quadam huius nouæ vrbis ruinis affecta lapidis marmorei fragmentum latinis his literis inscriptum hodie legitur.

L. CAESAR F. L.
VALENTINI.
PRO FOELICI SEMPER AVGVSTO
M. VALERIVS QVINTIANVS.
V. C. CON. P. S. CLEMENTIAE
PIENTIQVAE
EIVS SEMPER DICATISSIMVS.

Hic galli, & gallinæ cæteris tota Europa, & Africa magnitudine præstant. quam eos vel à soli natura, vel à pastu, vel ab ipso deniq; cœlo adipisci censendum est. Quod sanè mihi fit verisimile vel hoc experimento. Cum enim anno sal. 1517. à militibus Hispanis, qui ad sedandos Siciliæ motus, ob Ferdinandi Catholici Hispaniæ, & Siciliæ Regis obitum exortos, menses quinq; oppidanis expulsis Marsalam incoluerant, quicquid ibi vsq̃ gallinarum erat, deuoratum esset, regressisq; ciuibus restituendo ibi earum fœtui aliquot coniugum paria è vicinis

oppidis

oppidis transportata essent, natos ex illis pullos vidimus paulatim agente cœlo, ad priorem excreuisse corporum magnitudinem. Marsalę deinde ad flexuosum littus stagnum adiacet Stagnonum vernaculè hodie dictum; vbi quinq; paruulæ sunt insulæ, & Salinæ complures. Quibus deinceps caput S. Theodori Burruni vulgo nominatum (vtroq; enim nomine vocatur) statim præstò est. Vbi thynnorum præcipua per singulos annos exercetur captura. Huic vlterius Acithij amnis Ptolemæo, Birgis hodie appellati ostiũ succedit. Emanat is flu. ex duobus fontibus sex p. m. à Salemi oppido emergentibus, altero S. Georgij, altero Maniadaino. In conspectu huius oræ, quæ inter Lilybœum, & Drepanum p. m. 18. interiacet, in pelago tres insulæ sunt propositæ velut obiectæ moles. Eguſa, Sacra, & Probantia Ptolemæo, & Plinio, Fauognana, Maretimus, & Leuansus hodie vocatę. De quibus diffusè suprà lib. 1. c. 1. diximus. Et in Euripo paruula insula Formicarũ interiacet. In tota hac ora salinæ sunt plurimæ: in quibus effuso mari salæstu concoctum gignitur: ex quo Drepanitę immensum faciunt quęstum. Cæterùm Ptolemæus hic Egythansum promontorium, & Segestanum Emporium nõ rectè posuit in tabulis, cum Drepanum non præcedant, sed sequantur.

DE DREPANO VRBE.

CAPVT SECVNDVM.

DREPANVM p. m. 18. post Lilybœum sequitur, Vrbs insignis hodie, populo, & nauibus frequens. A quibus verò, & quo primùm tempore fuerit condita, ab authoribus, quorum opera habemus, non est proditum. Sita est in Chersoneso, & ad eius curuum littus. vnde Drepanum, quod curuum, siue falcem græcis sonat, est denominata. quanq; Græci etymologiam nonnihil conuertant: qui sic appellatam eam volunt, quòd Saturnus Cœlio patri virilia cum amputasset, falcem cruentam, quam drepanon vocant, in hunc locum proiecerit. quo postea vrbs condita Drepana fuerit vocata. Porrò Græcorum fuisse ædificium, veluti & Erycem Troianorum, ducta per manus fama docet. Quod ipsum quæ inter Erycinos, & Drepanitas inueterata est simultas, quorum illi Drepanitas contumeliosè Græcos appellant, probare videtur. Habet portum insignem, & Aeneæ accessu Verg. 3. Aen. referente, nobilitatum. In quo scopulus non adeo exiguus arci vetustissimæ, sed ætate mea restauratæ, quam Columbaram vocant, quæq; apud eos vetustatis significatione in prouerbium abijt, locum dedit. Primo bello Punico fuisse vrbem honestam, & illi bello satis accommodam, lib. 1. Polybius indicat. De qua & Cornelius Nepos in suo de viris illustribus libello, quem Plinius secundus imitatur: Attilius (inquit) Calatinus dux Romanorum aduersus Carthaginenses missus à maximis, munitissimisq; ciuitatibus Enna, Drepano, & Lilybœo hostilia præsidia deiecit. Eo tamen tempore non illius fuisse magnitudinis, qua hodie conspicitur, mœnia vetustę habitationis satis ostendunt. Mea nanq; ętate quatuor ferè larium milibus incolitur, & maximis mœnibus, propugnaculisq; a CAROLO CAESARE Siciliæ Rege munitissima est reddita. Chersonesus præterea, ad quam sita est, dum hęc scriberem, in insulam, arcemq; Siciliæ tutissimam redacta est. Inter Drepanum & Heliam insulam vti olim, ita & hodie corallium gignitur laudatissimum, vt lib. 32. c. 2. Pli. scribit, & vsus rei testatur. Drepanense mare omni genere piscium refertissimum est; locustis præsertim, quos carabos appellat Aristoteles. Sunt autem crustacei, rubenti corpore, aculeato, & aspero, collo extenso,

tenſo, & pluribus pedibus, quibus forcipes deſunt. Abundat quoq; gammaris, qui leo eſt apud Pli. & parum à locuſta differens. In agro Drepanitano ad radices Erycis montis argenti eſt minera, quam vulgò Argenta hodie appellant: licet eius vſum minimè exerceant. Portu Drepanitano emenſo, duo occurrunt ſcopuli: quorum vni Bonum conſilium, Porcorum alteri eſt nomen. Et mille propè ſequenti ordinem paſſus turris S. Iuliani occurrit ad littus. Et paulo pòſt non longe à littore paruula eſt inſula ab Aſinello dicta.

DE ERYCE MONTE, ET VRBE.

CAPVT TERTIVM.

DREPANO ad mille ferme paſſus interiacente planitie, quæ Cherſoneſi Drepanitani iſthmus eſt, quem Auſter vehemens frequenter infeſtat, Eryx mons apud poetas, & hiſtoricos celebratiſsimus imminet. Quem ſubeuntibus templum D. Mariæ Annuntiatæ, & Carmelitarum adiunctum illi cœnobium tota Sicilia celeberrimum occurrit. Mons hic ſolus ſine alterius cuiusq̃ montis conſortio perſtans maris fluctibus, quà Italiam ſpectat, alluitur. atq; altitudine, excepto Aetna & Nebrodide, omnes Siciliæ montes ſuperat. Potiſsimo anni tempore nube cooperitur; ideoq; tum neq; ſole, neq; ſereno cœlo fruitur: aeris nihilominus tantam habet clementiam, vt ad centum & viginti ferme annorum ætatem ibi plurimi incolæ peruenerint. vnde aui, proauiq; veteres fabulas, ſermonesq; maiorum iuuenibus enarrant. In eius vertice planities eſt, vbi olim Veneris templum erat. omnium ornatiſsimum, atq; opulentiſsimum. Et paulo infrà, vrbs eiuſdem nominis adhuc eſt, difficilimam habens expugnationem, vt lib. 1. ſcribit Polybius. Quæ licet ab editiſsimo monte pendeat, puteos tamen perennes habet plurimos. Sed & vnaquæq; domus pro ratione ciſternam oſtentat. Hanc Erix, Butis, qui Bebrycia ob tyrãnidem pulſus huc confugerat, & Lycaſtæ filius, à fundamentis erexit, & vnà cum monte ſuo nomine inſigniuit. qui quòd Lycaſta mater ob inſolitam pulchritudinem ab accolis Venus appellaretur, Veneris filius ipſe quoq; eſt dictus. Cumq; decedente matre opibus, & imperio cæteros regionis heroas antecelleret, templum ingens in arce matri Veneri, quæ inde Erycinæ cognomentum accepit, condidit, dicauitq;: ac vaſis ſacris, & donis q̃ plurimis exornauit. Quod, mortuo Eryce, æuiq; curſu non ſolùm cultu, & donarijs non eſt imminutum, ſed mira etiam incrementa ſuſcepit. Nam præter hònores à conditore inſtitutos, Dædalus quoq; genere Athenienſis architectura præſtantiſsimus Minoem Cretenſium Regem fugiens, à Cocalo Sicanorum Rege exceptus, cum per abrupta præcipitis, & vltra modum ęditę rupis iter ad templum eſſet anguſtum, atq; difficile: in eo ſaxo mira arte murum duxit ampliſsimum: quò vię, atq; aditus ad ſacram ędem faciles ſunt redditi. Arietem quoq; aureum Veneri, & Eryci in templo tam eleganti artificio ſculpſit, vt viuus propè ab omnibus putaretur, quemadmodum Diodorus lib. 5. refert. Aeneas poſtea in Italiam cum pluribus Troianis veniens plurimum illud excoluit, doniſq; varijs decorauit, vt Thucydides lib. 6. & Diodorus lib. 5. commemorant. Siculi præterea multis pòſt ſeculis maxima religione, & ſubinde Carthaginenſes hac regione potiti, pientiſsimè coluerunt. Sed omnium celeberrimè Romani totam Siciliam adepti, ſignis argenteis, aureiſq;, ac anathematis etiam plurimis exornarunt. Quinimo & puerorum ludis, mulierumq; conſuetudine, abiecta triſtitia, ſolutiſsima hilaritate ſacra ibidem Veneri peragebant. cui captas quoq; in perpetuum miniſterium fœminas è Sicilia, barbariſq; gentibus, locataſq; etiam, conſecrarunt. Quarum deinceps multitudine templum

templum refertiſsimum ſemper fuit,vt lib. 6. tradidit Strabo. cuiq; (quod memoratu non eſt indignum) exacta à decem & ſeptem Siciliæ vrbibus numeroſi auri tributa in ſingulos annos decreuerunt: militesq; ducentos ad templi cu[illegible] diam perpetuò deſtinarunt. Deniq; & Romæ,ne è Sicilia decedentes,ta[illegible] ius Deæ memoriam obliterarent, duo ei templa ædificarunt. vnum ant[illegible] Collinam:in quo eius ſimulacrum quod M. Marcellus capta hac vrbe [illegible] Sibyllæ Cumanæ Romam tranſuehi iuſſerat, repoſuerunt. alterum in Ca[illegible] ad quod dedicandum Fabius deſignatus fuit,vt author eſt Liuius. Scribunt [illegible] Athenæus, & Aelianus lib. 1. in hoc templo priſco tempore ſtatutis quibuſdam anni diebus mille columbas apparere ſolitas, & ob id eos dies anagoges ab Erycinis appellatos, quod peregrinationis dies latinè ſonat. Credebat enim veſano errore ducta antiquitas quolibet anno eiſdem diebus Venerem ex hoc Erycino templo in Libyam proficiſci, eamq; abeuntem columbas comitari, & cum ea Libyam petere. Poſt nonum verò profectionis diem columba vna ex ijs, quæ Venerem vſq; in Libyam ſecutæ fuerant,ex alto veniens mari templum hoc volatu ingrediebatur, atq; feſtiua, vt aduentantis Veneris præiuntia, templum circumuolitabat: mox cæteræ columbæ vno agmine aderant; & templum ingreſſæ maximo plauſu templi parietes,tectum,& aras ipſas volatu ſuo circumibāt. Quibus viſis Erycini profundiſsimo gaudio,cantibus,conuiuijs,& omni hilaritate,ſimul & vniuerſus ex vicinis oppidis populus in Veneris honorem diem feſtum conceſebrabat:quòd columbæ aduentantis Deę vel certiſsimum eſſent indicium. Templum hoc cum vetuſtate poſtea collaberetur,auſpicijs Tyberij Cæſ.ex ærario pop. Romani reſtitutum fuit,poſtulantibus id Segeſtanis: qui cum illud à Troianis,ad quos & ipſi originem ſuam referebant, fundatum, inceptumq; propoſuiſſent, libentius ille reſtaurationis curā ſuſcepit,vt Suetonius in Tyberio, & lib. 4. Cornelius Tacitus memoriæ prodiderunt.Id tamē tēplū refert Strabo, ſuo tēpore vnà cum eius colonia deſertum fuiſſe. Steterat autem olim in ipſo monte, vbi arx eſt hodie vaſta,& ingens,& in rupe mirè excelſa,& præcipiti, ac amplo vetuſti operis ambitu, & magna ſui parte quadratis ex lapidibus ſtructa: in qua nullum quidem ſacræ ædis veſtigium in ſuperficie apparet: ſolum dūtaxat arcis excauatū plures & eos maximos ſubter prodit lapides. quin & foſſores in diuerſi coloris lapillulis teſſellatum incidunt pauimentum. quod Erycini templi monumentum eſſe non ambigimus. Lapis quoq; marmoreus ætate mea latinis his literis inſcriptus ibi repertus eſt. Deæ Veneri Erycinæ Dicatum. Vrbs ipſa mutato priori nomine adhuc extat,Mons Drepani vulgò appellata,ob id,quòd Drepano mons ipſe prominet. In archiuo autem regio Mons Sancti Iuliani hodie dicitur, quòd (vt fama per manus ducta Erycini prædicant) cum aliquando ea vrbs durè ab hoſtibus eſſet obſeſſa,repentè Diuus Iulianus, quem Baronem,& militem appellant,armis inſtructus ſuper mœnibus eſt viſus.cuius numine territi hoſtes partim fugati,partim verò non longè ab arce in loco,cui hucuſq; Foſſa Buſcainorum nomen eſt,mortui ſunt reperti, quo miraculo vrbs aſſerta,abinde cognomentum,& inſigne à Diuo ſuſcepit. apud eruditos tamen & vetuſtatis decus, & priſcum nomen incorruptum perſeuerat. Antiquitatis ſigna,quæ in ea adhuc viſuntur,huiuſcemodi ſunt. In ſingulis ædibus vetuſta, & pro familiarum proportione ciſterna eſt. Domus eſt collapſa, quam corruptè Piſcinam Apollinis Erycini appellant. Portæ vrbis duæ:quà Drepanum petitur vna, & altera à Spata dicta. Retinet & pleraq; alia veteris ædificij ex quadrato lapide veſtigia. Sed cum forma careant,quid olim fuerint, ignoratur. Nobilitatur autem vrbs hodie Alberti Carmelitæ ortu pij viri, & miraculis pręclari. Sed nos Eryce omiſſo itinerarium perſequamur. Ad radices Erycini montis quę mari alluuntur, poſt Drepanū vrbem ora eſt Bonagia vulgò appellata. Hęc eſt ora illa Aeneę illętabilis

Anchiſæ

Anchisæ genitoris interitu. Cuius sepulchro,& ludis funebribus fuit illustrata.de quibus lib. Aen. 2. &. 5. abunde tractat Vergilius. Ad quam oram & Dionysius Alicarnassæus templum ab Aenea Anchisæ conditum hac inscriptione refert: [illegible] terrestris, qui fluuij Numici vndas gubernat. Statio est in hac ora eiusdem [illegible]nis paruarum cymbarum capax, & tynnorum captura. Quam non longè [illegible] fons ingens,statimq; in mare procurrens à Buyhuto Sarracenicè nomi- [illegible]laxandam aluum potus semel efficacissimus. cui vlterius ad p. m. ferè. [illegible] caput cophani succedit. Et deinceps ad p. m. 5.Aegitharsus promontorium Ptolemæo,licet ordinē nō seruauerit,Caput .5.Viti hodie à tēplo huius Diui, qui ob Christi fidem vix anno ætatis suæ decimo tertio mortem fortiter oppetijt, ad scopulos sito,appellatum,occurrit. Id templum miraculorum fama celeberrimum,& confluxu hominum toti Siciliæ notissimum est.quod quisquis à cane rabido morsus inuiserit præsentaneum,& nunq̃ non verum habet remedium. Promontoriū etsi nullam hodie teneat coloniam ; puteos tamen exhibet perennes,& inter duos angulos in mare procurrentes,stationem habet nauium capacissimā. Cui à littore. 500. passus recedens incubat rupes quædam à reliquo monte diuulsa Conterrana appellata. quam vrbem olim fuisse, & terræmotu disiectam nulla authoritate,nulloq; signo vulgus prędicat. Hoc promontorium vbi se curuato littore ad meridiem deflectit,sinum tota Sicilia maximū , sed importuosum Gulfus castelli ad mare hodie vocatum,habet:quem duo efficiunt brachia. Quorum vnum ipsum est Aegitharsus promōtorium, & Caput Rami est alterum . Sed ab Aegitharso littoralia percurrēti ad p. m. 12. Cetaria succedit Ptolemæo,ita dicta quòd tynni quos cæte Greci vocant,ibi frequenter,& capiuntur,& sale condiuntur, Scupellus hodie nominata, pyratarum statio. vbi Placentini Friderici secundi Cæsaris ætate oppidum duce Obdone erexerunt. quo ob loci angustiam, & hostium maritimorum incursiones relicto,Corilionem in mediterraneis coluerunt, vt eius diplomate constat. Cuius oppidi ruinæ adhuc sparsæ cernuntur, sola turri eiusdem nominis specula perstante. Emporium Segestanum ad. p.m. 5. sequitur:quod p. m.32. a Panormo distare lib. 6. scribit Strabo . cuius minima apparent vestigia. Non procul inde Castrum ad mare oppidulum, frumentiq; Emporium , quod à Friderico secundo Siciliæ Rege, funditus euersum,hodie sola arce , & vico colitur, distat: à quo sinus iste ingens hoc tempore nomen suscipit.Crinisius deinde fluuius est Thucydidi,Diodoro,& Plutarcho,qui à Sancto Bartholomeo ab ædicula eiusdem nominis nūc appellatur.Oritur à duobus capitibus,quorū vnum supra Calatafimum surgit. Alterū à stricto Soricis & à Planitie Habitę. Ex quibus dilapsus Segestam, quam ad leuam relinquit,prętерlabitur: vbi frigidus vocatur. quo loco Timoleontis contra Cartahaginenses victoria teste Plutarcho in Timoleonte(cuius verbis & contextu hunc ipsum fl. Crinisium esse curioso lectori apertissimè constabit) factus est insignis . Augetur deinde primùm ex balneorum Segestanorum aquis,& mox Herbesi æstuantis fontis, qui Gurgus hodie nominatus fluuiolum Calidum appellatum statim facit,& molas conuoluit,congressum admittit: & sic auctus in mare erumpit. Nomen habuisse à Crinisio Acestis Regis patre pleriq; censent:etsi quòd altas habeat ripas Crinisium græcè dictum fuisse quidam contendant.

DE SEGESTA VRBE ET VICINIS OPPIDIS CAPVT QVARTVM.

IMMINET Crinisij ostio,& huic oræ ad meridiem p. m. 5. Segesta vrbs vetusta, in colle vndiq; prærupto iacens Barbara vulgò hodie appellata.id quod liquido ostendunt sulphureæ aquæ vicinæ Segestanę à Strabone appellatæ.

Herbesus

Digitized by Google

Herbesus fons propinquus, Segestanis ortus agris Solino. Crinisius fluuius Plutarcho, qui fluuius frigidus est hodie, vt diximus. Emporium ad oram situm, Segestanorum à Strabone nuncupatum, & tota hæc littoralis ora nominata à Thucydide libro. 5. & Polybio libro. 1. Segestana. Stupendæ præterea vetustissimi operis ruinæ, quas ibi esse in contextu recensebo, apertissimè identidem loquuntur. Huc accedit, quod Ptolemæus mediterraneam Segestam hoc loci ponit in tabulis, Fuit autem condita ab Aegesto Troiano, suadente Aenea, vt Dionysius Alicar. tradit. Laomedonte enim rerum in Ilio potiente cum quidam nobilitate clarus, cuius nomen scriptores non explicant, ab eo desciuisset, reus capitis cum omni virili stirpe condemnatur. Filias verò eius, quæ plures erant, cum hinc indecorum eas necare, inde Troianis nuptui dare minimè tutum Regi videretur, in Siciliam per mercatores peregrinos deportari iussit. Delatus forte fortuna fuerat in eadem naui adolescens quidam claro Phrygioq; etiam ipse genere ortus, qui vnius ex virginibus amore correptus matrimonio illi iungitur, simulq; in hanc Sicanorum regionem, quæ Drepana eo tempore dicebatur, deportati, benignè ab insulanis excipiuntur. vbi cum aliquandiu absq; sedibus habitassent: mulier illa infantem peperit, qui quòd in syluis, atq; inter capras fuisset editus Aegestus est appellatus, cum autem adoleuisset, Troiam mortuis Laomedonte Phrygio patre infœliciq; matre perrexit. vnde non diu post misero illius vrbis excidio fugere coactus, cum Elymo regij sanguinis socio Siciliam adhæc loca reuersus est. Quo cum profugus eodem fermè amore Aeneas fortunæ ventorumq; imperio ad eos delatus, restituendo Troiano nomini suasisset, vt vrbem sibi illic circa Crinisium fluuium vterq; vnam conderent: persuasi continuò Aegestus Aegestam, Elymam verò Elymus non longè ab ea sibi vrbes ædificarunt, suum quisq; suæ nomen indicentes. Quæ vt citius coalescerent: adijciendæ multitudinis causa ex ea gente, quam secum nauibus aduexerat, in vtranq; vrbem colonos adscripsit. Sed in Aegestam imbecilles tantùm, effœtosq; senes ac ægrotos ob aquas sulphureas, quæ circum ea loca sunt, congessit; quam quasi sub Elymi ditione esse voluit, tum quòd ob regalem generis seriem Elymo hic honos deferendus, tum q. augustior hic vniendæ ciuitati, conciliandoq; populo titulus videretur. Quocirca vtriusq; vrbis incolas Elymos vocari placuit. Quod ita breui tam auspicato principio inualuit, vt & finitimi, vniuersiq; illius regionis habitatores Elymi sibi cognomen vltro vsurpauerint. Nec ab his, quæ fusius Dionysius Alicarnasseus scribit, Strabo diuersum tradidit, cum Troianos à Philoctete ad Erycem vnà cum Phrygio Aegesta missos Aegestæ mœnia fecisse memorat. Nec Cicero ab eis dissentit; qui in Verrem. 6. Segesta (inquit) oppidum peruetus in Sicilia est: quod ab Aenea fugiente à Troia, atq; in hæc loca veniente conditum demonstrant. Cum quibus conuenit & Thucydides libro. 6. cum Troianos vrbe incensa profugos, & in hanc Siciliæ partem delatos duas has vrbes condidisse refert. Aegestani aliquot post annos Aeneæ templum in hac vrbe, honoresq; diuinos vouerunt, vt idem Dionysius refert. Philippo quoq; Buttacidi Crotoniatæ Doriei, qui Heracleam in Sicilia condidit, socio ob speciosissimam corporis formam heroico monumento extructo solennes sepulturæ ejus hostias obtulerunt. Quod nulli alij mortalium antea concessum fuisse libro. 5. scribit Herodotus. Sed licet vrbs prius à conditore Aegesta sit appellata: à Latinis postea qui Aegestanos sese appellari ignominiosum ducebant, quòd humile, & sordidum esset nomen, præposita litera. S. Segesta est dicta. Verùm cum hæc vrbs æui processu virium suarum, diuitiarumq; fiducia ab Agathocle Siciliæ Rege desciuisset: oppidanis omnibus apud fluuium Scamandrum interfectis, exulibus transfugis omniq; id genus turba à victore repleta est,

pleta est, quam deinceps non Segestam, sed Dicæapolim hoc est iustam ciuitatem, quod iusto in ciues eius supplicio animaduertisset, appellari iussit, vt lib. 20. scribit Diodorus. Siquidem ante id tempus validam fuisse, & cum finitimis non infœliciter aliquando pugnasse apud scriptores constat. Quo nomine & apud Thucydidem libro. 5. potens vocatur, cum ab ea Selinuntios superatos, victoriæq; non indignis trophæis claruisse commemorat. Refert ex Aristide Plutarchus in Parallelis in ea Aemilium Censorinum sæuissimum fuisse Tyrannum, qui si quis nouum cruciatus, aut tormenti genus excogitasset, eum donare muneribus solitus sit. Qua fama cum Aruntius Paterculus equum ex ære fabricatum crudelissimi inuenti inuentum sub magni præmij spe ei, quasi tyranno, crudeliq; ingenio dignum munus obtulisset: ille stupefacto, alienatoq; à tanta sæuitia animo, ipsum artificem, vt quam pœnam ille cæteris excogitasset omnium primus ipse subiret, in eo constrictum mox è Tarpeio monte præcipitem dedit. Erat Segestæ inter reliqua Deorum superstitionis signa Dianæ simulacrum ex ære singulari opere confectum in summa apud Segestanos veneratione (vt in Verrem Cicero tradit) amplum, & excelsum valde, cum stola, ætate, & habitu virginali, quem eius magnitudo ingens non adumbrabat, sed cum proceritate virginalis forma resplendebat. Pendebant ab eius humero sagittæ, sinistra arcum, dextra verò facem ferebat ardentem. Hoc signum à Pœnis Segesta cum suo nomine nulloq; hortante bellum mouisset superata, capta, disiectaq;, cum reliquis omnibus signis, ornamentisq; Carthaginem, cui magno id decori futurum fidebant, deportatum est. Quod post aliquot annos. P. Scipio iunior tertio bello Punico expugnata, dirutaq; Carthagine inde ablatum Segestanis reddidit. Qui eo beneficio affecti suis illud sedibus summa cum ciuium gratulatione, ac lætitia & in basi excelsa reposuerunt: eiq; in capite typis regijs. P. Scipionis Africani nomen, totiusq; liberalitatis historiam in perpetuum grati animi argumentum incisam adiunxerunt. Id deinceps cum Verres è Segesta sibi auferre decreuisset: ob maximam, qua ab omnibus colebatur, religionem, nemo neq; ciuis, neq; seruus, neq; peregrinus proprio loco ausus est dimouere. quod cum à quibusdam Lilybitis, eisq; etiam religatis, & mercede conductis conclamante senatu sublatum esset, matronæ, ac virgines Segestanæ omnes conuenere vnguentis perfusæ, thure, odoribusq; incensis furtum quasi totius vrbis funus vsq; ad agri Segestani fines multis cum lachrymis, gemitu, & eiulatu sunt prosecutæ. Hæc vrbs Romanis Siciliæ dominantibus libera erat: quam & cum populo Romano non solùm amicitia, & societate, sed cognatione quoq; cõiunctam fuisse in Verrem. 6. scribit Cicero. Eam verò quis post Carthaginenses pœnitus deleuerit, incompertum habeo. Huius cadaueris cum ante me nulla apud nostrates fuisset memoria: quippe qui Segestã magna vetustatis imperitia Conterranam fuisse crediderant. ex authorum collatione & argumentis apertissimis proprium nomen ab interitu à nobis vindicatum est. Habet adhuc antiquitatis monumenta visu dignissima. Vrbem enim, quæ ascensum habet non difficilem, licet angustum, & arte elaboratum, ingredientibus statim theatrum occurrit semidirutum, satium quoq; intra mœnia prisci operis monumentum, quadratis ex lapidibus, testudinatum, ac integrum propè supereſt; quod in Diuæ Mariæ cultum transabijt. Cæteraq; vrbis omnia magnis lapidibus prostrata, ac cisternæ plurimæ adhuc in dirutis domibus affectæ conspiciuntur. Sub vrbis verò mœnibus dextrorsum anteq; vrbem, ascendas templum Cereris est maximum nulla penè ex parte violatum, tredecim vtriusq; sublimibus columnis suffultum, in quo nihil præter tectũ desideratur, Cereris media producta ab imperitis vulgò hodie nominatum, Segestanæ vrbis prostratæ nobilissimũ vetustatis monumentũ. Extra mœnia id fuit cõditũ, quòd Cereris templa semp̃ angulis, ac secessibus, quo frequẽter hoies nõ cõfluebant,

fluebant, ex antiqua superstitiosæ religionis consuetudine (vt Vitruuius docet) constrúi solerent. Numismata etiam in vrbe passim à fossoribus, fabrisq; cæmentarijs fæpenumero ex ære, & argento reperiuntur, ex vna parte humani capitis græca cum inscriptione SEGESTANON, exaltera vero gallinæ (si rectè ex oculari animaduersione cognoui) signo incusa. Scaturigines aquarum sunt in his agris sulphureæ contra varios morbos vim secum afferentes. Absunt ab vrbe ad aquilonem mare versus. p. circiter mille balneæ, Yammeth Sarracenicè, quod balneas sonat latinis, licet corruptè, vulgò Calameth hodie appellatæ à diruto Sarracenorum oppido ibi olim condito, quod Normannis in Sicilia regnantibus extabat, vt Rogerij Comitis diplomate ostenditur, hac verò ætate ruinas tantùm demonstrat. De his aquis lib. 6. in hunc modum Strabo. Calidarum aquarum scaturigines habet Sicilia multis in locis. E quibus Selinuntiæ, & ad Himeram, salsæ sunt. Segestanæ verò potabiles, quod vsu etiam euenire sumus experti. Aquæ etenim hæ licet calidissimæ sint, & sulphureæ, quia tamen salis mineram non transeunt, veluti Selinuntiæ: quæ Saccenses, & Himerenses, quæ Thermitanæ sunt hodie, si refrixerint, potabiles sunt. quod Segestanas has esse aquas à Strabone appellatas, & vrbem hanc prostratam Segestam fuisse vel solum argumentum apertissimè declarat. Sub his ad iactum fundæ ingens lacus calidus est sulphureus, qui subita eructatione æstuans, ac feruens Herbesus Solino, à nobis Gurgus hodie appellatur. Cuius aquæ cum omnibus circumuicinis vno nomine Segestanę a Strabone, & cęteris veteribus vocabãtur. Scribit Aelianus li. 2. à Segestãis Criniſium, Procapam, ac Tecmesum fluuios virili forma pingi solitos: quorum duos posteriores pro Herbeso, & Balneo nominari arbitror. Et de Segestę quidem situ hucusq;. nam de rebus gestis eius in historijs. Traiecto Criniſio fluuio dextrorsum ad. 3. p. m. & à mari. 4. milia semotus mons excelsus, & vndiq; præruptus, ac in acutum surgens prominet. Ad cuius verticem Alcamus aliquando fuit ab Halcamah Sarracenorum, qui Siciliam occuparunt, duce (vt in Africa recensęt Ioannes Leonis) in suam ibi conditum tutelam, suoq; nomine insignitum oppidum. licet pulsis Sarracenis à Frederico Secundo Siciliæ Rege vt eius priuilegio dato Iulianę anno salutis. 1332. cõstat, ad montis Bonifati radices quà mare spectat concessa munerum & militię incolis vacatione, translatum sit, quod locuples, & nobile est, & Alcami nomen retinet. Et quamuis oppidum a Sarracenis ad montis verticem conditum diu Christianorum tempore perseuerauerit: Martini tamen Sicilię Regis imperio (vt in nostris annalibus legimus) deletum est. Cuius & vestigia semidiruta adhuc cernuntur, & nomen perdurat. Pro mœnibus Alcami recentis oppidi vbi cœnobium est hodie fratrum prędicatorum, ędis est illi coniuncta, Diuę Marię de Stella inscripta: quę translationis tempore parrochialis eius oppidi erat ędis: postea concurrente populi multitudine. paulo altius ampliatum, & muro cinctum, ac frequentissimè habitatum est. Calatubus Sarracenorum olim oppidulum, nũc sola arce, & vestigijs cognitum Alcamo ad passus mille versus mare subiacet. Ad oram post Criniſij fluuij ostium Batis amnis ostium occurrit Ptolemęo, Iati hodie dicti. Oritur is inter Ietum iacẽs oppidum, & Scalam curię a fonte, cui Cãnauera est appellatio: & augetur mox ex Bizolo fonte, & deinde ex Cluſę fonte, qui in specubus scatens in diuersas formas lapidescit, cum quibus Ginestra fons iungitur. Hi fontes sub Iato monte postea confluentes fluuium faciunt, qui molas cõuoluit, & Iati nomẽ suscipit, quem ad siniſtram, Mirabellã verò arcem ad dexteram relinquit. Dilapsus deinde ad. 4. m. passuum siniſtrorsum fluuium Ballecti in eodem agro oriundum recipit: & decurrens Giſiam in collis radice situm, sed dirutum oppidum primùm, deinde Tayhurum Sarracenici nominis dirutũ etiã oppidũ eius sibi arrogato nomine prętерlabitur: & defluẽs pristino Iati nomine resumpto in mare sese immergit. Iati. fl. ostio trãsmissis

Parthenicus ager,& illius ora Antonino Pio,Sarracenorũ oppidulũ Rogerio Normanno Siciliæ Comite imperante,quod defecit,obuiam fit.Hodie ager nomen retinet,& nemori cognomentum dedit toti Siciliæ ad latrocinandum olim accommodato,notiſsimum. Quo mea ætate conuulſo,ager vinetis eſt conſitus,& oppidulo Sala nobilitatus;vbi aquis eſt irriguus,& cannæ mellitæ feraciſsimus.

DE ELYMA VRBE.

CAPVT QVINTVM.

AB Iati faucibus.p.m.3.Sancti Cataldi turris ſpecula ab ædicula eiuſdem nominis appellationem habens occurrit,& iuxta eam fluuij Diui eiuſdem titulo inſcripti oſtium. Ortum habet in vicinis montibus excelſis ex fonte Renda, augeturq́; deinde pluribus fontibus,quorum impetu ad conuoluendas molas frumẽtarias ſufficit.Vnde dilapſus Nucillę nomẽ à Taberna hoſpitatoria,per quã Panormo Alcamum eſt iter, ſuſcipit: cum quo excurrens ad.p.m.3. in pelagus ſeſe exonerat. Vbi ſinum maris piſculentiſsimi capaciſsimum, atq; in eius interiori receſſu loco prominentiori arcis vetuſtiſsimæ quõdam ad maris,littorisq; cuſtodiam extructæ magna ex quadratis lapidibus habet veſtigia.Iuxta quæ multi ſpecus habitationi peridonei feneſtrellis quibuſdam in mare deſpiciũt: in quibus veriſimile eſt ſpeculatores olim, obſeruatoresq́; nauium hoſtilium, quas & ex his locis (ſi neceſsitas poſtularet) facilimè offendere poterant,habitaſſe. Et nõ procul inde niſi.p.500.ad meridiem fons eſt ingens agrum adiacentem irrigans,& in mare fluens,quem Aquam Regis vocant,cui & turris ſuperimpoſita, & vetuſtate, & induſtria,nominis quoq; perpetuitate Regem conditorẽ præ ſe fert. Agri præterea vicini frumẽti,vini,oleiq; ſunt feraciſsimi,& pluribus per magnis fontibus ibi ſcaturientibus irrigui. Imminet huic ſinui.a.à mari.p.m.mons arduus, excelſus,præruptus,atq; vnico ad orientem ac mediterranea aſcenſu tutiſsimo quidẽ, & pauciſsimi præſidij indigo difficilimus,in cuius vertice planities eſt mille fermè.p.cuius totum ambitum ingentes magnæ vrbis, & proſtratarum ædium ruinæ,lapides immenſi,tegulę lateritiæ inauditæ craſsitudinis,vaſa fictilia antiquiſsimæ,inuſitataq́; tam nobis,q̃ Sarracenis formæ,ac pro ſingulis liminibus ſingulæ ferè ciſternæ,quales & in Eryce,& in Segeſta vrbibus notauimus,ſparſim, & confusè occupant.Ad angulum vrbis,qui mari,& Zephyri flatibus prominet, magnæ arcis dirutæ,ciſternarum, ædiumq́;,ac murorum ingentium vaſta cernuntur monumenta.Ingreſſum quoq; eius,mœnium ampliſsima quondam murorum compagine,lapidumq́; quadratorum fabrica inſurgentium magna fragmenta impediunt.Pro mœnibus quoq; iacentium domorũ,muriq́;,quo ſepiebãtur, reliquiæ, ſuburbium,aut pomarium bene conſtitutæ, ac populoſæ ciuitatis extitiſſe declarant;quã Alymiten,ſiue Palymiten vulgò hodie vocant. Hanc vrbẽ nominis penè ſolius vicinia Elymã Troianorũ vrbẽ,cuius ſuprà meminimus,fuiſſe, licet ſatis ex ſe ꝓbetur,aliæ tamẽ nõ deſunt rationes plures, efficacioresq́;, quibus id hucusq́; Siculis ignoratũ confirmẽ.Primùm enim Elymã his agris ſtetiſſe Dionyſij Alicarnaſſei,ac Thucydidis authoritas docet;Thucydidis,qui li.6. Soloẽtũ,Panormũ,& Motyã finitima Elymis ponit. Dionyſij verò,cũ Segeſtã, & Elymã in hac regione, agriſq; conditas ſcribit.Quod vtrũq; cũ deſcripto à nobis ſitu munitiſsimo reſpõdet. Quis verò dubitat in tãta duorũ profugorũ Troianorũ Egeſti,atq; Elymi ſocietate vicinos maximè,& munitiſsimos,in condẽdarũ vrbiũ inſtituto agros placuiſſe?Segeſtani nãq; agri quales fuerint,oſtẽdimus.Hi verò vbertate frumẽti,rerũq; oĩum ad vitã conducibiliũ abũdantiã,aeris amœnitate,irriguisq; fontiũ ſuauiſsimorũ ſcatebris nõ modò Segeſtãis nulla ex parte inferiores, ſed etiã lõgè (vti & maiorũ illuſtri, ac regia proſapia dignior erat Egeſto Elymus) ſuperiores ſunt. Inter quæ & argumentum non infirmum præbet ex plurimis,fons ingẽs, alijsq; & naturæ, & artis præſtantia meritò prælatus, quingentis paſſ.a.S. Cataldi arce remotus,

motus, vsq; ad mare agros perenniter irrigans, ac fœtis saccaro arundinibus vtilissimos humores inferens: quem (vt diximus) aquas adhuc Regis vocant. cui & turris vetustissima quadratis ex lapidibus inusitata Græcis, & Latinis arte elaborata, superstructa, nomenq; Regis perpetuum Regem conditorem antiquissimũ, quem Elymum fuisse conijcimus, significat. His accedit, quòd cum in illius sinus ingentis superiori brachio Segestam constitutam iam constet, in inferiori Elymæ sedem determinatam fuisse, vt pote in loco vicino, vt, si necessitas postularet, auxilio sibi inuicem cognatæ ciuitates statim adessent, plusq; verisimile haberi debeat. Postremò architectura cum Segestana, atq; Erycina, & siquæ sunt aliæ Troianorum operum, conueniens, omni posthac dubitationi finem imponit. Neq; est quod quenq; moueat aut istius ambitus angustia, aut nominis (quod in initijs non Egestam modò ipsam, sed finitimos omnes sub se agros continuisse diximus, tanta apud scriptores obliuio. Nam (vt sunt res humanæ) multis id rationibus, aut Elymi immatura morte rerum omniũ summa ad Egestum delata, aut præpropera defectione, aut fauoris popularis ad Egesti res maiori propensione facilè obliterari potuit. Neq; tamen ex eo inferri potest eam aliquando Elymam non fuisse, cum adhuc hodierna vrbis appellatio cum ea satis consentiat. Erat ea (quantum ex ambitu colligitur) bis ferè mille laribus habitata. in qua ad eius verticem Aeneas Veneri aram erexit, vt Dionysius refert. At quæ ex tot ruinis, quæ miratu dignæ ibi hodie cernãtur, huius aræ sint monumẽta incertũ est nobis. Sed de Elyma hactenus fusius, quàm decreueram: sed eò fortasse non inutilius, quòd iacentem vrbem tã antiquam, & ab eruditis diu desideratam, anno sal. 1556. Iunio mense tam parua chartula in vitam quasi reuocarim. Caput Rami deinceps est alterum huius sinus ingentis brachium, & nauigiorum statio, Calaporrus nominata, & intus ad mille passus ex quadratis lapidibus priscæ habitationis ruinæ, quæ cuius antiquitatis vestigia sint incompertum ego habeo.

DE HYCCARA, ET MOTYA, VETVSTISSIMIS OPPIDIS, CAPVT SEXTVM.

VLTERIVS post Elymam & caput Rami Hyccaris vetus, maritimumq; in hac ora oppidum, vt Thucydides lib. 6. & Antoninus Pius in suo itinerario testantur, ad p. m. 12. situm, defecit. Cuius ruinæ prorsus iacentes adhuc extant loco Garbolangi vocitato. vbi turris superstructa hodie est, tynnorumq; captura. Perseuerat autem prisci nominis id tãtummodo vestigium, quòd locus ille Murus Carinis appellatur ab antiquo proculdubio deriuatum. vbi & Hyccarim vetus oppidum fuisse authores prædicti indicant, & Hyccarinenses ipsi fama per manus ducta prædicant. Intus quoq; ab eisdem ruinis ad p. m. 3. in rupe Carinis est hodie recẽs oppidulũ. inter quod, orãq, ingens planities, aquis ex collibus oppidulo prominentibus defluxis irrigua, cannæ mellitæ ferax interiacet. Id oppidũ D. Gregorij Romani Pontificis ætate extabat Episcopali dignitate nobile, vt in suo regiſtro ipse Gregorius scribit, qui ad Barbarũ Episcopũ Carinensem, vt electioni Panormitani Antistitis præsit, literas dat. Fuisse autẽ Hyccarim à Sicanis antiquissimis Siciliæ populis conditũ lib. 6. in hæc verba testatur Thucydides. Post hæc (inquit) reliqui duces Athenienſium in Siciliã diuiſo bifariã exercitu, ac ſortito imperantes cũ omnibus copijs in Selinuntẽ nauigant, atq; ad Egestã ad cognoſcendũ quidẽ daturi ne forent pecuniã Egeſtani, an non. Sed ad explorandas quoq; res Selinũtinorũ, diſcẽdãq; cõtrouerſiã, quę inter illos eſſet, & Egeſtãos, profecti, ac Siciliã à ſiniſtra habentes, qua parte vergit ad Tyrrhenũ ſinũ, Himerã tenuerũt: quę vna eſt Græca vrbs ex omni illa Sicilię ora. vbi nõ recepti redierunt. & cũ pteruehũtur, cœperũt hyccarã vicũ Sicanicũ qdẽ, ſed hoſtilẽ Egeſtanis: erat aũt maritimus. Quẽ qdẽ vbi diripuerũt, Egeſtanis tradiderũt. hucuſq; Thucydides. Et

Digitized by Google

Diodorus lib. 13. Duces (inquit) Athenienſium, qui rem in Sicilia gerebant, appulſa ad Egeſtam claſſe, Hyccaram Sicanorum caſtellum capiunt. Cuius ex præda,& ſpolijs ad centum talenta venundatis omnibus coegere. Exactis præterea ab Egeſta triginta talentis Catanam repetunt.hæc Diodorus. Hyccara ob Laidis meretricis præſtantiſsimam formam apud veteres authores maximè celebratur. In eius namq; ab Athenienſibus direptione fuit capta, vt lib. 2. his verbis tradit Pauſanias.Ante Corinthum(inquit) Laidis etiam ſepulchrum eſt,cui leęna inſcalpta eſt, prioribus pedibus arietem tenens. Oſtenditur etiam in Theſſalia Laidis monimentum.veniſſe enim in Theſſaliam dicitur, Hippoſtratum amatorem ſuum ſecuta. Primùm quidem ab Hyccaris,Siciliæ id oppidum eſt, à Nicię militibus cum adhuc puella eſſet, captam : Corinthum deinde ab eo, cui vendita eſt,adductam, meretrices aiunt longè omnes ſuæ ætatis corporis forma anteiſſe. Tantæ autem fuit Corinthijs admirationi, vt nunc etiam de Laide certent. Plutarchus quoq; in Nicia:Poſt hæc (inquit) exercitum Catinam ducens, cum illi ſe ſponte dedidiſſent,nihil memoratu dignum geſsit, niſi quòd Hyccarēſem agrum à barbaris tunc poſſeſſum populatus eſt. Vnde & Laidem poſtea formoſiſsimam meretricem, tunc verò paruulam admodum puellam, inter alios captiuos abductam, & in Peloponneſum deuectam fuiſſe tradunt. hactenus Plutarchus. Nymphodorus Syracuſanus etiam in lib. de admirabilibus Siciliæ, referente lib. 13. Athenęo: Lais (inquit) ex Hyccaro loco Siciliæ munitiſsimo fuit. Timæus quoq; lib. 13. vt idem Athenæus refert, ex Hyccari Siciliæ eam fuiſſe memorat. Fuit itaq; illa ex Hyccara hoc Siciliæ tum ad mare ſito oppido,genita Epimandra & ipſa Hyccarenſi,inſignisq; impudicitiæ matre. Quam cum Philoxenus poeta à Dionyſio Tyranno accepiſſet; Corinthum duxit.vbi & ab omnibus dilecta celebris adeo facta eſt meretricula,vt Alexandrum ad Perſas è Corintho fuerit comitata. Sed Lais longè pulchrior matre,cum eſſet paruula, Corinthum a victoribus ducta belli iure cum reliquis vendita eſt mancipijs. Quæ longè nobilius matre ſcortum euaſit, ac forma omnes ſui temporis meretrices ſuperauit. Hanc adeo formoſam fuiſſe lib. 13. c. 20. tradit Athenæus, vt pictores non alia ratione magnis itineribus,magnoq; pretio eam adirēt,niſi vt eius mammas, pectusq; in ſua arte imitarentur. Quam cum aliquando Apelles pictor inſignis à Pyrene Corinthiaco fonte aquam ferentem vidiſſet, formæ eius admiratione fertur obſtupuiſſe. De ea quoq; & in hęc verba lib. 1. c. 8. Aulus Gellius:Lais (inquit) ob elegantiam,venuſtatemq; formę grandem pecuniam demerebat: conuentusq; ad eam ditiorum hominum ex omni Gręcia celebres erant. Nec admittebatur, niſi qui dabat quod ea popoſcerat: poſcebat autem illa nimiam quantitatem. Hanc amauit (vt Athenęus lib. 13. refert) Ariſtippus,Demoſthenesq; orator,& Diogenes.Sed Demoſthenes cū ad eā aliquando clanculū adijſſet, & illa decē drachmarum milia popoſciſſet:tali petulantia,& ea magnitudine pecunię territus, ab eaq; auerſus: Non emo ego (inquit) tanti pœnitere . Hinc vulgatiſsimum illud apud Gręcos prouerbium exortum . Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.ſignificantes fruſtra Corinthū ad Laidē petere,qui dare nō poſſet, quod illa exigebat. Plura alia de ea cōmemorat Athenęus,quę conſulto nos omittimus. Erat autem licet formoſa, feriſsimis tamē moribus,ob quos axine,hoc eſt ſecuris appellabatur,vt lib.12.ex Ariſtophane narrat Aelianus.De eius morte hanc ſentētiā ex Polemone tradit Athenęus:quòd à Theſſallorū cōpluriū, qui nimio amore illā dilexerant vxoribus inuidia, & Zelotypia maceſcētibns,inter ſacra,ad quę viris conuenire non licebat, ligneis ſudibus interempta ſit. Cuius ob id in Theſſalia tumulus oſtendebatur . Corinthij verò, qui natales quoq; eius ſibi vendicabant, Corinthi defunctam eam eſſe contendebant , atq; extra vrbis mœnia iuxta Bellerophontis fanum , atq; Veneris cognomento Melanidis

Digitized by Google

lanidis Sacellum, monimentū eius insculpta Leæna prioribus pedibus arietem demulcēte ostēdebat. Vnde apud plerosq; scriptores adhuc pro Corinthia memoratur. Sed ad Hyccarā veterem redeo. cuius sparsa quædam, & ea minima fragmenta ibidem, sed & lapicidinæ non procul inde Hyccarenses, Pyrrerazę (quod Siculis idē sonat) dictæ, extāt. Recēs verò oppidulū & à mari. 3. p. m. recedens à quo fuerit conditum, incompertum est. arcis tamen magnificè in eo extructæ Manfredum Claromontanum authorem fuisse etiā insignia eius familiæ ibi sculpta testātur. In agro Hyccarensi specus est, cui à Longo est nomen; vbi gigantum ossa reperiuntur. In hac ora maritima albescente die militaris exercitus, ac classis ingentis aereæ imagines (quod alijs quoq; locis notasse me supra memini) frequēter cernūtur, Ruffini exercitus ab Hyccarēsibus appellatæ, quę exorto sole in aerem abeunt. Post Hyccaram deletum oppidum ad. 2. p. m. paruula illa fœminarum insula hodie sed à Guilelmo Rege secundo Fimi apellata, & à littore 500. passus recedens succedit. Quam Motya vrbs vetusta Thucydidi lib. 6. & Diodoro lib. 14. ad. p. circiter mille sequitur in sinu, quem Portū Galli hodie nomināt, fita. vbi & turris est specula à Sferracaballo vernaculè dicta, ob lapides acutos, quibus à natura semitæ sunt stratæ. Cuius vrbis pauca admodum ibi vestigia, & obruta, solo operta, sed maxima, apparent, lapidum q; quadratorum, eorumq; ingentium mira monumenta. Hanc vero Motyam vrbem ipsam esse authoritate Thucydidis lib. 6. primùm probatur: qui Motyam Panormum, & Soloentum non multum inter se disitas, Elymitis finitimas, & eodem tempore à Phœnicibus habitatas vrbes tradit. Diodori præterea lib. 14. argumēto, qui vicinam agris Panormitanis, & sinum in hac ora maritimum ei adscribit. Annibal Giscōnis filius (inquit) cum ad Selinuntem expugnandam Charthagine Lilybœum venisset, ingentem classem, quam secum adduxerat, ad Motyæ sinum misit secum retentis militibus: quo facto Syracusanis persuaderet, se neq; ad bellū eis mouendum, neq; Syracusas nauigaturum, venisse. Et paulo inferius. Motyam (inquit) Hermocrates Syracusanus exercitum sex milium armatorum instruxit, & ex Selinunte egressus Motyanorum agros populatus est. Ex populo præterea, qui sibi ante vrbem obuiam exierant quingentos occidit, reliquos vero intra muros incluſit. Superatis igitur ijs qui ab vrbe progressi fuerant, agros Panormitanorum, finesq; uastauit, & ingentem prædam consecutus est. hucusq; Diodorus. Ex cuius verbis hæ mihi rationes colliguntur, quod cum tota hæc ora Panormo vicina, sinus, præter Soloentum, & hunc, quem Galli portum vocant, nullus sit, & nullibi deletæ priscæ vrbis vestigia Panormo propinqua, & ad mare sita, præter hæc, quæ licet obruta, admiranda tamen sunt, appareant; iure optimo hanc vrbem fuisse Motyam iudicandum sit. Motyas in Sicilia tres fuisse Grę ci tradiderunt. Quarum eam, quæ ad Pachynum est, suo loco satis descripsimus: altera in Agrigentinis agris sita eorum erat præsidium; quam & nos in mediterraneis explicabimus. Tertia est hæc, quam Phœnices incoluisse lib. 6. Thucydides refert. Sed quis eam deleuerit, adhuc me latet. Caput Galli Motyæ succedit, ac deinde turris specula in scopulis structa à Mondello nomen habens. Et vlterius mons Panormo vrbi. m. p. prominens sequitur, Peregrinus hodie appellatus, sibi soli constans, & vndiq; præcisus. In summitate planitiem habet cultu ræ, & pascuis peridoneā. à mari, & a mediterranea regione rupes habet inaccessas. aditum vnicum exhibet, quà Panormum, meridiemq; respicit, quem duo, vel tres custodire possunt. In montis medio tumulus exurgit, qui speculæ simul, & arcis locum obtinens turrim habet super impositam; vnde pyratarum, & hostium maritimorum aduentum igne emisso Panormitanis significare moris est. Peregrino monte peragrato Panormus vrbs, quæ ad mille ferè passus flexo sequitur littore, sequenti libro describenda est.

F. TH.

Digitized by Google

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS, PRIORIS DECADIS.

LIBER OCTAVVS.

DE PANORMO VRBE.

CAPVT VNICVM.

PANORMVS Vrbiũ Siciliæ maxima, & princeps ẽ hodie, ac ſedes regia. Sita eſt in campeſtri ſolo, & in ora, quam (lib. 7. teſte Herodoto) pulchrùm littus vocabat antiquitas. Vnam eius partem mare Tyrrhenum alluit: cæteræ tres lato patent campo, qui montibus aſperis, & excelſis, arborumq; prorſus expertibus omni ex parte cingitur. Agros planos, diffuſosq; complectitur, in circuitu paſſuum milibus plus minus viginti quinq;, qui immenſi cuiuſdam amphitheatri inſtar, & qualem ſola rerum natura effingere poſsit, maximam voluptatem è proximis cliuorum iugis proſpicienti gignit. Neq; enim terras, ſed formam aliquam ad eximiam pulchritudinem pictam repræſentat, ea varietate, eaq; deſcriptione, vt quocunq; inciderint oculi, reficiantur: adeo latus, amoenus, apricus, atq; vber eſt. Enimuerò mali medici, citrij, punici, ac cæterorũ omnium cuiuſuis generis fructuum feraciſsimus eſt. Frumenti præterea, vini, oleiq;, ac ſegetis mellitarum arundinum, adeo eſt fœcundus, ut liberũ, & Cererẽ, omnesq; humanæ ſocietatis conſeruatores planetas, in eo honeſtãdo liberaliter inter ſe cõtendiſſe exiſtimetur. Ager inq̃ nõ Siciliæ modò, ſed Italiæ quoq; pulcherrimus, quem pluribus, ijsq; placidiſsimis fontibus ibi natis, ſplendidiſsimæ, ac ſaluberrimæ aquæ omnibus locis interfluunt, irrigantq;. Quarum perpetua ſcaturigine, rerumq; omnium abundantia ſimul, & hortorum viriditate animis vel triſtibus ſemper arridet. Hinc Callias lib. hiſtoriarum .8. (referente Athenęo lib. .12.) Panormum non abſurdè totum hortum interpretatur, quòd domeſticis arboribus ſpecioſiſsimis vndequaq; conſitus ſit, & vnicum totius Siciliæ delicium. Scribunt ex veteribus plæriq;, quod Panormi ad moenia eius ſeptentrionalia ſtagnum olim fuerit maritimum, quod paſſus propè mille vſq; ad eum locum, qui Pepyritus dicitur, ingreſſum, portum efficiebat capaciſsimum, ac tutos nauibus præſtabat receptus, vt Procopius lib. 5. de bello Gothico ſignificare videtur, & Panormitani ducta per manus fama prædicant. vnde etiam vrbi nomen inditum fuiſſe nonnulli affirmant. Panormus enim græcè non modò totum hortum, vt Callias, & Athenæus referunt, ſed totum quoq; portum latinis ſonat. pan ſiquidem totus, vel tota, compoſitum, græcè, hormus verò hortus, vel ſtatio eſt latinè. Eius porrò originem in Phœnices, quo tempore Græci Siciliam traijcere cœperunt, Thucydides lib. 6. referre videtur. cuius hæc ſunt verba: Phœnices præterea p eã inſulam paſsim habitauerunt, occupatis ad mare promontorijs, & paruis circà inſulis, negotiandi cum Siculis gratia: & poſtq̃ permulti Græcorum illuc cum nauibus traiecerunt, omiſſa nauigatione Motyam, Soloentum, & Panormum finitima Elymis oppida ſedibus ibi poſitis coluerunt, freti cum Elymorum ſocietate, tum quia exiguo illinc in Carthaginem traiectu Sicilia diſtat. Petrus quoq; Ranzanus ordinis Predicatorum

rum Lucerinus Episcopus, in suo, quem de Panormo edidit, libello, à Chaldæis, Damascenis, & Phœnicibus eam multo ante tempore, quàm definiuit Thucydides, duabus Chaldæis inscriptionibus, quæ Panormi in lapidibus incisæ palàm ab omnibus spectantur, fundatam ostendit. Quarum vna marmoreo saxo insculpta Guilelmo secundo rerum potiente ab Abramo genere Damasceno viro rei medicæ peritissimo in hanc sententiam latinè versa est. Viuente Isaac filio Abrahæ, & regnante in Idumæa, atq; in valle Damascena Esau filio Isaac, ingens Hebræorum manus, quibus adiuncti sunt multi Damasceni, atq; Phoenices profecti in hanc triangularem Insulam sedes perpetuas locauerunt in hoc amoenissimo loco, quem Panormum nominauerunt. Cæterùm quo iam lapis ille insignis peruaserit, ignoratur. licet plura eiuscemodi marmorum monumẽta sint Panormi, in quibus inscriptos literarum characteres admiramur, quos quia nec Græci, nec Chaldæi, neq; Arabes nostri temporis legere potuerunt, vulgi opinio eos è Troiæ excidio Panormum aduectos tenet: cum non Troiæ, sed Panormi vetustatem contineant. Hos, cum ciuium incuria, inertiaq; passim mea ætate proiecti conculcarentur, ne tam certa antiquitatis Panormitanæ monumenta interirent, Senatus (me authore). 1552. ad prætoriã vrbis curiam asportari curauit, præter eum, qui in ædium Gerardi Agliati Siciliæ olim Protonotarij angulo fundamentis obrutus est. quem eum ipsum esse, qui desideratur Ranzanus arbitratur. Altera autem inscriptio in vetustis illis, quadratisq; saxis, quibus veteris vrbis porta, quam Patitelli appellant, est excitata, similibus Chaldeorum typis incisa supereminet, & cuius in propatulo est. Quam Petrus Spetialis anno sal. 1470. cum prætura Panormi fungeretur ab homine Syro in hunc modum verti fecit. Non est alius Deus præter vnum Deum. Non est alius potens, præter eundem Deum. Neq; est alius victor, præter eundem, quem colimus, Deum. Huius turris præfectus est Saphu filius Eliphar filij Esau, fratris Iacob, filij Isaac, filij Abraham, & turri quidem ipsi nomen est Bayc: sed turri huic proximæ nomen est Pharath. Quæ verba superiorum non solùm fidem augent: sed vel sola Panormum Chaldæorum fuisse ædificiũ ex sese confirmant. Nam cum ex ijs literis Saphum nõ condidisse eam turrim, sed præfectum illius fuisse constet: Panormum & ante Saphi tempora extitisse, & illius primordia in huius maiores, qui Chaldæi fuerunt, vt gen. c. 36. scribit Moses; referri, nihil vltrà dubitandum est. Neq; enimuero est, quod in Siciliam Chaldeos aliquando venisse, vrbemq; condidisse quisq; fabulosum existimet: cum authoribus Berosso, & Diodoro Chamus Noe filius, quem Chamesenem, & Saturnum Berosus & Diodorus appellant, magna secum adducta colonia Sicilia (vt in historijs memorabimus) fuerit potitus. Turris Bayc, in cuius supercilio circumquaq; inscriptio est insculpta, integra adhuc est, habitationiq; non incommoda. Verùm qui eam anno salutis, 1534. inhabitabat, murum eius occiduum, vnde celebrior veteris vrbis via auspicatur, instauraturus incisas ad eius verticem literas trãsposuit, plerasq; comminuit. Quod cum fieret, angebar ego animi, hominemq; ipsum stolidum, ac cæmentarios acerrimè obiurgabam. Sed & graui subinde etiam sublatis vocibus increpatione Senatum incusare cœpi, qui tantam vrbis iacturam, clademq; irreparabilem tam turpi silentio præteriret. Demum ne prorsus literarum monumenta, quę ibi colligi potuerunt, aut temporis, aut similis ineptię iniuriã interirent, fragmentũ inde excerptum hic adscribere libuit. Quod huiuscemodi est.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALTERA turris, cui nomen erat Pharat, portæ Patitelli ad sinistram hærens ad Diui Antonij ædis vsq; angulum Yharraffi Saracenici nominis fontis capiti prominentem ex quadratis, & eis ingentibus constructa lapidibus protendebatur. Quæ tandem & ipsa prostratis ab imperitis eius molibus in mercium, artificumq; officinas profanata est, miserrimo sanè, ac flebili bonorum omnium spectaculo, qui ante oculos nostros cernebamus, admirandæ maiestatis Panormitanæ non cadauera, sed integra, & viua ipsa propugnacula omnium, quæ habet Italia, vetustissima non iniuria temporum collabi, neq; ab hostibus subrui, sed ab ipsis improbis ciuibus detestando etiam Senatusconsulti decreto prosterni. Fuit autem Panormus condita, quantum ex earum inscriptionum calculo colligimus, anno mundi ferme. 3360. Neq; ab hac supputatione Thucydides dissentire videtur, cum non condidisse Panormum Phœnices, quo tempore in Siciliam Græci traiecerunt, sed incoluisse scribit. Quid enim obstat, quominus Panormum, quam multo antea Chaldæi, Damascenij & Phœnices condiderunt, processu æui aliam Phœnicum multitudinem in Siciliam negotiandi gratia aduectam inhabitasse credendum sit? Neq; verò quin illam priscos antiquitatis huius vrbis monumentum lapidibus inscripsisse miretur quum Noa etiam post diluuium egressum suum à monte Gordieo, & descensum in subiectos cadaueribusq; refertos agros lapidibus teste Beroso inciderit. Sed ijs omissis ad eius incrementa venio. Primùm itaq; Panormus, vt libro. 14. Diodorus, & libro. 1. Polybius ante primum bellum Punicum Carthaginensium imperio subibat. Sed quo pacto, quo tempore, quoue duce illis capta cesserit, hucusq; scriptum non reperi. Hermocrates nanq; Syracusanus etsi ex Selini vrbe, quam restituerat, cum exercitu mouens plura non longè à Panormo oppida, quæ Carthaginensibus subierant, fœlici victoriæ cursu recepisset, Panormũ tamen ætatis tantùm eius finibus, agrisq;, ac magna inde præda aucta retrocedẽs nõ attigit, vt testatur eodẽ libro Diodorus. Quinimo erat eo tẽpore amplior facta, cũ vltra veterẽ vrbẽ à primis cõditoribus structã altera pars, quæ Neapolis græcè dicebatur, ad meridiẽ veteri adiecta esset, vt ex primo Polybij colligere est. Flagrante verò primo bello Punico cũ Carthaginensiũ valida esset ciuitas, à Romanis duce. A. Aquilio est expugnata, prout in hæc verba testatur lib. 1. idẽ Polybius: Cũ ea classe. A. Aquilius &. C. Cornelius Coss. petere Siciliã, bellumq; Pœnis inferre iussi repentè freto traiecto Messanam peruenerunt. Ibi acceptis quæ ex naufragio superfuerant, nauibus, totam simul classem trecentarum nauium fecerunt. Hinc Panormum profecti, quæ precipua Carthaginẽsium ciuitas erat, atq; socijs populi Romani per ea tempora maximè erat infesta, eam magna vi aggrediuntur, duobusq; è lateribus castrametati paucorum dierum interuallo machinis, ac vi tormentorum depositæ arce, ingressisq; cum impetu militibus eam partem vrbis ceperunt, quæ Neapolis appellatur. Quo facto reliqua pars vrbis, quam vrbem veterem vocant, metu exanimatis ciuibus Consulibus deditur. Capto Panormo Coss. relicto præsidio Romã reuertũtur. Sub Romanis quoq; victoria, qua cõtra Asdrubalẽ Pœnorũ ducẽ Metellus Ro. Cos. memorabili immaniũ elephantorũ eluforũ, simulatq; metus, ac fugæ stratagemate potitus est, nõ vulgarẽ sibi famã cõciliauit. vt lib. 1. Iulius Frontinus, & li. 1. Polybius scribunt. De qua nos latissimè in historijs. Scribit etiã lib. 6. Strabo, Panormũ Romanã habuisse coloniã: sed quo tẽpore eò peruenerit, neq; ab ipso, neq; ab historicorũ vllo expressũ hactenus legi. Suadet nihilominus ratio post hanc insignem victoriam eò deductã fuisse. Memoriæ à veteribus proditum est Panormi non virilis modò sexus inuictam fuisse virtutem, fidem, atq; industriam, sed fœminarum etiam virtiles animos clarissimè emicuisse, ita vt aliquando pro patriæ suæ defensione deficiẽte cannabi crines suos contexendos funibus dissecuisse scribant: licet quo bello egregium illud, ac dignum memoratu

moratu facinus geſſerũt, apud authores non cõperiam. Ad hæc cũ Syracuſę vrbs à Romanis duce M. Marcello obſideretur, Panormus tria ei armatorũ milia ĩ auxiliũ miſit: cũ cæterę Romanis cõfœderatę Siciliæ vrbes mille duntaxat præſtitiſſent. vnde lib. 14. Silius: Tergemino venit numero fœcunda Panormus. Cic. quoq; in verrẽ .5. Panormũ inter liberas ſua ætate ciuitates recẽſet: Quinq; (in quiẽs) præterea ſine fœdere ĩmunes, ac liberæ ciuitates, Centuripina, Haleſina Segeſtana, Halicienſis, Panormitana. Huius rei extãt adhuc Panormi palàm mar moreis tabulis vetuſtiſsimis Seuero ĩperãte latinè inſcripta monumẽta. In quadrato nãq; atq; ãplo ſpatio, quod ante Aedẽ Maximam ad aditũ q̃ feneſtrę maiori ędiũ Antiſtitis correſpondet, lapis marmoreus lateri eius in fixus hæc habet.

Imp. Cæs. L. Septimio Seuero. Pio. Perti: Aug: Par: Adiaben: Arabico. P. M. Tri P:. VII. Imp: XI. Cos. II. P. P. Procos: V. Impe: Cæs. Diui Antonini Pij. Germanici. Sarmatici. Diui Commodi fratri. D. Antonini Pij. Nepoti. Diui Adriani Pronep. Diui Traiani Parthici. Ab. Diui Neruæ adnepoti. Indulgẽtiſsimo. ac Clementiſsimo Principi noſtro. Resp. Panormitanorum. P. Satyri Donati & M. Marci Rufini. D.D.

In alio eiuſdẽ areæ ingreſſu, quo à veteri vrbe ad ædem via patet, marmor etiã iacebat mea pridẽ opera ad domũ Prætoriam delatum, hac inſcriptione inſigne. Imp. Cæs. M. Aurelio Antonino Aug. Diui Antonini Adriani. E. P. Diui Traiani Patch. Adnepoti. Diui Neruæ Nepoti. Pont. Max. Trib. P. XVII. Cos. III. R.. P. Panormit.

Ad fores quoq; priuati cuiuſdam ædificij, quod in celebriori vico vrbis veteris eſt, lapis alius muro illigatus erat in Prætoriã etiã aſportatus, hoc titulo clarus. Imp. Cæs. L. Septimij Seueri Pij Pertinacis Aug. Arabici. Adiabenici. Parthici. M. Tribunitia poteſtate VII. Imp: XI. Cos. II. P.P. & Imp. Cæs. M. Aurelij Antonini Aug. Trib. Pot. Domino indulgentiſsimo Respublica Panormitana li. Vir. P. Satyri. Donati. & M. Marci Rufini. D.D.

Ad ædem præterea D. Mariæ Magdalenæ, quæ portę Nouæ hæret lapis marmoreus vetuſtus nuper baſi cuiuſdã columnæ infixus id etiã cõfirmat in hunc modũ. Iuliæ Aug. Imp. Cæs. L. Septimij Seueri. Pertinacis. Aug. Pij. Parthici Arabici. & Parthici Adiabenici. P. M. Tr. Pot. III. Imp. V. Cos. II. P. P. Resp. Panormitanorũ. In lapide poſtremò alio, qui Panormitanorum neglientia adhuc iacet, Adriano Cæs. inſcripto, dicatoq; hæc duo verba ad calcem leguntur.

Res publica Panormij. Quibus conſtat hanc vrbem apud veteres Panormium, & gentiles Panormienſes appellatos fuiſſe.

Panormus itaq; vrbs poſtq̃ resp. Romana in monarchiã redacta ẽ, Imperatoribus paruit: donec declinãte ac diuiſo Imperio, Cõſtãtinopolitanis ceſsit. At vero anno ſal. 515. Iuſtiniano imperãte à Gothis, veluti & oĩs Sicilia, occupata, eorum facta ẽ prędidiũ validiſsimũ. Quibus poſt ãnos deĩde circiter quatuordecim à Beliſario Iuſtiniani Cæs. Præfecto magna vi erepta, ĩperio reſtituta ẽ, vt Procopius tradit. Salutis poſtmodũ ãno. 826. Michaele Balbo imperãte à Sarracenis q̃ Africã incolunt, cũ oĩ Sicilia capta, eis in regiã ciuitatẽ adoptata eſt. Cũ nanq; q̃cquid prędterea vrbiũ, oppidorũ, locorũq; repererãt, incẽdijs, ruinis ue turpiter fœdarẽt, ſola Panormo, quòd delitijs, victusq; cõmoditate, ad quę ea gens natura ꝑcliuior eſt, abũdaret, nõ abſtinuerũt modò, ſed ꝑ ſedẽt regia, prędidioq; delectã (vt Ioãnes Curopalates ĩ Cõſtãtinopolitanorũ Cæſarũ vitis ſcribit) præclaris ædificijs, quorũ pleraq; ĩtra, & extra pomoeria ĩtegra ſupſunt, auxerũt, exornarũtq;. Fuitq; deinceps nõ ſolùm Sarracenis, ſed Chriſtianis ẽt poſtea dominãtibus, tota Sicilia, populi frequẽtia, & Regũ prędsẽtia nõ ſolùm ciuitatũ oĩm maxima, ſed prĩceps, ãc regia. Normãni nãq; Galli hodie populi, & qui poſt ducẽtos & trigĩta ferme ãnos ducibus Roberto Guiſcardo, & Rogerio Comite eius germano fratre Sarracenis au-

nis auſpicatiſsimo Marte ſuperatis, Siciliam ſubegerunt. Panormũ nonniſi maximo labore, ac plurium annorũ obſidione, tandem potiti ſunt. Quam tum Robertus ad Ducatus Appuliæ, & Principatus Capuæ titulos adiecit, paucisq; poſt diebus muro cinxit, & duplici arce muniuit, vt in eius vita traditur. Cuius ſubin de Imperium, Roberto & altero Rogerio Roberti filio decedentibus, Rogerius Comes adeptus, plurimum quoq; decorauit. Quam deinde Rogerio Comite defuncto tertius Rogerius Rogerij Comitis filius, qui primus omniũ Sicilæ Rex eſt ſalutatus, maiorẽ in modũ munitionibus, & opulentia locupletauit. Vterq; poſtmodum Guilelmus, Tancredus quoq; & Henricus ſextus Sicilię identidem Reges eam & ſua præſentia, & ſtructurarum magnificentia honeſtarunt. Fridericus poſt hos, ſecundus Romanorũ Cæſar, & Sicilię Rex præter complura ædificiorũ ornamenta, perpetuo eam fœlicitatis titulo inſigniuit. Fridericus deinde alter Siciliæ Rex Petri Regis filius, qui reſtaurato muro, atq; addito ſpatio vrbem adauxit, cõſtituit etiam, vti ſummus eius magiſtratus, cui Baiulatus nomẽ erat, in poſterum auguſtam Præturæ denominationem acciperet. Cuius munere omnium primus Senator cognomento Mayda patritius Panormitanus functus eſt. Rãſanus autem nulla authoritate ſuffultus, vrbis titulum, Prætoris nomen, & inſigne, quod eſt aquila aureo colore fulgens, poſt Metelli cõtra Asdrubalem victoriam, huic vrbi à Senatu, populoq; Romano, ſimul, & patritiam coloniam obueniſſe ſcribit. Inde Ioãnis Naſi Corilionenſis Siculi apud Panormitanos vulgatum illud diſtichon.

Tacta fides ſociam ſtatuit ſibi Roma Panormum.
Hinc Aquila, & Prætor, & decus vrbis adeſt.

Sed harum rerum fides penes eos ſit, qui auſi ſunt hæc prodere. Panormus itaq; vrbs tum propter agrî præſtantiam, tum propter Regum præſentiam, atq; Imperatorum, qui vel in ea ſunt orti, vel per cõplurium annorum curricula ſedes habuere, maxima ſuſcepit incrementa: ita vt cuicunq; Italiæ vrbi non indignè comparanda ſit. Hodie quatuor partibus, quarum ſingulæ vti vrbium formam abſoluunt, ita & ordine nomen receperunt, dilatatis ſucceſu tẽporum pomœrijs, ac ſuburbijs, conſtat.

HARVM VNA eſt ea, quã Chaldęos, & Phœnices cõdidiſſe diximus, quãq; vrbẽ veterẽ priſci noſabant, vt lib. 1. teſtatur Polybius. Ea adhuc ãbitioſa moenium ſtructura, quibus latè, atq; prælatè circũductis cingitur, in cæterarum partium meditullio integra propè cernitur, etſi non adeo magna. Moenia eius mira arte quadrato, ingentiq; lapide, abſq; calcis glutino, luto ſolùm interlito ſunt extructa. De quibus lib. 3. belli Punici Procopius: Panormi (inquit) in moenium fiducia Gothi ſe tuebantur: erat nimirum munitiſsimus locus. At magna eorum pars non ſolùm temporis iniuria, ſed Panormitanorum quoq; improbitate diſperſa eſt: qui lapides illos admirandos, ac ſola ferè legum maieſtate ſanctos, ad priuata ſibi ædificia erigenda ſuſtulerunt, ac non paruo vrbem munimine ſpoliarunt. Eſt præterea ea pars non opere ſolùm, & viarũ anguſtijs, ſed natura quoq; tutiſsima, quòd in mole quadam pauliſper edita, atq; hinc, & hinc vallata iaceat. In eã & primi belli Punici, Gothici etiã, & Normannici tẽporibus Panormitani (cæteris vrbis partibus iam captis) ſese veluti in arcẽ inexpugnabilem recipientes, nunq̃ capi ab hoſtibus potuerunt, ſed ſola deditione ſubacti ſunt, vt fuſius in hiſtorijs. Iccirco Sarraceni, qui maximè propria locis, ac rebus nomina plærunq; indidere, Panormo olim potiti eam vrbis partem Alcaſſar Punica voce nominauerunt. & adhuc Alcaſſar Palatium appellãt. quod Caſtellum forte, locumq; munitum ſonat latinis. Qua nomenclatura, etſi nonnihil corrupte, & nos hodie vtimur, Caſſarũ eam vocantes. Longior hæc porrò, q̃ latior eſt: eamq; tres viæ diuiduut, ſed transuerſæ plures interſecant.

Digitized by Google

cant. Quarum quæ media, & cæteris celebrior in rectam lineam ad verticem vsq; vrbis protensa, ac perpetua est, marmorea in Rogerij, ceterorumq; Siciliæ Regum diplomatibus ac tabellionum tabulis vel ob id appellatur, quòd marmore olim strata fuerit. Erant vrbis veteris portæ plures amplissimis turribus munitę. Quarũ quidem & nomina prisca interierunt omnia: & aucta ciuitate, cum hæc pars in medio remanserit, aliquot formam simul, & nomen amiserunt. Earum autem, quæ hodie extant, Patitellorum noui nominis porta (cuius supra meminimus) vna est, qui ad mare olim aditus patebat: & integra adhuc est, & solæ in ea fores desiderantur, formamq; veterem, ac vsum habet frequentissimum. Altera obscura ætate mea appellata septentrionem spectat. Quę anno sal. 1542. cum incolumis eouſq; supperesset, ab imperitis, qui tũ senatum agebant, fœdata facie antiqua in artificum officinas est mutata. Terria Sclauorum porta centum ferè ab hinc annis dicta, inter domos Rainaldi Crispi ab oriente, & Ioannis Thomæ Gualbes ab occidente iuxta forum Cãcellarij stabat. vbi & prostrata eius forma vicatus est relictus, quo ad macellum nouum, & ad locũ Ayutomæ Sarracenicè appellatũ, vbi & ano sal. 1550. lanificij amplissimæ ædes sunt cõstructe, iter patet. Quarta in eodem vrbis aspectu Rogerij, & Guilelmorum Siciliæ Regum ætate, vt in eorũ priuilegijs legimus, sanctæ Agathæ de villa ab æde eiusdem propinqua nomen habebat: quod pluribus ab hinc ãnis vnà cũ statu amisit. Quinta Palatij porta ætate superiori dicebatur, quod arcis lateri meridionali hærebat, qua Mons regalis ciuitas olim adibatur. Hęc cum centum circiter ante annos, alia in eius vicem septentrionali incubans Palatij lateri, quę in rectũ vicũ vrbis marmoreũ respicit, porta Noua nuncupata, quòd ciuibus commodior esset, aperiretur, clausa est. Sexta quæ meridiem respicit, integra quoq; est hodie, & insanis motibus spectabilis, quæ Sarracenicè adhuc Busuemis appellatur. Septima iuxta ædem S. Heliæ solo iactu lapidis à Prætoria curia distans, à Iudęis, qui in vicis proximis habitabant, dicebatur, vt in publicis tabulis legimus. Cuius, & semiarcus ætate mea visebatur, & turris ingens vetustissima ex quadratis lapidibus admirandis, quæ illi propugnaculo hærebat, integra adhuc ædibus Nicolai Ciafalioni inclusa cernitur. In eisdẽ quoq; tabulis legitur ad hanc veteris vrbis partem anno sal. 1332. regnante Petro secundo portam fuisse à Trabuchetto dictam. sed quęnam ea fuerit, incompertum mihi esse fateor. Octaua olim prope ædẽ S. Stephani de Admirato sita, ac Sarracenicè Bebilbacal appellata, qua Yhuzet suburbium obliquè petebatur, vt in eisdẽ tabulis legitur, à multis quoq; lustris formã simul, & nomen perdidit. Nam in eo loco cœnobium monialiũ D. Catharinæ subinde erectũ, & ædẽ D. Stephani cũ Georgij Admiratj ædibus, & hanc vrbis portam latiori ad Yhuzet aperta via, sibi occupauit. In hac veteri vrbe ædes sunt complures publicæ, & priuatæ, sacræ, & prophanæ, superbia, & pulchritudine cæteris Italiæ ædificijs nihilo inferiores. In primis namq; ad vrbis verticem occidentem versus arx est præclara, quam Palatium regale appellant, magnificè quadratis ex lapidibus compacta, & in multis sui partibus pario marmore, ac auro, gemmisq; eximie, splendideq; ornata, multorum hucusq; Regum, & Imperatorum domicilij. Hãc à Sarracenis primũ Panormũ adeptis super veteris arcis ruinis excitatam literę in ea incisæ indicant. His postea subactis Robertus Guiscardus, & Rogerius Comes Panormo potiti prælatis muris, cęterisq; turribus, ac propugnaculis suo more munitiorẽ reddiderũt. Rogerius Comes rubrã subinde turrim lateritiã addidit: quã anno sal. 1553. Ioanes Vega Hispanus genere Siciliæ Prorex Palatij ædes instauraturus, quò in vrbẽ expeditior ei esset prospectus, diruit. Rogerius postmodũ Rex turrim Græcam ex meridionali plaga, & ex aquilone aliã, ad thesaurorum munimentum, mediamq; arcis partem, quæ Ioaria ea præcipuè

ratione est appellata, quòd multo gemmarum, auriq; splendore conspicua sit, ædificauit. Is nanq; plurium gentium manubijs locupletatus, vt tutũ sibi, regnoq; domiciliũ cõpararet, arcis huiusce ĩfima vallo: media discubitorijs, sũma ꝓ pugnaculis munitioribus firmauit. in cuius postea penetralibus omnem opum, pecuniarumq; summam congessit. Guilhelmus primus huius nominis Rex partem eã, quæ Tyrimbris est dicta, cæteris á Rogerio patre editis, & artificio, & pulchritudine præcellentem erexit. Cuius opus morte eius præmatura interruptum, imperfectumq; Guilhelmus secundus filius absoluit. Aulę sunt in ea arce complures in recessu circumquaq; vermiculato opere, ac gemmis valde insignes, cultu, magnificentiaq; regia instructę, aulæis ostro tinctis vndiq; secus obductæ, in quibus mirifici luxus opera annotabantur. Pauimenta marmoreis, porphyreticisq; tessellis erant constrata, quæ pedibus præmere religio videbatur. Arcem ipsam ingredientibus sacellum musiuo à Roberto Guiscardo structum, Hierusalem nuncupatum, à fronte occurrebat. Quod deformatum mea ætate ad profanos mutatum est vsus. Sed & ad dexteram hodie in vestibulo templum est D. Petro Apostolorum Principi sacrum à Rogerio Sicilię Rege à fundamentis erectum: prout Petrus Archiepiscopus Panormitanus, & Canonici, eorum diplomate dato Panormi anno sal. 1132. eiusdem Rogerij regni anno secundo testantur, & ipsius Rogerij Regis priuilegio dato Parnormi mense martio anno sal. 1142. & sui regni .12. constat. Cuius verba libenter subieci. In nomine sanctæ Trinitatis Rogerius diuina fauente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuę. Nouerunt gentes, & populi per mundi climata constituti per quot, & quantos sudores, bellicosos, quantoq; discrimine præcessores, & progenitores pię recordationis, & beatæ memoriæ Robertus Guiscardus patruus noster, Rogerius Comes pater noster, & cæteri patrui nostri, & consanguinei ab inimicis fidei Christianæ Sarracenis miserabiliter occupatos vniuersos fines Sicilię, Calabriæ, Appuliæ, & longobardię nyo dominatui subiugauerunt. Quibus omnipotentis Dei inæstimabilis benignitas misericorditer cooperata, nobis misericordius, longeq; copiosius gratiam suam ampliauit; non solum eam, quæ patri nostro contigit, acquisitionem, verum etiã omniũ eorũ labores, & partes nostrę ditioni subiecit, ac potestatẽ sacro sancti regni matris nostræ ecclæsię Ro: authoritate, & Archiepiscoporũ, Episcoporũ, Abbatum, Principũ, Comitum, Procerũ, cleri, nostri regni, & totius populi cõmuni consilio. Regnum igitur, quod multis iam euolutis temporibus dissolutum erat, benignitate Redemptoris diebus nostris redijt in statum, & formam Regni integram, & perfectam, honorificentius decoratam, & magnificẽtius sublimatam. Aspirante itaq; nobis septiformi Saluatoris gratia, cuius misericordia nostra prosperantur in melius, in honorem beatæ virginis Mariæ, omniumq; sanctorum, & titulo Beati Petri Apostolorum Principis intra nostrũ regale palatium, quod est in vrbe Panormi, ecclesiam summa cum deuotione fabricari fecimus. Ita quidẽ &c. quę sequũtur. Id sacellũ sua pulchritudine, & rerũ prę cioſisimarũ apparatu cęteris, quæ in Italia nunc vsq; extãt, seu veteribus, seu nouis, merito prę ferri cõstat. quo nomine ab omnibus qui Panormũ aut inhabitãt, aut inuisunt viris nõ imperitis modo, sed ingenio etiã doctrinaq; præstãtibus summa cum admiratione, ac iucunditate frequentatur. Marmorũ enim diuersitate incrustatione, musiuo, ac interiori pictura sumptuosissimũ est. Pauimentũ illius marmoreũ, ac porphyreticũ, diuersiq; coloris tessellis compactum est, inferior parietum pars marmoreis etiam, ac porphyreticis incrustata tabulis: superior lapillulis quadratis, & eis inauratis insignita & variantium colorum lapillis contextam veteris testamenti continet historiam: quæ & picturæ artificio, & rerũ cognitione plurimũ delectat. Suppremũ fastigij tectũ bino ex

marmore

Digitized by Google

marmore columnarum ordine, arcubusq; vermiculato opere splendentibus, ac variegatis subnixum, admirabili rerum cælatura, arteq; insignitum, laqueatumq;, ac auro illitum, specum quoq; habet subterraneum religiosissimum. Valuæ sunt ad eius sacraria geminæ ex ære fuso, pari, & insigni forma conspicuæ. In tẽpli frontispicio pensilis, & pluribus ex marmore columnis suffulta est porticus. cuius parietum inferiorem partem licet Rogerius marmoreis incrustauerit tabulis, superiorem tamen rudem reliquit. Quam Ioannes Sances sacelli Prophonista, & subinde Cephaledensis Episcopus anno Sal. 1506. musino opere, ac Diuorum noui Testamenti, & animalium pictura decorauit, vt in eo inscriptum ex musiuo huiusce modi distichon ostendit,

Hic rudis interno paries inuiderat aurum:
Diuitijs cantor fecit, & arte parem.

Marmoreis gradibus templum inscenditur. ad quorum dexteram marmor est muro infixum: in quo triplex latina, græca, & Sarracenica huiusmodi legitur inscriptiò.

Hoc opus horologij p̃cepit fieri Dñs, & Magnificus Rex Rogerius ãno ĩcarnationis dominicæ M.C.XLII. M. Martio Ind. 5. Anno Regni eius XIII. fœliciter. Græca & Sarracenica hoc latinis sonãt. O Spectaculũ nouũ. Fortis Dñs Rogerius Rex ex Deo sceptrũ tenens fluxũ frenat fluentis substantiæ, cognitionem distribuens à peccato immunem horarum temporis. mense Martio ind. 5. salutis anno. 1142. regni eius. 13. Hoc templum Rogerio Rege efflagitante Petrus huius nominis primus Panormitanus Archiepiscopus parochiali dignitate insigniuit, vt eius priuilegio dato Panormi anno sal. 1132. liquet. Aditus in arcẽ interior nõ rectus, & spatiosus est, sed obliquus, & angustus. Ante arcem ipsam atrium erat vernaculè Sala olim, sed ætate mea Sala viridis dictum, amplum, spatiosum, quod ad ludos, spectaculaq; edenda, ac Regis conciones ad populum habendas theatri vsum prębebat. locus & pario lapide constratus, & muro circunseptus: quẽ à meridionali latere per tot annorum spaciũ quadratorum, ingentiumq; saxorum compagine ab imo ad summum vsq; procedente perstantem, nec vetustate collabentem, neq; ruinam vllam minantem, sed integrum planè, & vetustatis Panormitanę insigne tota vrbe, admirandumq; vestigium, ad noua vrbis propugnacula extruenda imprudentes Regis, & vrbis ministri anno. 1549. funditus sunt demoliti: quasi Panormus tam intra q̃ & extra mœnia lapicidinas passim aut non satis ingentes, aut minus commodas, & ad cędendũ difficiles haberet, quo inopia id excusari possit. Ipsa verò atrij area pascuis, aratroq; mea etiamnum memoria relicta. in cuius rudera, tabulasq; marmoreas agricolæ rastris frequenter illidebant. tandem anno sal. 1554. in nouam planitiem cylindro, sabuloq; ęquatam redacta. Inter hoc atrium, & priuatas vrbis domos, spatium erat alterum ingens sanè, lato muro cinctũ, à Sarracenis Yhalca Punicè vocatum, quod circunseptum locum latinis significat, & portam habens in rectum vrbis vicum respicientem. vbi Regum, & arcis custodia, cui Vicecomes præerat, vt ad repentinas necessitates præstò esset, habitabat. vt in publicis illius memoriæ tabellionum tabulis adhuc reperire est. Yhalca, quicquid hodiè est interualli inter vrbis moenia sinistrorsum palatio ad Pepyritum vsq; flu. hærentia, & ædes Sacras. S. Ioannis Baptistæ, sanctæ Barbaræ, Diuæ Magdalenæ, & sancti Constantini à Yhalca adhuc cũ tota illa regione cognominatas, includebat. Id spaciũ, quod Yhalcę, forma, vsusq; cum tempore collapsus sit, vrbi additum est, & ad muros palatij aquilonares Nouæ vrbis portæ, qua in marmoreã viam rectus est ingressus, locũ cessit. Ab ipsa arce ad vrbẽ vsq, sinistrorsũ moenibus annexa, via erat Cooperta noĩata ob id, quòd tota testudinata ab ipsa arce ad ædẽ vsq; S. Aga-

thæ de Villa, Pepyrito fluuio incubãs, ingreſsũ, egreſsũq; opertũ præbebat, prout in publicis tabulis legimus, & in horto .S. Iacobi la Maſſara adhuc clara teſtantur veſtigia. Palatio pomarium extra vrbis moenia, quà occidentem ſpectat, adhærebat, ambitus pas. milium ferme duorum, Parcum, hoc eſt circus regius appellatum. In quo horti amoeniſsimi omnis generis arborum conſitionibus, aquisq; perenniter irrigantibus luxuriabant. Habebant quoq; hinc, atq; inde viridaria lauro, & myrto redolentia. Medium locum ab ingreſſu ad extremum vſq; porticus tẽdebat vna, ſed longiſsima, ſacellis teſtudinatis ex omni parte patentibus ad delitias Regum orbiculari opere extructis frequens: quorum vnum adhuc integrum reſtat. Piſcina erat ingens in medio, in qua viui piſces coercebantur antiquo, quadrato, ingentiq; lapide mira craſsitudine inſtructa. Quæ hodie incorrupta eſt, aquasq; ſolum, & piſces requirit. Imminebant, veluti & hucuſq; ei incubant, ædes ad ſolatia Regum magnifico opere conditæ, cum inciſis ad verticem literis Sarracenicis, quarum interprætem hactenus reperire non potui. Ex vna huius pomarij parte, nequid regij luxns deeſſet, animalia omnis ferè tum ad voluptatem, tum ad Palatij delicias ferini generis abunde nutriebantur. At ea omnia collapſa ſunt hodie, ac priuatis vinetis, & hortis occupata. Pomarij tantum ambitus ob id, quod maxima murorum pars inuiolata penè permanſit, dilucidè diſcerni poteſt. Cubam eum locnm, vt olim, ita & nunc Sarracenicè Panormitani vocant. Pomario huic in ſeptentrionem ad quingentos circiter paſſus hortus alter regius erat proximus, cui Sarracenicè Ziſa nomé adhuc eſt, domeſticarũ arborũ fructibus, & aquarum etiam perpetuis ſcaturiginibus irriguus. Quo loco ædes etiamnum regiæ lapide quadrato, candidoq; marmore, ac porphyrete, vermiculatoq;, & muſiuo ſuperbo nimis opere tument: Sarracenorum opus. quantum ex Sarracenica ſuperius inſcriptione, & ipſa quoq; ſtructura indicari poteſt, ad Regum ſeceſſus, latebrasq; voluptuarias extructum. omnibus, quæ in Italia hodie ſunt, regijs ſtructuris facile comparandum. Memorant Sarraceni rerum veterum peritiores Cubam & Aziſam Sarraceni cuiusdam Siciliæ Regis filiarum olim fuiſſe nomina; à quibus duobus his Regum Pomarijs cognomenta deſumpta ſunt: penes quos ſit eius rei fides. Plures ætatis illius authores Palatij huius magnificentiam, ac pulchritudinem ſcriptis illuſtrarunt. Quorum vnum, & quidem vetuſtiſsimum, cui titulus Guiſcarda erat, anno ſal. 1551. primùm legi. Sed de arce ſatis. A Palatio in vrbẽ pergenti inſignes ex antiquis lapidibus, ac magnæ, veluti moles quedam ſtatim occurrunt ædes, à Matthæo Sclafano Adrani olim Comite anno ſal. 1330. cõditæ. opus quidem ingens, & priuatorum omnium maximum, quadrangulari forma, vndiq; peruium, & vnius vix anni ſpacio abſolutum, quod præ ſua incredibili magnitudine fidem omnem excederet, niſi ſuper eius porta, quæ mare ſpectat, fixa in tabula marmorea literis maiuſculis titulus, licet meram illius ætatis barbariem ſonans, confirmaret.

Anno D. M. CCCXXX.

Fœlix Mattheus Sclafanis memoria dignus
Fabricam hanc fecit nobilem pius benignus.
Vt ne mireris modico tam tempore factam:
Vix annus fluxerat, quam cernis ita peractam.

PRAEDICANT Panormitani, idq; accepta ex maiorũ relatu opinione, æmulationem, aut inuidiam huic ædificio originem dediſſe. Matthæum ſiquidem Sclafanum Manfredi Claromontani Motycæ Comitis, qui ad mare præclaras ſibi conſtruxerat

conſtruxerat ædes,ſucceſsibus inuidentem,illi palàm dixiſſe,ſe infra annum ædes conditurum, quæ ſuas ambire poſſent, quod & perfecit. Has ædes poſtmodum annno ſalutis. 1440. à Sancio Roderico Liori Galiani Vicecomite, earum domino. S. P. Q. Panormitanus vncijs centum quinquaginta redemptas, vt tabulis publicis conſtat. Alfonſo Hiſpaniæ & Siciliæ rerum potiente pîo ægrotantium operi, & pauperum vſui deſtinantes magnum,& nouũ Hoſpitale vocauerunt. Quod & ſtructuræ magnitudine & pulchritudine loci cæteris Italiæ Xenodochijs nihil inuidet. Paulo infra eas ædes, & iuxta vrbis portam Buſuemi appellatam ſacellum eſt. D. Claræ dicatum, & cœnobium monialium illi adiunctum:quod ab eodem Matthæo Sclafano ædificatum index marmoreus in frontiſpicio hac proſopopeia oſtendit.

Annus erat quartus Domini poſt mille trecentos
Triginta ſeptem;Ludouicus regna tenebat. Et infra.
Hæc ſacra Clara Comes tibi templa Mathęus
De Sclafano proprijs largus quæ ſumptibus egit.
Hic condam damnare reos Thermita Mathęus
Aſper erat:ſeruabat enim pîa iura Magiſtri
Iuſtitię &c.

E regione noui hoſpitalis, quà in ſeptentrionem vergit templũ eſt in vrbe maximum Maior eccleſia vulgò appellatum D. Mariæ virgini ſacrum, reticulatâ ſtructura,quadrato,ac diuerſis in exteriori facie imaginibus figurisq́; inciſo, ac perpolito lapide, à Gualterio huius nominis ſecundo Panormitano Archiepiſcopo anno ſalutis. 1185. ſuper veteri maxima æde,quam ſolo propter hoc inſtitutum æquauerat,à fundamentis excitatum. Quod non ſolùm Guilelmi ſecundi, cuius ætate,ſuffragijsq́; inſurrexit,diplomata, ſed etiam carmina in abſide templi inciſa huiuſcemodi teſtantur.

Si ter quinq; minus numerent de mille ducentis,
Inuenient annos Rex pie Chriſte tuos:
Dum tibi conſtructam præſul Gualterius aulam
Obtulit officij poſt tria luſtra ſui.
Aurea florebant Vilelmi regna ſecundi,
Quo tantum tanto ſub duce fulſit opus.
Sit tibi laus perpes:ſit gloria Chriſte perennis.
Sit decus,& templi ſit tibi cura tui.
Tu quoq; florigeræ mater pulcherrima turbæ
Perpetuus ſacræ virginitatis apex,
Reſpice proſtrati lachrymis, & vota clientis:
Aeternis penſes hæc ſua dona bonis.

Prędicant quoq; Panormitani ducta per maiores fama, quibus & Siculorum annales conueniunt, Gualterium ex theſauro apud ędem ſancti Spiritus extra mœnia anno ſal. 1184. menſe Aprili & Guilelmi Regis ſecundi. 18. a ſe reperto celeberrimum,ac ſumptuoſiſsimum hoc tota Italia templum eodem anno & mẽſe inchoaſſe. Templum hoc maximum peruio vndiq; circuitu extructum eſt. Pauimentum ex marmore, & diuerſis lapidibus teſſellatum habet ſatis conſpicuum. Cuius abſides,columnę ampliſsimę, ingentesq́; duplici ordine grandi mole,& profuſiſsimo ſumptu ſuſtinent, quę & capita extendunt inaurata. In ſuprema parte teſtudinata, quam Tribunam vulgò appellant, ſigna ſunt numero quadraginta duo,Hetruſco marmore,Seruatoris,D.Marię,Apoſtolorum duodecim, Martyrum, Diuorumq́; plurium triplici ordine miro artificio ętate mea exculpta. Sub quibus ſingulorum vitę, ac res religioſè geſtæ marmori etiam inciſę minori forma,q̃ Diuorum imagines, ſumma cum delectatione ſpectantur, opus

Antonij

Antonij Gazini Meſſanenſis mirabilium rerum artificis, & ſculptoris inſignis. Opere porrò hoc Italia nullum hodie habet eximius. Enimuero ſigna hæc ad humanam ſtaturam, ac mira ad viuum propè arte elaborata cum veſtium, tum ſenſuum, & animorum varietatem ita exprimunt, vt ſpectantium oculos fixos detineant, ac nunq; ſatient. In ſiniſtra maioris ſacelli parte contigua eſt illi ædicula D. Mariæ cum eius marmoreo quoq; ſigno: cuius angulus marmoreis Panormitanorum Præſulum ſepulchris eſt frequens, & inſignis. Extat in eodem etiam templi latere, quod ſiniſtram alam vulgus appellat, Diuæ Chriſtinæ virginis, & martyris ex Tyro Italiæ oppido oriundæ ſacellum marmore, gẽmis, & auro intextum, nulli ſecundum. Vbi & arca argentea reconditum eius corpus ſub Hugone Archiepiſcopo anno ſal. 1160. Guilelmo primo Siciliæ Rege rerum potiente huc tranſlatum, maxima religione colitur: quo non ſolùm templum eſt inclitum, ſed vrbs etiam ipſa maximè nobilitatur. In dextera templi parte Euchariſtię Sacellum maiori heret: ad cuius angulum adytum eſt. Iuxta quod paulo inferius quatuor ſunt ingentia ex porphyrite Mauſolea miro artificio fabrefacta omnium noſtræ ætatis pulcherrima. Quorum duo à Rogerio Rege dicata in æde cathedrali Cephaledenſi quã ipſe à fundamentis erexit, ad ſuũ funus, & templi ipſius ornamentum repoſita, vt eius diplomate dato Panormi menſe Aprili anno ſalutis. 1145. & Regni ſui. 15. conſtat, Friderici ſecundi poſtea Cæſaris iuſſu, priuilegioq; Panormum ad ſuum, & Henrici patris monumentum in hunc locum tranſmigrarunt. In alijs autem ſepulchris, Rogerij Regis, & aliorum Regum, Reginarumq; Siciliæ, ac Ducum quoq; cadauera ſunt recondita, vt qui eorum vitas ſcripſerunt, tradidere; & Gualterius Panormitanus Archiepiſcopus in ſuo, & Canonicorum diplomate dato Panormi menſe Martio anno ſalutis milleſimo cẽteſimo octuageſimo ſeptimo. & Henricus ſextus in ſuo priuilegio dato Panormi die. 5. Ian. anno ſal. 1195. & Fridericus ſecundus Cæſar in ſuo etiam priuilegio, & teſtamento dato anno ſalutis. 1238. die. 17. Decembris, conteſtatum reliquerunt. Henricus nanq; quotannis Rogerio, & alijs Siciliæ Regibus ſolennes exequias celebrabat, & Fridericus filius, eius veſtigia ſectatus eiſdem tria per ſingulos annos anniuerſaria perpetuò celebranda, & decreto dum viueret, & teſtamento moriturus ſanciuit. In hoc templo prẽter Archiepiſcoporum, & Regum ſarcophagos, nulli ſunt alij. Siquidem iam inde ab initio eò, prẽter iſtiuſmodi dignitatis cadauera, neminem inferri cautum fuit. Sacellum eſt paulò inferius in hac dextra ala Crucifixo omnium ſeruatori ſacrũ: cuius imago glorioſiſsima, à Manfredo Claromontano Motycę olim Comite ibi dicata, maxima veneratione colitur. Ante portam quoq; eius meridionalem protyrion eſt, ſeu porticus, opere teſtudineo, & marmoreis ſuffulta columnis, quam templi veſtibulum eruditi appellant. Cui ſtatim è limine obiecta cohęret area latiſsima in longitudinem, quadrata forma, lateribus ſtrata, deambulationi peridonea, & vndequaq; cancellato muro circumſepta. In cuius medio fons è marmorea pila nimis placidus erumpit. Ante occiduam eius portam ædes ſunt Archiepiſcoporum hodie habitationi ſeruientes, à Simone cognomento Bononio Panormitano Antiſtite anno ſal. 1460. excitata, opus adhuc affectũ. Ante ſeptentrionalem verò portam ædes erant Archiepiſcoporum veteres, quę ętate mea cœnobio monialium ordinis minorum addictę ſunt. Ad quarum angulum occiduum ędicula eſt vetus D. Marię incoronatę ſacra, veteri Panormitano templo, quod Gualterius diruit, cohęrens. In ea priſcos Sicilię Reges vngi, ac Regia inſigniri corona mos erat. Quod quidem à Rogerio Rogerij Sicilię Comitis filio initium cœpit. Qui anno ſal. 1129. cum Siciliam, Appuliam, Calabriam, & magnam Libyę orę partem poſſideret, ſe indignum ratus tantum imperij ſub anguſto Ducatus, & Comitatus titulo continere, primus omnium Sicilię, Ducatus Appuliæ, & Principatus

& Principatus Capuæ, Rex appellari, ac Regia corona Panormi hoc loci insigniri se voluit. Suamq; in ea vrbe, atq; futurorum Siciliæ Regum sedem constituit, edixitq;, vt Siciliæ Reges, eiusq; Italiæ partis, quæ eo tempore Ducatus Appuliæ, & Principatus Capuæ, & nondum Regni titulum habebat, Principes Panormi, & non alibi, more Christianorum eo loci regio diademate inuestirentur, vt eius diplomate dato Panormi anno salutis. 1129. die. 15. Maij constat. Cui obsecuti eius in Regnum successores Guilelmus Primus, Guilelmus secundus, Tancredus, Henricus sextus, Fridericus secundus Cæsar, Manfredus, Petrus Aragonius, Iacobus, Fridericus alter, Petrus secundus, Ludouicus, Fridericus tertius, & Martinus, omnes deniq; Panormi loco præfinito Reges coronati sunt. Vnde Panormitus deinceps ab illis ipsis prima Regni Siciliæ sedes est appellata. Quæ ne præter fidem, ac testimonium à me asserta temere videantur, diplomatum regiorum, vnde illa excerpsi, verba subijcere placuit. Guilelmus igitur huius nominis primus, qui superstite adhuc Rogerio patre regalia insignia Panormi adeptus est, vt in eius vita legimus, in priuilegio clericis Panormitanis concesso dato Messanæ anno salutis. 1155. in hunc modum habet. Sanctam itaq; Panormitanam ecclesiam, quam ex hoc generali voto diuinæ religionis intuitu amplectimur, tum quia & regij diadematis nostri primitias in ipsa, & ab ipsa suscepimus, & quæ sequuntur. Alio item diplomate dato Panormi die. 15. Aprilis. 5. Ind. Guilelmus (inquit) Dei gratia Rex Siciliæ, &c. Et si vnicuiq; nostri regni ecclesiæ in educandis clericis, & adulterijs coercendis priuilegio pendeat principali: venerabili tamen Panormitanæ ecclesiæ illud tanto clementius duximus indulgendum, quanto & in vrbe regia fundata dignoscitur, in qua thronus, & solium nostræ residet maiestatis &c. Guilelmus post hunc secundus nondum tumulato genitore vnctionem, ac regium capiti indumentum ibidem iniecisse in gestis suis legitur. Tancredus quoq; Guilelmi successor Panormi regium diadema suscepit, vt Siculorum annales testantur. Henricus sextus idem Imperator, & Siciliæ Rex anno regni sui quinto, Imperij verò quarto, mortuo Tancredo, Guilelmoq; eius filio capto, Panormi corona regia donatus, in priuilegio ibidem dato anno salutis. 1195. mense Iunio: Nos attendentes (inquit) deuotionem dilecti fidelis nostri Bartholomæi venerabilis Panormitani Archiepiscopi, & omnium Canonicorum Panormitanæ ecclesiæ, considerantes etiam dignitatem, & prærogatiuam ipsius ecclesiæ Panormitanæ, quæ sedes est, & caput regni nostri Siciliæ, & in qua ipsius regni coronam primo portauimus, &c. Fridericus etiam secundus Imperator Henrici filius, & Siciliæ Rex in priuilegio dato Panormi anno salutis. 1200. sic habet: Habentes quoq; præ oculis quod in ipsa ecclesia Panormitana sacram vnctionem, & regium suscepimus diadema, quia etiam sicut ipsa ecclesia prima est inter omnes ecclesias regni nostri, & excellentia dignitatis suæ cæteris ecclesijs præest, sic diuitijs debet excedere vniuersas, &c. Idemq; in alio priuilegio dato Panormi die. 11. Octobris. 1211. 15. ind. Attendentes (inquit) quòd venerabilis & veneranda sacrosancta Panormitana ecclesia, quæ caput est, & sedes regni nostri, & antiquitate sit nobilis, & dignitate, ac speciali prærogatiua inter alias regni nostri ecclesias prima, & meritò principalis sit: quia tamen persecutione multa vallata non modicam sui iuris iniuriam patitur, ne nostro fœlici tempore quæ hactenus passa est, iterum patiatur: considerantes quod in ea sacram vnctionem, & regium suscepimus diadema, consideratione quoq; fidei, & grati seruitij, quòd Berardus dictæ Panormitanæ ecclesiæ Archiepiscopus. &c. Et in alio diplomate dato Augustæ anno salutis. 1215. idem Fridericus ecclesiam Panormitanam caput, & sedem regni nuncupat, & in ea suscepisse sacra regalia fatetur. Quod & in alio indulto dato Norembergæ anno salutis. 1216. affirmat. Itemq; in alio dato Panormi die. 12. Octobris. 1233. 7. ind. hæc habet verba: Cum fœlix ciuitas nostra

ſtra Panormitana in qua educati ſumus, & regium ſuſcepimus diadema, prima regni noſtri ſedes exiſtat, & à progenitoribus noſtris priſcis Regibus multis approbatis conſuetudinibus fuerit approbata, & quæ ſequũtur, ex qbus verbis Fridericum Panormi nõ fuiſſe ortũ conſtat vt multi ſcribũt. Nã ſi Panormitanus fuiſſet, ſicut educationẽ, & coronationẽ, ita quoq;, & maximè in hoc priuilegio ſui primordia in Panormitanam quoq; vrbem proculdubio retuliſſet. Manfredus etiam Siciliæ Rex in diplomate dato Panormi die. 17. Aug. primæ ind. anno ſalutis. 1256. in hunc modum: Dum (inquit) Reges Siciliæ, & Imperatores progenitores noſtri in Panormitana eccleſia honoris excellentis inſignia in vita conſueuerunt recipere, & poſt fata quieſcere in domino dormientes: vbi etiam cœleſti præſidio clarum fœliciter ſuſcepimus diadema, &c. Carolus Siciliæ Rex Comes Andegauenſis, qui Manfredo occiſo Siciliæ Regnum Clementis Quarti Romani Pontificis munere eſt adeptus, in diplomate dato Neapoli die. 19. Octobris. 14. indit. anno ſalutis. 1277. ita habet: Pro parte Canonicorum, & clericorum Archiepiſcopatus, & capellæ ſacri palatij Panormitani, & aliorum clericorum tam Latinorum, quam Græcorum ciuitatis eiuſdem. & infrà: Nos autem, qui ciuitatem eandem ſpeciali prærogatiua diligimus, & fouemus, eò quod caput, & ſedes regni exiſtit; ipſorum iuſtas petitiones gratis proſequentes affectibus fidelitati veſtræ firmiter præcipiendo mandamus, &c. Petrus quoq; Aragonius Siciliæ Rex poſt Gallorum cædem Panormi regiam coronã ſuſcepit anno ſalutis. 1282. die. 12. Aug. Iacobus eius filius, qui poſt eum Siciliæ Rex ſalutatus eſt, in eadem Panormitana eccleſia regijs euectus eſt inſignibus anno ſalutis. 1286, die. 2. Februarij in feſtiuitate Purificationis, vt conſtat per eius diploma datum Panormi eo die. &c. Fridericus ſecundus huius nominis Siciliæ Rex, quem falsò tertium appellant, Panormi quoq; regijs faſcibus, amictuq; primùm indutus in priuilegio dato Panormi die. 7. Ian. anno ſalutis. 1325. Conſiderantes (inquit) fœlicem Panormitanam vrbem, quam progenitores noſtri diuæ memoriæ tanq; ſuæ ciuitate naturali conſpicuam, & deuota fœlicitate, ac fideli deuotione pollentem regni caput, & meritò eligere decreuerunt. &c. Petrus ſecundus Siciliæ Rex in priuilegio dato Panormi die. 19. Maij anno ſalutis. 1340. Si Panormitanã (inquit) vrbem fœlicitatis titulo ſuę fideliratis merito inſignitam, in qua prędeceſſorum noſtrorum ſedes, & glorioſa cunabula claruerunt, ipſi prędeceſſores noſtri Reges, & Principes priuilegijs, immunitatibus, & gratijs plurimis decorarunt: nos etiam qui Dei nutu ab illis Regibus, atq; principibus originem trahimus, atq; in eadem vrbe ortum habuimus, & ſceptrum regni ſuſcepimus. &c. & infrà: Preſentis itaq; priuilegij ſerie notum fieri volumus vniuerſis tam preſentibus, quàm futuris, quòd nos attendentes grata ſatis notabilia, & plurima fidelitatis obſequia, quę Panormitani ciues ab eo tempore quo Gallorum communium hoſtium importabili iugo ſublato prędeceſſoribus noſtris preſtiterunt; à quibus redeundi ad naturalis matris gremium à cunctis Siculis exemplum laudabile ſumptum eſt. &c. Lodouicus prętereà, qui Petro genitori in regiam dignitatem ſucceſsit, anno ſalutis. 1343. die. 7. Decembris Panormi primùm vnctus, ac Rex ſalutatus eſt, vt in geſtis eius legimus. Fridericus tertius Siciliæ Rex regios faſces non eſt adeptus, quod per Claromontanorum, qui ab eo deſciuerant, ſeditioſa, perpetuaq; obſtacula Panormo prohiberetur, vt in eius vita legitur. Martinus Rex Aragonum, & Martinus eius filius, & Maria Siciliæ quoq; Reges ſuo diplomate dato Catanię confirmauerunt, vt Siciliæ Reges Panormi loco conſueto per manus Archiepiſcopi Panormitani vngerentur, coronarenturq;, prout eouſq; obſeruatum fuerat. Et Martinus iunior ſedatis Claromontanorum turbinibus, quibus diu detinebatur, Panormo potitus, ſolito ibi ritu regni primitias ſuſcepit. Vt in eius vita legimus. Alfonſus demum Aragonum, & Siciliæ Rex in priuilegio

dato

dato in arce noua ciuitatis Neapolis die. 15. Iunij. 1445. 8. ind. quo concedit Panormitanis molẽ portus ædificãdi poteſtatẽ, Cogitãtibus (inquit) diu nobis in noſtra fœlici vrbe Panormo, quam vnam in dicto Siciliæ vltra Farum regno habemus primariam, quæue apud totum ferè orbem vulgatum, & ſingulare cognomentum recepit. &c. Quin etiam Romani Pontifices eandem Panormitanam eccleſiam pluribus prærogatiuis decorarunt. Et in primis Gregorius huius nominis ſeptimus ſcribens Archerio Nicodemi Sarracenorum à Normannis expulſionis tempore Archiepiſcopi Panormitani in Archiepiſcopatum ſucceſſori in hunc modum habet: Gregorius ſeruus ſeruorum Dei dilecto in CHRISTO fratri Archerio Panormitano Archiepiſcopo ſalutem, & apoſtolicam benedictionem, &c. & infrà. Quamobrem chariſsime frater Archeri Panormitanam eccleſiam, & quæ quondam nobilis, & famoſa poſtmodum peccatis exigentibus in Sarracenorum poteſtatem perfidiamq; reducta, nunc reuera ad Chriſtianam fidem labore, & inſtantia filij noſtri glorioſi Ducis Roberti, Domino opitulante, conuerſa eſt, poſtulantis, priuilegio apoſtolicæ libertatis fulciri: nos tam iuſtæ petitionis intuitu, quàm etiam præfati Ducis amore, quem id ſcimus optare, ac cupere, gratanter concedimus, tribuimus, atq; elargimur, ac apoſtolica authoritate confirmamus eidem eccleſiæ, & per eam tibi quicquid dignitatis, & antiquitatis tenuiſſe, pbatur. Itẽ oẽs eius ſuffraganeos Epiſcopatus, vel ſi qui deſtructis illis in eorũ loco ſtatuti ſunt, vel opitulante Domino ſtatuentur, vt in præfatæ tuæ eccleſię priſtinam redeant poteſtatem. &c. & infrà, Pręterea fraternitati tuæ pallij vſum ſecundum antiquum eccleſiæ tuæ morem concedimus, vt eo inter miſſarum ſolennia his dumtaxat feſtiuitatibus vtaris. &c. Datum Romæ. 16. cal. Maij anno domini. 1083. Pontificatus noſtri anno. 10. Calixtus Romanus Pontifex huius nominis ſecundus ea omnia per ſuum priuilegium datum Laterani anno domini. 1122. nonis Aprilis confirmauit. in quo commemorat quo tempore Robertus Guiſcardus, & Rogerius Comes Panormum ſuperatis Sarracenis adepti ſunt, Nicodemum genere Græcum Archiepiſcopum ſolo titulo fuiſſe Panormitanum, qui dominantibus Sarracenis vitam pauperrimam apud ſanctam kiriacam, hoc eſt dominicam, ſub Monte regali ſitam degebat. Adrianus quoq; huius nominis quartus Romanus Pontifex eccleſiam Panormitanam metropolitanam, quo tempore Hugo Panormitanę pręſidebat eccleſię, in omni Sicilia his verbis inſtituit. Adrianus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filijs Agrigentino, Mazarienſi, & Melitenſi ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Ne in aliqua prouincia fidelibus Chriſtianis ſanctorum miniſteriorum plenitudo deeſſet, ſanctorum patrum ſanxit authoritas, vt in ſingulis prouincijs aliqua metropolis haberetur, quę alijs ex diſpenſatione regiminis, & authoritate officij pręſideret. Siquidem nos prouincię Sicilię id deeſſe videntes, Panormitanam ciuitatem, quę ſolo nomine vſq; modo metropolis habebatur, in plenitudine dignitatis metropolim decreuimus ſtatuendam. &c. Datum Beneuenti. 7. idus Iulij. 1154. Alexander etiam tertius Romanus Pontifex Adriani priuilegium ſuo diplomate cõfirmauit, dato Reate. 4. nonas Martij Pontificatus ſui anno quinto. Fuiſſe Panormum vrbem vetuſto tempore ante Siciliam à Sarracenis occupatam Pręſulatus titulo inſignem Diuus Gregorius in regiſtro lib. 11. c. 16. 17. 57. ac. 59. oſtendit. Sed de maximo templo, eiusq; prærogatiuis hucuſq;. nunc reliqua veteris vrbis, quę vel vetuſtatis, vel dignitatis aliqd pręſeferũt, proſequamur. Aedes eſt in eadem veteri vrbe paulo infra maximum templum omnium ſeruatori ſacra, & D. Baſilij ordinis monialium cœnobium illi adiunctum ex ſancti Matthei, ſancti Theodori intra mœnia, & S. Marię à Loreto eiuſdem ordinis extra mœnia, & fluuio Oretho imminentis ſitis olim, & ob id nunc deſertis monaſterijs, à Normannis Principibus conditum. Prędicant in eo antiquiores virgi-

nes

nes sacræ ducta per manus fama Constantiam Rogerij Regis filiam cum Deo hic dicata esset, à Gualterio Archiepiscopo raptam Henrico sexto Celestini tertij Romani Pontificis indulto nupsisse. Ostendunt & ipsius breuiarium græco idiomate, quo ab initio ad meam vsq; ætatem moniales vtebantur manu scriptum simul, & insignis puellæ ipsius pediseque marmoreum sepulchrum, quicquid scriptores minus aduertenter tradiderint. Enimuero fuisse eam Rogerij Regis non neptē, vt plerique falsò asseruere, sed filiam, nemo certior testis est, quàm ipsamet Constātia, quæ plurimis id diplomatis suis, tabellisq; publicis explicatum, contestatumq; reliquit. Inter alia nanq; eius priuilegia vnum est, quo templo Panormitano casale lacus Nicotri (vt vocant) anno. 1196. die. 15. Aprilis. 14. ind. ab ea concessum legitur. in eo post multa: Vnde (inquit) ostensis in curia nostra priuilegijs ab Illustrisimo Comite Rogerio bonæ memoriæ auo nostro. & clarissimo Rege Rogerio inclitæ recordationis patre nostro ecclesiæ Panormitanæ de prædicto casali dudum indultis. &c. Et in eius rescripto, quod Abbatiæ S. Mariæ la Gructa de Panormo (vt appellant) Abbatiam S. Mariæ de Marsala coniungit. Dato Panormi die. 13. Aprilis anno sal. 1196. bis Rogerium Regē patrē appellat inquiēs: Magnifici patris nostri Regis Rogerij bonæ memoriæ sequentes exemplum, qui multas Abbatias ferè desertas monasterio Saluatoris de Messana concessit. &c. & infra: A tempore Regis Rogerij patris nostri vsq; ad tēpora Guilelmi Regis secundi, nepotis nostri &c. Et in alio item post mortem Henrici Imperatoris sui mariti dato Panormi die. 9. Nouembris. 2. ind. 1199. hæc habet. Dum tu Barlaam monasterij Sanctæ Mariæ de Gructa Abbas fidelis noster ostenderes Maiestati nostræ priuilegium glorioſisimi Regis Rogerij patris nostri. &c. Reliqua multa breuitatis causa prætereo. Aedes alia extat in ea vrbis parte quodam tempore Parochia D. Mariæ de Cancellario nuncupatæ, & monialium ordinis D. Benedicti, monasterium illi adiunctū, quod ex Stephani illius, quem à Cancellariatu Guilelmi primi in Panormitanum Episcopum accersitum, & subinde à plebe ī Regem, maionemq; eius Admiratum tumultuante, Sicilia pulsū, vt in historijs latè cōmemorabimus, ædibus à Mattheo Cācellario ī sacros vsus conuersum est. Qua de re extat etiam Panormi Guilelmi secundi diploma. Nō procul hinc portæ obscuræ iminens vetusta est ædes D. Theodori testudinata, & columnis subnixa, Normannorum fabrica, monialibus D. Basilij primū adscripta. In huius vrbis regione, quę meridiē spectat, iter portas extintas Iudeam, & Bebilbacal, fanū est. D. Cataldi, musiuo pauimento, & porphyrete lapide, columnisq; testudinē sustinētibus insigne, à Syluestro Comite Marsico Rogerij Sicilię Comitis nepote conditum. cui & eius magnę ędes erant coniunctę, quę hodie nullę apparent. Supereſt in eo fano marmorea theca paruula muro infixa, in qua huiusmodi legitur epitaphium.

Egregij Comitis Syluestri nata Matildis
Nata die martis, martis adempta die.
Viuens ter ternos habuit menses, obijtq;
Dans animam cœlis, corpus inane solo.

Hęc annis Domini centum vndecies simul vno
Et decies senis, hac requiescit humo. hoc est anno sal. 1161. In propinquo templum est diuę Marię ab Admirato porphyrete etiam, ac musiuo opere, multisq; alijs ornamentis illustre à Georgio Antiocheno Rogerij Comitis primùm, & deinde Rogerij etiam Regis Admirato, vt sublimes intus & græcę, & Sarracenicę maiores tam scriptę, quàm etiam in lapidibus incisę demonstrant literę, & plura Rogerij Regis, Guilelmorum, & aliorum Sicilię Regum testantur diploma ta extructum, multis quoq; donarijs, vasisq; ad rem sacram aureis dotatum, ac octo insuper Canonicorum sacerdotum frequenti cultu celebratum. Quos

postmodum

postmodum Rogerius Rex quatuor alijs superadditis ad Diui Petri Apostoli in Palatio sacra seruitia transumpsit, vt publico ipse rescripto testatus est. Vasa verò sacra omnia Fridericus secundus Cæsar ad sumptus belli sustentandos abstulit, pro quorum restitutione casale Scupellum templo dedit, vt & illius tabellis datis Panormi die. 15. Augusti anno salutis. 1220. liquet. Huic templo plures post annos cum monasterium monialium ordinis Sancti Benedicti Goffredus Marturana & Aloysia eius vxor coniunxissent, effectum est, vt ætate mea Admirati nomine apud rudes prorsus obliterato templum etiam ipsum insigne absurdè à Marturana appelletur. Hic, vbi hodie carcer noxiorum est publicus, & initium viæ, qua Yhuzetha petitur, ac quadrato è lapide monasterij sanctæ Catherinæ officinæ cernuntur, ædes olim stabant Georgij ipsius Admirati magnificè, splendideq; extructæ. Quarum ea, quæ toto illo ambitu mira vetustatis fragmenta, & tessellata passim visuntur pauimenta, sunt reliquiæ. In hoc spatio, & sola via ab æde Sancti Cathaldi, & Sanctæ Mariæ de Admirato seiuncta, Prætoria vrbis est domus. opus quidem recens, sed anno salutis. 1553. cum primùm nummulariam tabulam Panormitani instituerent, in eam, quæ nunc est magnitudinem ad pecuniæ custodiam ampliata, Prætoris est sedes. Ad cuius portam, quæ meridiem respicit, duo hinc inde extant pari forma ex marmore nuda hominũ nobis incognitorũ simulacra, insigni sculpturæ industria elaborata. Subest ei dextrorsum S. Catherinæ monialiũ ordinis Prædicatorũ cœnobiũ, à Palma de Magistro Angelo & Beneuenuta eius filia anno salutis. 1300. sacratũ, ditatumq;, vbi Bebilbacal porta olim erat vrbis, & ædes Sancti Stephani de Admirato: eiq; inferius hæret Diui Matthæi fanum virginum olim Diui Basilij cœnobium à Normannis conditum. Nec multo infrà marmorea via intercurrente ad angulum vrbis super mœnibus turris Pharath, ac portæ Patitellorum incubans templum est hodie Diui Antonij, quo loco forum olim Sarracenorum fuisse in Regum diplomatibus, & publicis tabulis comperimus. Vetus hæc vrbs, quà septentrionem respicit, prisco tempore (vt dixi) stagno maritimo vsq; ad eum locum, qui Papyritus hodie dicitur, alluebatur. Quod obiectu protensæ linguæ ad vrbis vsq; verticem mare incurrens portum tutissimum faciebat. At æui cursu amnis, qui hac etiamnum ætate Papyritus dicitur, quiq; olim vrbis mœnia cum stagno lambebat, & auctam iam vrbem interfluit, limosus alioqui, & materiæ secum aliquid semper afferens, obturatis luto portus faucibus, paulatim illud ad maris vsq; littus prorsus oppleuit, oppletq; etiam in singulos adhuc annos Panormitanum maris sinum, qui ea causa importuosus propè relinquitur. Enimuero quinquaginta plus minus ab hinc annis hybernis nonnunq; temporibus sæuiente Aquilone non solùm maritima vrbis porta, sed & campus quoq; qui intra vrbis mœnia est hodie, ad tabernas vsq; meritorias vndis atterebatur: quod hac ætate repleto iam limosa materia sinu minimè contingit. Nam fluctus ipsi etiam vehementissimi ne ad portam quidem suo impetu peruadunt. Et quod de stagni ingressu scripsimus, Procopius libro. 1. de bello Gothico affirmare videtur. Cuius verba adscripsi: Panormus (inquit) vrbs sola, quoniam in ea validum erat Gothorum præsidium, ac munitissimus erat locus, obsidionem expectauit, ac pertulit. Quæ cum à terra munitissima esset, hostesq; contemneret, quinimo & vt abirent, imperabat. Classe in portum delata mari tandem expugnata est, portus enim vsq; ad mœnia patebat. Animaduersumq; à Belissario fuerat quibusdam in locis malorum nauiumq; altitudinem celsius attolli, quàm mœnia. Quare classem intra portum suis statim vt agerent, iussit, ac mu-

Digitized by Google

rum ad mare ſitum ſubirent, qui fortè tunc erat defenſoribus vacuus. Iactis itaq; in portu mox ancoris, & nauibus in tuto firmatis, quarum mali vrbis propugnacula ſuperabant, extemplo lembos ſagittarijs complent, ſublatosq; ad mali ſuſpendunt faſtigium. Vnde ex eminenti Gothi ſagittis vndiq; icti, & inſtanti periculo adducti in imbellem formidinem acti ſine mora mox Panormum Belliſſario dedunt. &c. hucuſq; Procopius. Hæc, communi Panormitanorum opinioni plurimum aſtipulantur. Nam cum ea anno ſalutis. 538. Panormi obtigerint qui decimus ſeptimus abhinc ſupra milleſimum fuit, quo tempore neq; partes vrbis hodierno portui cohærentes, neq; quæ portũ hodie ambiunt mœnia condita, vt paulo pòſt oſtendam, ſed longo pòſt tempore extructa fuerint: vbi portum vſq; ad mœnia, Procopius patere ſcribit, non de hoc portu, neq; de his mœnibus, quæ eo tempore non extabant, ſed de veteris vrbis mœnibus, & portu qui ea tunc ſtagni inſtar alluebat, proculdubio locutus eſt. Quod & annales vrbis affirmant, cum regnantibus Petro, Iacobo, Friderico, Petro ſecundo & Ludouico, Logiam, ac Conciariam paludoſas, inhabitatasq;, ac Iuratum, qui his partibus exinde cultis hodie adſcribitur, portæ Patitellorum appellatum fuiſſe referunt, vt in archiuo Prætoris eſt videre. Cæmentarij præterea, qui ædium in ea regione aliquando fundamenta fodiunt, non in molem lapideam, neq; in ſolidum, firmumq; aliquod, ſed in arenas marinas incidunt. Quod euidentiſsimum, ac omni prorſus tergiuerſationi contrarium eſt argumentum. Sed de veteri vrbe hactenus ſatis.

ALTERA PANORMI pars eſt, quam longo poſt veterem vrbem tempore cõditam Neapolim græcè. i. nouam ciuitatem appellatam fuiſſe Polybij authoritate ſuprà demonſtrauimus. Hæc ea eſt, quæ vrbi veteri ad meridiem hæret. Fuiſſe autem conditam longè ante primum bellum Punicum, muroq; qui adhuc vetuſtiſsimus pro maiori parte hodie veteri vrbe diſtinguitur, atq; arce munitam Polybius eodem loco teſtatur. Quam eo tempore foſsis etiam, ac mœnibus circumuallatam fuiſſe quo Metellus Aſdrubalem Carthaginenſium ducem, eiusq; exercitum, ac eorum elephantos primo bello Punico flagrante fregit, ex eodem apertiſsimum eſt. Hæc à palatio incipiens, ac in formam deinceps hemicycli producta claudebatur. Quas autem iam inde à primordio regiones habuerit, incertum eſt. Normannorum vero ætate Kemonia, Albergaria, Deiſin, & Yhalcia, quæ à Sarracenis proculdubio deriuantur, diſtinctam fuiſſe ex Regum diplomatibus, & publicis tabulis compertiſsimum eſt. Kemonia, quæ hodie nomen amiſit, ſtatim ab arce incipiens regionem portæ Mazarienſis complectebatur, in qua prope arcem hodie ædes eſt Diuæ Mariæ ab Itria, cui iuncta eſt ædes alia vetuſtiſsima diuo Andreæ olim dicata & ſacello Regio à Petro Archiepiſcopo attributa, ſed nunc ruinis affecta. Et abſq; interuallo ſuper mœnibus vrbis templum eſt Diui Ioannis cognomento ab Heremitis, & cœnobium ordinis ſancti Benedicti illi annexum à Rogerio Siciliæ Rege extructum, vt eius priuilegio dato Panormi anno ſalutis. 1148. menſe Iulio conſtat. Quod ætate mea quatuor Panormitanis Canonicis à CAROLO QVINTO CAESARE Siciliæ Rege, & Clemente ſeptimo Romano Pontifice conceſſum eſt. Huic ad meridiem hæret ædes Diui Georgij, & cœnobium ordinis Diui Baſilij à Roberto Guiſcardo illi coniunctum. Sed proceſſu æui à Friderico ſecundo Rege monaſterio Sanctæ Mariæ de Alto fonte & de Parco in hoſpitium elargitum, vt patet eius diplomate dato Meſſanæ die. 28. Iunij. 1307. Altera huius partis regio Albergaria, hodie appellationem retinet. In qua venale forum Segeballarath Sarracenicè dicebatur, vt in Regum eorundem diplomatibus,

Digitized by Google

diplomatibus, & tabulis publicis legimus, ſed corrupto paulatim nomine à cæde Gallorum ad meam vſq; ætatem per aphæreſim, ac ſyncopata voce Ballarò nuncupatur. Huic foro ad occidentem templum imminet Parochiale Diui Nicolai ab Albergaria vetuſto cognomento, a Regina Blanca anno ſalutis. 1400. conditum, vt inſcriptio in vetuſta tabula primario eius templi ſacello affixa ætate mea teſtabatur. Incubat quoq; eidem foro ad meridiëm Carmelitarum cœnobium. Sed ſubeſt ei ad Boream cœnobium D. Mariæ à Gructa ordinis ſancti Baſilij à Roberto Guiſcardo erectum. cui ab Henrico quinto Cæſare & Siciliæ Rege, & Conſtantia Imperatrice fuit adiuncta Abbatia ſanctæ Mariæ de Marſala cum iuribus ſuis, vt eorum reſcriptis datis Panormi. 8. cal. Maias. 1197. apertum eſt. quod anno. 1552. ſacerdotibus de IESV ceſsit. In hac æde tabula marmorea ætate mea eſt reperta græco epitaphio inſcripta, quod ad verbum ex iambico carmine (huiuſmodi nanq; erat græcum) Latinè redditum eſt in hunc modum:

Quæ fœliciter peperit virum illuſtrem
Georgium primum Principum vniuerſorum
Caſtam, ſolitariam, piam Dei miniſtram
Lapis hic cooperit tumulo
Defunctam in ſenectute profundiſsima.
Ianuarius habebat diem
Vltimam, & finalem ſolam:
Inditioq; agebatur tertia tunc
Anni prætereuntis ſubtiliſsimè
Tranſacto milium ſenario
Annis cum ipſis ſexcentis totis
Quadrageſima cum octonario rurſus.
Et puluerem quidem ipſius intus occultat tumulus:
Animam verò geſtant angelorum manus
Nympham immaculatam dignam Domino
Nympharum duce, & innoxio thalamo.
Et nunc exultat nymphicè tractata,
Virtutum linteo induta,
Et bonis omnibus circumornata.
Et diuinis radijs impleta,
Vt quæ comis legata pro filijs
Preces commendat Deo alloquij fiducia.

Thecam hanc Georgij Admirati fuiſſe genitricis & tempus, & locus ſatis indicāt. Vtraq; hæc regio ampla eſt, & populo frequentiſsima. Tertia huius partis regio Deiſin Sarracenicè, ea eſt, quæ nonnihil immutata Diuiſi hodie dicitur. cuius Parochialis eccleſia Diuo Ioanni Baptiſtæ cognomento a Tartaris eſt dicata. Quatta regio Yhalcia Sarracenicè dicta nomen adhuc retinet, & deinceps vſq; ad mare, quod portæ Græcorum mœnia atterit, ſequitur. Huius rerum venalium forum Fera vetus dicitur, vbi olim Panormitanæ celebrabantur nundinæ, quarum vernaculum adhuc id nomen ſeruat veſtigium. Aedes ſacræ in hac regione complures. Quarum vna eſt Diuæ Trinitatis iuxta Thermarum portam à Matthæo Guilelmi Regis ſecundi Cancellario intra vrbis eo tempore mœnia cum monaſterio illi coniuncto à fundamentis erecta, quam etiam poſtea à Guilelmo Rege fuiſſe dotatam ex eius Priuilegio dato Panormi anno ſalutis. 1150. conſequimur. Hanc ſubinde Henricus ſextus Siciliæ Rex Teutona gente ortus, vtpote Friderici primi Cæſaris à Ruffabarba appellati filius, eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & hoſpitali Teutonicorum con-

Digitized by Google

ceſsit, vt ex Friderici ſecundi Cæſaris reſcripto colligimus. quod in hunc modum refert. Notum (inquit) facimus tam præſentibus, quàm futuris, quòd nos ad imitationem Domini Imperatoris, & Dominæ Imperatricis fœlicium parentum noſtrorum Diuæ memoriæ monaſterium ſanctæ Trinitatis de Panormo à Matthæo quondam dicto Cancellario conſtructum, quod ipſi dominus Imperator, & Domina imperatrix eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & hoſpitali Teutonicorum miſericorditer conceſſerunt, hęc ille. Teutonum igitur hoc pacto factum eſt ex ea Xenodochium Manſio hodie vulgò appellatum. Non longè ab eo templum eſt D. Mariæ ab Angelis, & minorum Fratrum, quos obſeruantiales vocant, cœnobium ætate mea illi à fundamentis adiectum. eiq; vicinum aliud eſt monaſterium monialium ordinis Prædicatorum Diuæ Mariæ à Pietate, à Franciſco Patella Siciliæ Magiſtro Portulano ſuper eius egregijs ex quadrato, & ornato lapide conſtructis ædibus ætate etiam mea fundatum, Et propè extat ædes D. Mariæ a Victoria pijs viris dicta, qui veſte alba amicti, & facie velata in furcam, ſecurim, aut aliam id genus capitis pœnam damnatis piè aſsiſtunt. Cui hæret templum aliud inſigne D. Mariæ de Spaſmo appellatum, & cœnobium Montis Oliueti illi contiguum, a Iacobo Baſilico Iureconſulto anno ſalutis. 1506. extra vrbis mœnia tunc, licet ampliata ea parte, ætate mea intra mœnia conditum. Vlterius moli portus imminens ædes eſt præclara, duplici columnarum ordine ſuffulta, & lapidibus quadratis ingentibus inſurgens Diuo Nicolao cognomẽto à Yhalcia totius regionis Parochialis. Et iuxta eam, ſed portui magis prominens templum eſt quadrato etiam lapide teſtudinatum, columnisq; ex ſpeculari lapide conſpicuis ſubnixum D. Mariæ à Cathena vel ob id nuncupatum, quòd portus littori incubat, Vbi olim, cum profuſior erat, ne aliquando hoſtiles roſtratæ naues in portum irruerent, cathena ferrea faucibus inſerta vtrinq; erat colligata. Hinc ad iactum lapidis ad meridiem diſtant, areæ maximæ, quam planitiem maritimam appellant, prominentes, Manfredi Claromontani Motycæ olim Comitis inſignes veteris architecturæ ædes, anno ſalutis. 1320. ſtructę Hoſterium ętate mea dictę. Quas cum Andreas Manfredi filius defuncto patre, quòd à Martino Sicilię Rege deſciuiſſet, capite plexus eſſet, Rex ipſe ſibi in regiam adſcripſit: curiamq; circum eas ampliſsimam, vbi Iudices totius regni ad cauſas decernendas, quę antè (vt Friderici Regis ſecundi priuilegio conſtat) in Caſtro ad mare agitabantur, conuenirent, inſtituit; qua poſtea Sicilię Proreges vſi ſunt. Verùm anno ſalutis. 1517. cum per mortem Ferdinandi Hiſpanię, & Sicilię Catholici Regis motibus in Sicilia, & Panormo pręſertim exortis, Hector Pignatellus Montiſleonis tum Comes Sicilię Pręſes à coniuratis in ea regia expugnata captus eſſet, ſedatis poſtea motibus tutum ſibi, ſuisq; poſteris ibi refugium minimè fore ratus, regia ad maris arcem, quę munitior eſt, tranſlata, mercium cò horreum, quod Doanam vulgò appellant, tranſcripſit. Porta vrbis in hac regione, & non longè ab his ædibus olim erat Politio cognominata, quæ hodie licet nulla ſit, nomen tamen apud ſeniores adhuc retinet. Et de Neapoli quidem ſatis.

TERTIA PANORMI pars ea eſt, quæ veteri vrbi, ad ſeptentrionem interfluente amne hodie hęret, Seralcadis Normannorum Regum ętate, & hodie appellata, tranſpapyretum ciuitas Rogerio regnante in priuilegijs, & publicis tabulis etiam dicta. Hęc à Palatij confinio, & à fluuiolo Papyreto initium habẽs, mœnibus curuato curſu cincta, veteri vrbi ad turrim Pharath iungebatur, vt ex murorũ fundamentis in quæ foſſores paſsim incidunt, liquet. Forũ eius venale à Bandera nomen habet. Eius ędes ſacrę ſunt: tẽplũ ſanctę Crucis Parochiale, & alterũ Diui Hippolyti. Eſt & D. Auguſtini cum Heremitarum fratrum cœnobio nõ ignobile fanũ. Hanc vrbis partẽ Papyretus amnis hodie ſtatim interfluit:

interfuit: qui plures habens triticeas molas ad Panormitanum portum se exonerat. Oritur autem extra mœnia ad pas. fermè quingentos è fonte sub specu effluente, cui Sarracenicè Aynseitime, sed Aynsindis corruptè hodie nomen est. Siquidem Ayn Sarracenicè fontem sonat: Seytim viri proprium est nomen. Is fluuius & extra, & vrbis etiam mœnia ingressus statim in stagnum, paludesq; diffunditur. Vbi papyri magna gignitur copia. Est autem hoc genus scirpi frutex nudam habens virgam triangulis lateribus in gracilitatem fastigiatum, longitudinis circiter cannæ vnius, & in summo lanuginem habens capillarem. à quo & locus, & amnis Papyritus est appellatus. Erat eo loci, ad flu. dexteram Sarracenorum tempore trapetum: vbi & cannæ mellitæ frustatim coniectæ, & oleæ, fluuij cursu molebantur Mahassar Sarracenicè dictum, vt in Normannorum Regum priuilegijs legitur. Super cuius postmodum rupem à Normannis Regibus ædes D. Iacobo Apostolo dicata est, & à Mahassar quoq; appellata, quę corruptè hodie à Mazara correpta media à Panormitanis ciuibus nominatur. Stagnum illud maritimum, cuius suprà memini, hucusq; olim perueniisse situs quoq; loci maximè vallatus indicat. Porta erat ad hęc vrbis mœnia à Rota olim vocata, vt publicis tabulis, & Regum priuilegijs constat, quę hodie clausa licet nomen amiserit, mœnibus tamen nomen dedit, quę Rotę appellationem adhuc habent. In hac vrbis parte, & ad huius flu. siniſtram loco, cui Sarracenicè adhuc Ayn Romè, quod fontem Christianorum Latinè interpretamur nomen est, anno salutis. 1550. insignes conditę sunt ædes. in quibus textrina officina ingens, in qua textiles lanę fiunt vestes, primum constituta est.

QVARTA, & vltima Panormi pars id totum spatium, quod inter veterem vrbem, duasq; vrbis prędictas partes & portus littora interiacet, complectitur: ingens sanè, & pluribus regionibus, sacrisq; ac profanis ædibus prędaris ornatissima. Nam cum olim stagnante fluuio, & stagno quoq; eam perfundente tota esset paludosa, habitationi erat inepta. Processu verò æui palude reseccata suburbijs locum dedit. Quorum prędipuum Amalphitanorum fuit, & eorum Parochialis ędes D. Andreę sacra, quę adhuc extat, & D. Nicolai fanum prope eam quod à Burgo adhuc cognominatur, & subinde cętęrę regiões illis adiectę sunt, vt Conciaria, Logia, & Terracina. Cuius rei argumentum non infirmum est, quòd tempore Guilelmorum Regum neq; Conciaria, neq; Logia regiones habitatę, nec cognitę fuerunt: sed Amalphitanorum duntaxat suburbium, vt in diplomatibus, & tabellionum tabulis comperimus. Iuratus prętęrea vrbis, qui omnium postremus est, non Conciarię, aut Logię, prout hac ętate, sed portę Patitellorum etiam anno salutis. 1300. Petro primo, Friderico, Petro secundo, & Lodouico Regibus ascribebatur, prout in archiuo Prętoris videre est. Hęc itaq; pars tum proximè coaluisset, templum Sarracenorum, quod & in ea, & extra mœnia erat, Christiano purgatum more D. Iacobo iam antea dicatum, relicta S. Andreę ęde, in vniuersalem totius huiusce partis Parochiam Ciues constituere, vt ex pub. tabulis cognouimus. Aedibus prętęrea D. Francisci cum fratrum minorum (quos Conuentuales appellant) cœnobio insigni hęc regio est celeberrima. D. quoq; Dominici templum in eadem, & monasterium illi annexum religiosissimum ordinis Prędicatorum. A quo non procul cœnobium est S. Citę ordinis eiusdem, Lucensium olim Xenodochium. E regione quoq; templum D. Annunciatę ornatissimum, cui vicina est D. Lucę ędes. subestq; huic D. Petri Apostoli templū cognomēto Balnearij anno mundi. 6589. Roberto Guiscardo rerā Panormi potiente extructū, quēadmodū huiusmodi super eius porta in saxo marmoreo greca, sed in Latinū versa indicat inscriptio: Expletū fuit adorabile tēplū sanctorū Apostolorū Petri & Pauli in diebus Illustrissimi Ducis Roberti, & Siciliettę eius vxoris impensa Nicolai filij Leonis Paratalassiti Panor-

Digitized by Google

mitani, & ſollicitudine, curaq; Nicolai ſimplicis presbyteri, & tabellarij anno mũ di. 6589. inditione quarta. orate pro eo, hucuſq; inſcriptio. Et ad limen templi eiuſdem marmor calcatur, in quo hoc fragmentum latine legitur: Aurelio Imperatori. Hæret huic arx vetus, quam Caſtellũ ad mare ideo vocant, quòd tres eius partes mari impetuntur, & ad tuendum portus oſtium à priſcis condita, ſed à Sarracenis templo Mahumetanæ ſuperſtitionis excitato ornata, & à Roberto Guiſcardo, ac Rogerio fratre illis ſuperatis poſtmodum inſtaurata, vt in annalibus Siculorum, & vita Rogerij legimus. Quam poſtremò CAROLVS QVINTVS CAESAR propugnaculis ingentibus mea ætate muniuit. Adhærebat arci, quà portus fluctibus alluitur, templum vetuſtum D. Ioannis Baptiſtæ à Normãnis quidẽ Principibus ditatũ, ſed à Gulielmo ſecũdo Sicilię Rege poſtea cœnobio ſancti Spiritus extra mœnia eius tempore ab Archiepiſcopo Panormitano cõdito cũ ſuis pagis cõceſſum: vt eius diplomate dato Panormi anno ſalutis, 1178. menſe Nouemb. quod legimus, conſtat. quod tempeſtate etiam mea ad muniendam arcem funditus deletum, iuxta ædem D. Mariæ à Cathena reſtitutũ eſt. Sunt & aliæ duæ D. Mariæ ædes me viuente in ea conditę. quarum vna à Portu ſaluo, altera à miraculis appellatur, vtraq; miraculis ad aream maritimam conſpicua. Hæc quarta Panormi pars cùm aperto proſpectu ad maris portum olim exiret, anno ſalutis. 1380. Mãfredi Claromõtani opera foro & campo maritimo fornicibus inſtar muri editis incluſo muro ampliſſimo cincta, & cæteris tribus ædium nobilitate, ac populi frequentia reddita eſt celebrior. Quatuor has Panormi partes eo temporis ordine, quo à me ſunt deſcriptæ, fuiſſe conditas Conſeruatorum vrbis (quos Iuratos Siculi appellant) ordo indicat. Nam cum ſex ſint eius dignitatis, nominisq; in vrbe Senatores, diſtributis oneribus, duo eorum veteris vrbis, tertius Neapolis, quam Albergariam hodie appellant, quartus Seralcadis, quintus Yhalcię: Sextus anno ab hinc quinquageſimo ſupra centeſimum portę Patitellorum, ac ſubinde aucta ea regione Conciarię, & Logię nomen ſuſcepit, vt diximus. Ita Panormus quatuor præcipuis partibus complexa habet incircuitu p. m. ferè quatuor. Anno nanq; ſalutis. 1493. filo extrà ad mœnia ducto ſenatus eius ambitum, 32 53. in circuitu cannas demenſus eſt. cui & mea ętate aliquid etiam ſpatij ad Græcorum portam (vt paulo pòſt dicemus) acceſsit. Mœnia vrbis, quà ſeptentrionem ſpectat, cum eſſent vetuſtate collapſa, Fridericus ſecundus huius nominis Sicilię Rex, & Petrus filius reſtaurarunt. Manfredus poſtea Claromons, penes quem multos annos non modò in hac vrbe, ſed & in ea Sicilię parte, quam Vallem Mazarę vocant, ſumma rerum fuit, totius penè vrbis muros multis locis diſſolutos in cultum longè ſplendidiorem reſtituit. Sed & mea ętate Senatus ipſe Panormitanus propugnaculis, eisq; miris, ac frequentibus ad recentiorem diſciplinę militaris, munitionumq; formam innouatis munitiſsimam reddidit. Eſt verò Panormus hodie non tantùm ſedes regia, & ciuitatum Siciliæ maxima: ſed & Emporium, rerumq; omnium venalium forum non modò Sicilia tota ſed & Italia celebratiſsimum. Quò confluere ſedesq; trãsferre propterea conſueſcunt non ſolùm Italici generis Genuenſes & Ethruſci, ſed Hiſpani quoq; complures, quorum conſuetudine res Panormitanæ maiorem in modum ſuccreuerunt. Habet hodie portas decem: Maris, Doanæ, Molis, Græcorum, Thermarũ, Sanctæ Agathæ, Mazarę, Nouam, Carinis, & Sancti Georgij. Quarum tres primę maritimę ſunt, ac vehementi flante aquilone vndis nonnunq̃ verberantur. Prima à Mari nomen habet, quà portus petitur. altera Doanæ anno ſalutis. 1520. eſt dicata, quod per eam merces, quæ nauibus aduehuntur, in regium horreum vectigali pendendo tranſeunt. Tertia Molis dicitur, ob id, quòd vaſta ibi eſt moles, quã Panormitani fluctibus marinis, quo tutior

eſſet

esset nauibus statio regnãte Alfonso Hispanię,& Siciliæ Rege anno ab hinc octauo supra centesimum obiecerũt. Reliquæ mediterraneæ sunt,quarũ vna & moli vicinior à Græcis, quorum olim ibi erat suburbium, appellatur. quæ anno sal.5553. cum moenibus coniunctis diruta ac vrbi spatio adiecto non ad orientem, vti iam pridem, sed aquilonem spectans nouam, ex lapidibus quadratis, & maximis propugnaculis,& Africæ Sarracenorum vrbis foribus ornatissime structuræ faciem susceptit. Quæ & ipsa sęuiente aquilone fluctibus alluitur. Succedit ei ad paucos passus porta quædam hodie clausa, à Victoria nomen habens, qua Rogerius Siciliæ Comes vrbem ingressus, & superatis Sarracenis olim Panormo potitus est. Extra duas has portas prò moenibus Sarracenorum olim sepulchrorum erat locus, quorum ætate mea plurima sunt reperta. Subinde traiecto fluuio Oretho ad .p.m. ferme quinq; seges est dulcium arundinum,ex quibus saccarum fit. Vbi ædes iugentes sunt arcis instar. à Petro speciali anno supra centesimum ad saccarum conficiendum extructæ. Sed & paulò superius aquæductus sunt insignes,qui excelsis arcubus fluuij aquas ad cannas mellitas irrigandas ducunt,à Petro Cãpo eodem ferme tẽpore extructi. Secunda porta Thermarũ nominatur ab oppido eiusdem nominis, quod p.m.24. Panormo abest. Hanc & moenia coniuncta vetustate collapsa Fridericus Siciliæ Rex secundus à fundamentis instaurauit, vt ex èius priuilegio dato Panormi anno sal. 1328. colligimus: Aetate verò mea & propugnaculis admirandis,& recenti forma innouatam videmus. Extra quam ad quingentos ferme passus Orethus flu. vrbem prætcrlabitur,Metelli contra Asdrubalem Carthaginensium ducem victoria insignis. vbi ponte eximio quadratis ex lapidibus à Georgio Antiochẽo Rogerij Regis Admirato, cuius adhuc cognomentum retinet, liberaliter extructo traijcitur. Traiecto amne ad iactum fundæ ædis sacra testudinata occurrit D. Ioanni ab infirmis leprosis dicata, à Roberto Guiscardo, & Rogerio Siciliæ Comite,cum Panormum obsiderent,excitata: vt & in eius gestis legimus, & Fridericus secundus Cæsar in suo diplomate dato Hagenouæ anno sal. 1209. mense Februario testatur. Et vlterius ad .p. circiter mille fons ingens est à Fauara sancti Philippi nominatus: vbi Rogerius Siciliæ Rex ædes insignes, locumq; fecit amœnissimum Solatium Regium vnà cum fonte appellatum, vt in eius vita traditur, & ex priuilegio Regis Friderici secundi dato Messanæ die 28. Iunij. 1307. habemus. Et ad .p. deinde plus minus .400. ad radicem excelsi montis fons alius insignis scaturit,mare dulce nuncupatus. vbi & piscina regia olim erat; cuius adhuc vestigia cernuntur. Incubat huic fonti ad angulũ montis specus ingens, in quo cadauer illud immensæ proceritatis,cuius lib. 1. memininimus, inuentum est. Has aquas Fredericus secundus Siciliæ Rex pro commutatione viridarij cuiusdam Panormitani, quod idem Rex ex domo Mansionis Trinitatis pro extruendis moenibus,& porta Thermarum sibi occupauit, eidem Teutonum Xenodochio dedit, vt dato eis priuilegio Panormi ostenditur. Ad .p. deinde circiter. 500. dextrorsum ad montium latus cœnobium est ornatissimum, ac religiosissimum fratrum minorum obseruantiam regularem sectantium, à S. Maria de Iesu appellatum, Matthei Agrigentini concionatoris, sua tempestate illustris opera, anno ab hinc fermè centesimo excitatum. Tertia porta à .S. Agatha, cuius ædicula ad passus circiter .200. ab ea disidet,nomen susceptit. Quam deinde sequitur templum S. Spirtui sacrum, & cœnobiũ Cistercienſis ordinis illi annexum præclarum quidem, & à Gualtherio Panormitano Archiepiscpo ad ripam fluminis, quod Sarracenis eo tempore Habes nominabatur gratia, & fauore Guilelmi secundi Siciliæ Regis conditum, vt in suo priuilegio dato Panormi mense Nouembri anno salutis 1178. Gulielmus ipse testatur. cuius primo inchoationis die, Solẽ eclypsim

passum

passum fuisse Siculorum annales referunt. Vbi etiam à conditore thesaurum quo postea templum maximum excitauit, repertum memorant. Id templũ illud est, vbi tẽporis successu anno sal. 1282. tertio die Paschę festo Galli quot quot tum Panormi aderant, quòd petulantius mulieres, quæ ad rem sacram solenni more confluxerant, oculis, gestibusq; procarentur, vna vesperarum hora à Panormitanis partim religionis, partim pudicitiæ vindicibus trucidati sunt. Vnde Siculorum vesperę in prouerbium abiere. Quarta porta ad latus vrbis occidẽtale sita à Mazara vrbe, quę Panormo.p.m. 70. distat, nomen habet. extra quam per pontem superato Oretho amne templum .D. Mariæ à Gratijs. p. m. 3. ab vrbe aditur. quo præterito sinistrorsum ad montium radices emergens fons est perennis, & magnus Ambler Sarracenicè nuncupatus. Vlteriusq; ad .p.m.2. ad montium latus fons alius affluentissimè emergit: qui quòd celso oritur loco, totumq; Panormitanum agrũ irrigat, Altus fons appellatur. vbi vetustum eiusdem nominis est templum .D. Mariæ, eiq; cœnobium sacerdotum ordinis Cîstercienſis coniunctum. cui hærebant saltus Guillelmi secundi, quos Parcum, aut Circum regium nominabant. vbi frequenter venationi indulgebat, hodie priuatis vineis suffecti, à quibus & ager, & monasterium à Parco adhuc cognominantur, à Friderico secundo Siciliæ Rege conditum, cui pro dote vtrumq; Parcum, & nouum vbi est erectum, & vetus Panormi, agrumq; Parthenici contulit, ac etiam, vt in Sala eiusdem agri posset pagus construi, & habitari: addiditq; doti ecclesiam. S. Georgij à kemonia, quæ monasterium tunc erat monachorum Græcorum, vt ex eius priuilegio dato Messanæ .28. Iunij anno sal, 1307. constat. Quinta porta Palatij lateri septentrionali hærens Noua est dicta. de qua satis superq; hoc eodem capite. Extra hanc Aynsindis fons ad .p.500. occurrit. Iuxta quem Zisa pomarium regium: & deinde ad. p. 500. Archiepiscoporum Panormitanorũ sunt horti. Et suprà ad .p.m. fons est ingens à Nixo dictus: quem ad sagittę proiectum præclarus sequitur fons Cribel Sarracenice in quodam Conradi Siciliæ Regis diplomate, sed Gabriel hodie dictus. Duo hi fontes cum maximi, & celeberrimi sint, agrum irrigant Panormitanum, & plures quoq; molas contoluunt. Gabrieli fonti ad dexteram quidem in elato nonnihil tumulo, qui acuto monti altissimo subest, templum ad .p. mille assurgit, & ordinis D. Bernardi adiectum illi cœnobium insigne. D. Mariæ de Angelis cognomento à Manfredo Claromonte Motycæ olim Comite consensu Vrbani sexti Romani Pontificis In agro baydæ qui iuris erat ecclesiæ Panormitanæ, & ex causa permutationis adepto ædificatum, locupletissimeq; ditatum, vt in publicis tabulis Notarij Nicolai Castroni. 1388. mense Aug. & in archiuo magnę regiæ curiæ legimus. Quod ætate mea vetustate collapsũ à Ioanne Paternione Catanẽsi Panormitano Archiepiscopo, cui cessit, instauratum, magnisq; ędibus ampliatum ab ædicula in area templi ab eo fabricata, & .D. Ioanni Baptistæ dicata, appellationem à .S. Ioanne Baydę vulgò adeptum est. Prospectum habet in totum agrum, ac mare Panormitanum iucundissimum, ac verè regium. Fonti Gabrielis ad sinistram ad .p.m.2. & Panormo .p.m.4. incubans mons excelsus prominet ad cuius radices in angulo pauliſper edito vrbs sita est Mons regalis appellata, vbi & templum est ingens: musiuo opere, ædiumq; superbissimarum structura toto orbe celeberrimum, magnificentissimumq; Diuæ Mariæ sacrum, & cœnobium sacerdotibus. D. Benedicti adscriptum, quod Guilelmus secundus Siciliæ Rex magnis impensis loco iuxta Bulchar Sarracenorum pagum paulo supra .S. kiriacam a fundamentis erexit, omnibus fanis non solùm Italia, sed toto etiam terrarum orbe excitatis eo genere structuræ præferendum. vbi statim tanta, tamq; insignis

signis fabricæ, maiestatisq; templi admiratione, Regis præterea frequenti accessu ac incolatu, accita rerum nouarum auida multitudo, oppidum pro initijs suis, Panormiq; tam illustris ciuitatis vicinia non contemnendum effecit. quod eiusdem Regis liberalitas paulo post in ciuitatem metropolim concedente Lucio tertio Romano Pontifice euexit. Hic locus hortorum amœnitate liquidis fontium planè manantium aquis, & suauissimo in totam Panormitanam sibi subiectam planitiem, omnemq; vrbem ipsam, ac mare Tyrrhenum prospectu, aërisq; clementia pulcherrimus cum esset, & ob frequentes Regum secessus, qui se animi relaxandi gratia eò conferre solebant, Mons regalis iure optimo appellatus est. Vrbi, & templo mons ipse incubat editus, nudus, & horridus. ad cuius verticem arx est vetustissima, natura quoq;, ac structura munitissima. quæ arcis simul, & speculæ, cœnobijq; speciem habet. Aedē nanq; sacram & columnis suffultā, ac cæteras sacerdotum officinas licet antiquitate iam deformatas intus exhibet. Cui depressa, & montibus circunsepta succedit uallis. vbi templum D. Martini colitur, à Petro Indulfo olim extructū, vt Guilelmus secundus Siciliæ Rex in eo priuilegio, quo in ecclesiam Montis regalis dono illud transferebat, dato Panormi mense Innio anno sal. 1 1 8 2. conteſtatur. Quod deinde Emanuel Montis regalis Archiepiscopus sacerdotibus ordinis D. Benedicti concesit; vt monasterium hac lege ibi cōstruerent, vt quotannis sexto idus Septembris solenni pompa, & facibus accensis prædictū Montis regalis templum, cui festus singulis annis hic dies est, quodq;. 2. p. m. inde recedit, inuiserent. Qua conditione ad Sancti Martini ædem cœnobium accesit, tota Sicilia hodie nobilissimum ditissimumq;. Sexta Panormi porta in latere vrbis septentrionali sita Carinis ab oppido eiusdem nominis p.m.12. terrestri itinere à Panormo diuiso cognominatur. Extra hanc ad iactum sagittę D. Oliuæ virginis, & martyris panormitanæ templum est. mea ætate diruto veteri à fundamentis in nobilissimam testudinum faciem instauratum, illiq; minimorum fratrum cœnobium religiosissimum adiūctum. Et deinceps post. 2. p. m. ad montium radices tumulus surgit vndiq; præcisus non ingratū quoq;, aut inanē in Panormū, & eius agros, ac mare prospectum prębens: vbi ædicula est vetusta D. Heliæ. Et ad p. deinde. m. 5. ab vrbe autem. 8. dissitus, Galli portus prominet, vbi & olim Motya stabat vrbs, vt præscripsimus. Septima porta omnium postrema castro ad mare hærens Sancti Georgij ab æde peruetusta ad maris littus sita, & sexcentos ferme passus ab vrbe distanti nomen sortita. Vbi molem nouam ex ingentibus lapidibus ad portū tutissimum construendum mea ætate magno ære inceptam, vis fluctuum Panormitanorum inertia absorpsit. Mons Peregrinus (cuius supra memini) ad totidem passus imminet, ad cuius meridionalem angulum lapis ingens toti Panorminitanæ planiciæi patens Imperatori nuncupatus, à Friderico secundo Cæsare Siciliæ Rege ibi ea lege, quæ in hunc vsq; diem sanctissimè obseruatur, affixus est, vt cum primùm solis vmbram ex rupe imminenti cadentem recipit, quod vigesima propè diei hora æstate euenit, coloni, qui mercede Panormitanum colunt agrum, laborem peregisse censeantur, nec serius in opus cogi possint. Mare, ad cuius littus perstat Panormus, fœcundum, & omnis piscium generis pisculentissimum, thynnorum etiam à Vergiliarum exortu ad Arcturi occasum copiosa industria, visuq; delectabili captura, celebre est. Id quoq; habet Panormus peculiare, vt vbicunq; tam intra, quàm extra moenia terra non nimis effoditur, statim ingens vis aquarum scaturiat potu nec ingrata, nec insalubris. Hinc priuatæ ædes singulæ suos habent puteos. Manāt præterea, ac largissime effluunt intra vrbem aquæ complures publicæ. Quarū habetur salubertima quæ Sarracenicè adhuc Yharaffi nomen habet. Sed hæc

& aquarum

& aquarum abundantia interdum exitiosa est, qua crassior, concretiorq; factus aer inclementiam parit, atq; in morbos resoluitur, quibus non parum etiam causæ ex eo prouenit, quòd æstate refrigerantes salutaresq; flatus, montium, quibus circumsepta vrbs est, obiectu arceantur. Offensionem etiam interdum nō mediocrem accipit à torrente, qui ex aquis pluuialibus à collibus Montis regalis collabentibus collectus meridionalia olim veteris vrbis mœnia alluebat. Sed auctam iam ea parte vrbem interfluit, hodie fluuius mali temporis appellatus. Qui cum aliàs Panormo metum tantummodo incusserit, anno demum salutis. 1557. 5. cal. Octobris hora noctis prima, aquæductus eiusdem nominis orificijs à ciuibus imprudenter obturatis, adeo tum ex quatriduana ingenti pluuia auctus iuxta mœnia stagnauit, vt perruptis sua vi mœnibus palatio regio ad meridiem hærētibus, ita vehemēs, ac sæuus maximo suo alueo abinde vsq; ad mare proruperit, vt in exitiū Panormi cōspirasse videretur. Nā quicquid in eo tractu vijs depressis, quibus fluebat, tum sacrarum, tum profanarum etiam nobilium erat ædium, quæ supra bis mille fuisse censentur, cum trium ferè hominum milium miserabili suffocatione, ac maxima rerum omnium iactura vel secum traxit & absumpsit, vel prostrauit. nobis videntibus, & tot Siciliæ Regum, ac Panormitanorum segnitiem arguētibus, qui tanto hosti, cū facilè possent, facto p mœnibus vallo quo torrens intacta vrbe Oretho fluuio misceretur, modum nunq; imposuerint. Panormus alioqui singulare id nomen promeruit, & seruat, vt in exteris excipiendis, amandis, ac fouendis, quorum incolatu maximè coaluit, nulli sit secunda. Quo factum est, vt eam virili forma Panormitani pingere soleant. cuius facies prolixa, atq; acuminata barba, caput regio diademate sit redimitum: pectus flexuoso volumine fugat anguis: ante pedes calathum habeat auro, & floribus plenum, cum hoc symbolo: Panormus vas auri, suos deuorat, alienos nutrit. Cuius indiciū numisma vetus ex ære apud me est; quod dextera barbati hominis græcanico amictu insignis caput hac græca inscriptiōe. PANORMITANON. sinistra verò phœnicē pedibus fulmen tenentem exhibet, exprimitq;. Nobilitata fuit hæc vrbs prisco tempore Andrea vetustissimo, & in primis philosopho insigni Panormi orto, vt. 14. lib. testatur Athenæus. Scripsit de ijs, quæ falsò creduntur: librumq; edidit de historia ciuili Siculorum. Sed maximè insignis effecta est ortu Oliuæ, & Nymphæ virginum, & martyrum. quarum gesta clara habentur. Antonius quoq; cognomēto de Bononia equestri Beccatella familia Panormitnatus fuit. qua ratione à prima ætate se Panormitam cognominari voluit. Is adolescentulus Bononiam, vnde suum genus repetitur, studiorum gratia missus iuri primùm ciuili operam dedit, atq; aliquot in eo studio annos versatus iureconsultus tandem non mediocriter doctus euasit: operā deinde dedit Poeticæ, atq; Oratoriæ, ad quas facultates veluti à natura rapiebatur. In quibus adeo clarus breui euasit, vt per ea tēpora in omni Italia Poeta & haberetur, & esset. Quem eo nomine Sigismundus Imperator in Italiam veniens vno omnium doctorum virorum, Principumq; consensu laurea corona donauit. Ob facundiā quoq;, ac prudentiā omnes penè Italiæ Principes maximo ipsum honore prosecuti sunt: præsertim verò Philippo Mariæ Mediolanensium Principi adeo charus fuit, vt octingentis annuis aureis ab eo donaretur. Sed eo grauissimis postmodum bellis occupato, Alfonso Hispaniæ, Siciliæ, & Neapolis Regi, postremò & Alfonsi filio Ferdinando adhæsit. Quibus longè iucundissimus, atq; charissimus fuit. Lusit admodum adolescēs in Hermaphrodito. Extant multæ eius orationes. extant & epistolarum, atq; epigrāmatum multa volumina, quæ quidem in magno vsu habentur. Extat & eius opus elegiaco versu in Antoniū Raudensem, quòd ab eo lacessitus, Rhodum inscripsit. Scripsit de dictis, & factis Alfonsi Regis, qui eo doctore perdiu vsus est, libros quatuor. Complexus est etiam res gestas Ferdinandi Regis. At cum ad septuagesimum

Digitized by Google

geſimum ferme ætatis annum peruenisſet, epitaphium huiuſcemodi ſibi ipſe com poſuit:

Quærite Pierides alium, qui ploret amores.
Quærite qui Regum fortia facta canat.
Me pater ille ingens hominum ſator, atq; redemptor
Euocat, & ſedes donat adire pias.

Id voluit Tuſculo in marmore ſepulchro incidi, quod viuens adhuc humi ſine vlla ſtructura magnifica Neapoli in æde Diui Dominici ſibi fieri curauit. Vbi paulo poſt relicta honeſta ſobole fato functus & tumulatus eſt. Floruit ſub idem tempus Petrus Ranzanus Panormitanus ordinis Prædicatorum. Is theologiæ profeſſor clarus, oratoriæ facultati, ac poeticæ ita inſudauit, vt in oratorem, & poetam celebrem euaſerit. Cuius eloquentiæ fama impulſus Ferdinandus Neapolitanus Rex Ioanni filio, qui poſtea Cardinalis effectus eſt, præceptorem eum adhibuit, ac ſubinde ad Lucerinum epiſcopatum euexit. Scripſit annales omnium temporum, quod opus morte præuentus non compleuit, quod his eius verbis in lib. 40. conſtat. Gerborum (inquit) inſulam pons quidam lapide ſtructus, turribus altis munitus continenti coniungebat. Fuiſſe verò ſtructum eum pontem à Siculis conſtat, quo tempore eorum illi inclyti Reges à Normannorum ſanguine ducti (de quibus ſuo loco mentionem aliquando faciam) Tuniſienſes Reges varijs cladibus afficiebant, Africæq; partem poſsidebant. Et paulo infrà: In Aragonia (inquit) & in Sicilia, atq; in cæteris regnis, quorum ſum mentionem facturus. hæc ille. Et cum in decem alijs, quos poſtea tantum ſcripſit, libris, neq; Hiſpanorum, neq; Siculorum Regum, nec earum prouinciarum meminerit, opus eum non perfeciſſe conſtantiſsimum eſt. Scripſit etiam de ædificatione Panormi opuſculum, quod extat. Tulit quoq; hæc vrbs ætate mea Hieronymum Fuxa arcis ad mare præfectum. Is (mirum dictu) decem dies æſtiuo tẽpore longiſsimis etiam itineribus feſſus abſq; potu agebat. Ornatur hodie Petro Tagliauia & Aragonio Archiepiſcopo Panormitano & S. R. E. Cardinali Religioſiſsimo. Sed Panormo vrbe ſatis deſcripta ordinem perſequamur.

POST Græcorũ portam, & vrbis mœnia ad p. ferè. 300. oſtium fluuij Orethi (quod natum ex monte latinis ſonat) ſuccedit, Vibio Sequeſtri. abſq; nomine autem Polybio lib. 1. Habes Sarracenis, & Normannis Regibus in deplomatibus. Admirati hodie Panormitanis, ob põtem ad eius traiectum a Georgio admirato olim extructum, appellati. Ptolemæus verò iuxta Panormum in eiſdem longitudine, gradibus, & minutis fluuiũ Eleutherum ponit in tabulis, & figura Siciliæ. Cuius authoritate Orethum hunc eſſe fluuium proculdubio cenſendum eſt. Eleutheros prẽterea Græcis, cum amœnum ſonet; & in Phœnicia (vnde Panormus eſt) Eleutherus alter fluuius Ptolemæo in tabulis, & Pli. lib. 9. c. 10. teſtibus extet, huic noſtro à primis conditoribus vrbis, qui Phœnices fuerunt (vt diximus) vel ab illo, vel ab amœnitate loci nomen hoc inditum fuiſſe, etſi nullus author, qui quidem ad manus meas peruenerit memoriæ hoc prodiderit, veriſimile tamen eſt. Prẽbet is fl. etſi rarò, ſiluros, ſed eos paruos, quos recentiores Sturiones appellant, pro vt anno ſalutis. 1545. ipſi nos viſu didicimus. Caput habet in montibus ſupra Montem regalem vrbem ad p. m. ferè. 4. ex duobus fontibus. Quorum vni Miſiliandunis Sarracenicè, alteri verò Frauacta nomen eſt. qui excurrentes paulo infrà confluunt, & mox augentur ex fonte inſigni, cui Cannizzaro hodie eſt appellatio, qui ſtatim à ſuo ferè ortu molas conuoluit. non longè verò ab eius dextera Rayhalceſis, Pyrus, Parcus, & alij fontes exoriuntur, qui omnes ad monaſterium S. Mariæ à gratijs concurrunt, & mox in Orethum illabuntur. qui ita auctus ingenti alueo in vtraq; ſui ripa domeſticarum arborum viriditate, & plurium fontium ſcaturigine amœniſsimus, dilapſus hic tandem in mare effunditur.

Digitized by Google

effunditur. Vlterius ad p. m. 2. ad littus maris duo sunt fontes sibi succedentes, quos aquas Cursaliũ (qui Pyratæ sunt) hodie appellãt. Et deinceps ad totidẽ passus Ficaraziarũ ager, & Aedes sunt, & mox Bayharie Sarracenici nominis, quod terrã arenosam, mobilẽq; significat, fluuij ostium. vbi & paruarũ cimbarũ est statio. cui Sarracenicè Misilimir adhuc nomen remansit. Oritur is fluuius ad arcem, cui Resalaymis Sarracenicum hodie est nomen, decem circiter. p. m. a littore distans, è fonte eiusdem nominis ex specu exundante, statimq; fluuium faciente, vbi pagus olim erat Miserella nominatus, quem Teutonum Xenodochio Sanctæ Trinitatis Fridericus secundus Cæsar concessit, vt priuilegio dato Panormi. 1206. ipse testatur. Dilapsus deinde augetur ex pluribus fontibus. Sed cum tabernam hospitatoriam à Myrtis appellatam alluit, Risalaymi cognomento relicto, Myrtorum nomen suscipit, & decurrens ad. 3. p. m. augetur ex fonte alio cui, Sarracenicè Misilimer est appellatio. vbi arx est eiusdem nominis in rupe edita à Manfredo Claromonte olim excitata, & mea ætate anno salutis. 1540. oppidulum à Francisco Bosco Siciliæ Locumtenente conditum. Deinceps fontem paruum excipit à Buyhuto Sarracenicè nuncupatum salsas, tepidasq; habentem aquas, quas epotas statim ventrem laxare, & plerosq; languores curare Panormitani experiuntur. Dilapsus postmodum agrum Bayhariæ vino nobilem interluit, cuius ad ostium (priori amisso) nomen vsurpat. Insignis fuit & mira Rogerij Sicilię Comitis contra Sarracenos victoria, qua mox animo elatus Panormo potitus est, vt in historijs memorabimus. Mons Gerbinus vlterius ad p. m. 4. & à Panormo p. m. 12. distans sequitur, quem mare allambit, & mons alius vndiq; præcisus ei contiguus Yhalfanus Sarracenicè adhuc vulgò nominatus. Ad cuius verticem Soloentum vrbs vetustissima hodie prorsus iacens cernitur. Cuius mœnia circumquaq; iacentia, ac templorum, aediumq; priuatarum vestigia columnæ præterea prostratæ, ac cisternæ, quæ hucusq; visuntur, eius præteritam ostendunt claritatem. Erat autem ambitus passuum supra mille, & naturali situ communita, vnicum habens aditum, & ascensu perdifficilem. Hanc Phœnices eo tempore, quo & Panormum, & Motyam (vt lib. 6. testatur Thucydides) incoluerunt. Subest ei ordine eiusdem nominis nimirum Soloenti hodie arx frumenti Emporium, portum habens nauium capacissimum: vbi & thynnorum præclarus est piscatus. Sequitur deinde ad. p. m. 2. fluuij ostium, quem S. Michaẽlis de Campo grosso in suo priuilegio dato Panormi anno salutis. 1240. Fridericus secundus Cæsar, & Siciliæ Rex ab æde sacra eiusdem nominis, quæ proxima sequitur, appellat. Aetate vero mea fluuius Pontis rupti vocatur: cui cum Petrus Spetialis, cuius paulo suprà memini, anno abhinc ferè centesimo ad traiectum eius pontem sua ipsius impensa ad salutem itinerantium magnificè extruxisset, torrentisq; impetu corruisset, ab euentu nomen obuenit. qui tandem anno salutis. 1553. ære publico restitutus est. Caput habet is fluuius ex balneis Cephalæ. vbi paruo inter se spatio distantes tres discrepantis naturæ fontes emergunt, calidus, frigidus, tepidus, qui statim in æde testudinata recepti miscentur, & balneas faciunt aluminosas. quæ inde dilapsæ caput sunt huius fluuij, qui exilis primùm, & macer, augetur deinde pluribus fontibus ex monte edito, quem Canem vulgò hodie cognominant, oriundis; & excurrens hic mare ingreditur. Diui postea Michaelis à Campo grosso nuncupati templum ingens & pulcherrimum sequitur, in rupe edita, & mari prominenti ex lapidibus quadratis, ac structura insigni, & testudinata à Principibus Normannis, (vt artificium elaboratum indicat) conditum. Sunt ei annexæ officinæ aliquæ, ac cisterna, quæ cœnobium sacerdotum illi fuisse coniunctum aliquando, demonstrant. Olalis oppidum in hac ora à Ptolomæo ponitur:

cuius neq;

Digitized by Google

cuius neq; veterum quisq̃ meminit, neq; vestigia apparent. Turris specula succedit ætate mea à Thermitanis Himerensibus excitata pyratarum stationibus prominens. Et deinde arx est S. Nicolao adscripta, centum circiter abhinc annis à Thomasio Crispo Panormitano à fundamentis ad maris littus erecta. Et vlterius ad p. m. 3. Trabia est arx, & fontes plures ex viua ipsa rupe periucunde, ac affluenter emanantes, quibus totus inter vtranq; arcẽ interiacens ager ad segetẽ arundinum mellitarum irrigatur. Mare huius oræ thynnorum captura fœcundissimum est. Et ad p. m. 2. Thermitani fl. ostium occurrit ornatissimo ex quadrato lapide structo ponte mea ætate nobilitatum. Oritur is non longè à Prizi oppido, & dilapsus ad Marganam arcem, cuius nomen suscipit, ex tribus fluuiolis augetur. vnde decurrens Biccarum primùm, à quo nomen induit, & paulo pòst Caccabum ad dexteram, ac subinde fluens Ciminnã ad sinistram relinquens oppida, hic non longè a Thermis Himerensibus oppido, cuius cognomentum vsurpat, mare influit.

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS, PRIORIS DECADIS.

LIBER NONVS.

DE THERMIS HIMERENSIBVS VRBE. CAPVT PRIMVM.

TRAIECTO fl. ostio, per passus ferme quingentos ad radices Erauci montis (in Verrem. 3.) ex Himeræ vrbis excidio, ac reliquijs Himerensibus conditum extat oppidum: cui à calendo (id enim thermæno græcis sonat) Thermę nomen imposuerunt. Sunt enim eo littore calentes ex sulphuris cõtagione aquæ lauandi, sudandiq; vsibus deputatæ, quibus Herculem aliquando ad soluendam itineris defatigationem lotum fuisse lib. 5. author est Diodorus. Cupiens (inquit) Hercules circuire Siciliam, à Peloro ad Erycem perambulanti littus, ferunt Nymphas ei calidas aquas in requiem corporis parasse, quæ cum duplices essent; hæ Imertæ, Geptæ alterę à locis sunt denominatæ. Harum itaq; aquarum commoditas ad deliniendam nouæ vrbi sedem miserè eiectos attraxit. Quas ab Himera non adeo magno interuallo abfuisse in Verrem. 4. satis indicat Cicero: Himera (inquit) deleta, quos ciues belli calamitas reliquos fecerat, hi sese Thermis collocarant in ijsdem agri finibus, neq; longè ab oppido antiquo. Proinde sex tantummodo ab Himera p. m. septentrionem versus absunt. His autem præter magnam balneorum spem, Scipionis etiam Africani iunioris auxilium non mediocriter affuit, qui Romanorũ eis ad supplendum multitudinis defectum coloniã duxit. Signa quoq; ex ære fuso plurima, quæ Carthaginẽses ab Himera antea abstulerãt, deleta postmodũ Carthagine restituit, quæ non paruo eis ornamento, ac delectationi fuere. Inter quæ miratu digna erat Himera ipsa oppidi nomine, & fluminis in muliebrem figuram, habitumq; formata, quæ suis lineamentis & figura ipsa summopere intuentes afficiebat. Statua quoq; Stesichori poetæ Himerensis clarissimi senilis, curuaq; cum libro in manu summa arte elaborata, vt Cic. refert. Quibus receptis, alijsq; compluribus Romanorum beneficijs nõnihil se retexit veteris cladis memoria, inuasitq; animos resarciendarũ fortunarum, dignitatisq; pristinæ Thermis crescentibus spes ampliss̃ima. Sed nõ

Digitized by Google

expectarunt eius euentum bellorum procellæ, quibus vndiq;, ac sepenumero iactata, ac pluries populata (vt in historijs commemorabimus) priscæ tamen Thermitanæ vrbis complura, & ea præclara cernuntur monumenta. Theatrum semidirutũ, aquæductus præterea cæmẽtitij, quibus aquæ, quæ à Brucato hodie nominantur, per. 4. p. m. in vrbem deducebantur. Plumbeæ item fistulæ, & ædes priuatæ iacentes plurimæ in quibus complures vetustæ inscriptiones in marmoreis tabulis reperiuntur. Inter quas in priuata quadam domo fragmentum Græcum Latinè tantum inuersis literis huiusmodi legitur.

O. LE. PAPIE
AGAVARCHE
CHAERE

In parochiali æde literis maiusculis latinis

C. Mæsio Aquilio
Fabio Titiano C. V. Cos.
optimo ciui, ac patrono bene me-
renti ordo, & populus splendi-
dissime col. Aug. Himereorum
Thermit. pecunia sua posuit.

In æde D. Petri

Titiano C. F. C. Mæsi
Titiani, & Fonteiæ
Frontinæ consu-
larium filio
patritio ob hono-
rem togæ virilis
Clodius Rufus eques Romanus
amico suo incomparabili.

In æde D. Ioannis

P. Cestio Catulo.
Ann. ↄ. XXVII.
Et P. Cestio Catulio
Patri.

In claustro D. Vincentij

Paciliæ Gne:
V. A. II. M. II. D. XXVII.
veteranus &
Apol. Auste: Par.

In Domo Garofali

I.. 6. Acilio
aduento.
Hellas. 6. Pio
Coniugi
ↄ. Sempronio
7. L. Primioni,
annorum. XIIII.

Iuxta ædem S. Iacobi

Secundo. XX. her:
VII. Summar: Vr-
banæ. matri
Climene, cog.
primigenius. XX.

In porta falsa

Digitized by Google

In porta falsa
Publicia, Agathia.
Publicius, Brutanus.
D. S. P.
In domo priuata Nicolai Antonij
Marturanæ iuxta parochialem ecclesiam, quæ Sthenij
aliquando ædes fuere, in lapide marmoreo:

STHENII AEDES.

FVIT Sthenius Thermitanus vir primarius, cui in Thermitana curia ænea tabula pretiosissima ob plurima in Remp. beneficia, quæ publicis literis in ea incisis declarabantur, affixa erat, vt in Verrem. 4. scribit Cic. Quæ Romam deinde à Cicerone delata, & in senatum contra Verris falsam in Sthenium accusationem producta est. Signum hic Cupidinis argenteum egregij operis habebat: quod postmodum cum lampade ab hoc oppido ad Veneris Erycinæ templum translatum fuit. Hic est ille Sthenius Thermitanus, qui, vt Cic. in verrem. 4. & Plutarchus in Pompeio referunt, magno animo Pompeium, qui à L. Sylla Romanæ vrbis Dictatore in Siciliam contra Marij partes missus Thermitanos Himereos, quòd hostium partibus adhæserant, vniuersos interficere, ac oppidum delere statuerat, repressit: Non æquum (inquiens) facis Pompei, quòd vnius ob noxam, innoxios innumeros occidere paras. Nam ego ipse sum ille, qui ciuibus, amicisq; persuasi, & inimicos coegi Marianas sequi partes. De me igitur solo supplicium sumito. Cuius responsi, animiq;, qui suæ ipsius vitæ patriam, Thermitanosq; oēs prætulerat, admiratione, patriæ ipsius simul, & ipsi Sthenio Pōpeius pepercit: ac in eo ipso iudicio, quo absolutus est, Sthenium hospicio suo dignū cēsuit. Atq; ob huius liberationem non solùm cum hoc oppido, sed cum tota etiam prouincia gratiam inijt. Hic est ille Sthenius, qui solus in Sicilia (quod Siculus nemo, sed ne quidem Sicilia tota potuit) Verri Romanorum Prætori tanto animi robore obstitit, vt ex hoc oppido nullum signum, nullum ornamentum, nihil ex sacro, nihil ex publico, vbi complura erant præclara, & ab illo concupita, vnq̄ attigerit. Hunc propterea Verres ipse iniusto, ac falso captum titulo condemnauit, ac in varias coēgit calamitates. Quem tamen apud S. P. Q. R. ciuitates Siciliæ propè omnes testimonio suo, legationibusq; publicè laudarunt, defenderunt, ac veluti virorum omnium fortissimum prædicarunt. Sed ad Thermas oppidum redeo: quod ætate mea satis amplum est redditum. Nam cum frumenti tota Sicilia nobilissimum sit Emporium, & Panormo terra, mariq; vicinum, habitatur frequentissimè. Post Thermas ad p. m. 4. Brucatum subsequitur arx, & taberna eiusdem nominis hospitatoria, vbi oppidum eiusdem erat nominis, quod cum ad Gallos defeciſſet, à Petro secundo Siciliæ Rege funditus est deletum. Cuius reliquiæ superfunt eo loco, qui adhuc Curia vetus dicitur, vbi & domus dirutæ, ac iacentes visuntur, vbi & arx est deleta Castellazum appellata; cuius & vestigia clara cernuntur: Huic ordine fl. Tortus hodie dictus ad p. m. 2. succedit. Ortum habet à monte, cui hodie Xarria nomen est, ex aquis eius pluuialibus, quæ occidentem versus defluunt: & augetur deinde ad tabernam hospitatoriam à Yhaccatis hodie dictam, ex fluuio eiusdem nominis, qui ex collibus imminentibus colligitur.

DE HIMERA VRBE.

CAPVT SECVNDVM.

Digitized by Google

HIMERA vrbs poſt fluuium Tortum ad p. m. 2. in agro S. Nicolai hodie appellato, vtcunq; edito, qui turri Bonfornelli à littore quingentos paſſus ſito ꝓminet, ad ſiniſtrã ripã Himerę fl. à quo nomẽ accepit, ſita ẽ, vt Duris Samius, Liuius, & Strabo referũt. Hæc à Zanclęis, quos eos fuiſſe Strabo arbitratur, qui Mylas antè incoluerãt, fuit cõdita, ducibus Euclyde, Simo, & Sacone. Quorũ coloniæ plurimi Chalcidenſes interfuerunt, cũ quibus habitauerũt & Syracuſani cõplures exules à cõtraria factione ſuperati, qui Myletadæ nominabãtur. Quo factũ eſt, vt apud hos pro populi confuſione permixta etiã fuerit lingua, obtinueritq; idioma græcũ quoddã, mediũ inter Chalcidicũ, & Doricum. Leges tamen Chalcidenſiũ omnes complexi ſunt, vt lib. 6. Thucydides tradit, qui & eam in tota hac Siciliæ ora, quæ mare Tyrrhenum ſpectat, ſolam fuiſſe græcam aſſerit: Athenienſes (inquiens) profecti ad ſinum Tyrrhenum Himeram tenuerunt: quæ vna eſt Græca vrbs ex omni illa Siciliæ ora, quæ vergit ad ſinum Tyrrhenum, & lib. 7. Ex ea (inquit) ora, quæ in mare Tyrrhenum vergit, Himeræi, qui ſoli omnium è Græcis illic habitabant. Scribit Pindarus in Pythijs ode. 12. quod & lib. 6. Diodorus refert, Mineruam Himeræ regiones elegiſſe, in quibus Nymphæ aquæ calidæ fontem ſcaturire Hercule aduentante fecere. Quæ loca ſimul & vrbem, quæ nunc vſq; Mineruæ nomen tenent, incolæ ei ſacrarunt. hæc Diodorus. In Himeram (inquit Stephanus Bizantius lib. de vrbibus) diuertit Hercules, cum Gerionis armentis, vbi aquas calidas proueniſſe Palladis iuſſu ferunt. in quibus Hercules membra labore ſordida abluit, mollioraq; reddidit; ex quo Himera appellata eſt. Hæc vrbs creſentibus ſubindè viribus eò potentiæ peruaſit, vt cum Rhegini diſcordia laborarent, à parte in auxilium ſolicitati Himerenſes pulſa parte contraria contra vocantes arma verterint: illisq; patria eiectis Rhegium ſibi ipſis occuparint. Hi ſunt Himerenſes ijdem, quos cũ aucta Rep. Phalarim Imperatorẽ exercitus cõſtituiſſent, & cuſtodes corporis ab eo poſtulatos darẽtur eſſent, Steſichorus cum plura ſuper eo diſſeruiſſet, lepidiſsimo eos apologo tandem in hæc verba admonuit: Equus prata ſolus obtinebat: cumq; ceruus ſuperueniẽs paſcua denaſſet hominẽ contra ceruũ conſuluit. At ille: ſi frenum (inquit) patieris, & ego in tẽ cum haſta aſcendero, quàm facilimè hoſtem vlciſceris. accepit equus conditionẽ atq; ita pro vltione homini deinceps perpetuò ſeruiuit. Apologo excepto, probatoq; Himerenſes Phalarim imperio abdicarunt, atq; diu fortiter vrbis libertatẽ tutati ſunt. Quam ſua poſtmodũ inſolentia, & magnitudinis impatientia tandẽ Cydippi tyrannide, vt lib. 7. ſcribit Herodotus, turpiter permutarunt. cui deinde Terillus ſucceſsit. Quo eiecto Tero Agrigentinorũ Princeps Himeræ imperiũ obtinuit: quod contra Terillũ, & Anaxilã Zanclæ dominũ eius generũ, necnon Himilconẽ Pœnorũ ducẽ cũ trecẽtis armatorum milibus bellũ inferẽtes, Gelonj Syracuſarum Regi confœderatus centũ quinquaginta Carthaginenſiũ milibus cũ Himilcone eorũ duce cęſis, & cæteris omnibus in captiuitatẽ abactis, fortiter ſibi retinuit, vt exactius in poſteriori decade: qua victoria elatus Thraſideũ filiũ vrbi præfecit. Sed cũ ille inſolentius vrbis imperio fungeretur, Himerenſes ab eo, & Terone patre animo alienati ad Hieronẽ Syracuſarũ Regẽ, qui Gelõi ſucceſſerat, defecerũt. Quos ab Hierõe poſtea ſibi ꝓditos Tero cõprehẽſos interfecit, qua clade Himera cultoribus cũ exhauſta fèrè remãſiſſet, Dorienſiũ colonia à Terone deducta reſtituta eſt. Quò cũ & alijs gentibus conuenire liberũ eſſet: oẽsq; pro ciuibus adſcripti ciuitate donarentur: Reſp. Himerenſis quinquaginta & octo annos optimo ſtatu præclarè adminiſtrata eſt. Quam ob id Pindarus vrbem latè potentem appellauit. Sed ducenteſimo ac vigeſimo poſteaq; condita eſt, anno, Annibal Pœnorum Dux veteris iniuriæ memor, quòd eius cauſa & pater eius Carthagine eiectus, & Himilco auus à Gelone occiſus fuerat, magno eam cum exercitu aggreſſus in vindictam depopoſcit: expugnatamq; populatus,

ac ſpolijs

ac ſpolijs eius omnibus Carthaginē trāſmiſsis incendio prorſus abſumpſit, vt lib. 11. Diodorus refert, & nos in hiſtorijs. Atq; ex eo deinceps vſq; ad ætatem non ſolùm Diodori, vt ipſe teſtatur, ſed meam quoq;, cultoribus deſerta remanſit. Quod & Strabo his paucis lib. 6. affirmat: Non enim Himeram habitari amplius nouimus, non Gelā, non Callipolim, non Selinuntem, non Euboeam, neq; alias plures. Quocirca nulli mirandum eſt, ſi à tot annis exuſta, deſolataq; raras, easq; exiguas ſuæ antiquitatis reliquias conſeruet. At cū hodie tota prorſus aretur, rudera eius ſolicitātes, ſepulchra refodiunt, fictilia inueniunt, oſtreaceaq; toreumata, permulta etiam ænea reperiunt. In hac vrbe comœdiā primum repertā fuiſſe. Solinus, & lib. 14. Silius teſtantur. Nobilitata verò fuit Steſichoro poeta vno ex nouem Græciæ Lyricis, vt Suidas ſcribit. Qui cum antè Tiſias vocaretur, propter chorearum inuentum, quas ille primus inſtituit, Steſichorus eſt appellatus, ex cuius infantis ore Pli. lib. 10. Luſciniā ceciniſſe prodit: cuiuſq; camœnas Horatius Carminū lib. 4. graues appellat. De quo & Quintil. Inſtitutionum ora. lib. 10. &. 11. Steſichorus (inquit) quàm ſit ingenio validus, materiæ quoq; oſtēdunt: maxima bella, & clariſsimos canēs duces, lyrici carminis dignitatē curua ſuſtinens lyra. Reddit enim proteruis in agendo ſimul, loquendoq; debitā dignitatē. Et ſi tenuiſſet mediū, videretur æmulari proximus Homerum potuiſſe. Sed redundat, & effunditur, quod vt repræhenditur, ita copiæ vitium eſt. Vixit Phalaridis tēporibus, à quo alioqui crudeliſsimo, immaniſsimoq; homine ob muſas plurimū eſt dilectus. Cuius iuſſu inter alia plurima, quæ Doricè ab eo ſunt cōpoſita, pro Nicodi Syracuſani viri patritij vxore ſororiſq; filia epigrāma celeberrimum compoſuit, pro quo magnas à Tyranno gratias retulit. Opus præterea contra Helenā edidit, quod priusq̄ conſummaſſet, in ægritudinem oculorum incidit. At cum carmē feciſſet, quod palinodiā vocant, eandemq; laudaſſet, valetudinem viſumq; recuperauit, vt lib. 3. Pauſanias memorat. Edidit & poema Epodicum, quod ex tribus conſtat, nimirum Strophe, Antiſtrophe, & Epodo. vnde adagium exortum: Ne tria quidē Steſichori noſti. Filias habuit longè doctiſsimas: quarum carmina Phalaris admiratur. Germanos fratres habuit duos, Mamertinum geometram, & Helionactem legum latorem. Agens autem annos quinq; ſupra octoginta olympiade. 38. Catanæ, quò profugerat, extremū diē obijt, vt Lucianus in macrobijs refert. Cui Catanenſes monumētum (cuius in Catana memini) magnificentiſsimū extruxerunt, & portā ciuitatis, qua illud petebatur, Steſichoreā appellarūt. Eius audita morte Phalaris Himerēſibus, & filiabus conſolatorias de eius obitu ſcripſit epiſtolas. Quinimo & Himerenſes eſt hortatus, vt tēplum ei, veluti virtutum ſuarum immortale monumentum conderent, eiusq; carmina & publicè in omnibus templis, & domi quoq;, priuatim quiſq; haberet. Criſon Himereus prodigioſa currendi celeritate celebris apud veteres, ac inſignis eſt habitus. Cuius & Plato in Protagora meminit. Himerēſis quoq; fuit Ergoteles olympicus. cuius ſimul & Himeræ vrbis laudes in Pythijs proſequitur Pindarus. Sed ad ordinem. Himeræ amnis oſtium, &. fl. ipſe vrbis mœnia alluens ſtatim ſequitur, Fluuius magnus hodie appellatus, priſcorum ſcriptis celebratus vel ob id, quod mediam Siciliam diuidere, & duos ex vno eodemq; fonte diſpares gignere alueos: quorum qui mare Tyrrhenum dulces, ſed qui Libycum influit, ſalſas habeat aquas, ad miraculū creditus ſit. Quorum tamen errorem res ipſa arguit. Is nanq; eius alueus, qui in mare Tyrrhenum excurrit, ad radices occiduas Nebrodidis montis ex fonte ad dexterā Politij oppidi exorientē, &. p. m. ferè. 20. ab oſtio recedēti caput habet. Qui vt emergit, nō ſolùm molas habet triticeas, ſed in fluuiū diffunditur, atq; ita ad oſtiū vſq; delabitur. Augetur deinde ad. p. m. 6. Xillati Sarracenici nominis, domeſticisq; arboribus, & aquis paſsim vberrimè ſcatētibus nobilis pagi, fonte à dextra ei illabēte. Et ſubinde fluuiolus, qui ex Xarria mōte, quà oriētē vergit, oritur, & decurrēs inter Calatauutu rū, & Sclafanū oppida, ex quibuſdā fontibus ſalſas parūper recipit aquas, ad ſini-

Digitized by Google

ſtram ei miſcetur. Et ita Himera maximè auctus mœnia vrbis eiuſdem nominis iacentis prius alluens ad.p.poſtea ferme. 500. hic tandem in mare ſe exonerat. Alter verò eius alueus Gela à Vergilio dictus,qui in Libycum fluit mare,ex altera Nebrodidis parte,qua meridiem reſpicit,ex fontibus ſupra Petraliam oppidum oritur,vt in eius deſcriptione latè diximus. Qui decurrens paulo pòſt lapicidinas ſalis interfluens,& ſalſi nomen,& ſalſas vſq; ad oſtium aquas mutuat. Quod & maiorem etiam Solini errorem arguit,qui Himeram dum ad meridiem fluit, dulces, in Aquilonem verò amaras habere aquas falsò memoriæ prodidit. Poſt Himeram fluuius Auricellæ Latinis,ſed vulgò Rocellæ noui nominis oſtium ad. p. m. 4. occurrit:vbi eiuſdem nominis eſt arx. Ortum habet is iuxta Goliſanum oppidum ex Fauara fonte.6.p.m.ab oſtio recedenti.

DE CEPHALEDI VRBE.

CAPVT TERTIVM.

CEPHALEDIS vrbs vetuſta Ciceroni, Straboni, Ptolemæo.P.Melæ, & Plinio,poſt Rocellæ amnis oſtiũ ad.p.m.12.ſuccedit nomen à cephale,quod caput eſt Latinis,nacta vel ob id, quòd ad verticẽ prærupta rupis,ac promontorij ſpeciẽ habentis condita fuit.vbi adhuc arx eſt natura munitiſsima,& vrbs ipſa iacens ambitus.m.fermè.p.vbi quoq; & templi ingentis diruti Dorica forma olim conditi clara viſuntur monumenta. Quis verò eã,& quo tẽpore condiderit,ex authoribus, quorũ opera ego quidẽ legi,incõpertum habeo.Nobilis certè fuit vrbs Cic.ætate Sacerdotij maximi digni tate,vt in verrẽ.5.legimus.Sed cũ demũ exile ſanè eſſet oppidulũ,ruiniſq; affectũ, & aſcenſu perdifficile,a Rogerio Rege ad angulũ rupis translatum Epiſcopi digni tate,ac tẽplo inſigni hac occaſione nobilitatũ eſt. Nam cũ Rogerius Neapoli,cui quoq; imperabat,cũ tribus nauibus Siciliã verſus ſoluiſſet,caſu circa Salernitanũ pelagus ſæua oborta tẽpeſtate,duos dies incerta nauigatione periclitans,ſeriò vouit,vt ad quòd primùm littus incolumis applicuiſſet, ibi tẽplum Seruatori oĩum, atq; Apoſtolis conderet.Ad Cephaledim itaq; euitato vix naufragio appulſus cõfeſtim ad ipſius rupis radices, quæ maris fluctibus alluuntur. D .Georgio ædem extruxit,quam poſtea ruinæ proximam ciues reſtaurarunt, ac paulo poſt vrbe eò trauslata, mœnibusq; circunſepta templum in ea maximum muſiuo, ac vermiculato opere hominum Seruatori dicatum, ac Epiſcopali dignitate exornatum condidit, columnis è templo veteri eò comportatis, ac oppido vetuſto deſerto,vt inhærens templi abſidi inſcriptio, ipſiusq; ſuper hoc Rogerij diploma teſtantur.cuius verba hæc ſunt: In nomine Dei æterni,& Saluatoris noſtri Jeſu Chriſti:Rogerius diuina clementia Siciliæ,& Italiæ Rex.Dignũ,& rationabile fore duximus ad Saluatoris noſtri honorẽ domũ conſtruere, ac ad illius gloriã aulam fundare,qui nobis & honorem cõtulit,& noſtrum nomen laude decorauit: cui dare eſt munus centuplũ accipere,& poſt mortẽ vitã mereri.Hac itaq; ratione ducti ex longo iam tẽpore ad honorẽ.S.Saluatoris propoſuimus eccleſiã cõſtruere in ciuitate Cephaledi,in qua canonicè obſeruantia coleretur.Quã voléte Deo, & Saluatore noſtro cooperante fundauimus,atq; cõſtruximus,cõcedente tamen, & confirmante Hugone tunc Archiepiſcopo Meſſanenſi,& eius loci metropolitano,aſſenſu quoq; tam Meſſanenſiũ,quàm Traynenſium Canonicorũ in eodẽ loco Epiſcopatũ fieri,ipſumq; perpetuò, & inuiolabiliter permanere. Ea propter pro anima patris mei piæ memoriæ Rogerij primi Siciliæ Comitis,matrisq; meę Adelaſiæ Reginæ,mea deniq; redẽptione,ac oĩum peccatorũ meorũ liberatione,hæredũ quoq; meorũ proſperitate,& ſalute concedimus præfatæ eccleſiæ totã ciuitatem,& mare cũ eorũ pertinentijs quietè,& liberè poſsidenda,eiq;, vt in perpetuũ tam in tẽporalibus,quàm in ſpiritualibus obediãt.Redditus quoq;, ac iura ipſius ciuitatis,& maris,quæcũq; ad noſtrã dominationẽ pertinẽt, largitione perpetua eidẽ donamus,ſaluis tamen regalibus noſtrę maieſtatis, fellonia videlicet, traditione,

Digitized by Google

tione,& homicidio. Sarcophagos vero duos porphyreticos ad deceſſus mei ſignũ perpetuũ cõſpicuos in præfata eccleſia ſtabiliuimus fore permãſuros. In quorũ altero iuxta Canonicorũ pſallentiũ chorũ poſt diei mei obitũ conditus requieſcã. Alterũ verò tã ad inſignẽ memoriã mei nominis, quàm ad ipſius eccleſię gloriã ſtabiliuimus. Ad augmentũ quoq; eccleſiæ prædictæ, ſuorũq; bonorũ augmẽtationẽ concedimus ciuibus Cephaleditanis ibidẽ perpetuò Deo annuente permanſuris, ſuiſq; hæredibus, vt abſq; omni inquietudine,& ſolicitudinæ curiæ noſtræ viuant, neq; mari, neq; terra in exercitu eant:& vt nihil in introitu, vel exitu Cephaledi mari vel terra tribuant. Ligna quoq; ad cõſtruendas domos eorũ, & ad alia neceſſaria domuũ ſuarũ,& victualia pro eorũ vſu ſine datione aliqua afferant. Cõcedimus quoq; eis, vt domos,& vineas,& terras ſuas cultas, & incultas, & ſyluas, quas poſsident, quibus voluerint, vendant, in ciuitate tamen permanſuras, & eccleſiæ perenniter reſpõſuras. Nullũ hominẽ in ciuitate Cephaledi captũ teneat eccleſia prædicta, ſi ſufficientes fideiuſſores dare poterit, exceptis (vt iã diximus) traditione,& homicidio. Præcipimus quoq;, vt nulli oĩno hominũ liceat præfatã eccleſiã temere perturbare, aut poſſeſsiones eius minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare: ſed integra,& illibata ſeruetur circa ea, quæ p illius gubernatione, ac ſuſtentatione cõceſſa ſunt, ac ſuis vſibus pfutura. Verùm vt p̃dicta oĩa validiora ſemper,& inexpugnabiliter munita exiſtãt,& in perpetuũ rata, ac firma permaneant, preſens ſcriptũ p manus Petri Notarij noſtri,& bulla plũbea regio typario impreſſa muniri fecimus. Datũ in vrbe Panormi p manus Roberti Cãcellarij noſtri anno incarnationis dñicæ milleſimo centeſimo quadrageſimo quinto, mẽſe Aprili, inditione nona, Regni verò noſtri Siciliæ,& Italiæ anno. 15. Nõ rapiant nati data p genitores. hæc Rogerius Rex. Verùm quod in ſuperiori diplomate de ſepulchris porphyreticis cõſtituit, id per obitũ eius, qui Panormi obtigit, nõ eſt obſeruatũ. Nã Fridericus ſecundus Cæſar ea quãprimũ Panormũ tranſtulit, Ioãne de Neapoli Epiſcopo Cephaledenſi callidè Barchinonã prius ab ſe miſſo, vt liberius, quod cõceperat, perficere poſſet, conceſſo eccleſiæ Cephaledenſi in eorũ pretiũ feudo, quod Cultura peritis, vulgò verò Cuſtura appellatur, vt eius diplomate dato Panormi cõſtat. Cãpi Cephaleditani marinis fluctibus ſuperfunduntur, quorũ agros Cete piſces paſcunt. vnde lib. 14. Silius: Quæq; pcelloſo Cephaledias ora pfundo Ceruleis horrẽt cãpis paſcẽtia cete. Delphini nãq; piſces etiã hac ætate tẽpeſtatibus,& fluctibus eiecti marinis, ſæpenumero ad littus ĩ ſalo relinquunt. Cephaledi tana quoq; ora thynnorũ captura ẽ celebris. Cephaledi ſtatim Carbonis noui nominis,& mox Malpertuſi fluuiorũ oſtia ſuccedũt. Naſcitur vterq; in mõtibus imminentibus. Sed vbi vlterius pceſſeris, caput Raſichelbi a Sarraceno olim Archipyrata, qui ibi frequẽter ſtationẽ habebat, hodie dictũ, occurrit, & turris ſpecula eiuſdẽ noĩs: vbi & pyratarũ adhuc ẽ ſtatio. Cui interius ad. 3. p. m. arduo,& excelſo in mõte vndiq; prærupto Pollina noui noĩs pminet oppidũ, ſed ad oram Monalis fluuij oſtiũ Ptolemæo, Pollinæ hodie nominati ſequitur. Oritur is amnis ex Madonia mõte quà orientẽ reſpicit: ſed anteq̃ Pollinenſem irriget agrũ, augetur ex fluuio Geracis,& Caſtelli Boni,& dilapſus Iſnellũ oppidũ præterlabitur, & mare hic tandem influit, itinerantibus hyberno tempore ſua immanitate formidabilis.

DE ALETA, ALESA, ALVNTIO, ET CALATA, PRISCIS VRBIBVS. CAPVT QVARTVM.

MONALI fluuio ad. m. p.& poſt Cephaledim ad. 18. p. m. Thuſa arx recens ad littus ſuccedit. Cui intus in colle imminenti ad. p. m. 3. eiuſdem nominis oppidũ incubat. Sed ad orã poſt arcẽ Thuſam ad iactũ fundæ Torrens eiuſdẽ appellationis ſequitur. Quo traiecto, ad. p. 500. in littore mira diruti cuiuſdam edifitij veſtigia occurrunt, quæ ab accolis Balneæ vocantur, ibiq; vſq; ad collis prominentis verticem, vbi arx proſtrata cernitur, continuatæ per paſſus ſupra mille iacentis vrbis extant monumenta, ædiũq;

permagnæ

Digitized by Google

permagnæ ruinæ, ac diſiectę ingentiũ lapidũ moles,& Marmora quædã Cæſ.Aug. titulo,plæraq; græcis caracteribus inſcripta, paſsim reperiuntur. In vrbis medio Aedes ſacra.D.Mariæ cognomento à palatijs dicata, & Monaſteriũ ordinis.S.Benedicti illi cõiuntũ extat.Supra vrbẽ ad.p.m.3.meridiẽ verſus in collibus fons eſt ingens,aqua ciuitatis adhuc vulgo appellata.Vnde aquæductibus cæmentitijs miris,quorum quidam integri ſunt,pleriq; diſiecti,ſed & multi obruti, ac fiſtulis lateritijs aquæ ad arcẽ ipſam primũ,deinde ad vrbẽ ſubiacentẽ,& illius regiones,ac demũ ad ipſas Balneas in littore deducebãtur. Eratq; ea vrbs ambitus vt apparet duorũ & eo amplius.p.m. Hæc vrbs (niſi Ptolemæus erret) qui in hac ora inter Cephaledim,& Aleſam, Aletẽ vrbẽ ponit in tabulis, eã ipſam Aleten fuiſſe cẽſendum eſt.Sed cũ nullus ſcriptor (præter Ptolemæũ) Aletes meminerit,ſi Alecia nõ eſt,quã immunẽ,ac liberã fuiſſe Cicero in verrẽ ſcribit, & Diodorus, quæ nã vrbs Alete ſit, me ignorare fateor. At dũ hæc mea ſcripta ſub prẹlo eſſent,Tabula quędam marmorea vetuſtiſsima latitudinis palmorũ circiter trium, longitudinis vero ſex,multis literis græcè inſcripta,& inter Cadauera huius vrbis reperta, Cæſaris Manni Mercatoris Piſani ſtudio ad manus meas peruenit. In qua leges plures de Agrorũ,Vinetorum,ac oliuetorũ Terminis ſunt perſcriptæ. Vbi ſæpe de fluuio Aleſo,& nulla tamen de Aleſa vrbe fit mentio, quæ ſi fieret, hanc ipſam Aleſam fuiſſe,& Straboně in miliariorũ ſupputatione,ſimul & Ptolemæũ erraſſe conſtantiſsimũ eſſet.Hanc etenim Tabulã Marmoream in foro huius vrbis affixam olim fuiſſe veriſimile eſt.Verũ etſi Aleſa vrbs in ea non nominetur,quia tamen de Aleſo fluuio pluries memoria repetitur,non omnino eam Aleſam non fuiſſe affirmo ſed anceps adhuc mihi eſt animus, dũ ex veterum ſcriptorũ,qui nondũ forte ſunt editi monumentis veritas haberi poſsit. Qui vero Tiſſam eam fuiſſe,à qua & Tuſam deriuatam aiunt,cũ Tiſſa a Cicerone exile oppidũ memoretur,& à Ptolomęo Plinioq; inter mediterranea collocetur, hanc autẽ & littoralẽ prope, ac magnam & inſignẽ fuiſſe ex veſtigijs cõpertiſsimum ſit,minus æquo aduertunt. Poſt hanc vrbẽ ꝓſtratã ad iactũ lapidis oſtiũ fluuij Pittinei ſequitur,q Aleſus in Tabula marmorea vocatur,à quo ſi hæc vrbs Aleſa eſt,nomen, veluti & plures alias à ꝓximis fluuijs,adeptã fuiſſe arbitrandũ eſt. Oritur is fluuius ex montibus propinquis,in quibus pittineũ ſitũ eſt oppidum. Cui deinde Motta fermi ſuccedit, atq; ei dextrorſum in mediterraneis ad.p.m.6. Ameſtrata hæret vrbs, Meſtretta hodie dicta. Poſt quam oriẽtẽ verſus Rigitanus primum,& poſtea.S.Stephanus oppidula ſequuntur.Sed ad littus,poſt fluuium pittinei caput Mariazi à palude limoſa nomen habens,extat,vbi turris eſt ſpecula.Subinde Serrauallis.fl.eſt oſtium,ex ꝓpinquis dilapſi collibus, cui eiuſdẽ nominis mox ſuccedit arx, iacensq; oppidulum: quod cum regnãte Friderico tertio huius nominis Siciliæ Rege adhuc ſtaret, per defectionẽ Frãciſci Vintimilij,cuius erat ditionis,a Rege ſolo fuit æquatum, Vltẽrius poſt amnẽ Serrauallis,Caroniæ fluuij oſtiũ ex torrentibus colliũ Sãctorũ Petri,& Cõſtantini,& Mollis cõflati ſequitur,& nominis eiuſdẽ recẽs oppidulũ.vbi ad littus Aleſa peruetuſta olim erat vrbs (ſi Straboni credimus) qui Aleſam poſt Cephaledim ad.30.p.m.ponit.Ptol.quoq; (vt diximus)eã poſt Aletẽ,ſeu Aliciam collocat. Vbi fragmenta, ac veteres ruinæ pro maxima parte obrutæ ad ædẽ Annunciatæ circa Caronię littora adhuc iacent,atq; in ſubiectis agris,& vineis,ad.p. fere.2.m.vbicunq; effoditur,paſsim occurrunt.De ea inſigne teſtimoniũ.5.in Verrẽ Cic.edidit:Siciliæ(inquiens)ciuitates multæ ſunt ornatæ,atq; honeſtæ, ex quibus in primis numeranda eſt Ciuitas Aleſina.Nullã enim reperietis aut officijs fidelioręm,aut copijs locupletioręm,aut authoritate grauiorem. Quam etiam immunem,& liberam cum quatuor alijs,quarum iam meminimus,connumerat.Epiſtolarum etiã lib.13.Lautam,& nobilẽ appellat. Lex fuit in ea vrbe de ſenatu cooptãdo:ne quis minor triginta annis legeretur, vt in Verrem. 4. idem memorat. In Aleſino agro Iulio Solino,& Afro Dionyſio authoribus fons eſt, qui cum ſiletur, quietus,ac

Digitized by Google

quietus, ac tranquillus est: sin autem tibiæ sonant, exultabundus ad cantum eleuatur, & quasi miretur vocis dulcedinem, vltra margines intumescit. Qui vbi sit hodie, nobis quidem incompertum est. Furiani noui nominis fl. ostium est post Alesam. oritur autem ex fontibus Solatij, Maresscotti, & Miragli in montibus inter Troynam, & sanctum Philadelphum in excelsum surgentibus, atq; huic oræ prominentibus. Hi sunt montes celeberrimi quos aërios appellat lib. 5. Diodorus. De quibus abunde lib. primo. Aquæ deinde cognomento dulces cum taberna hospitatoria ad radices horum montium, non longe a mari statim subsequuntur. De his montibus, & aquis lib. 5. hæc habet Diodorus: Sunt montes in Sicilia, quos aërios vocant. Hos loci natura, tanq̃ continua æstate amœnos, atq; vberes reddit. Fontes sunt in eis densis vndiq; arboribus, aquæ præter cæteras dulces. Frequentes quoq; in eis quercus grossiorem, quàm qui apud alios nascũtur, fructum reddunt. Domesticæ etiam arbores, ac vites permultæ, copiaq́; ingenti mala nascuntur. Adeo autem fructiferi montes existunt, vt aliquando Carthaginensium permagnum exercitũ fame superueniente abunde nutrierint. In huius regionis sylua admodum amœna, in quã diuertebantur nymphæ, ex Mercurio, & Nympha Daphnidem natum ferunt, qui à laurorum multitudine, quæ in ea frequentes sunt, appellatus est Daphnis. Educatus à Nymphis boum per multa possedit armenta, à quorum cura Bucolos dictus est. Cum autem esset ingenio acri, studiumq́; plurimum gubernandis bobus impenderet, carmen bucolicum, quod etiam nunc vsq; à Siculis in pretio habetur, adinuenit, & quæ sequuntur. Montes ij ætate mea aliquid habent prisci nominis, Montisori corruptè, quasi Mõtes aërij vocitati. Ad eorum radices in colle edito, & mari prominẽti, quem mõtem incolæ vocant, nonnihil infra S. Philadelphi oppidum, Aluntium vetusta iacet vrbs Cic. Alontium Ptolemæo, Aleuntium Plinio, & Dionysio Alicarnassæo dicta, quam Ptolemæi in suis tabulis ordo, & Cic. descriptio eam ipsam fuisse satis liquidò declarant. Aluntium (in verrem. 5. inquit Cic.) supra mare situm est oppidum difficili ascensu, atq; arduo: infra oppidum est mare. Ptolemæus autem post Alesam in tabulis eam collocat. Hanc lib. 1. Dionysius Alicarnasseus Patronem genere Thurium capto Ilio Aeneę socium cum Thuriorum non contemnẽda manu relicto Aenea nouandarum rerum cupidine ductũ in hac ora, quæ Aeolias respicit insulas, in colle edito, & mari imminenti incoluisse scribit. hodie verò iacet. Cuius adhuc mira, & ea ingentia ex lapidibus quadratis & pro maiori parte disiecta cernuntur monumenta. Aedes est in ea D. Mariæ integra quidem: sed, vt arbitror, & structura docet, recens, & Christianorum opus. Lapidem marmoreum vetustissimum ad eius ianuam iacentem magnum quidem offendi græcis inscriptum literis, quas in latinum ad verbum ita vertendas curaui. Populus hæc virorum sedilia pulchra constituit in honorem Deorum propter beneficia ab eis accepta. Per vrbem quoq; ipsam magnæ, ingentesq́; vetustorum operum ruinæ iacent. Huic ad pas. fermè. 500. superius prominet S. Philadelphi noui nominis, & Longobardorum, vt ex incolarum idiomate colligitur, oppidum. Qui an cum Rogerio Siciliæ Comite in Siciliam venerint, an verò alio pòst tempore, incompertum habeo. Nobilitatur autem ortu Philadelphi, Alphij, & Cirini germanorum fratrum, qui ob CHRISTI fidem imperante Valeriano Cæsare, ex Tertili Siciliæ Præsidis sententia apud Leontinos fortissimè mortem oppetierũt. Ad oram reuertenti fluuij eiusdem nominis ostium subsequitur ex vicinis montibus oriundi, & vlterius Chydę fl. ostium Ptolemæo, cui nunc à Rosmarino vulgatissima est à rosmarinorum copia appellatio: oritur ex Montisoris montibus. Ager deinde sequitur Planities S. Marci hodie appellatus amœnissimus, domesticarumq; omnis generis arborũ ferax, & aquarum vberrimus. cui in sublimi colle, agro & mari ad p. m. 3. prominenti S. Marci incubat oppidum ab æde vetustissima.

Digitized by Google

ſtiſsima. D. Marco paulo infrà ſacra,nomen adeptum,Comitatus titulo inſignitum.vbi & veſtigia antiquitatis nonnulla ſpectantur. Ad eius arcem in rupe ſitam in ſacello tabula eſt marmorea latinis his literis inſcripta. Liuiæ Auguſtidæ municipium. Aquæductus etiam lateritij ruinæ, quò, quòd natura oppidum aquarum eſſet indigum,ex fonte Fauarotta p. m. inde. 2. auſtrum verſus aquæ in vrbem deducebantur, adhuc ſupermanſerunt. Id verò vrbem Calatam olim fuiſſe Ciceroni, non temere, vt credam adducor. Nam cum Ptolemæus Calactã in hac ora collocet,& Diodorus lib. 12. eam ad pulchrum Siciliæ hoc littus, quod ipſum Calata, & eius nomen græcis ſonat,fuiſſe conditam ſcribant, etſi ille eam paulo ſuperius inter Aluntium, & Aleſam poſuerit, cum tamen nullum ſit aliud præter hoc tota hac ora pulchrum littus, huiusq; aliqua extent vetuſtatis monumenta,fruſtra mihi videor diutius apud Ptolemæum de eo ambigere, quod oculis deciſum habere arbitror.Neq; enim eſt,quod in nomine,vnius literæ additione moueat,quam typographorum incuria adiectam eſſe ſatis veriſimile ſit. Nam Cicero Calatam,& non Calactam,gentilesq; eius Calatinos epiſt. lib. 13.& in verrem. 5. appellauit. Quem Diodorus lib. 12. ſectatus eſt. Plinius autem quod Galatam eam nominauerit,id authoritati ſuæ acceptum ferat,ſi typographorum hic quoq; error nõ fuit.Fuit autem condita Calata vrbs a Ducetio ſiculorum Rege,& Archonide Herbitorum Principe,vt lib. 12. ſcribit Diodorus,L. Iulio, & M. Gregonio Romæ Coſſ.Olympiade.85.A quo verò tandem deleta ſit,præſertim cũ Cic. ætate vnà cum Alecia,& Aleſa floreret, me quidem præterit. Extra mœnia huius oppidi ad iactum fundæ orientem verſus cœnobium eſt monialium ordinis D. Benedicti Seruatori hominum dicatum à Margarita Siciliæ Regina olim conditum,& hodie religioſiſsimum. Ornatur mea ætate Scipione Ribiba. S. R. E. Cardinali inſigni. Ad orã eiuſdẽ agri vetuſta eſt arx Petra Romæ appellata,& ſubinde Phitaliæ noui nominis fluuij oſtiũ,qui geminũ habet fontem,vnum in arduo monte ſupra Turturiciũ oppidum ad p. m. 4. qui exilis, ac frigidiſsimus primùm decidens ex pluribus ſimul augetur fontibus, auctuſq; Turturicium interfluit,ac diuidit penè medium;cuius ſibi nomen induit. Dilapſusq; paulo pòſtad montium latus Caſtaniam ad dexteram, ad ſiniſtram Saluatorem in colle edito, & propinquum oſtentat oppidum.Alterum fontem inter Galatim, & longum habet oppida,qui defluens Galati nomine ſuſcepto,ad ſiniſtram Longum oppidum. S. Philippi Abbatiam à Fragali nomen habentem,Mirtiro,Frazano præterea, & Belmontem vicos relinquit. Dilabentesq; inde hi duo fluuij apud Phitaliam dirutum hodie oppidum,quod interamne deſerunt,coëunt. vbi ad ſiniſtram minoram habet Chalcãti. Dehinc vnus ex duobus factus amnis Phitaliæ nomen vſq; ad oſtium vſurpans ſiniſtrorſum Myrtum, & Crapim habens oppidula in mare hoc loci ſe exonerat. Montes,qui huic fl. intus prominent, omnium, qui tota penè ſunt Sicilia amœniſsimi ſunt. Nam licet excelſi ſint, fontium tamen vberrimi ſunt,quibus loca ipſa redduntur habitationi,cultuiq; idonea,vinetis quoq;, roſetis, oliuetis, ac domeſticis omnium generum arboribus refertiſsimi, quæ toto anni tempore virent, & quod in primis locorum pulchritudinem perficit,& amœnitatem, ad collium vicinorum vertices oppida ſunt frequentia, & conſpicua, quæ inter prata ipſa,ac hortos depicta eſſe videntur. Rarum profectò tota Sicilia naturæ opus,cum cæteri ferme omnes Siciliæ montes aut nudi ſint,& horridi,aut ſylueſtribus arboribus,& ſyluis ſolùm amicti.

DE AGATHYRIO VETVSTA VRBE.
CAPVT QVINTVM.

AGATHYRIVM vetuſtiſsima vrbs deinceps ad p. m. 10. occurrit Ptolemæo,quam Strabo,& Plinius Agathyrſum appellant. Sita erat ad latus promontorij,

montorij, quod ætate mea Orlandi caput nominatur, tota Sicilia notiſsimum, vt Strabo lib. 6. ſcribit, qui eo loco eam conſtituiſſe videtur, cum ab Aleſa. 30. p. m. totidemq; a Tyndaride diſtantem fuiſſe tradit. Hanc Agathyrſus Aeoli filius à ſe agnominatam condidit, vt lib. 6. his verbis Diodorus memorat. Agathyrſus (inquiens) Aeoli filius cum dominaretur ei quæ nunc Agathyrſis ora appellatur, vrbem condidit ab ſe Agathyrſidem vocatam. Extitiſſe porrò eam tempore quo Marcellus, & Leuinius Siciliam Ro: imperio ſubegerunt author eſt Liuius. Hodie verò prorſus extincta eſt, & vix minima in agro S. Martini, qui totus aratur, lapidum laterumq; iacentium, aquęductuum præterea vetuſti operis antiquitatis ſuæ relinquit monumenta. Erat ad littus, ſinumq; paruorum nauigiorum capacem habens, ſaluberrimi quoq; aeris, ac humanæ habitationi loco ſita commodiſsimo. Promontorium ingens, Caput Orlandi hac ætate nominatum Agathyrſæ vrbi ad orientem hærebat, Cuius quidem ora ab eodem conditore Agathyrſis etiam vocabatur, vt ex verbis Diodori conſtat. Eſt id promontorium adeo latè in mare diffuſum, vt eminus etiam è Panormo vrbe, quæ ſupra centum p. m. recedit ſereno cœlo liquidò videatur. Sterile eſt pro maiore parte, atq; petroſum vnica turri, quæ ſpecula eſt, hodie habitatum. Noſtrorum verò maiorum ætate oppidulum habuit Caput Orlandi neſcio qua ratione ipſum quoq; vocatum, vt in geſtis Friderici ſecundi Siciliæ Regis legimus, quod hodie ſub ruderibus iacet. Ad. 4. poſtea p. m. Naſi noui nominis fl. extat oſtium. Ortum habet ſupra Vcriam oppidulum, quo ad ſiniſtram relicto decurrens dextrorſum Raccudiam oppidum exhibet, cadensq; Sinagram interfluit oppidum, & deinde Martini ad dexteram & mox Ficarram in edito colle relinquit oppidula. atq; vlterius Naſidam media producta oppidum vetuſti operis dirutum ad ſiniſtram in valle. Sed in excelſo colle Naſum hodie dictum recens oppidum ex Naſidę, pagorũq; aliquot reliquijs conditũ, & Coni pij viri, qui tempore Rogerij Regis claruit, oſsibus nobilitatũ habet. fluensq; tãdẽ hoc loci in mare ſeſe ingerit. Arx dein de recentis operis Brolus appellata ſequitur continuis maris fluctibus attrita. Cui oſtium poſtea fluuij à ſancto Angelo dicti vicinum eſt. Caput habet is in mõtibus ſupra eiuſdem nominis oppidum ad dexteram eidem hærens; ad ſiniſtram verò vtcunq; remotè Ficarram, & Martinum relinquens dilapſus in mare hic illabitur. Caput Calauæ vulgò appellatum in mare ſatis nimis excurrens deinde ſequitur. Cui Pilainus oppidulum in rupe edita incubat. Dein Turris ſancti Georgij & Iuſæ torrentis oſtium.

DE PACTIS VRBE.

CAPVT SEXTVM.

VRBS Pactæ, in flexuoſo ſinu, à mari quingentos circiter paſſus recedens poſt Calauæ promontorium ſuccedit. Cuius cum nullus veterum meminerit, neq; nominis ratio tradita ſit, prima eius memoria ad annum ſalutis. 1094. nobis occurrit: cum Rogerij Siciliæ Comitis diplomate aliorumq; principum actis publicis conſtet, hoc loci ædem diuo Bartolomeo, & ei coniunctum ordinis Diui Benedicti cœnobium inſigne à Rogerio fuiſſe conditum, & alteri nominis eiuſdem religionisq;, quòd Liparæ eſt, ab eodem extructo, iure & reditibus conſociatum ac centum villicis Pactenſibus, & Thermitanis octo donatum, vt eiuſdem Rogerij priuilegio dato Panormi anno ſalutis. 1094. liquet. At proceſſu temporis à Boniſatio huius nominis. 8. Romano Pontifice, duo hæc cœnobia diuiſa ſunt, & in Epiſcopalem quoq; dignitatem euecta. Eoq; modo Pactæ vrbs ſuam incohauit nobilitatem. Sedes nanq; antiſtitis facta, populis

pulis frequentari,ac muro cingi cœpit. Celebris quoq; est Adelasiæ Rogerij Siciliæ Comitis vxoris & Rogerij Regis matris Sepulchro, quod in ecclesia Cathedrali ab omnibus spectatur. Imminent huic vrbi Brizis,Montagnana,Serrintinus & Iusa ei subiecta oppidula. Thimeti fluuij ostium Ptolemæo, Simethi Straboni & Plinio sequitur,à Pactis hopie appellati,qui à Sancto Petro Pactis & Casali nouo oppidulis oritur.

DE TYNDARIDE VRBE.

CAPVT SEPTIMVM.

TYNDARIS Ciceroni,Straboni,& Plinio, Tyndarium Ptolemæo dicta, vrbs vetustissima post Pactas ad p. m. 6. in ædito colle sita, & a mari rupes habens præruptas & inaccessas, iacens subsequitur. Condita fuit à Laconibus,indito ei a Tyndaro patræ Ledæ,matris Castoris & Pollucis,nomine.De quo Sylius lib.14.Geminoq; Lacone, Tyndaris attollēs sese. Huius vrbis partem dimidiam mare quondam absorpsit,vt lib.2. c. 94. Plinius memoriæ tradidit. Nam cum radices eius maris fluctibus impeterētur, sæuiente hyeme,vndisq; supra solitum irruentibus à cætera vrbe ea pars diuulsa disiectaq;,cum habitatoribus in pelagus repente prolapsa est. Cuius vorago ingens ac horrenda adhuc cernitur.Eā vrbē in verrem. 5. nobilissimā appellat Cicero: & commeatu fęcundam ac refertam,& bello maritimo satis accomodam fuisse lib. 5. testatur Alexandrinus Appianus,qui extitisse eam, tempore Siculi belli, quod inter,Octauium,Sextum Pompeium,& Lepidum fuit,author quoq; est.Fanum habebat olim Mercurio dicatum annuis sacris religiosissimum. Vbi & simulacrum erat Mercurij memorabilis pretij ac artificij & picturæ illustris, vt in verrem. 6. Cicero refert. Quod captā à Carthaginensibus vrbe Carthaginem delatum,deletaq; postea Carthagine per Scipionem iuniorem Tyndaritanis restitutum, ac summa ciuium gratulatione suis sedibus epigrammate in basi inciso reposītum est.Tyndaritani eo Africani beneficio moti,Romanorum fœdus deinceps inuiolatum, cultumq; seruarunt. In medio huius vrbis foro. M. Marcelli Romani equestres erant statuæ,magno artificio elaboratæ. Afflicti maxime fuerunt Tyndaritani.C.Verris improba in Mercurij simulachrū auiditate. Inter quos Proagoras non obscurus genere præcipuam iniuriam tulit,qui cum Messanam a Verre illud deferre iussus,iniussu Senatus sub mulcta capitis sibi non licere respondisset, virgis cesus,capitis etiam minas accepit,ni illud q̄ primum demoliretur. At cum fletibus id iterum a Senatu postulando nec impetrasset, nec sua ad facinus authoritate vti ausus esset,à lictoribus Verris rursus capitur,virgis ceditur,atq; vrgente bruma ad statuas marcellorum ligatus toto die. totisq; noctibus, in aere, in imbre,in frigore relinquitur,donec populi tandem commiseratione simulacro promisso,vindictaq; in Deum reiecta,vix viuus inde abductus est.Ob quam sæuitiam à Zosippo & Hismenia Tyndaritanis patritijs accusatus Verres à senatu populoq; Romano Ciceronis patrocinio prætura abdicatus est. Tyndaris Frederico secūdo Siciliæ rege rerum potiente extabat quidem,sed non florens vt olim:ætate autem mea vsq; ad fundamenta prostrata cernitur, Cuius vestigia ampliſsima, mœnia longe lateq; iacentia,lapides quadrati,disiectæ columnæ,domus dispersæ passim eo loco vbi stetit,visuntur.In editiori vrbis loco vbi arx prisco erat tempore, vnica Aedes sacra est hodie diuæ Mariæ cognomine a Tyndaro media producta, quod & vrbi iacenti cognomentum adhuc remansit, quæ religiosissimè colitur, vbi & quot annis 6. idus Septembris magna Siculorum frequentia nundinæ celebrantur. Et præter eam,tota vrbe nihil, nisi seges est. Extra vrbem occidentem

versus

verſus,in colle vicino, & vndiq; præciſo, qui ab accolis adhuc hódie mons Iouis appellatur,templi Iouis mirabiles cernuntur ruinæ. Ordinem ſequentibus infrà deinde in Tyndaridis deſcenſu Heliconis fluuij oſtium Ptolemæo occurrit: qui nunc Oliuerius appellatur:ad cuius ripam ſiniſtram penè littoralem eiuſdem nominis eſt arx. Oritur ad. 5. p. m. ſupra montem Albanum oppidum, ex fonte, cui Puluirello nomẽ eſt,cui alterius fontis Largimuſco appellati, qui ad. 3. p. m. ſupra Montem Albanum effluit,aquæ miſcentur,vbi & ædes ſunt regiæ à Frederico ſecundo ad ſedandam olim podagram,qua vexabatur,extructę. Vnde dilapſus ad dexteram illud.p.circiter mille relinquit, & ſub Mõte Albano molas voluit frumentarias,ac ſubinde plures recipiens fluuiolos ex vicinorum montium iugis decurrentes Oliuerium arcem alluit: cuius nomine ſuſcepto in mari ſtatim exoneratur. Furnaris inde oppidulum ad. p. m. 2. & pauliſper à littore recedens extat: cui interius ad. p. m. 3. incubat in edito & vndiquaq; prærupto monte Tripis oppidum. Infra huius autem mœnia, magnæ vrbis, & (vt appâret) vetuſtiſsimæ, magniq; ambitus, ſed vſq; ad fundamenta dirutæ veſtigia, lapides quadrati, columnæ iacentes, & arces proſtratæ cernuntur. Quæ nam tamen apud maiores fuerit, hactenus non comperi. Ad oram vlterius Caſtri regalis fl. eſt oſtium, qui caput habet è duobus fontibus, altero non longè à Caſtro Regale oppido: quod Fredericus Secundus Rex ex pluriũ pagorũ reliquijs anno ſal.1330.cõdidit,altero apud Abbatiam Sanctæ Mariæ de Gala ordinis Diui Baſilij.Sancti Baſilij fl. ab ædicula eiuſdem nominis appellati oſtium poſtea ſequitur: quod ex latere occidentali collis,vbi Sancta Lucia oppidum conditum eſt,emanat.

DE MYLIS OPPIDO PERVETVSTO

CAPVT OCTAVVM.

MYLARVM promontorium ſiue caput hodie dictum deinceps eſt, Cherſoneſus ab Apollonij interprete lib. 4. & nonnullis alijs,quòd. 3. p. m. peninſulæ inſtar in mare procurrat, appellatum: quem quidem cherſoneſum,Fredericũ Regẽ in inſulã reducere tẽtaſſe,excauatæ,profundæ,& latæ etiam foſſæ,necnon murus ingentis craſsitudinis, longitudiniſq; cannarum plurium in reſcindendæ eo tempore inſulæ munimentum protractus, licet imperfectũ opus, apertiſsimo indicio,cum Frederici Regis huius incepti authoris nomine adhuc ibidem expreſſo, declarant. In eo tres ſunt ædes ſacræ, Diuo Nicolao vna, Trinitati altera, poſtrema Diuo Theodoro inſcriptæ. Ad eius flexuoſum littus dextrorſum Portus, & Mylæ oppidum eſt. Straboni,Ptole.Polyb.& Ouidió,Milazium hodie nominatũ,à Zanclæis (vt lib.6. refert Strabo) nomine à Myla fluuio, qui portum influit, mutuato extructum: quod Siculi belli tempore præcipuam Sexti Pompeij ſedẽ fuiſſe accepimus.Enimuerò vetus quædam antiquæ vrbis porta, quam à Rege Iacobo Aragonio adhuc vocant, cum veteris muri fundamẽtis obrutis, necnon alterũ muri vrbis fragmẽtum, quod cum ad portum vergat, maris nunc portam nominant, longè amplio rem quodam tempore hanc vrbem fuiſſe quàm nunc eſt,liquidò oſtẽdunt. Poſtea verò in anguſtiorem formam redacta,ætate mea,vna eſt ex maritimis Siciliæ arcibus ſitu & arte munitiſsima. Nonnihil infra Regis Iacobi portam diſtans à mari viginti circiter paſſus,puteus eſt perẽnis,& adeo ſemp exũdãs, vt vel numeroſiſsimæ cuiuis claſsi regię aquas prębeat affluẽtiſsimè. Portũ pręterea habet & inſignẽ, & nauiũ capaciſsimũ. Nobilitatum fuit hoc oppidũ,ortu Phocilidis Philoſophi illuſtris. Ager Mylenſis planus,frumẽti,vini,olei & pabuli feraciſsimus eſt:vbi ſolis boues,Vlyſsis ſomniũ,& ſacrilegiũ ſociorũ eius cõtigiſſe Odyſſeos lib.12.latiſsime

Digitized by Google

fabulaẽ Homerus,& lib.5.refert Appianus.Et li.2.c.101.Pli.circa Meſſanã (inqt) & Mylas fimo ſimilia expuũtur in littus purgamẽta:vnde fabula, Solis boues ibi ſtabulari.Mylæ (inquit Apollonij interpres) Siciliæ Cherſoneſus,in qua Solis boues paſcebantur. Et lib. faſt. 4. Ouid. Sacratumq; Mylæ paſcua læta boum. Quod etiam vnà cum fabula in. Q. naturalibus cõmemorat Seneca.Quid verò per Solis boues intelligat,Odiſſeæ lib.1.exponere videtur Homerus, cùm feracitatẽ huius regionis commendat. Et quod de fimo ſimilibus purgamentis ſcribit Plinius, noſtra tempeſtate etiamnum experti ſumus. Enimuero quibuſdam temporibus hoc mare ſordes quaſdam fimi inſtar in continentem eijcit. Scribit idem Pli.lib. 31. c. 4. circa Mylas hyeme fontes prorſus areſcere, æſtate verò ita exundare, vt amnem conficiant: quod & nos vſu venire didicimus. Iuxta lacum enim, quem Pantanum appellant, à Mylis. p. m. 2. Meſſanam verſus recedentem puteus eſt ædi Diuæ Mariæ,à Plana & à Buſchetto appellatæ propinquus,qui per hyemem totus exiccatur,per æſtatem verò aquis abundat. In agro hoc Mylenſi exiguũ olim fuit oppidum Arthemiſium nomine, quod flagrante Siculo bello extitiſſe lib. 5. author eſt Appianus: cuius hodie nulla viſuntur monumẽta.Hinc poſt Mylas Oliueti primùm,& mox Frundonis noui nominis fluuiorum ſunt oſtia. Et vlterius ipſius Mylæ fl.Ouidio & Plinio,Nuciti hodie nominati oſtium patet:qui ab aquarum nigredine, (id enim melas græcis ſignificat) quam adhuc habet,id ſibi nomẽ contraxit, cui nigræ etiam hodie arenæ conueniunt. Qua occaſione & alium Bœotiæ fluuium Mylas appellatum,ex cuius aquis bibentes oues,pullum in vellera colorem trahere, lib. 2.c, 106. recenſet Plinius. Emanat autem hic noſter Mylas ex latere orientali collis Sanctæ Luciæ. Malpurtiti deinceps recentis appellationis amnis oſtium aperitur, vbi & eiuſdem nominis ſcopulus ſubaquaneus latet,nautis formidabilis. Et paulò poſt Diuetum taberna hoſpitatoria & turris,& ſubinde Falacrium ſequitur promõtorium Ptolemæo, Raſiculmus hodie dictum: vbi & turris eſt ſpecula. Hinc mox Myrtorum ſuccedit caput & ſtatio. Et demum Pelorus promontorium & turris Phari,vnde ſpicati ſumus. Proinde ora littorali nouem libris abſoluta,ad mediterranea, ob fluminum fontiumq; propinquitatem duntaxat hactenus memorata, deinceps deſcri benda accedamus: Adiecta quoq; noua Siciliæ diuiſione, additiſq;,in Odiporici modum miliariũ ſpatijs veluti filo deſignatis, etiam cum maritimi tractus oppidis,ciuitatibusq;, prout ſeſe inuicem in ſua regione ſubſequuntur: vt tandem deſcriptionis opus decimo hoc labore terminetur.

F. TH.

Digitized by Google

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS, PRIORIS DECADIS.

LIBER DECIMVS. ET VLTIMVS.

DE REGIONE VALLIS DEMINI ET EIVS OPPIDIS. CAPVT PRIMVM.



SICILIA tribus hodie regionibus, quas valles vocãt, à Fliſco dirimitur: quarũ Demini vnã, Noti alterã, & Mazarę tertiã appellãt. Hac partitione Sarracenos primùm, dein Normannos, ac cæteros Siciliæ Reges huc vſq; vſos, & in hiſtorijs, & ĩ publicis tabulis legimus. Adeoq; recẽs eſt, vt neq; græcorũ veterũ, neq; Latinorũ quisq̃ eius me minerit. Demini regio à Peloro promontorio incipit, & ſuperũ inferũq; amplexa littus, hinc Teria flumine, illinc verò Himera amne, q̃ mare Tyrrhenũ influit, clauditur. Noti regio à Teria ſumẽs initiũ cum eo intus extẽditur, Ennãq; inde interſecans, cũ Gela fluuio deſcẽdit, atq; ad Alicatã vrbẽ terminatur. Mazarę verò Regio, quod reliquũ eſt Sicilię ad Lilybœũ vſq; cõtinet. Porrò à regione Demini ea ratione duximus inchoandũ, quòd Italię ſit propinquior: à qua ſolo freto diſiuncta Pelorum promontorium, deſcriptionis noſtræ & initium & finẽ, amplectitur. Hæc difficilium montium & ſaltuum, alijs alios continuè excipientibus, denſiſsimorumq; nemorum horridam habet faciem, ſituq; ſuo eminẽti reliquis duabus eſt eleuatior. Quo fit, vt frumenti, frugumq; omnium in eis locis ſit indiga; olei tamen, ac lanæ ſericæ fœcundiſsima. Nominis etymologiam multi ad nemora, quibus abundat, pleriq;, ſed hi ineptiores ad Dæmones, quibus in Aetna monte (quẽ continet) à vulgo ſedes conſtituitur, nonnulli quoq; ad eminentiã, quòd montes tota Sicilia celſiſsimos habeat, non adeo abſurdè, retulerunt. Mihi verò id non diſplicet, quòd, cùm à Sarracenis diuiſio hæc adinuenta ſit, Sarracenici idiomatis nomẽclatura incertæ nobis originis exiſtimari debeat. Primùm igitur à Peloro Meſſanã vici ſeſe cõplures offerũt: quos etſi, propterea quòd nihil aut vetuſtatis, aut dignitatis habeant, iure omittendi videantur, nominũ tamẽ cognitionẽ non ingratã fore ſum arbitratus. Sunt itaq; hi: Pharus, Caſtania, Maſſa, Mõtana. S. Georgius, Flomara, Gattainus. S. Ioannes, Lacus, Curcuracius. S. Agatha, Annũciata. S. Michael, &. S. Maria la Scala. Hi quàm minimis à ſe inuicẽ ſpatijs diſtincti. 12. tãtũ. p. m. vnà oẽs Meſſanã vſq; cõficiunt. Quã deinde ſubſequũtur pagi, quos Furias appellãt: Ciera. S. Philippus cognomento Paruulus, Cataractis, Cãmaris, Burdunarus, Cumia, Gazis, Cõtiſſa, Trimoſteris, Piſtomna, Camarda, Caliſpera, Roccamaduris. S. Lucia, Caſalottus, Zafaria. S. Philippus magnus, Ardaria, Milis. S. Marcus. S. Petrus de Mili, Galatis. S. Margarita. S. Stephanus, Pezula, Labrica, Iãpileris, Artiſia, Scaletta, Iundimãdrus, Itãla, Aly, flumẽ Dioniſij, Beluedere arx, Mãdanicius, Pagliata, Locadius, Caſale vetus, Sauoca. S. Alexis arx ad Argenũ promontoriũ ſita, Forza, Limina, Muniuffus, & Calidorus. Multitudo hæc vicorũ, villarum, & caſtellorũ ſpaciũ. 30. p. m. à Meſſana ad Tauromeniũ cõtinens, freto imminẽt, paruiſq; admodũ inter ſe interuallis diſsiti, feracibus vallibus, amænisq; ac magna multarũ rerũ varietate excultis agellis, nec aquarũ indigis, collibus, prętẽrea, tũ vinetis Mamertinis, tũ oliuetis ac moretis, necnõ argẽti, ferri, aluminis, & lapidis porphyretici, & Iaſpidis mineris, accolarũq; frequẽtia ſunt inſignes. Quibus à tergo mõtes ſunt Aërij, & inter eos præcipuus Neptunius, Spreuerius hodie:

dictus: De quibus ſingulis latiſsimè in ſuperioribus tractatum eſt. Tauromenium poſtea celſo in colle, trigeſimo à Meſſana miliario diſtans ſequitur: cui ſupereminet in alpibus ad. p. m. oppidulum Mola appellatum, relegatorũ locus. A quo. p. m. 5. Gaggus & ad mille paſſus deinde Ganitis Tauromenitani ſunt pagi. Tauromenio demiſsis ad littus. p. m. 2. Schixon hodie ſeſe arx oſtentat, vbi olim Naxus peruetuſta ſtábat vrbs. Sed littore paulatim relicto, & vallẽ ingreſsis ad dexterã in editis collibus Motta Camaſtri ad. 6. p. m. oppidulum abeſt. Ad ſiniſtrã, traiecto Tauromenitão fluuio, ad rupis angulũ, & radices Aetnæ montis in cœlũ ſeſe efferẽtis ſitũ. 4. p. m. à Motta Camaſtri Caltabianum recedit, Sarraceni nominis oppidũ, à mari. p. m. 3. refugiens. Hinc ad. p. m. 2. ſub radicibus Aetnæ Lingua groſſa eſt oppidulũ, ſic dictũ, ob durã illic, ruſticãq; vernaculi ſermonis pronunciationẽ: quod, quia inter Aetneas ſyluas tacet, picearũ arborũ luco nobilitatur. Vnde ad. 3. crrciter. p. m. ĩ collibus Caſtrũ leonis eſt oppidũ: cuius arx vetuſta ex quadratis lapidibus ſtructura vtcũq; exornatur. Hãc vallẽ, quam à læua Aetnæ radices, & à dextera montes Tauromenitanis alpibus continuati efficiunt, Tauromenitanus fl. ſcindit & irrigat: Ad cuius vtranq; ripã platani, toto orbe delicioſiſimę arboris numeroſa luxuriat ſylua. Inde ad. p. m. 3. Francauilla ſequitur, Vicecomitatus titulo ętate mea illuſtratũ oppidũ: quod Gulielmi primi Sicilię Regis tẽporibus extitiſſe in eius geſtis legimus. A quo abeſt. p. m. 8. Auricella latinè, Rocella vulgò nominatũ oppidulũ: Et ab eo. 5. p. m. Randatium noui nominis ſub Aetna, quà Septẽtrionem ſpectat, ingens, nobile, locuples & muro cinctum oppidũ. Et deinde. p. m. 8. D. Mariæ cognomẽto Maniacis, ordinis. D. Benedicti, à Margarita Siciliæ Regina prioris Gulielmi vxore & poſterioris matre, ex Clementis Papę cõceſſu (vt põtificio diplomate patet) eo loco, qui tunc tẽporis Maniacis dicebatur, inſtitutũ, ædificatũq; anno ſal. 1182. monaſteriũ. Huic ĩ occidẽtẽ ad paſſus circiter mille imminet Maniaciũ, à Georgio Maniacio, Siciliæ præfecto anno ſal. 932. ob inſignẽ, quã eo loco cõtra Sarracenos adeptus eſt, victoriã & cõditũ, & denominatum oppidũ: quod cùm nunc dirutum videamus, tẽpore Guilielmi Boni ſtetiſſe ex eius vita cõſequimur, ſed nec a quo deineeps, nec quo tẽpore deletũſit certò cõſtat. Viſuntur tamẽ eius ruinę, quę ipſæ hodie Caſalinus nominantur. Ad ſiniſtrã verò prædicti periſtilij, Aetnæ radices circumãbulãti ad. p. m. 8. Brontes recens oppidulũ occurrit. Cui ad eaſdem mõtis radices totidẽ. p. m. Adranũ peruetuſtũ oppidũ, Adernò hodie dictũ ſuccedit. De quo in Timoleõte Plutarchus, Adranitæ (inquit) paruã vrbẽ habẽtes Deũ Adranũ, qui maximo in honore per Vniuerſam Siciliã habebatur, colebant. Fuiſſe verò Adernionẽ, id quod olim Adranũ vocabant, idẽ Plutarchus in eodẽ oſtendit: qui quadraginta ſupra trecẽtos ſtadijs Tauromeniũ ab Adrano diſtare ſcribit: quo ſpatij interuallo etiã hac ætate diſsidet. Nominis quoq; antiqui veſtigiũ, & vetuſtæ vrbis ſtructuræ, ruinæq; ampliſsimæ cõteſtantur. Paternio. 4. ad. p. m. etiã ſub Aetna mõte recẽs oppidũ ſubſequitur: à Rogerio Siciliæ Comite ad obſidẽdã olim Catanã vrbẽ, vt in eius hiſtoria cõperimus, extructũ. Valcorrẽtis vicus ſub Aetna quoq;, ab hoc. p. m. 4. diſtãs poſtea reperitur. A quo Motta (arx olim) S. Anaſtaſię. p. m. 5. abeſt, ex rupe pręciſa in Catanenſiũ & Leontinorũ ſubiectos ſibi agros iucundiſsimũ proſpectũ habens oppidulũ. Monaſteriũ albũ pagus ad. p. m. 4. ſequitur. Et totidẽ paſsibus Catana vrbs ad radices quoq; Aetnæ ſita (vt diximus) quã eodẽ penè montis ſitu vicatim excipiunt Aetnam ambientes pagi, vineæ Catanenſium hodie appellati: Sanctus Ioannes, Galermus, Maſcauſia, Pracis, Sanctus Petrus, Campus rotundus, Rapiſardis, Malpaſſus, Mõpilerius, Nicoloſus, Lapidara, Tricaſtagnis, Via grãdis, S. Ioãnes lapunta, Sanctus Gregorius, Sancta Maria Beluiridis, Bonaccurſius, Cantarellis, Xaccis, Terracitis, Caſalottus, Diuus Antonius, Cubiſia, Pantacis, Scarpis, Acis arx in ſcopulo mari imminens, Molendina, Rigitana, Supramianus, Muſumęgis, Cu-

lia, &

Digitized by Google

lia, & Maſcaris: vbi Aetnam olim, vt pleriq; ſcribunt, vrbem poſt mortē Hieronis a ſuis Catana expulſis conditam, & octuaginta à Catana ſtadijs ad montanam Aetnæ oram ſitam fuiſſe lib. 6. teſtatur Strabo. Inſignis porrò fuit hæc ingenti ſeruorum ſtrage, belli ſeruilis tempore, vt Oroſius refert. Viſuntur autem vrbis deletæ ad Maſcarim & manifeſta & obruta veſtigia, Etſi non deſint, qui Aetnā vrbem quam Inueſam etiam aliqui appellant, non longe a Centoripe fuiſſe prodiderint. Aetna monte in ambitu emenſo ad Brontem eſt redeundum: vt, quæ ſunt hac regione reliqua idoneo ordine percurrantur. Poſt Brontem igitur occidentem verſus ad. p. m. 8. Carbunis eſt pagus, & poſt eum. p. m. fere. 5. Ciſaro oppidulum.

DE TROYNA VRBE, ET VICINIS OPPIDVLIS.

TROYNA vrbs ad. p. m. 8. deinceps ad occidentē in colle edito ſuccedit. Hanc vrbem Troynam appellatam in priuilegio Rogerij Comitis, quo conſtat ædem D. Nicolai de nobilibus Meſſanæ ipſum condidiſſe, ijs verbis lego. Sacrauimus eam ſub dioceſi Troynenſi. In inſigni quoq; aeneo huius vrbis vetuſtiſſimo ad Francauillæ fl. ripas anno abhinc ferme. 70. caſu reperto, quod arx eſt tribus turribus ornata, & Leone ianuam cuſtodiente, hæ literæ circumleguntur: Vetuſtiſsima ciuitas Troynæ. quod ſigillum in archiuo ciuitatis Troynenſes hodie ſeruant. In priuilegio quoq; Rogerij Comitis, quo Abbatiam S. Michaelis ipſum condidiſſe ſcribit, Troynam his verbis ipſam appellat: Conſtruxi in ciuitate Troynæ monaſterium. & Rogerius Rex in diplomate erectionis eccleſiæ Cephaledenſis: Accedente (inquit) conſenſu canonicorum Troynenſium. Quibus omnibus impulſus hanc vrbem eam eſſe, quam Troyanopolim, immunem, ac liberam in Sicilia lege prima de cenſibus Vlpianus refert, facilè adducor, vt credam. At cur Troyna ſit appellata, & à quo, & quando condita, nondum comperi. Cuius cum veterum nullus, qui quidem ad manus meas peruenerit, meminerit, prima eius memoria Rogerij Siciliæ Comitis tempore ſe prodidit: in cuius geſtis ſub Sarracenorum imperio græcam eam vrbem, mox illis pulſis epiſcopali dignitate inſignem, ac ſuæ etiam curiæ longo tempore ſedem fuiſſe conſequimur. Habet adhuc pro Epiſcopo Archidiaconum hodie, & canonicorum collegium: quorum conſenſu à Rogerio rege Cephaleditanam eccleſiam epiſcopali decore fuiſſe inſignitam ſupra diximus. Veteris porrò vrbis Arx, nouæ huius vrbis finibus hodie concluſa eſt, vrbs vero inferius ad mille paſſus in meridiem, loco Sancti Syluestri cernitur, vbi ædium, murorum ac pyramidum ex quadratis lapidibus clariſſima ſpectantur cadauera. Prædicant enim Troynenſes fama per manus ducta, ædem ſacram, quæ maior ibi eccleſia appellatur, fuiſſe olim veteris vrbis arcem, quam Rogerius Comes diruit, eiusq; loco templum maximum ſuffecit, quod non ſine manifeſto rei veræ argumēto Baglium Caſtelli hodie vulgus vocat. Iuxta maius huius tēpli fanū, quod Tribonā maiorē ſua voce nominant, Sacellū eſt paruū, idq; ſubterraneū, vbi Vrbanū quartū huius nominis Pōtificē, cùm ad Rogeriū Comitē Sarracenis pfligandis occupatū, curioſius viſendū cōueniſſet, vt in eius geſtis memorabitur, ſacra celebraſſe Troynenſes etiā affirmāt: quò mulieres ingredi ex inſtituto nō licet. Paulò infra vrbē ad. p. m. 2. meridiē verſus, ædes D. Michaelis ſuper collē erecta, & cœnobium D. Baſilij illi adiunctū extat, à Rogerio Comite parta cōtra Sarracenos victoria, p triūpho dedicatū: vt eius priuilegio dato Troynæ anno. 1073. declaratur, quod eſt eiuſmodi. In nomine sāctę & indiuiduę Trinitatis. Amen. Notum ſit cūctis Eccleſiæ filijs, quod ego Rogerius Calabrię & Sicilię

Comes diuina inſpiratus dignatione pro ſalute aīæ meæ,& cōiugis meæ, necnō & parētum meorū,& fideliū meorū,& Domini mei Ducis, fratris videlicet mei. Cuius beneficio totius honoris mei ſummam retineo, conſtruxi in ciuitate Troynæ monaſterium ad honorem ſanctę Trinitatis, ſanctæq; perpetuæ Virginis Mariæ, atq; ſancti Michaelis Archangeli,& aliorum Sanctorum, quorum ibidem nomina & reliquiæ continentur. Et terras,& prædia ibidem Deo ſeruientibus monachis dedi, & Abbati Roberto noſtro conſanguineo. Et nouiter tam libera autoritate, q̄ priuilegio Domini mei Ducis ac meo illi dono & concedo, vt habeant monachi poteſtatem ſecundum regulam ſancti Baſilij ipſimet ſibi eligendi & cōſtituendi Abbatem. Et quod in omnibus, quæ ſupradicta eccleſia habet cōceſſione mea, vel habere poterit, liberam poteſtatem, omniumq; prædiorum, & eccleſiarum pertinentias & iura omnia habeant. Si quis verò fidelium amore Dei, & ſalute eius animæ compunctus eidem eccleſiæ ex ſuo iure dare aliquid voluerit, vel eccleſias, poſſeſiones, vineas, terras, domos, villicos, ſtet in illorum libertate conceſſa cum gaudio ſpirituali remota omni occaſione præbeant. Qua authoritate in Dedicatione eccleſiæ, quæ facta eſt à bona memoria Donni Arnulphi, quartodecimo Ianuarij, Anno ab incarnatione Domini milleſimo octuageſimo primo, inditione quarta, Dominante domino meo Duce Roberto Guiſcardo Amen, à fidelibus meis dotis nomine eidem eccleſiæ data & conceſſa ſunt,& quæ ſequuntur. Robertum huius monaſterij Abbatem Rogerius poſtea Epiſcopum Troynæ, & demum à Troyna tranſlata Meſſanam Epiſcopali dignitate, Meſſanenſem præſulem inſtituit, vt in eius reſcripto, cuius in Meſſana meminimus dato Panormi die. 7. Iulij. 10. Indi. anno ſalutis. 1087. ipſe teſtatur, quod in hoc loco repetere opere pretium duxi. Ego verò (inquiens) quoniam ſemper in animo meo propoſueram Eccleſiam Meſſanæ magnis poſſeſsionibus ampliare, multisq; donis & oblationibus ditare, eò quòd eum poſt acquiſitionem Siciliæ tranſlata ſede Epiſcopatus à Troyna in Meſſanam, primum epiſcopum erexeram, prædicti Epiſcopi Roberti precibus aures inclinaui. &c. Huic periſtilio ad Septentrionē. p. m. 5. ſancti Helię Eubuli ordinis etiam Diui Baſilij cœnobium hæret, à Rogerio quoq; Siciliæ comite extructum, vbi antea Chriſtianorum erant pagi, vt ex græco quodam eius priuilegio accepimus. Cū quibus Rogerius Comes, Troynā, quæ Sarracenorum erat præſidium expugnaturus, conſilium de ea oppugnanda habuit, qua poſtea expugnata Diui Heliæ Aedem & cœnobium, in hoc loco condidit, cui à re geſta, Eubuli (quod bonum conſilium Latinis ſonat) nomen indidit, quod hucuſq; etſi parum corrupte retinet. Sed ad meridiem. p. m. 6. Gaglianum oppidum Vicecomitatus titulo nobile, rupiſq; excelſæ ſitu munitiſsimum ſequitur. A quo deinde ad. 3, circiter. p. m. Sed quinq; à Nicoſia diſtans Rocca Serlonis, Sarno hodie dicta occurrit, à Serlone Rogerij nepote, Sarracenorum ibi manu, (vt fuſius in hiſtorijs memorabimus) interfecto, cognominata. Ciramis ad. p. m. 7. Capitij quodam tempore pagus, nunc oppidum ſubſequitur. A quo. p. m. 4. Capitium ad Aeriorum montium qua meridiem ſpectant angulum ſitum, vetuſtum abeſt oppidum Ptolemæo, Capitina à Cicerone nuncupatum. Cui à ſiniſtra Nicoſia populoſum, & ingens eſt. Nicoſinum oppidum à Frederico Secundo Cæſare in diplomate quodam appellatum, quod Lombardi & Galli cum Rogerio Siciliæ Comite in Siciliam aduecti promiſcuè inhabitarunt, vt Siculorū Annales referunt: cuius etiānum incolæ ſermone Lombardo & Gallico & ſi corrupte vtuntur. A quo ad occidentem non longè diſsidet eiuſdem nominis celebris ſalis fodina. Spirlinga deinde munitiſsima, & in rupe edita ad. 3. p. m. extat arx, quæ, quòd Gallicæ ſtragis ſola inter Sicula oppida fuerit expers, hoc prouerbiali adhuc verſiculo celebratur: Quod ſiculis placuit ſola Spirlinga negauit. A qua. p. m. circiter. 9. Arx alia abeſt Reioannis corruptè hodie, ſed olim ſub Sarracenis Rayhalioannis

Rayhalioannis oppidum nominatum: quod à Frederico ſecundo, ob Franciſci Vintimilij, cui ſuberat, perduellionē in ruinas abijt. Huic ad. 6. p. m. vicinum eſt Gangis oppidum nouum, ad latus collis, qui ex torrentibus Gelæ fl. caput vnum habet, ſitū, eiq; ad meridiē. p. m. 2. in valle monaſteriū ordinis Diui Benedicti, à religioſis viris, ſuper ruinis Gangis veteris, quod cum à Frederico ſecundo anno ſalutis. 1299. cum Franciſco Vintimilio eius domino inſolenter deſciuiſſet, funditus deletum eſt, quodq; falsò quidam Engium vetuſtiſsimam vrbem fuiſſe aſſerunt, liberaliter ſuperſtructum. Giracis à Gangi ſeptentrionem verſus. p. m. 6. Sarracenicum oppidum abeſt Marchionatus titulo inſigne. A quo totidem. p. Petralia ſuperior in edito colle ſitum, & vetuſtum quidem oppidum Petra à Ptolemæo appellatum diſtat. Et ſub eo mille paſsibus ſeiunctum in valle Petralia inferior recens oppidum extat, ſupra quod caput aliud eſt Gelæ fl. falſi hodie dicti. Et ab eo. p. m. 6. Politium noui nominis, ſed nihilominus ingens & locuples, & inter duo Himeræ fl. capita ſitum abeſt oppidum: reliquijs Gandolfi pij viri & miraculis illuſtratum. Originem ad Rogerium Siciliæ comitem refert: qui Sarracenos inſequens cum ad verticem Nebrodidis fugaſſet, eos obſeſſurus in mole quadam edita ad montis radices, arcem, vbi commodius ſtatiua teneret, excitauit, quæ adhuc ſupereſt. Vnde hoſtes ſæpe adortus, in montis planitie, quæ adhuc Planities belli patria lingua nominatur, eos ſuperauit. Craton hic mons Ptolemæo, ſed cæteris ſcriptoribus Nebrodides, vulgo autem hodie Madonia dicitur: Quita Sicilia præter vnum Aetnam, omnium latiſsimus, celſiſsimusq; maxima anni parte niue tegitur, & mari Tyrrheno prominet. Complures circunquaq; perennes ac ingentes habet fontes: qui è veſtigio non ſolum molas voluunt triticeas, ſed in flumina quoq; diffunduntur. Herbis ſuis etiam radicibusq; omnis generis nobilitatur, quas aut brutis animantibus, aut hominibus in potiones ſalutares herbilegi atq; aromatarij vndiq; confluentes inde diſcerpunt. Damis præterea ac hinnulis, ceruisq; abundare ſolet: à quorum copia nomen olim Nebrodidis, quod damam Latinis ſonat, aptiſsimum mutauit. Vnde & locus ad eius quoq; verticem, rupibus vndiq; foſſæ inſtar circunciſus Mandra ceruorum Vernaculè, ceruile latine dictus eſt. Hodie autem ob nimis inconſideratā, promiſcuamq; venationem, omni ferme ferarum genere, quæ eius loca quietiora ſecedere conſueuerant, videtur exhauſtus, Porrò oues, quæ ibi ex paſcuis ſaginantur, & dum viuunt, & poſt interitum etiam, perpetuo dentes habent inauratos. Plura quoq; alia, præter Politium, ad huius montis latera ac radices ſunt oppida. Iſnellus oppidum, quod Aſinellum vernaculè nominant, tertio miliario à Politio Nebrodide emenſo refugit. Et mille exinde. p. Bonuicinus arx, ſed. 4. circiter. p. m. Yholiſanus Sarracenis, ſed Colliſanus peritioribus dictum oppidum, Comitatus hodie titulo illuſtre, necnon Iaſpidis & porphiretis lapidicina nobile: cuius vetus regio Bayharina adhuc vocatur. In cuius antiqua arce, quæ hodie templi Parochialis turris eſt campanaria, ad feneſtram hoc fragmentum legitur: ME FECIT ANNO DOMINI. 1060. Huic ad occidentem collis incubat mons nominatus, vbi diruti oppiduli cadauer neſcio quod diſperſum viſitur: è cuius reliquijs Yholiſanum conditum oppidani prædicant. Et ad maris Tyrrheni oram ad. p. m. 6. Roccella ſubeſt arx, cuius ſuo loco meminimus. Et ab eo ad mōtes. p. m. 5. Gratterium oppidum Berillo lapide nobile. Octauo deinde miliario ad oram Cephaledis eſt vrbs. Et ab ea dextrorſum. p. m. 9. Pollina in celſo colle & in acutum ſurgente eſt oppidum. A quo Caſtellum Bonum ad. 4. p. m. abeſt oppidum nobile. A quo p. m. 3. cœnobium Sanctæ Anaſtaſiæ à Rogerio rege fundatum recedit. Ac deinceps ſupra verticem montis ad. p. m. 8. oppidum Sanctus Maurus eminet. Et totidem ab eo paſsibus Caſtellucium abeſt: a quo. 3. p. m. Migaidus diſtat pagus. Eſt deinde ad p. m. 6. Tuſa oppidum: cui ad maris littus ad. p. m. 2. Tuſa arx, &

frumenti

Digitized by Google.

frumenti Emporium ſubeſt. A quo. p. m. 6. Pittineum abeſt oppidum. Pittia Plinio dictum: vnde Pittienſes. Motta fermi deinceps ad. 2. fere. p. m. Et Rigitanum mox ad. 3. p. m. ſequuntur. Sed ſuperius ad. p. m. 4. Miſiſtratum Polybio lib. primo, eſt peruetuſtum oppidum, Ameſtrata Ciceroni & Plinio dictum: cuius nomen adhuc ædis ibi Diuæ Catherinæ retinet. Hodie verò Miſtretta appellatur. Vetuſti oppidi circa montem plura ſpectantur monumenta, & arx vetuſtiſsima. A quo. p. m. 5. Sanctus Stephanus oppidulum recedit, Et totidem paſſibus Caronia ab eo remotum eſt oppidum: ad cuius littora Aleſæ vrbis (vt memoratum eſt) proſtratæ iacent ruinę. Sanctus Philadelphus, deinde Lombardorum ad. p. m. 12. eſt oppidum. Cui Aluntium (vt diximus) iacens antiqua vrbs ad paſſus quingentos ſubeſt. Et in collibus ſupra, Militellus ad. p. m. 5. recens ſe oppidum oſtendit. A quo. p. m. 4. Sanctus Marcus oppidum, & totidem ab hoc p. Arcara abeſt. Et non longe ab eo Caſtrus iacens eſt vetus vrbs, ortu Epicharmi poetæ nobilis, cuius in viris ſuis illuſtribus Anthus meminit. Et ſupra Arcaram ad. p. m. 4. Longi oppidulum. Et. p. deinde mille Galatis diſtat. Eſt poſtea ad. p. m. 4. in valle profunda Turturicium oppidum, opificibus varijs, ſed in primis fabris ferrarijs & cāpanarijs clarū, quorū opera tota Sicilia diffunduntur. Et æquali inde ſpatio Saluatoris in edito colle ſitum oppidum abeſt. A quo Frazano. 3. p. m. diſtat pagus: cui ad. p. m. Abbatia Sancti Philippi Fragali à Rogerio Siciliæ olim Comite extructa, & ordini Diui Baſilij inſcripta ſupereminet: quam idem pòſt fabricam magnificè ditauit, vt ſingulari ipſius reſcripto, anno à cōdito mundo. 6598. ipſis Calendis Iunij elargito, quod anno poſtea eiuſdem ſupputationis. 6600. Simon Rogerij filius Siciliæ Comes, & alio iterum ſecundo poſt anno diplomatis, necnō Rogerius inde rex anno mūdi. 6653. publicis tabulis, ratū habuere, apertiſsimè conſtat. Sed duobus inde. p. m. Crapis eſt oppidulum. A quo. p. m. 3. ad orā Petra Romæ arx, & intus ad. p. m. 4. Myrtus, & in edito deinde colle ad. p. m. 5. Naſus eſt oppidū. Hinc tertio miliario. S. Marina pagus habitatur: cui in colle poſt. p. m. 2. Caſtania ducētis plus minus abhinc annis ex pluribus pagis congregatum oppidum ſupereminet. Et deinceps ad. 4. p. m. oppidum Vcria ſequitur. Et totidem paſsibus in valle eſt Raccudia, Raccuya vernaculè dictum oppidum: à quo. m. p. Sancti Nicolai à Ficu cognomento Abbatia abeſt, à Rogerio Siciliæ Comite dicata vt ipſius græco, & Rogerij Regis Latino, quod anno ſalutis. 1153. Meſſanæ datum eſt, diplomatis declaratur. Et. p. m. ab oppido. 3. diſtat Sinagra noui nominis oppidum: A quo Martinis. 2. p. m. Vicus diſsidet, & non longiori interuallo Ficarra oppidū cernitur. Sanctus Angelus deinde oppidum ad. 4. p. m. ſequitur, ex duobus pagis Sarracenicis Anſa & Liſico, ad cœnobium ordinis Sancti Baſilij, à Rogerio Siciliæ Comite, ob inſignem, quam eo loco contra Sarracenos adeptus eſt victoriam, Diuo Michaeli dicatum, conditum & dotatum ſeſe recipientibus coactum: vt ipſius Comitis anno. 1092. & Regis itē Rogerij dato Panormi anno mundi. 6502. reſcriptis proditum eſt. Et pari ſpatio ad oram Brolus eſt arx. Pilainus. 2. p. m. ab eo poſtea refugit oppidum: à quo Giuſa oppidulum. 4. p. m. abeſt. Surrentinum ſequitur ad. p. m. 2. vicus. Et Montagna poſtea ad paſſus mille. Et pari interuallo Pactæ vrbs occurrit: quam Brizis ad. p. m. 4. excipit Vicus. Et non abſimili ſpacio. S. Petrus Vicus alter à Pactis appellatus, Et totidem. p. m. in edito monte Mons Albanus eſt oppidum à Frederico ſecundo Siciliæ rege conditum & muro cinctum: vbi & regias ædes lapide quadrato conſpicuas à fundamentis erexit. Nobilitatur Raynaldi Villanouæ medici & mathematici clariſsimi ſepulchro: quod in ſacello arcis ab omnibus viſitur. Inſigne quoq; eſt magna præ cæteris canum ſtatura ac ferocia. A quo. 3. p. m. Caſale nouum diſtat: cui ad oram. p. m. 6. Tyndaris proſtrata ſubeſt vrbs, & mille ſubiude. p. Arx Oliueris: quam. p. m. 3. ſequitur Furnaris, & ad totidem

inde

Digitized by Google

inde. p. m. Noara oppidum refugit. Huic vicina est Abbatia Sanctæ Mariæ eiusdem cognominis, ordinis Cistercienſis: cui monasterium eiusdem ordinis Sanctæ Mariæ à stella & spano Nicolai Traynensis ære antè ædificatum, plurimumq; ditatum, hæredum eius liberalitate postmodum accessit. Distat ab eo decem passuum milibus Castrum Regale ingens quidem & in rupe prærupta (vt supra memorauimus) à Frederico secundo Siciliæ Rege ex ruinis Curatij, Nasari, Prothonotarij, Milichis, Rudis & plurium aliorum pagorum excitatum oppidum &. 4. inde. p. m. Gala succedit. A quo nonnihil refugit Abbatia Sanctæ Mariæ à Gala ordinis Diui Basilij, à Rogerio Siciliæ Comite extructum, vt eius diplomate comprobatur. Deinceps tertio miliario Sancta Lucia est oppidum. A quo ad oram post. p. m. 6. Mylæ est vetustum oppidum, Milatium hodie dictum. Et totidem. p. Gualtaris ab eo recedens est: cui ad. m. p. Condro succedit, Et. 2. p. m. Sanctus Petrus cognomento Monfortis est oppidulum & pari spatio Rocca ab eo distat: cui ad. m. p. Mauroiannis subest, & pariter inde Vineticus. Monfortis postea ad. 3. p. m. in colle situm oppidum, & à Frederico secundo Siciliæ Rege cõditum extat. Et. 2. p. m. Rametta oppidum editæ rupis naturali situ munitissimum sequitur: à quo pari interuallo Saponara abest. S. Martinus deinde ad. 3. p. m. & pariter Calbarusus &. 2. p. m. Babusus, necnon pari interuallo Sancti Gregorij monasterium. Et. m. p. Gibisus, & Salix demum ad. 2. p. m. Sequuntur Vicatim habitantes, post quos Pelorus est promontorium, Vnde incepimus. Nunc ad propinquam, conterminamq; Noti regionem transeamus.

DE REGIONE NOTI, EIVSQVAE VRBIBVS ET OPPIDIS. CAPVT SECVNDVM.

SECVNDA inter Siciliæ regiones Noti est regio: quæ à Neeto oppido in editis collibus Pachyno prominentibus conspicuo nomen accepit. Hæc pro maiori parte salebrosa est, montesq; cæteris Siciliæ humiliores, ac campos latè lapidibus refertos habet, sub quibus tamen & segetes exuberant, & gramen quoq; exoritur: à quo pecoribus vbertim pabulum suppeditatur. Abundat autem frumento, vino, melle, & pecore. Multisq; sicut olim ita & nunc antiquis vrbibus est insignis.

DE ENGYO VETVSTA VRBE.

IGITVR vt cum superioribus hanc quoq; regionem connectamus, à Theria fl. vnde incipit, non longè aberat Engyon, aut Eugyon (vt alijs placet) vrbs vetustissima. Quæ, siue maritima, vel in eo loco, qui prius Ongia, nunc Lognina, & à veteribus Portus Vlyssis dicitur, vel eo, qui Ingiuni nominatur, Leontino hodie frumẽti Emporio, vt ex authoritate Plutarchi cõijciunt pleriq;, siue mediterranea centũ ab Agire stadijs distãs, vt lib. 5. Diodorus referre videtur, fuerit, à Cretensibus, qui defuncto Minoe in Sicilia remanserant, fuit condita: quantum ex Diodori verbis consequimur: Cretensibus (inquit) qui defuncto Minoe in Sicilia absq; imperio remanserant, inuicem dissidentibus, eorum pars ciuitatem condidit, quam ab eorum rege dixerunt Minoam: pars per littus errans locum munitum condendæ vrbi elegit, quam à fonte in vrbem fluente Engyum appellarunt. Post captam verò Troiam, Merionum Cretum, & cum eo Cretenses nauibus delatos veluti cognatos in ciuitatem susceperc. Hi postea ab Ochyra recedentes expugnatis nonnullis finitimis, eorum regiones possederunt. Hæc ille. Quibus verbis aut maritimam fuisse Engyon, aut non longè saltem ab ora recedentem mihi

rei veræ

(rei verę adhuc incõpertę venia) videor colligere. Quod ipsum Vlyssis quoq; eò cũ classe accessus, de quo paulò infra ex Plutarchi in Marcello authoritate nõnihil subiungemus, affirmare putat. Quinetiam à Leontino, mariq; non adeo remote dissitam ex Diodori lib. 16. non temere agnoscimus. Eius ibi verba hæc sunt: In Sicilia verò Timoleon contra Leontinos, quò Icetas cum iusto exercitu se retraxerat, mouit castra, statimq; inuadens, in eam, quam Nouam vrbem appellant, cùm magnum præsidium, & quod bene ad mœnium propugnationem sufficeret, intus positum esset, cæptam rem omittere est coactus. Transiuitq; ad Engyum, quæ vrbs Tyranno Leptinæ seruiebat, omniq; studio, vt ciuitatem pulso tyranno ad libertatem reduceret, nitebatur. Leptines à Timoleonte grauiter pressus deditionem fecit, & per conditiones dictas iussus est migrare in Peloponnesum. Cumq; eidem Leptinæ Apolloniatæ parerent, receptæ huic ciuitati, & Engynis libertatem, vt suis legibus viuerent, concessit Timoleon. Hæc ibi: quæ sanè de Engyi cum Apollonia & Leontino vicinia non minimo sunt argumento: cum lib. 20. idem Centoripen & Apolloniam vicinas fuisse vrbes significet. Sed vttunq; se res habeat, cum de loco, vbi steterit nihil certi (nisi quod in ijs agris) afferre possim, de eius rebus hæc saltem habeo certissima: Vrbem fuisse, Dearum, quæ à superstitiosis matres fuerunt appellatæ, præcipua religione insignem. De quibus hæc habet in. 5. Diodorus: Engionates aucti postmodũ opibus tẽplum matribus ædificarunt, præcipuo eas cultu Deas, multisq; templum donis honorantes. Nam & eas non solum huius vrbs accolæ, sed etiam ex finitimis quidam sacris solennibus, & alijs honoribus celebrant. Quædam vrbes etiam precioſa vasa earum cultui deputarunt. Vsq; adeo autem istarum Dearum creuit religio, vt accolæ permultis aureis atq; argenteis vsq; ad scriptorum tempora donis exornarint. Templum quippe ipsis ædificatum est ingens ac sumptuosum: ad cuius structuram cùm loci natura non suppeteret, ab Astygione Agyrinæorum, quæ centum ab eis distat stadijs, saxa aduehi magna impensa curarunt. Cùm verò iter, quò necesse erat lapides ferri, asperum esset, ac difficile transitu, quatuor rotarum curribus ad id præparatis, centum iugis boum lapides delati sunt. Sacrarum enim pecuniarum copiæ impensam tanti operis contẽpsere. Paulo ante hæc tempora erant eis deabus sacri boues ad tria milia, agri adeo permulti, vt magnũ vectigal prẽberẽt. Huc vsq; Diodorus. De ea quoq;, eiusq; tẽplo hæc Plutarchus in Marcello: Vrbs est (inquit) Siciliæ Engyon non magna, verùm antiquissima, & dearũ religione celeberrima, quas Materas appellant. In ea templum est, quod à Cretensibus ædificatum traditur. Hastæ quędam, ex ærẽq; cassides ostenduntur, tum Merionis, tum Vlyssis, qui eas Deorum simulacris affixerant, inscripta habent nomina. Hæc vrbs cùm ad res Carthaginensium inclinaretur, Nicias in ciuitate vir primarius, vt ad Romanos animum applicarent, palàm, ac intrepidè pro concione consultabat, nonnunq̃ aduersariorum sententiam arguens, qui hominis authoritatem ac potentiã veriti, illum captum pœnis tradere deliberabant. Quod cum Nicias intelligeret, clandestinam circa se disponens custodiam manifestè in Materas Deas cœpit intempestiuus ac ineptus obloqui, multaq; aduersus earum diuinitatẽ ac gloriam, vt incredulus ac contemptor perpetrare, exultantibus mirum in modum inimicis, quòd suorum causas malorum præbuisse videretur. Inde cum ad eum corripiendum se pararent aduersarij, tantisper Nicias in concione ciuium cum orare, ac publicè consultare cœpisset, corpus repente demisit in terram. Vbi paululum commorante, magno cum stupore silentium (vt par erat) exortum est. Hinc caput attollens, & voce subtremula, grauiq; circumagitans, acutũ paulatim protendit sonitum. Quare cum theatrum silentio simul, & horrore implicitum vidisset, abiecto amictu, & intima abscissa interula, seminudus emicans ad theatri fores cursu festinat, se à Materarum numine agitatum clamitans. Quem cum religionis

ligionis causa attingere, vel refragari nullus auderet, & proinde vniuersi cederent, extra portas cursu defertur, nullo interim lymphantis clamore, aut insanientis vsus impetu. Huius enim actus conscia coniunx, prius susceptis filijs in Dearum templo supplex aduoluitur, inde virum errantem se quæsitum ire simulans, prohibente nemine tuta ex vrbe decessit. Eo pacto liberati Syracusas ad Marcellum contendunt. Postea cùm Engiates ob eorum petulantiam & commissa facinora Marcellus vniuersos ligari, vt eos supplicio afficeret, iussisset: Nicias astabat illachrymans, eius manus ac genua complectens, suos ciues, & in primis aduersarios deposcebat. Qua re placatus Marcellus missos fecit vniuersos, & ciuitatem nulla affecit iniuria. Niciæ quoq; magnis honorato muneribus, agri plurimùm vindicauit. Hæc ex Posidonio Plutarchus. Engium lapidosos habere artus, quod in rupe fuerit sita scribit lib. 14. Sylius. At hi, qui Eugyon eam vocant, pingue (ex græci nominis notatione) solum habuisse eam referunt. Sed cum hæc vrbs prorsus defecerit, inde egressi, Centoripen vicinam aggrediamur.

DE CENTORIPE VRBE.

CENTORIPE vetusta, & maxima olim, sed nunc iacens, & raris habitata colonis, Centoruis vulgò appellata vrbs occurrit: à Siculis condita, vt ex Thucydide libro. 6. vbi eam Siculum oppidum nominat, infertur De hac libro. 6. Strabo: supra Catanam (inquit) Centoripe iacet, Aetnæis propinqua montibus, fluminiq; Symetho agrum Catanæum influenti. Quam & in Verrem. 6. ciuitatem totius Siciliæ multò maximam vocat Cicero. Et actione. 5. Centoripinos præcipuam agri Ennensis partem possidere, simulq; honestissimos ac locupletissimos esse, populumq; in Sicilia maximum scribit. Eam quoq; Romanis imperantibus liberam cum quatuor alijs supra sæpissime repetitis vrbibus fuisse idem Cicero in Verrem est author. In Sicilia, nanq; quia prima omnium prouincia Romanorum fuit, Messana & Tauromenium fœderatæ: liberæ verò & immunes Centoripe, Alesa, Segesta, Halicia, & Panormus factæ sunt. Inter quas Centoripini & Segestani Latinitatis iura obtinebãt. Ea autẽ erãt, vt alios sumere magistratus aut præsides non tenerentur, nisi ciues Romanos. Eius porrò situs inæquatis collibus constabat, magna murorum & latitudine & crassitudine, necnon ambitu plurimo definitus, cui in fabricam lapides quadrati subiere, vt clara eius adhuc ostendunt vestigia. Rerum opulentia, ac viris, tum opibus, tum literarum studijs ac militia præstantissimis præpollebat. Cuius ager etiam frumenti, vini, olei, salis, cuius color (Authore Plinio vt præmeminimus) purpureus est, atq; omnium rerum humano victui conducibilium feracissimus habetur. Vnde Solinus: Licet (inquit) quicquid Sicilia gignit, siue soli bonitate, siue hominis ingenio, proximum sit ijs, quæ optima iudicantur, fœtus tamen terræ Centoripino croco vincitur. Apud hanc vrbem refert Polybius Hieronem Syracusarum ducem Mamertinis obuiam factum veteranorum militum multitudinem ac conductitium exercitum, qui Syracusas vrbem seditionibus agitabant, ne nouas res amplius molirentur, ad cædem vsq; ac miseram stragem destituisse. Huius etiam vrbis. 5. in Verrem Cicero triremẽ quandã velocissimã celebrat. Hãc præterea Verris sceleribus misere fœdatam, atq; omni fere argento, auro, ebore emblematis ac gemmis, phaleris quoq; Hieronis Siciliæ Regis supramodum pulcherrimis, à Philarcho viro Centoripino nobilissimo conquisitis, atq; ad illum comportatis, eneruatam idem inter alias Siciliæ vrbes ab improbissimo Prætore spoliatas recenset. Quam deinde à Sexto Pompeio dirutam Octauianus postmodum Cæsar restituit, vt Strabo memorat. Ex quo tempore cum sub Romanis & Constantinopolitanis postea, Sarracenis ac Normannis deniq; floruisset, anno tandem sal. 1233.

à Frederico

Digitized by Google

à Frederico ſecundo Cæſare perduellionis nomine in ſolum abijt, ex cuius inde reliquijs Auguſta vrbs (vt ſuo loco memorauimus) in fabricam ſurrexit. Ingentes tamen eius proſtratæ ruinę, arx, & mœnia diſiecta miratu digniſsima adhuc diſcernuntur: in quibus & numiſmata ſæpenumerò ærea & argentea paſsim reperiuntur, hac cum inſcriptione: CENTORIPYON. Tulit ea olim Apuleium Celſum medicæ artis peritiſsimum: qui (teſte Scobronio Lago in lib. de comp. medicamen. c. 171.) antidotum quotannis componebat cõtra canes rabioſos, quod Centoripas (vnde ortus erat) quòd in ea canes frequenter rabiem contraherent, mittere ſolebat. Non longè à Centoripe his agris Hybla ſecunda aberat, vt ex Thucydide habemus: qui lib. 6. Athenienſes (inquit) reuerſi Catanam, & illic frumentati, cũ omnibus copijs profecti ſunt in Centoripam oppidum Siculum. Quò cum ex conuentione intraſſent, incenſis ſegetibus Ineſſæorum ſimul & Hyblæorum diſceſſere, & Catanam ſunt reuerſi. Huius meminit & Pauſanias lib. 4. cum eam ſua ætate prorſus iacentem fuiſſe refert. Meminit & Ptolemæus, qui mediterraneam eam in tabulis ponit. De qua latius in Megaræ deſcriptione ſupra diximus. Quo vero loco ſteterit, & quæ ſint eius hodie veſtigia, niſi forte Iudica vrbs non procul inde, in monte ſita, & à Rogerio æui proceſſu funditus deleta, haberi queat, planè incompertum habeo. Ab ea non procul etiam diſcedebat Ineſſa vetuſtum oppidum, vt ex ſuperioribus Thucydidis verbis inferimus. Quibus aſtipulatur & Strabo: qui eam Inueſſam appellat, & Diodorus: qui Aetneoſiam cognominat, qui ſimul omnes in ijs agris ſitam eam fuiſſe conueniunt. Quorum equidem authoritas, eorum opinione, qui ad Maſcalim eam ſtetiſſe arbitrantur, certior haberi debet. Alicyam Centoripæ propinquam etiam fuiſſe lib. 7. tradit Thucydides: De hac re (inquiens) certior factus Nicias, mittit ad eos Siculos, quà trã ſiturus erat hoſtis, & ad ſocios, cum alios, tum Centoripinos & Alicyæos, ne illũ tranſire permittant, ſed congregati prohibeant non alia via tranſire conaturum. Nam Agrigentini per ſuum agrum iter denegabant. Ea tamen vbi veſtigia habeat hactenus ignoratur.

DE RAYHALBVTO OPPIDO.

SVPRA Centoripen. p. m. 5. Rayhalbutum Sarracenici nominis eſt oppidum. Cuius etymologia ex appellatiuo nomine compoſita Caſale ſiue pagũ Butah ſignificat: à Rogerio Siciliæ Comite Epiſcopatui Meſſanenſi conceſſum, vt publico ipſe reſcripto confignatum, conteſtatumq; depoſuit. Eius autem verba eò hic libenter ſubieci, vt rei fidem hac etiam hiſtorica repetitione promoueam, & ſunt hæc: In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Amen. Notum ſit omnibus ſucceſſoribus meis, & vniuerſis, quibus quandoq; præſens priuilegium meũ oſtenſum fuerit, quòd ego Rogerius Comes Calabriæ & Siciliæ, poſt multas tribulationes & anguſtias atq; pericula, quæ pro eripienda inſula Siciliæ à Tyranniça poteſtate Sarracenicæ gentis, vnà cum Chriſtianis fidelibus meis perpeſſus fueram, cùm eſsẽ in ciuitate Meſſana cũ cõiuge mea Adelaſia, & filijs meis Godfredo & Iordano, & cum multis Baronibus & fidelibus meis, venit ad me Robertus Meſſanenſium Epiſcopus, obſecrans & petens à me, vt darem illi terras ad operandum circa ciuitatem Troynæ, quarũ auxilio tam ipſe, quam clerici ſui ſeruientes Eccleſiæ ſuſtentari poſſent. Ego verò, quoniam ſemper in animo meo propoſueram Eccleſiam Meſſanæ magnis poſſeſsionibus ampliare, multisq; donis & oblationibus ditare, eò quòd eum poſt acquiſitionem Siciliæ tranſlata ſede Epiſcopali a Troyna in Meſſanã, primum Epiſcopũ erexerã, prædicti Epiſcopi Roberti precibus aures inclinaui. Vnde audita eius petitione pro ſalute animæ meæ, & fratris mei nobiliſsimi Ducis Roberti Guiſcardi, à quo omnis honor, & gloria mea proceſsit, & pro

ſalute

ſalute animæ coniugis meæ Adelaſiæ,& filiorum meorum Godfredi & Iordani,& omnium meorum fidelium dedi, & imperpetuũ cõceſsi Eccleſiæ. S. Nicolai Epiſcopatus Meſſanæ,Caſale Sarracenorum,quod dicitur Butah,cum omni tenimento ſuo & pertinentijs ſuis,ſecundum antiquas diuiſiones Sarracenorum, vt ſit prędictum Caſale in poteſtate & ſubiectione.S.matris Eccleſiæ Beati Nicolai Epiſcopatus Meſſanæ imperpetuum. Sic autem prædicto Epiſcopatui Meſſanæ Caſale ipſum Butah liberum dedi & abſolutum, vt non liceat alicui eccleſiaſticæ vel ſeculari perſonæ futuris temporibus aliquid iuris vel ſeruitij in eo requirere: ſed ſit proprium.S.matris Eccleſiæ Beati Nicolai Epiſcopatus Meſſanæ. Et ſi contigerit in poſterum Caſale ipſum a Chriſtianis habitari, & Eccleſias in eo vel in pertinentijs ſuis conſtrui, Eccleſiæ ipſæ ſoli Epiſcopo Meſſanæ ſubiaceant, atq; ab eodem Epiſcopo de Chriſmate,& alijs eccleſiaſticis miniſtèrijs eiſdem Eccleſijs prouideatur. Tempus autem,quo præſens priuilegium factum fuit, ſi quis ſcire voluerit,noſcat anno incarnationis dominicæ milleſimo octuageſimo, die ſeptimo menſis Iulij,inditione decima ſcriptum & factum fuiſſe. Contra quod quicunq; ſiue de conſanguineis meis,ſiue alienis venire,& hanc donationem meam infringere tentauerit, excommunicetur à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: Et faciem omnipotentis Dei nunq̃ videat,nec in regno eius portionem habeat, ſed cum Iuda proditore Domini æternis incendijs concremetur. Quæ à Rogerio facta donatio, anno poſtea ſalutis. 1346. Lodouici Regis diplomate dato Meſſanæ. 6. Calend.Octob.reſeruatis omnibus regijs iuribus confirmata eſt. Oppidum verò ipſum,cùm breui ſub Chriſtianorum poteſtate coaluiſſet,anno demum. 1261. à Centuripinis,qui à Frederico (vt dixi) & Manfredo Regibus præter fidem deſciuerãt,incendio funditus eſt abſumptũ,atq; à Mãfredo,proximo inde anno reſtauratum: vt eius diplomate dato Meſſanæ. 22. Septemb. 6. Ind.anno ſalutis. 1262. ſatis liquet. Hodie autem oppidum eſt honeſtum, & frumenti mediterraneum Emporium. Hinc porrò eorum error,qui Aliciam hoc fuiſſe & à regali voto denominatum tradiderunt,manifeſtò conuincitur.

DE ARGYRE PERVETVSTA VRBE.

ARGYRE vetuſtiſsima vrbs,in editiſsimo & acuto monte ſita ad. p. m. 6. Rayhalbutum ſequitur. Ciceroni, Diodoro & Ptolemæo. Huic nominis cauſam ſcriptores afferunt,quòd argenteum (argyriõ nanq; argentum græcis ſonat) habeat ſolum, argentiq; apud eam ſit minera: quod ipſum vſu hac etiam ætate didicimus. Siquidem aquarum torrentes, qui fæuiente hyeme ad ima dilabuntur,auri,argentiq; plurima ſecum deferuntramenta. Ab argento itaq; Argyre denominatur. Sed à quibus fuerit condita me latet. Hæc vrbs priſco tempore Herculi adhuc viuo ſacra obtulit,templumq; ei,atq; Iolao nepoti magnificum extruxit:vbi quotannis diem feſtum tota Sicilia celeberrimum Agyrenæi agebant. Fuit autem Iolaus Herculi ex Iphicle Germano fratre nepos (vt Solinus) eidẽq; laborũ ſocius & particeps,vt Pauſanias ſcribit:qui patrui virtutes æmulatus malis plurimis Sardiniam liberauit,& palantes incolarum animos ad cõcordiam blanditijs pellexit.Olbiam, & alia græca oppida condidit, vnde Sardi ſepulchro eius templũ addiderũt,eiusq; in ſe nomen recipientes Iolenſes trãſnominati ſunt.De quo Pauſanias:Iolaus (inquit) Thebanus Herculis nepos Athenienſibus & Theſpienſibus in Sardiniam dux fuit. Suidas quoq;: Iolaus (inquit) heros fuit, & Herculis nepos,qui apud Atheniẽſes,& Siculos Agyrenæos diuinis honoribus cultus eſt.De his vero ſacris ſtatis lib.5.Diodorus hæc habet:Agyrenæi veluti Olympios Deos feſtis diebus ſacriſq; Herculẽ coluêre. Et licèt antea id Hercules exhibuiſſet,tunc tamẽ primùm,ſuadẽ te dæmonio, tanq̃ immortalitatis præſagiũ fieri

Digitized by Google

passus est. Cùm non procul ab vrbe, iter saxosum esset, boues saxis tanq; ceræ vestigia impressêre. Quod simile & ipsi Herculi cum accidisset, existimans decimo iam consummato labore aliquid sibi immortalibus deberi, impensa sibi annua ab incolis sacra libens accepit. Vt igitur gratiam bene de se meritis referret, lacum ante vrbem effodit, quatuor ambitu stadiorum: quem à suo nomine vocari iussit. Idem & loco, vbi boum vestigia impressa sunt, nomen indidit. Templo Gerioni constructo, quod adhuc honorant incolæ, Iolao quoq; nepoti templum ædificauit, ostenditq; quomodo honores ei, ac annua sacra fierent, vsq; ad hoc tempus seruata. Omnes enim eam incolentes vrbem ab ipso Iolao sacras nutriunt comas, quoad amplissimis victimis eum sibi Deum propitium reddant. Tanta verò eius templi maiestas habetur, reuerentiaq;, vt qui assuetis deficiant sacris pueri, muti euadant, & mortuis similes: ijdem, si vouerint solita sacrificia, suscepto voto statim fiunt à morbo liberi. Eius regionis incolę portam, qua hæc celebritas, sacraq; prodibant, Heracleam vocitarunt. Palęstras insuper, equorumq; certamina quotannis, ad quæ publicè omnes serui, liberiq; conueniunt, instituêre. Docuêre & seruos priuatim Deum colentes, choreas ducere, epulasq; simul, ac sacra celebrare Deo. huc vsq; Diodorus. Cuius verbis quod fabulosius intextum est, id in historijs verius explicabimus. Hanc vrbem, cùm per tyrannidem Apolloniades longo post tempore occupasset, Timoleon Corinthius tyrannide subacta libertati restituit. Cumq; longis bellorum motibus depopulata, ac penè deserta esset, ne tantæ ciuitati, cuius ager latissimus, magna loci amœnitas, & soli fœcunditas erat immensa, quicq̃ inuidere videretur: collecta decem è Græcia milium colonia, populo idem restaurauit: vt lib. 16. tradit Diodorus. Quo effectum est, vt breui magna rerum incrementa susceperit, eoq; ibi tempore theatrum, Syracusano excepto, omnium, quæ in Sicilia tum erant, pulcherrimum fit erectum, vt idem Diodorus scriptum reliquit: & honestam eam vrbem, eiusq; populum fidelem, fortissimum, locupletem, ac illustrem postea in Verrem. 5. appellauerit Cicero. Vetustę vrbis Adhuc ea oppidi regione, quę Lõbardia hodie dicitur, ex quadratis, eisq; ingentibus lapidibus monumenta cernuntur; vbi numismata quoq; in æs, argentum atq; aurum affabrè excusa interdum reperiuntur. Extat hæc vrbs magno ambitu, & antiquum nomen retinet: celebraturq; non mediocriter Diodori cognomento Siculi historici clarissimo ortu, quam & ipse in historiæ suæ præfatione patriam agnoscit. Floruit is sub Augusto Cæsare, & paulò etiam ante prout Suidas asserit, & ipse de se lib. 6. testatur: Iulius Cæsar (inquiens) diebus nostris Rhenum pontibus miro modo iunxit. Latinæ æquè ac Græcæ Linguæ peritia præstitit: græcæ, quippe, quæ Siculis ea ætate genuina erat, latinæ, quam à Romanis, qui Agyram concurrebant, sua solicitudine addidicit. Perlectis postea veteribus (vt ipse refert) annalibus, breui rerum omnium Romanarum exactissimam cognitionem assequutus est. At parum ea cõtentus, mira quadam ingenij, animiq; magnitudine ad omniũ quoq; aliarum gẽtium historias cognoscendas aspirauit: eo consilio, vt nactus postea ociũ eas in vnũ opus ea industria digereret, vt vnius quodãmodo ciuitatis cuiusdã res esse gestæ viderentur. Quas vt maiori aliquãdo fide tractaret, maiorẽ Asiæ, Europę, atq; Africæ partẽ multis difficultatibus, atq; periculis peragrauit. Nauigauit in Aegyptũ cẽtesima octuagesima Olympiade, regnãte ibi Ptole, quẽ nouũ Dionisiũ appellabant. Erant nãq; ea tempestate in Aegypto complures viri ingenio excellẽti; qui, ob id, quòd sapientiæ studio publica impensa vacabant, atq; ab hominum frequentia seiuncti rerum tantummodo naturalium, & diuinarum indagationi incumbebant, Sacerdotes nuncupabantur. Horum sapientia pellecti pleriq; ex Græcia insigni ingenio præditi viri, in Aegyptum ad corradendam sibi

rerum

Digitized by Google

rerum abditarum scientiam concurrebant. Ex his vetustiores fuerunt: Orpheus, Musæus, Homerus, postea Pythagoras, Solon, Dedalus, Melampodes, Lycurgus, Eudoxus, Plato, Democritus, Mopides, & omnium postremus Diodorus Siculus hic noster. Ab his itaq; Aegyptijs sacerdotibus multa de prima rerum origine, & primis temporibus consecutus est. Constituto deinde eo sibi scribendi genere, quod præ cæteris probatum iri iudicauit, otiosis narrationibas, & superuacuis descriptionibus, ac fictis, meditatisq; orationibus prorsus posthabitis, solam rei gestę veritatem attendens, multo labore ac longo tempore (triginta enim in scribendo annos consumpsit) omnium fermè gentium, ac populorum historiã quadraginta voluminibus absoluit, quã bibliothecam nuncupauit: quaq; nimirum ab humani generis exordio ad suam vsq; ętatem facta omnia ordine cõtinentur. Primi nanq; sex libri, antiquorum gesta, quæ fabulosa appellat, ante bellum Troianum, complectuntur, & eorum quidem prioribus tribus barbarorum, reliquis verò antiquæ Græcorum res enarrantur. In quatuordecim deinde sequentibus conferuntur ea, quæ à bello Troiano non solum vsq; ad Philippi, & Alexandri, ac successorum Macedoniæ Regum, gesta sunt, sed &. 19. &. 20. libris Agathoclis Siciliæ tyranni, ac Carthaginensium mutua bella latissimè enucleantur. Reliquis autem viginti continentur, quæ deinceps obtigerunt, vsq; ad bellum Gallicum, quod Romani duce Iulio Cæsare gesserunt. Huius vastæ historiæ sex libri primi, vndecimus, duodecimus, decimustertius, decimusquartus, decimussextus, decimusseptimus, decimusoctauus, decimusnonus, & vigesimus ad manus meas duntaxat peruenerunt. Cæteri adhuc desiderantur. Diodorus itaq; absoluto tam immenso historiæ opere annum ætatis agens septuagesimum secundum Syracusis, siue (vt alij tradunt) Romæ Olympiadis centesimæ septuagesimæ quintæ anno tertio moritur. Est Agyræ ætate mea & pluribus retro seculis Diui Philippi templum, miraculorum frequentia celeberrimum, & confluxu hominum adeo notum, vt vel ipsi vrbi ex eo Diui Philippi nomen vulgò inoleuerit. Is genere Constantinopolitanus, CHRISTI fidem professus, ob doctrinæ, morumq; integritatem à Diuo Petro Apostolorum principe (cui erat discipulus) ad CHRISTI euangelium Siculis concionandum missus, magna Siciliæ parte CHRISTI sacris initiata, apud Agyrenæos tandem obijt: à quibus ei ad quartum Idus Maij, quo decesserat, festus dies anniuersarius institutus est. Hoc recurrente, plura, sed in arreptitios præcipuè eius numine fiunt miracula: quæ quod non miratu tantum digna, sed fide etiam maiora ab ethnicis existimantur, paulò altius enodanda esse hoc loco duxi. Dæmones; CHRISTI cultus abhorret (etsi diuersum Peripatetici Platonicique tueri studeant) eosq; incorporeos esse, & non naturæ facinorosos, sed à condito prope æuo, cœlo dilapsos, non alia de causa, q̃ quòd in principis sui antesignani, à diuinæ mentis placito arroganter deficientis, noxam temeraria æmulatione consenserint, palam prædicat. Ab his igitur quorundam hominum corpora obsideri idem cultus asserit: quæ arreptitia à Theologis appellantur. In quibus illud maximè est admirandum, quod mulieres, rusticosq;, ac idiotas aliquando Latinè, plerunq; græcè, & nonnunq̃ de naturæ rebus, ac supercælestibus etiam tam doctè q̃ eleganter loqui, animorumq; suos cuiq; conceptus (quos secreta cordis vocant) quod longè est mirabilius, enarrare, non semel à me expertum visumq; est: quos tamen nõ nisi ex prodentibus se prius quibusdam in corpore notis, quas nostrates coniecturas appellant, dęmones deprehendere, eorumq; illi suggestu pronuntiare possunt. Eorum igitur multitudo, quæ in Sicilia est maxima, ad. D. Philippi templũ, aramq; quotãnis incolumitatis impetrãdæ gratia deferũtur: Vnde aut nũq̃, aut q̃ rarissimè, nisi præsentissimo numinis remedio liberati discedũt. Quo fit, vt ois ppe Siciliæ eò, tũ spectãdi, tũ conciliãdi

sibi numinis studio velut ad theatrũ cateruatim eodem solenni tẽpore cõcurrat. Sed non possum hoc loco non admirari, quorundam imprudentiam, qui non in dæmones, sed in morbum, quem melancholiam nominant, siue in naturalem atrę bilis occupationem hanc arreptitiam referunt. Quos vt refellam, collatione id me q̃ rectissimè consecuturum putaui. Atrum igitur humorem, tum natura, insitoue temperamento, tum etiam quotidiani victus ratione Hippocrates & Galenus humanis corporibus ingenerari tradiderunt. Vtroq; autem modo genitus, vel à frigidiori, siccaq; naturali temperatura, terrestriq; ac frigido & sicco victu, quem propriè humorem melancholicum, atrabilariumué, ac succum, siue sanguinem melancholicum appellarunt, vel ab impensè calido, igneoq; naturali tempeperamento, pariterq; ad exustionem prompto victu exoritur: quem atram bilem, & nigram coleram vocant. Proinde vtrinq;, si mentis sedes offendatur, melancholiam, sin verò corporis meatus obstruantur, comitialem morbum gigni censuerunt. Igitur si frigescat. attonitos, obtorpẽtes, anxios, mœroris plenos, taciturnos, formidolosos, & quandoq; absq; febre deliros, plura imaginantes, ac solitarios: si incalescat, percitos, ingeniosos, & ad omnem excãdescentiam & cupiditatem propensiores, & loquaciores facit. Si morbosa dispositio mentẽ afficit, non deliros modo, maniacos ac furentes, sed & diuino quasi numine afflatos, vates, atq; futura prædicẽtes quãdoq; gignit. Ex quo Sybillæ efficiũtur & Bacchides. Hinc fœminas aliquot rudes, & omnium scientiarum expertes, dum ab eo atræ bilis genere corripiuntur, sensibus corporis tunc quiescentibus, de Philosophia, & scientiarum quarumlibet arcanis, tum latino sermone disserere, tum præsagire sunt arbitrati. Affirmantq; id Maraci Syracusani exemplo, quod Aristoteles producit, qui quoties à mente alienabatur, poetam insigniter præstabat. Illiteratæ etiam cuiusdam mulieris, cuius Petrus Aponus Aristotelis commentator meminit, facto: quæ dum atra bili agitabatur, latinè, cessante verò ea non nisi vernaculè callebat, idem aſtruunt. Atq; his demum rationibus inferunt, ex effectuum similitudine, hanc quoq; arreptitiam, ægritudini potius, q̃ dæmonum instinctibus inniti debere. Hæc sunt illa, quæ Philosophi & medici de atra bili & eius vi iniqua comparatione tradiderunt. At longè vehementiores, inhumanioresq; sunt hi effectus, gestus, habitusq;, quos in arreptis non morbus aut natura (omnem siquidem eorum vim excedunt) sed dæmonum insultus producunt. Quos, vt ipse vidi, cogor hic ex professionis instituto adijcere. Enimuerò anno salutis, 1541. solenni Diui Philippi festo, dum Agyræ, vnà cum alijs, religionis instinctu interessem, ducentas penè ibi arreptitias fœminas offendi. Mirum erat ac horrendum spectaculum, videre eas non ex sese, sed ex dæmonis, qui in earum corpora imperium occupauerat, ludibrijs agitatas, voces in sublime efferre, omni amictu ac verecundia abiectis rotare crines, stridere dentibus, os oculosq; distorquere, spumam emittere, brachia, ac totum penè corpus in altum magna vi sustollere, volubilem linguam turgere, guttur & illius venas intumescere, & deniq; furorem inauditum totis membris concipere: Græcè quasdam, pleraſq; Latinè, Sarracenicè alias loqui, ita perfectè, vt nihil purius ab expertissimo quoq; in suo genere proferri possit. Cordium postremò conceptus, & quæ clam quisq;, & sibi vni cognita perpetrauerat, facinora (quod mirabilius fuit) mulierẽ quãdã Leõtinã (de qua etiã paulo post) ignominosè cuiq; exprobrare. Et hæc quidẽ priuata. At publica, & quæ ꝓcedente simulacri diuini põpa cõtigerũt, illis lõgè fuere maiora. Nocte enim illa, quæ sacra præcesserit, arreptitiæ hæ ad præcipuũ tẽpli altare cum custodibus suis absq; vllo morbi signo, quasi prorsus incolumes quiescebant, Diui Philippi simulacrum ex adytis, quæ iuxta sunt, exportandum præstolantes: vbi & frequentissimus populi conuentus, & nos quoq; mira cum expectatione aderamus. Mane verò, aperta adyti ianua, Diuiq;

signo

ſigno oſtenſo, vt illud arreptæ conſpexerunt, mox acſi hoſtis capitalis adeſſet, illius aſpectum formidantes, voce ſublata veſtimenta ſcindere, crines vellere, vinculisq;, quibus ſtrictiſsimè impediebantur, diffractis, quædam etiam è cuſtodum manibus elabi cepêre: quarum dein inuſitati clamores, omniq; gemitu maiores, veluti rugitus immanes, ita toto templo, vicinisq; agris perſonuêre, vt è propinquo bellum ingens ac ſæuum, cruentiſsimumq; prælium commiti videretur. Ibiq; tum Raguſana quędam mulier, cunctis ſpectantibus, mox curata eſt, ſigno perſpectiſsimo relicto. Pendebat nanq; à fune ſupra altare ſiniſtrum candelabrum æneum, lampadibus ac lychnis pluribus pellucidum, à terra octo circiter cubitos eleuatum: quod ipſo illo, quo liberabatur, momento, nullo, qui quidem videretur, mouente, lampadibus omnibus diſsipatis (mirum viſu) crebris motibus, molaris rotæ inſtar, quàm velociſsimè totum inuerſum eſt. Accedant huc velim nunc qui Philoſophi cenſentur, & in atram bilem hos effectus referant. Ecce mobile: ecce motũ euidentiſsimũ: vbi quæſo iam eſt motor? Num atra bilis tanti erat vigoris, vt non modò corpus, quod afficit, ſed & diſtans, & inanimatum mouere poſsit? Semota ſunt à Philoſophiæ placitis, quinimo & ridicula ſunt hæc omnia. Quocirca & à ſeparata natura cuiuſmodi dæmonem eſſe, & apud catholicos, & apud Philoſophos conſtantiſsimum eſt, quæ à puella receſſerat, cãdelabrum fuiſſe motum proculdubio cenſendum eſt. Sed ad pompam ipſam venio. Viri igitur, qui vel ſacerdotio, vel dignitate præſtabant, celeberrimam longo ordine pompã deducentes Diui Philippi imaginem ſubnigram quidem illam, ac viſu horribilem præcedebant: quam ſubinde conditionis cuiuſuis viri & mulieres innumeræ ferè cũ cereis thure etiã ardentibus permixtim ſequebantur. Cumq; ad tẽpli medium, vbi ara erat, peruentum eſſet: Leontina mulier quædam, quæ à quodam ſacerdote ſinu portabatur, plures iam annos dæmonio detenta, edita voce ad cæteras verſa ſigno manu facto: forti (exclamauit) animo eſtote, nullus abſcedat, dies hic iam occidet. Hæc cum ego audiſſem, obſtupui; quòd eum, quo illa obſidebatur, eſſe inter dæmones principem, ex verbis, vultu præterea, audacia, ac imperio, quibus cæteris præſtare videbatur, non abſurdè cognoſcerẽ: quod & patritijs Catanenſibus, qui prope me erant, vt aduerterẽt, indicaui, & re ipſa poſtmodum declaratum eſt. Nam cùm paulatim eodem ordine procedendo feretrum iam ad valuas templi primarias peruaſiſſet, eadem illa mulier ex editiori loco in gradu templi vltimo conſpiciens omnem arreptitiorum turbam ſibi ſubiectam ſubſtitit, appellatisq; omnibus, ac manu demonſtratis, rurſum vernaculè Abſit (inquit) metus, procul hinc terror abeat. Iam adueſperaſcit, iam ad occaſum vergit hic dies nobis infenſus, atq; hoſtis acerrimus. Abijcite timorem. Nullus veſtrum recedat, Abſiſtant curæ, ſufferte parumper, Iam occaſus inſtat. Cui ex illis vna: vim patior, reſpondit, compellor hinc exire. At princeps contra: vbi vires? reſumas animum, Iam diei adeſt interitus. At illa iterum: Exire cogor. O cruces: ò tormenta, quæ patior; Quibus vix expreſsis præmiſſo fremitu à numine Diui Philippi exactus ab ea receſsit dæmon, & mulier modò ferociſsima, inauditam continuò manſuetudinem induit. Sed & dæmon ab ipſa mox in ſeruum quendam hæc curioſius inſpicientem, videntibus nobis ac mirantibus tranſmigrauit. Qui vlulare, ingemiſcere, dentibus frendere, ac ſanguineis oculis occupatus furere ueſtigio cœpit: quod dominus eius, qui Alicatenſis erat, vt vidit, iræ impetu in contumelias prorupit, ac Sanctum Diabolum (quæ familiaris hodie Siculis blaſphemia eſt) inclamauit: quòd ſeruum aureorum centum pretij ita repente atq; exinopinato amiſiſſet. Hoc ſignum, veritatis, quam prædicamus, index fuit ad perſuaſionem euidentiſsimus. Niſi enim ille mentis eodem momento compos ita repente in furorem dæmoniacum abijſſet, ægrè multitudini, quæ ibi aderat, perſuaſum foret, à muliere exiſſe dæmonẽ. Verum

paulò post & ille ad aram perductus, nullo labore pristinam mentem, liberamq; recepit. Accedant huc rursus velim, qui dæmones negant, & doceant: an bilis atra de corpore in corpus transire possit. Perridicula nempe sunt hæc, & à ratione, cui Philosophia innititur, alieniſsima. Porrò tempus me deficiet, & instituti ratio, si singula, quæ eo die apertissima Diui Philippi eluxêre miracula velim recenſere. Aderant enim ibidem sexaginta (inter cæteras) puellæ Ciramenses, quæ vna noctis hora, dum simul in eodem vico luderent, à dæmonibus fuerant occupatæ; quæ omnes, & quotquot aliæ ad hæc sacra conuenerant, spectantibus nobis, mirabiliter liberatæ & incolumitati restitutæ sunt. Sola tamen Leontina illa, tãti beneficij fuit expers: quæ eo nomine re sacra peracta quasi de victoria triumphans sese omnibus insolenter ostentabat. At cum paulò post ad Sacrarium esset perducta, ob mira eius tum dicta, tum facta à pleriſq; proceribus circundata, mirum quidam atq; inauditum perpetrauit. Erant nanq; ibi nobiscum pleriq; sacerdotes, qui dæmonem ab ea conceptis obsecrationibus expellere conabantur. Sed cum frustra id sæpe tentatum esset, vir quidam patritius Catanensis, Leuconij massam, quæ Diuæ Agathæ Catanensium tutelaris reliquias tetigerat, chartula inuolutam clam sacerdoti eam custodienti obtulit: quam is statim inter eius vbera sine vllo alterius verbi additamento iniecit, ratus illius numine aliquid effectum iri. At illa quater & pluries antè subodorato leuconio, in hæc ad extremũ sublimi voce nos irridẽs verba prorupit: Non potis fuit (inquit) seruus ille niger (Diuum Philippum intelligens) hinc me expellere, & mulier hæc Catanensis (Diuam Agatham innuens) deturbabit? Minime hercle. His igitur & nonnullis id genus alijs modis, dæmonis impetu, & non atra bili agitari se mulier Leontina liquidò nobis declarauit. Sed & prædictis illud addendum duxi admiratione fortasse, ac stupore non indignius: Ioannes Paulus cognomine à monte Panormitanus tabellio vxorem habebat pluribus annis arreptam, quam cum eo anno ad Diui Philippi hæc stata adduceret, à dæmone crebrius in itinere his verbis est admonitus: Ne me Agyram adducas; mortuam nãq; tibi vxorem in itinere sistam. Rem loquor, vt inauditam, ita verissimam. Cùm vix mille passus ab Agyra abesset, egressus ab ea dæmon miris cum vlulatibus corpus mulieris exanime, ac fœtidum reliquit: quod cùm præ fœtore ferri longius non posset, paulò post sepulturæ traditum est. Accedant huc postremò qui effectus omnes in naturam referunt, & hos quoq; euentus cum atra bili conferant, si possunt. Enimuerò inscitè eos ac temerè & sentire, & loqui, & scribere, cuiuis persuasissimum est. Proinde tempus est, vt ad institutum regrediamur.

DE ASSORO OPPIDO.

ASSORVM oppidum antiquum, cuius in Verrem Cicero, & in tabulis Ptolemæus meminerunt, in edito monte situm ad. p. m. sex in occidentem sequitur. Hodie extat, & nomen seruat, titulo Comitatus etiamnum nobile; cuius tamen conditores qui fuerint, adhuc incompertum relinquimus. Amnis, qui per Assorinorum agros fluit, Chrysas olim (quod aurum græcis sonat) vt testatur in Verrem Cicero, sed ætate mea Assori fluuius appellatur. Is prisco tempore apud illos pro Deo habitus in præcipua religione erat; cui & fanum prope ipsam viam, quà inde Ennam iter est, ornatissimum stetit: In quo simulacrum eius è marmore inter alia pleraq; signa præclarissimè exculptum colebatur. Id processu æui Verres, qui cætera Sicilienſium passim signa compilauerat, cum propter singularem fani religionem auferre non auderet, Theopolemo & Hieroni furandum commisit: qui in tempesta nocte manu armata templum aggressi, foribus effractis

à custodibus

à custodibus cogniti, ab excitis buccinæ signo vicinis familiari eiecti, fugatiq; sunt, nec quicq̃ ex templo, nisi perexiguum ex ære signum vnum abstulerunt. Tẽpli huius, ad radicem montis Assori ex quadratis lapidibus tres ingentes arcus, ac nouem eius portæ hodiæ duntaxat in vetustatis monumentum supersunt. Oppidi quoq; antiqui mœnia cum porta adhuc integra ex miris saxis fabricata cernuntur. In agro eius numismata passim ærea ex vna nudum Chrysam, ex altera parte caput hominis cum græcis litteris ASSORON exprimentia, reperiuntur. Est in eo Alabastri etiam hodie lapidicina. Distat ab Assoro ad occidentem, p. m. 4. Tauis mons excelsus, ad cuius radices eiusdem nominis est arx: vbi olim Sarracenorum erat oppidulum, cuius vestigia passim ob oculos iacent. Vnde eiusdem etiam appellationis fons ingens emanat, Chrysæ, & Teriæ fluminum caput. Is Sarracenis Siciliæ potientibus sanguineos latices, vt in Siculorum annalibus legimus, iugiter emisit. Calatasibetha Sarracenici nominis mons & oppidum ad. p. m. 12. postea succedit: vnde arce erecta, quæ hodie ædis est Diuo Petro dicata, Rogerius Siciliæ Comes, Ennam vrbem ad expugnationem vsq; obsedit, prout in gestis eius est legere.

DE ENNA VRBE, AYDONE, HERBITA, CALTAGIRONE, OCHVLA ET MEGELLINO.

ENNA vrbs peruetusta, distat à Calatasibetha, valle interiacente, vix. p. m. 2. in monte præcelso ac vndiq; prærupto, qui vmbilicus Siciliæ dicitur. Enna (inquit Cicero in Verrem. 6.) loco præcelso atq; edito est sita, qui locus, quòd in media est insula situs, vmbilicus Siciliæ nominatur. Quo in summo est æquata agri planities, & aquæ perennes. Tota verò omni ambitu circuncisa atq; directa est: quam circa, lacus, luciq; sunt plurimi, & lectissimi flores, omni tempore anni. Enna (.3. decad. lib. 4. ait Liuius) in excelso loco & prærupto vndiq; sita inexpugnabilis est. Nam mons ipse vndiq; ita circunciſus, & diremptus est, vt adiri vno aut altero ex loco singulis ab hominibus possit: aliunde verò, aut à pluribus non possit. Itaq; si parua manu defendatur, omnes omnium imperatorum & ducum exercitus, tormenta, artes, & impetus ac q̃ maxime diuturnas obsidiones facilè frustretur, atq; illudat. Vbi & in quacunq; parte effodiatur, aqua, non secus q̃ in Aetna ignis, scaturit: vnde perennis ei aquæ fluxus, cum à Cicerone, tum à vetustioribus omnibus attributus est. Condita fuit in eo hæc vrbs à Syracusanis duce Enno, à quo & nomẽ sortita vt pleriq; tradũt. Enna (inquit Stephanus Bizãtius) vrbs Siciliæ, Syracusanorũ duce Enno ædificiũ est. Quãq̃ res ipsa, natura loci, & cultura frequentia, nominis etymologiam è græco producere videantur. Ennein nanq; græcis inhabitare, siue intus habitare significat. Hodie verò corrupta per vulgus voce ad veterem accedente Castrumianni dicitur. Cereris ortu & Proserpinæ raptu, apud scriptores & Poetas præsertim celebris est. De qua Strabo: Enna (inquit) modicis quidam possessa inquilinis, super collem iacens, in qua sacra Cereris ædis. Ea montanas amplectitur planities, totas arabiles. &c. Et. P. Mela, Enna (inquit) famam habet ob Cereris templum, vbi & raptus Proserpinę celebratus fuit. Et Ouid. de fastis: Grata domus Cereri, multas ea possidet vrbes, In quibus est culto fertilis Enna solo. In eius nanq; vertice campus est occidentem versus, quem oppidani Montem appellant: de quo Solinus: Campus (inquit) Ennensis in floribus semper, & omni vernus die, iuxta quem demersum est foramen, quo Ditem patrem ad raptum liberę exeuntem fama est lucem hausisse. Quo prior Aristoteles lib. de mirab. audit. inter naturę eum miracula connumerat: quippe in quo tanta copia, tantoq; odore flores prouenire scribit, vt neq; canes

ibi sagire,

Digitized by Google

ibi fagire, neq; alias q̃ per vim inde abigi posſint. Sed fusius cæteris omnibus, de eius ſitu, fertilitate, Cereris templo, atq; religione. 6. in Verrem Cicero: vetus (inquit) eſt hæc opinio, quæ conſtat ex antiquiſsimis græcorum literis, atq; monumentis: Inſulam Siciliam totam eſſe Cereri ac Liberæ conſecratam. Hoc cum cæterę gentes ſic arbitrãtur, tum ipſis Siculis tam eſt perſuaſum, vt animis eorum inſitum atq; innatum eſſe videatur. Nam & natas eſſe has in his locis Deas, & fruges in ea terra primum repertas arbitramur, & raptam eſſe Liberam, quam eandem Proſerpinam vocant, ex Ennenſium nemore; qui locus, quòd in media eſt inſula ſitus, vmbilicus Siciliæ nominatur. Quam cùm inueſtigare, & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammaſſe tedas ex his ignibus, qui ex Aetnæ vertice erumpunt, quas ſibi cùm ipſa præferret, orbem omnium peragraſſe terrarum. Enna autem, vbi ea, quæ dico, geſta eſſe memorantur, eſt loco præcelſo atq; edito, quo in ſummo eſt æquata agri planities, & aquæ perennes. Tota verò omni aditu circunciſa atq; direpta eſt, quam circa lacus, luciq; ſunt plurimi, & lectiſsimi flores omni tempore anni, locus vt ipſe raptum illum virginis, quem iam à pueris accepimus, declarare videatur. Etenim propè eſt ſpelunca quędam conuerſa ad Aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repentè cum curru extitiſſe, abreptamq; ex eo loco virginem ſecum aſportaſſe, & ſubitò non longè à Syracuſis penetraſſe ſub terras, lacumq; in eo loco repentè extitiſſe: vbi vſq; ad hoc tempus Syracuſani feſtos dies anniuerſarios agũt celeberrimo virorum, mulierumq; cõuentu, propter huius opinionis vetuſtatem, quòd eorum in his locis veſtigia, ac propè incunabula reperiuntur Deorum. Mira quædam tota Sicilia priuatim ac publicè religio eſt Cereris Ennenſis. Nec ſolum Siculi, verum etiam cęterę gentes, nationesq; Ennenſem Cererem maximè colunt. Etenim ſi Athenienſium ſacra ſumma cupiditate expetuntur, ad quos Ceres in illo errore veniſſe dicitur, frugesq; attuliſſe, quantam eſſe conuenit religionem eorum, apud quos eam natã eſſe, & fruges inueniſſe cõſtat? Itaq; apud patres noſtros atroci ac difficili Reip. tempore cum Tiberio Graccho occiſo, magnorum periculorum metus ex oſtentis portenderetur. P. Mutio & L. Calphurnio Coſſ. additũ eſt ad libros ſybillinos: à quibus inuentum eſt, Cererem antiquiſsimam placari oportere. Tum ex ampliſsimo collegio decemuirali ſacerdotes populi Romani, cùm eſſet in vrbe noſtra pulcherrimum & magnificentiſsimum templum, tamen vſq; Ennam profecti ſunt. Tanta enim erat authoritas & vetuſtas illius religionis, vt cùm illucirent; non ad ædem Cereris, ſed ad ipſam Cererem proficiſci viderentur. Huc vſq; Cicero: Cuius authoritate illorum error conuincitur, qui non in Enna, ſed Aetna, & fruges inuentas, & raptã fuiſſe Proſerpinã, & Cereris templum fuiſſe falſo aſſeruerunt. Porrò templum id magnificentiſsimum à Gelone Syracuſanorum Tyranno extructum fuiſſe lib. 11. Diodorus eſt author. Erat in eo Cereris ſimulacrum ex marmore pręclarum, atq; peramplum. Erat & alterum eiuſdem ſignum ex ęre, ſingulari arte fuſum, ac omnium, quę in eo fano erant, antiquiſsimum. In ędis veſtibulo duo quoq; alia ſigna erant, vnum Cereris, cuius manu dextra pulcherrima victorię imago tenebatur, alterum Triptolemi: ornatiſsima & ampliſsima. Nec mirum tot in Vnius templo Cereris ſigna fuiſſe, cùm tanta eius ibi eſſet religio, tamq; aſsiduus in communi cultus, vt Enna non vrbs, ſed tota Cereris fanum videretur. In qua Ennenſes, & Siculi omnes, atq; exterę nationes, & Romani demum ipſi Cererem habitare arbitrabantur: ciuesq; ipſi omnes, non ciues, ſed Cereris ſacerdotes, & templi antiſtites eſſe crederẽtur. Quin etiam exteri, ac barbari tantam huic templo dignitatem ac reuerentiam tribuerunt, vt, cùm P. Pupilio & P. Rupilio Coſſ. vrbem ipſam fugitiui ſerui atq; hoſtes barbari tenuiſſent, ciuiumq; fortunas hoſtiliter tractaſſent: Cereris tamen templum auro, gemmisq; ornatiſsimum, ditiſsimumq; non ſolum attingere, verumetiam meta mminis nec

aggredi

aggredi ſint auſi. Eius porrò minima, atq; indigna hodie ſpectantur veſtigia. Nam cum præcipiti in loco ſtaret, temporis proceſſu cum montis viſceribus in præceps quoq; collapſum eſt. Erat & ante Cereris templum in aperto, ac propatulo loco ædes Proſerpinæ præclariſsima atq; pulcherrima. Bellonæ quoq; fanum maximo apparatu in hac vrbe Gelo conſtrui iuſsit: cuius opus immortuna conditoris morte interruptum permanſit vt Diodorus tradit. Specus verò vnde Plutonem raptorem exiſſe fabulatur antiquitas, qui ad Aquilonem non authoritatis modo Ciceronianæ teſtimonio, ſed etiam nũc obuerſus eſt, oppletus hodie totus conſpicitur. Perguſa quoq; lacus olim nemoribus circunſeptus, cuius ſupra meminimus, quinq; p. m. ab vrbe ad meridiem refugit, piſcibus prorſus carens, & lino molliendo accommodus, ac vinetis hodie circumquaq; ambitus, & in circuitu. 4. p. m. complectens. De quo lib. 4. Claudianus hæc habet:

Nec procul inde lacus, Pergum dixere ſicani,
Panditur, & nemorum frondoſo margine cinctus
Vicinis palleſcit aquis, admittit in altum
Cernentes oculos, & latè peruius humor
Ducit inoffenſos liquido ſub gurgite viſus,
Imaq; perſpicui prodit ſecreta profundi.

Hæc de Proſerpinæ raptu tametſi fabuloſa, ex hiſtoria tamen promanarunt: cuius apud Euſebium id ſolùm ſupereſt: quod Proſerpina Cereris filia ab Orcho Moloſſorum (quæ regio ad Epyrum eſt) rege rapta eidem in matrimonium ceſſerit. Reliqua omnia Poëtarum cõmenta ſunt: vti latius in hiſtoriis declarabimus. Fuit autẽ Ceres, quæ prima ſuo tẽpore frumẽti inuentrix, Eadẽ quoq; molere & panẽ conficere in Sicilia, Italia, & Attica docendo, diuinum ſibi nomen continuò apud gentes conciliauit: quæ & ipſa prima leges condidit, vt Herodot. lib. 6. & Plin. lib. 7. ſcribunt. De qua Ouid. metamor. lib. 5.

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris,
Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Quæ ferè eadem de illa lib. georgicorum primo habet Vergilius. Numiſmata paſsim & in hac vrbe, & tota paſsim Sicilia in æs, argentum, & aurum affabrè facta reperiuntur: in quibus ex vna parte Ceres ipſa, ex altera verò tritici ſpica expreſſa conſpicitur. In hac vrbe Agathoclis Syracuſanorum Regis prima armorum experimenta, & victricia ſigna apparuiſſe libro. 19. Diodorus, & Iuſtinus tradidêre: Bellum quoq; ſeruile infenſiſsimum fuiſſe notiſsimum eſt. Nobilitata fuit, diutina Frederici. 2. Siciliæ Regis ſede, cuius Arx adhuc extat. Aetate verò mea ingens eſt &. 4. ferè. m. larium incolatu frequens vrbs. In agro ad Aquilonem. 10. p. m. ab ea obuerſo colles ſunt natiui ſalis, qui ab Enna nomen habent: in quibus lapicidinarum in modum ſal renaſcens cęditur, & per magnam Siciliæ partem venum diffunditur. Poſt Ennam meridiem verſus ad. p. m. 5. monaſterium eſt Diui Benedicti à fundirò nominatum: à quo non longè Petra tagliata arx abeſt. Et inde ad. 3. p. m. Aydonum occcurrit Lombardorum oppidum, Normannorum tempore, ſuperatis Sarracenis, à Lombardis, qui cum Rogerio Comite in Siciliam traiecerunt, in edito monte, cui tota Catanenſis planities ſubeſt, cõditum: quibus adhuc patrij ſermonis eſt vſus. Huic ad orientem. p. m. 2. vrbs quædam iacens ſubeſt, in colle fundata, quam Citatellam accolæ appellant: vbi præter templa diruta, ædium, ac murorum ingentes ruinas, theatrum adhuc quadratum, eiusq; gradus ſemiruti, curruum quoq; viæ, qui ex Aydone huc olim decurrebant, magna cum iucunditate ſpectantur, Dorſus quoq; in ea, quem accolæ Sellam Orlãdi agnominãt, lateres præterea magnæ craſsitudinis, coloriſq; rubei, necnon mirifica domorum fundamenta huc vſq; ſuperſunt. Quæ omnia non

indignam

indignam ibi priſco tempore vrbem fuiſſe ſatis præſe ferunt. Quæ an Herbita vetuſta fuerit vrbs, quam. 6. in Verrem Cicero non longè ab Enna in ijs agris conſtituere videtur. Audiſtis (inquiens) Centuripinos, Agyrinenſes, Catanenſes, Herbitenſes & Ennenſes. &c. Quam & libro decimonono Diodorus Leontino vicinam, & in tabulis Ptolemæus inter Centoripen & Leontinum collocarunt incertum mihi eſt. Roſmanus quoq; locus eſt. 6. paſſuum milibus ab Enna diſsitus, vbi dirutæ vrbis, arcisq; etiam ignorata adhuc ſunt monumenta. A Citatella. p. m. 6. ad meridiem abeſt Platia, populi frequentia, ſcatentibus circunquaq, fontibus, ac omni amœnitate, nucibus quoq; auellanis nobiliſsimum oppidum, à Gulielmo primo huius nominis Siciliæ Rege, ex alterius eiuſdem nominis oppidi, quod. 3. inde ad occidentem. p. m. à Longobardis in Normannorum comitatu olim in Siciliam appulſis conditum, atq; ab illo in perduellionis ſuppliciũ funditus deletum, diſtat, cuiusq; arx diruta, domusq; ibi iacentes adhuc viſuntur, & Platia vetus appellantur, aſportatis huc reliquijs extructum. Naunis à Platia veteri ad. p. m. 2. ſequitur, collis ſibi ſoli conſtans, ad cuius verticem oppidi proſtrati quidem, ſed adhuc ignoti magnum cadauer teritur: cui ad Orientem. p. m. 8. Yhanceria ad montis eiuſdem radices Sarracenici nominis ſuccedit oppidulum. Et ſubinde ad. p. m. 7. Calata Yheronis Sarracenicum & ipſum ſua origine, Caltagion regnantibus Iacobo & Frederico in Regum priuilegijs appellatum, ſed hodie amplum, ac Rogerij Normanni, ex Zoticæ oppidi ab ipſo diſsipati ſpolijs, liberalitate ditiſsimum oppidum; inſcitè à quibuſdam Calata vrbs vetuſta ex nominis affinitate exiſtimatum: cum illa maritima, & ad pulchrũ littus ſita fuerit, vt oſtẽdimus. Hoc oppidũ vt Caltagironei prędicant, & diplomate atteſtantur, Sarracenis Sicilia potientibus à Genuenſibus cũ claſſe Camerinam appulſis, atq; inde in mediterranea progreſsis magna vi receptum eſt: vbi & ædem ſacram Diuo Georgio eorum tutelari extruxerunt: quæ adhuc oppidi Parochia extat. Inſigne quoq; Genuæ Vrbis, quod crux eſt, oppido, veluti Genuenſium præſidio conceſſerunt: quo huc vſq; ipſi Caltagironei pro ſuo vtuntur. Hoc oppidum, ob debilem ſoli infirmioris ſitum, pluries etiam ætate mea, quà meridiem reſpicit, tellure dehiſcente ruinam paſſum eſt: cuius rei & clara ibi hodie veſtigia videre eſt. Ochula oppidum, Aquila in pleriſq; tabulis publicis, & in priuilegio Caltagironis, quo vtriuſq; agri terminãtur, ſerio appellatum poſt. 6. p. m. ſequitur, vbi & antiquitatis mira conſpiciuntur monumenta. Mungelinum deinde ad. p. m. extat arx, Magellinum à Plinio lib. 3. vocatum oppidum, quod & ruinæ ibidem indicant. Et ad. 4. p. m. ad ſiniſtram Serraualli eſt Caſtrum.

DE MENEO, PALICA, TRINACIA, ET ALIIS RECENTIBVS SIMVL ET VETVSTIS OPPIDIS.

MENE deinde ad. p. m. 6. vetuſtiſsima ſequitur, vrbs, Ptolemæo, arduo colli ſuperimpoſita, Menenon Diodoro: cuius populos Meneninos, Cicero in verrẽ & Pli. appellãt. Hãc vrbẽ Ducetiũ cõdidiſſe li. 11. Diodorus refert. Ducetius (inquiẽs) in Sicilia rex Siculorũ genere admodũ clarus, atq; ea tempeſtate opibus plurimum pollens vrbem Menænon condidit, finitimumq; ei agrum colonis illuc deductis diſtribuit: tempore (vt idem ſupputat) quo Athenis præfecturam Philocles, Romæ A. Poſthumius Regulus, & Sp. Furius Mediolanus conſulatum gerebant. Arcem habet, & mœnia adhuc antiquiſsima. Nobilitatur reliquijs Diuæ Agrippinæ Romanæ Virginis & martyris; quas eò

Digitized by Google

quas eò Paula, Bassa, & Agathonita Romanæ Virgines detulerunt. In ea quoq; eiusq; circum agris numismata in ære atq; argento insigniter quidem expressa cũ hac inscriptione MENENON passim effodiuntur, visunturq; veterum operum plerisq; in locis non obscura monumenta. Ad orientem huic. p. m. 2. locus est, cui hodie adhuc Lamia nomen est: vbi specus ingens patet Daphron vulgò nominatus: in qua Lamiam mulierem veneficam, quæ præstigiorum olim infamia pessimè & audiebat, & de hominibus merebatur, & natam, & habitasse Menenini fabulantur. Meneno quoq; ad. 2. p. m. Palicorum lacus subest, Naphtia hodie dictus: vbi & templum olim eiusdem nominis erat. Cui incubat ad iactum fundę in colle prominẽti Palica iacens vrbs à Ducetio etiam extructa: de quo lib. 11. Diodorus: Ducetius (inquit) iuxta templum earum, quæ Palicæ appellabantur, vrbem non ignobilem cõdidit: quam à dicta appellatione sumpto Deãrum nomine Palicen appellari instituit. Et paulò infra. Ducetius itaq; cùm Palicem vrbem condidisset, muroq; eam circummunisset satis firmo, finitimum colonis eius agrũ diuisit. Quæ quidem cum vbertate agri, tum multitudine incolarum breui mirũ in modum coaluit, creuitq;. Nec diu quidem ea fœlicitate perfrui valuit. Verùm paulò post eruta, euersaq; est, & vsq; ad nostra tempora sine cultoribus, & incolis vasto solo & inhabitato permansit. De quibus rebus suo deinceps loco & tempore sumus scripturi. hæc Diod. De hac vrbe à nobis etiã libro. 3. vbi de Symetho amne egimus, satis fusè, quemadmodum & de lacu, temploq; Palicorum, tractatũ est. Imminet ei ad meridiem. p. m. 3. Catalfanus Sarracenici nominis mons: vbi ingentis vrbis vetustæ diruptæ, ac magnæ quoq; arcis miræ spectantur ex quadratis lapidibus ruinæ. Trinaciam hanc fuisse Siculorum olim Regiam, coniectura solummodò ex Diodori lib. 12. vbi eam non longè ab his locis abfuisse asserit, ducti aliqui suspicantur. Ego verò tametsi Siculorum id ædificium fuisse existimem, quænam tamen vrbs suo tempore fuerit, ignorare me fateor: quin nec quo aliquando loco steterit Trinacia, tametsi diu, multumq; à me perquisitigata, possum astruere. Id tantum ex Diodoro consequor, fuisse eam inter Siculas vrbes principatu atq; imperio semper præcipuam, opum ditissimam, virorum multitudine robore ac splendore præstantissimam, optimatum quoq; fœcundissimam ciuiũ, naturali deniq; sitn munitissimam: quæ tandem à Syracusanis æmulationis inuidia funditus est deleta, vti exactius in historijs. Eius populos Trinaciẽses sine Trinacinos Diodorus, licet Triracienses appellet Plinius. Ad inferiora Catalfani nonnihil à Symetho fluuio remota Paliconia est recẽs oppidulum, quod an à Palica originem habuerit, tametsi id nomenclatura præse ferre videatur, incertum tamen relinquitur. Inde dextrorsum ad. p. m. 5. arduis, ac saxosis collibus interiectis, ascensuq; difficilibus Militellum est recens oppidum, &. p. inde. m. 3. Oxini atx, pariq; spatio Francofons recens etiam, ac fontibus vberrimis circum scatentibus insigne oppidum abest: quo loco Hydram ponit Ptolemæus. In processu ad. p. m. 6. in rupe edita, ac prærupta, Lycodia Sarracenici nominis oppidum recedit, ætate mea à Ferdinando Catholico Hispaniæ, & Siciliæ Rege Marchionatus titulo nobilitatum: vbi miræ quoq; vetustatis, licet prostratæ ac sepultæ magna ex parte sunt ruinæ, vestigia proculdubio iacentis priscę vrbis, quam & ego incognitam pertransẽo. Specus est in eo subterranea, quæ in immensum protenditur. Subinde ad. p. m. vix. 2. Bizinis noui nominis, sed ingens est oppidum, vbi & Dirillus amnis caput egerit, vt diximus. Mons Rubeus. p. m. 5. recens & ipsum oppidum distat. A quo dextrorsum in monte excelso, vbi & Hirminij fl. originem locauimus. p. m. 3. recedit Cerratana Vetustum oppidum Ciceroni in Verrem: cui finistrorsum ad. 4. p. m. Buker Sarracenicum oppidum, Bucheriũ hodie dictum in colle parum edito hæret. Et exinde. p. m. 5. Buxema recentis nominis oppidum anno salutis. 1556. Comitatus titulo illustratum diuiditur:

in cuius

in cuius agris Anapi fl. Syracuſani ortum poſuimus:cui ad. p. m. 2. Palazolus oppidum propè eſt,Acræ olim appellatum à Syracuſanis, florenti ipſorum tempore conditum,vt author eſt lib. 6. Thucydides: cuius populos Acrenſes nominat Plinius. Eius egregium adhuc ad cœnobium minorum Sanctę Mariæ de Ieſu cognominatum iacet cadauer:quod ipſum illius eſſe & nominis apud ſeniores veſtigiũ, quod Acremons adhuc eſt, & cum authoritate reſpondens. 24. m. p. a Syracuſis vrbe interuallũ liquidò confirmant. In huius rupibus propinquis magna ſpecuũ multitudo ſe ſe offert,quæ Leſtrigonum ne fuerit & Cyclopum habitatio, & ſi ratio ſuadeat,incompertum mihi eſſe fateor. Templum inde ad. p. m.Diuæ Luciæ occurrit,à Rogerio Comite ædificatum: vt eius diplomate dato Syracuſis anno. 1110. oſtenditur. Iuxta quod Mendula erat oppidulum hodie iacens. Raguſa poſtea ad dexteram poſt. p. m. 12. etſi recens, ingens tamen & agrorum Camerinenſium diues oppidum ſequitur. Nec longius ab eo q̃. p. m. 8. Claromons abeſt,in arduis & petroſis collibus à Manfredo Claromontano conditum oppidũ Gulfis olim,ſed ſitu paulò inferiori denominatum: cuius etiam veſtigia, ac ædes quoq; ſacræ dirutæ ibi ob oculos iacent:vbi & templum hodie Diuæ Mariæ veteri cognomento celebre,necnon populi, miraculorumq; frequẽtia inſigne,cui & anno ſalutis. 1550. Franciſcanorum, qui Capucini vocantur,cœnobium eſt adiuntum. Nobilitatum fuit Claromons anno abhinc quinquageſimo ſupra centeſimum Martini Siciliæ Regis tempeſtate Thoma Chaula poẽta Laureato. Qui Tragædiarum opus, ac bellum Macedonicum verſu heroico. 24. libris fœliciter abſoluit,quod in mea bibliotheca ipſius Poetæ manu ſcriptum reſeruatur. Huic Siniſtrorſum Yhomiſum Sarracenici nominis oppidulum ad. p. m. 8.ſubeſt,Dianæ fonte apud veteres celebrato inſigne. Qui Caſmenas hoc oppidum fuiſſe arbitrantur,toto (quod aiunt) & quidem ſereno cœlo errant. Et non minori hinc interuallo ad ripam Difilli amnis Biſcaris eſt oppidulum. A quo Graſſuliatum oppidulum,& arx. p. m. 18. refugit.Et ab eo. p. m. 6. Mazarenum ætate mea Comitatus titulo ornatum recens diſtat oppidum: quod qui Mactorium fuiſſe aſſerunt,in ſole planè caligant. Et. 4. inde. p. m. Barrafranca oppidulum ætate mea à Mattheo Barreſio conditum ſe offert.cui poſt. 5. ferè. p. m. Petra pretia ſuccedit oppidum tempeſtate mea Marchionatus titulo illuſtratum. A quo ad meridiem ſiniſtrorſum. p. m. 12. Buterium refugit oppidum,antiquitatis pleraq; oſtẽtans monumenta: quod an Hybla minima fuerit, non aſſero. Huic Terranoua poſt. p. m. 8. ad oram ſubeſt:quam Camerina iacens ad. 18. p. m. excipit. Cui ad. 12. p. m. Inyctum vetuſta olim & regia vrbs prorſus hodie iacens, & Longobardum appellata ad oram hæret. Siclis poſtea intus ad. 10. p. m. recens,ſed nobile tamen oppidum extat,&. p. m. 5. Motyca ampliſsimum & Comitatus titulo, populiq; frequentia egregium, in profunda valle oppidum ſitum eſt. Cui dextrorſum ad. p. m. 6. Spacafurnus vulgò,ſed yſpa ſyllio dictum oppidulum ſubeſt: cuius in valle paulò ſupra magnæ ſpectãtur ruinæ.Ager totius Motycẽſis regionis lapidoſus eſt,vallibus frequẽtibus,ſalebroſis,depreſsisq; diſcriminatus. Et ad orã poſt. 6. p. m.Ficallus eſt iacens oppidum. Hinc Marza ad totidem.p.m.ſequitur, vbi diruta etiam vrbs in oculis eſt: quam ad. 10. p. m. Pachynus promontorium, & Motya proſtrata vrbs excipiunt. Et ad. 2. p. m. Yhibinis Sarracenici nominis arx.Et deinde ad.p.m.14.Machara eſt vrbs,Citatella hodie, & Vindicaris portus. Renda arx ſiniſtrorſum ad. 8. paſſuum milia incubat, Et pari miliarium ſpatio in rupibus prominentibus antiqua Neas Diodoro, Neetum Ptolemæo, Notum hodie dicta vrbs extat,& ab ea.p.m.6.Abola Sarracenici nominis oppidum cui ſiniſtrorſum in collibus Yhaſiblis Sarracenicæ appellationis arx imminet, & ab ea alia intus arx Caſtellutium nuncupata ad. 6. p. m. Nec multò poſt dirutum eſt oppidum,vbi ædis Diuo Ioanni à Biduni ſacra eſt. Quod Bidis ne ſit oppidũ,

quod tenue

Digitized by Google

quod tenue,& non longe à Syracuſis diſsitum facit Cicero,incertum habeo. Pari inde ſpatio Caſſarus ſequitur oppidulum,in valle profunda, & platanis ad.3.p.m. luxuriante,ſitum.Et mille poſt modum paſsibus Ferula recens oppidū abeſt. In his agris Leghum, ſiue Legha Siculorū oppidū ponit Thucydides,quod defecit.A Ferula autem ad.5.p.m.Pantalica ſeſe offert vrbs deſerta, in rupe vndiq; præciſa ſpeluncis infinitis referta,fluminibus circumſepta,& natura munitiſsima. Fuiſſe hanc vrbem,olim Erbeſſum(quam Polybius, & Liuius inter Syracuſas & Leōtinos collocant, & inter Neetum & Leontinum Ptolemæus ponit in tabulis)& locus,& nominis etymologia liquido oſtendunt.Erbeſſum nanq; græce, locum ſpeluncis plenum ſonat Latinè.Erat autem ea vrbs magna,& ſpecubus manu excauatis iiſq; admirandis habitata:quarum numeroſa multitudine hucuſq; miratu eſt digniſsima.Interierat ab olim hæc vrbs non ſolum incolatu veluti & nunc, ſed etiam & nomine,ob appellationis mutationem,Pantalica etenim, obliterata prorſus veteri denominatione,hodie nominatur, extabatq; eo titulo anno ſal. 203. vt in geſtis Sophię virginis & martiris legitur.Cuius nominis cum nullus veterū memi nerit,quæ nam apud priſcos hæc fuiſſet vrbs,impenſe deſiderabatur. Tandem anno ſal.1555.menſe Aug.ex nominis vetuſti interpretatione,cum ſitu collatione deprehenſo,ab interitu à nobis vindicata eſt.In eius ambitu, vrbis portam quæ Ferulam verſus patet,arcem diſiectam,ac Aedē ſacrā recentis ſtructuræ proſtratam, & præter hæc nihil aliud,niſi oliueta,& in viua rupe innumerā ſpecuum multitudinem hodie ſpectare atq; admirari licet. Hæc vrbs cum in Leontinis fere agris ſita ſit,Leſtrigonū ne olim,an à Iolao Coloniæ è gręcia in Siciliā deductę,quę in ſpeluncis rupe effoſis vſq; ad Carthaginenſiū & Romanorū imperium bello inuicta floruit,vt Diodorus lib.5. & nos in hiſtorijs, an vtriuſq; gentis fuerit Domiciliū: & ſi eorū, ſaltē alterū proculdubio cenſendū ſit,Authores tamen non habeo.Hinc ad mille paſſus interiacēte valle Sortinū noui nominis oppidū ſequitur, amnibus circunquaq; irriguū,quorū aquæ (vt docuimus) Syracuſas olim mira induſtria deducebātur. Sub Sortino ad.p.m.circiter octo Climitis eſt arx:cui pari interuallo Syracuſæ vrbs ad oram ſubeſt.Targia mox,& Fontana ficus arces, & in collibus Hyblæis Milillis recens oppidulum. A quo Septentrionē verſus paruo interſtitio diſtat Curcuratium dirutū in vallis tumulo,quem Marcellinus fluuius(qui ad lapidoſas ſui ripas multas habet ſpecus) alluit ſitū:quod tēpore Frederici tertij Regis in ruinas abijt.Et ad littus Megara proſtrata,& Auguſta poſtea,& Pātagiæ fl.oſtiū nec non Morgentia extincta extant,cū Bruca & Ingiuni Emporijs triticeis:de quibus ſingulis plus ſatis in ſuperioribus.Leontinū inde ab ora.p.m.5.diſtās eſt vetus vrbs,& ad eius verticē nouū oppidū Carleōtinū appellatū:In cuius agris Bonuicinus eſt arx.Et ad orā Symethi fl.fauces.Et paulò poſt Therię amnis oſtiū,vnde cæpimus.Et hæc quidē ſunt,quæ Noti regione cōtinentur.Reliquum eſt,vt ad tertiā atq; vltimam Siciliæ regionem, quæ Mazarę eſt,tranſeundo deſcribendi tandem finem faciamus.

DE REGIONE VALLIS MAZARAE ET EIVS OPPIDIS. CAPVT TERTIVM.

MAZARAE regio,quæ tertia eſt,quod reliquū eſt Siciliæ amplectitur, & ad Lilybœū terminatur. Ea frumenti,aliarūq; frugū ſegetes fert vberrimas:vinū præterea,oleū,& mel probatiſsimū. Boū quoq; cæterorūq; armentorū ac gregū pecuaria eſt. Montes habet ſublimes, præcipites, horridos,ſteriles,atq; arborū prorſus expertes. A Lilybœo itaq; promontorio & eiuſdem nominis vrbe,quam Marſalam hodie vocant ad dexteram poſt paſſuum milia. 18. Drepanum vrbs abeſt. Cui Eryx,mons, & vetuſta ad.4. paſſuum milia vrbs prominet. A qua Calatafimis dextrorſum Sarracenicæ appellationis oppidum paſſuum milia. 18. diſsidet, Et ab eo paſſuum duntaxat milia.3. Segeſta

iacet vrbs Barbara hodie dicta: a qua totidem paſsibus Bayda arx, ac deinde ad oram.p.m.4.oppidulum abeſt Caſtrum ad mare de Gulfo frumenti Emporium. Supra vero & in mediterraneis ad.p.m.5. Alcamus eſt oppidũ, ab Alcamah Sarracenorum qui Siciliã occupauerunt prefecto ad verticem bonifati montis (teſte in ſua Africa Ioanne Leonis, Sarraceno) conditum. Quod poſtea Fridericus ſecundus Siciliæ Rex, ad montis radicẽ tranſtulit, vt eius priuilegio, Dato Iulianæ anno ſal. 1332. menſe Auguſto conſtat. Sed & Martinus Rex arcẽ vetuſti oppidi quæ ſuo tẽpore extabat, diſiecit, vt in Archiuo regio legitur. Eſt hodie Alcamus, Inſigne ac ditiſsimũ oppidũ. Cui ad mille ppe paſſus ſubeſt Calatubus Sarracenicum olim oppidũ, ſola arce hodie ſuperſtes. Et ab eo.p.m.8. Sala Parthenici nemoris recens, & Frederici ſecundi Siciliæ Regis conceſſu in planitie conditũ oppidulũ, aquis irriguum, & vinetis, ac ſegetis cannæ mellitæ præſtantia nobile. Cui ad aquilonem poſt.p.m.3. Elyma vetuſtiſsima, & in edito monte iacens Palymita hodie vulgò nominata imminet. Quam Carinis nunc, Hyccaris olim dictum oppidum ad ſex.p.m. ſubſequitur. A quo.12.p.m. in littore Panormus recedit vrbs Siciliæ regia. Cui ad.p.m.4. ad montium radices Mons regalis vrbs & tẽplum mu ſiuo opere celeberrimũ incubat. Ad quorũ verticẽ arx eſt vetuſta, ſed deſerta hodie. Cui ad meridiem ad.p.m.2. Abbatia. S. Marię ab alto fonte & Parco dicta ordinis Ciſtercienſis ſubeſt, à Frederico ſecundo Siciliæ Rege anno ſal. 1307. condita & dicata, quã ad meridiẽ quoq; poſt.p.m.5. Græcorũ oppidũ in planitie Archiepiſcopi Montiſregalis ſequitur, à Græcis, ob Turcarũ Regis metũ patria profugis, anno ſal. 1488. ædificatum. Miſilimeris oppidulũ ad ſiniſtrã.p.m.10. inde recedit, à Franciſco Boſco anno ſal. 1540. conditũ: vbi & arx eſt à Manfredo Claromontano olim erecta. Ryſalaimis ad.5.p.m. arx etiam Sarracenici nominis ſuccedit: vbi & fons eſt ingens, Myrtorũ, & Bayhariæ amnis origo, vt diximus. Marineus ad.p.m.2. deinde ſequitur à Franciſco Bononia Panormitano ætate mea conditum oppidulũ: cui ſiniſtrorſum ad.5.p.m. Cefala Sarracenica arx in rupe edita hæret. Ad cuius radices in valle profunda eiuſdem nominis ſunt balneæ aluminoſæ. Muniuſſus poſt.4. inde.p.m. Græcorum eſt oppidulũ. A quo ſeptimo poſt miliario abeſt Ciminna noui nominis oppidũ, & vino nobile. Cui Caccabus ſiniſtrorſum ad.p.m.5. oppidũ incubat. Et.4.p.m. ad oram Thermæ Himerenſes ab eo diſtant, & vrbs. A qua.15.p.m. dextrorſum recedit Sclafanis comitatus titulo nobilis. Et.3. inde.p.m. Caltabuturus Sarracenicæ appellationis oppidũ extat. A quo Biccarũ oppidum.6.p.m. abeſt, anno ſal. 1557. Comitatus titulo inſignitum: vbi arx eſt ingens à Manfredo Claromontano fabricata. Et pari interuallo à Biccaro abeſt Margana arx, à Teutonicis militibus, q̃ monaſterũ Manſionis. S. Trinitatis Panormi incolebant, inconſulto Rege erecta, & à Ludouico poſtea Rege, recepta ab eis fide ac ſolenni auctoramento confirmata eſt. Caſtrũ nouũ inter rupes ſitũ inde ad.p.m.9. honeſtũ oppidũ recedit. A quo.p.m.4. Camarata abeſt ingens oppidũ, Comitatus titulo illuſtre, ad radices montis eiuſdẽ nominis altiſsimi ſitũ: in cuius agris ſalis eſt fodina. Et ab eo Muſumellis oppidũ.8.p.m. diſtat, à Manfredo Claromõtano cõditũ: vt vetus inſcriptio ſuper portã indicat. A quo mille ad oriẽtẽ.p. arx eſt eiuſdẽ nominis ab eodẽ erecta. Sutera deinceps eſt poſt.p.m.3. ad angulũ montis eiuſdẽ nominis excelſi, ſitũ oppidũ: Paulini pij viri, & reliquijs & miraculis celebre. Cui dextrorſum ad vallẽ profundiſsimã fontana frigida arx ſubiecta eſt. A qua ſeptimo in oriẽtẽ miliario Gruttis oppidulũ refugit: Herbeſum à Polib. li.1, nominatũ, quod primo bello Punico Agrigẽtinis & Romanis frumẽti horreũ fuiſſe ſatis ex authoribus cõſtat. Noſis vetuſti rationẽ, græca etymologia ad ſpelũcas, quas ficuli Gruttas vernaculè hodie vocãt, nõ abſurdè refert: cuius & appellationis & notatiõis duo ĩ Sicilia fuiſſe oppida veteres ſcribũt, quorũ alterũ ſupra à nobis ĩ Pãtalica deprehẽsũ ẽ. Ad duo hinc.p.m. Rayhalmutũ Sarracenicũ oppidũ occurrit:

occurrit: vbi arx est à Frederico olim Claromontano erecta, quam Gibilina arx ad. 4. p.m. excipit. Et deinde. 8. p.m. Cannicatinis pagus. Et quinto mox miliario Narus nobile hodie est oppidū, tametsi origine ac nomine Sarracenicū. A quo. p.m. 18. Calatanixetta oppidū Sarracenicæ etiā vocis distat: cui ad orā post. p. m. 30. Alicata & Gela vrbes occurrunt: quas ad. 14. inde. p.m. Mons clarus arx ad littus sequitur. Huic verò interius. p. m. 9. Fauara oppidulū instat, & Arx magna Frederici Claromōtani opus insurgit, ætate mea Marchionatus titulo nobilitatū. Agrigētū vrbs quarto post miliario succedit, & quinto deinde ad dexteram Raphadalis est oppidulū, à Petro mōte aperto ætate mea conditū: cum Casale olim esset Sarracenorū. Hinc Siculiana Sarracenici etiā nominis oppidulū, & arx ab eodē Frederico Claromōtano excitata ad. 10. p.m. recedūt. Cui ordine Heraclea iacens in littore vrbs non minori dimensione succedit. Intus postea ad. p.m. 7. in monte edito, inter Pecurarum & Platanellā, magna vrbs, pstrata concernitur. Et paulò superius in colle vndiq; præciso, quē Lycus amnis sua dextera alluit, cuiq; mons Platanellæ est nomen, alterius vrbis dirutæ ambitus. p.m. & vnico accessu adeundæ, miræ visuntur ruinæ. Et non longè Guastanella, Motta, & Mushar Sarracenici nominis vicinæ arces à Rogerio Siciliæ Comite eodem victoriæ cursu cum Naro & alijs captæ, absunt. Petra arx ad. p.m. 10. subsequitur. Biuona postmodū sub altis rupibus ad. 3. p.m. noui nominis est oppidum, aquis irriguū & amœnissimum. Arcē habet disiectā. 200. fermè abhinc annos a Ioanne de aurea Siciliæ Admirato oppidi tum domino à fundamentis erectam. Sed & ætate mea anno salu. 1554. à CAROLO QVINTO CAESARE Ducatus titulo illustratum est. Cui paulò superius. S. Stephanus oppidū ad. 3. quoq; p.m. incubat. In his agris ad montem, cui contubernio nomen est. 3. p.m. à Biuona disitū, auri fodina inuenitur, & è propinquo fons est meridiē obuersus, cuius aquæ natura salsæ, æstate in concretum sal abeunt. Et non procul à Biuona alius est fons oleo scatens, à quo nomen habet. Mons excelsus Biuonæ supereminet, à rosis appellatus herbis suis præcipuam, eamq; ingenitā virtutem præstans: quas herbilegi vndiq; cōfluētes affatim vel brutorū saluti, vel hominū valetudini accommodas decerpunt, ac colligunt. Septimo inde miliario Palatiū Hadriani Græcorum oppidum occidentem versus sequitur: cui ad aquilonē. p.m. 4. Prizis Sarracenicum oppidum imminet in edito colle situm. Corilionis postea ad. p.m. 8. honestum hodie & diues oppidum succedit. Quod eiusdem nominis Sarracenorum tempore & Normannorum præfuisse, duobus priuilegijs Rogerij Siciliæ Comitis, quibus Agrigentū & Mazarā vrbes ad Episcopalē dignitatem euexit, constat. Sed tempore Friderici secūdi Cæsaris & Siciliæ Regis Lōgobardorū (quorū ad huc idiomate oppidani vtuntur) habuit Coloniam, quam Oddo Camarana miles, e Lōbardia scupellū primū, deinde a Scupello trāsferēs, eo deduxit, vt eiusdē Frederici Cęsaris diplomate liquet. Quod etsi plixū sit: libenter tamen ad verbū ideo subieci, quod nou ingratū futurū cēsui. Et est huiusmodi: Fredericus Dei gratia Romanorū Imperator semper Augustus, Hierusalē, & Siciliæ Rex. &c. Toties Imperialis extollitur maiestas, quoties in subditos suā exercet munificētiā liberaliter imperatoria celsitudo. Et exinde ipsi ad omne sinceriſsimæ fidelitatis obsequium feruentius incalescunt. Per præsens itaq; priuilegiū notū facimus vniuersis fidelibus nostris tā præsentibus q̄ futuris, quod nobilis vir Oddo de Camarana miles, dilectus fidelis noster apud Brixiam nobis fœliciter existentibus corā nostra celsitudine cōstitutus sua nobis petitione monstrauit, quod nōnulli homines de partibus Lombardiæ requisiuerūt eū, vt quia, ppter bellorū discrimina, & oppressionū importunitates quibus ibidem multipliciter grauabantur, abinde totaliter discedere, & apud insulā Siciliæ suum transferre desiderant incolatum, si de imperialis celsitudinis procederet beneplacito, & mandato, & concederetur eis locus certus in eadem insula, vbi dicti homines de prædictis partibus Lombardiæ ad dictam insulam sunt transferentes domicilium cum eorum fa-

milijs,animalibus,& maſſarijs cõmodè valeant cõmorari, ſub fœlicis noſtri nominis regimine,ad imperialis noſtræ celſitudinis exaltationẽ, gloriam,& honorẽ.Cuius ſupplicationibus inclinati, locum, qui dicitur Scupellus, ſitum in eadem inſula Siciliæ, in Valle Mazariæ vltra flumen Salſum, cum toto territorio & diſtricto ſuo,& iuribus ſuis, prædictis hominibus Lombardiæ, & omnibus alijs, qui de prædictis partibus ad dictum ſcupelli locum proceſſu temporis ſe conferent ad habitandum ibidem,exinde faciendum per eundem Oddonem,& hæredes eius, prout eis melius viſum fuerit expedire,de imperialis noſtræ manſuetudinis gratia ſpetiali in perpetuum duximus concedendum. Verùm quia dictus locus ſcuppelli, non erat locus ſufficiens, nec aptus eiſdem hominibus ad habitandum, dictus Oddo ſupplicauit noſtræ Maieſtati humiliter & deuote, vt terram Corilionis ſitam in prædicta inſula noſtra Siciliæ in Valle Mazariæ vltra. fl. Salſum, quæ eſt de Demanio noſtræ Curiæ cum toto territorio, ſitu, & diſtricto ſuo, cum nemoribus, paſcuis:aquis,terris ſubaquis,& ſine aquis, terris aratorijs, & alijs quibuſcunq; Caſalinis,prædijs vrbanis & ruſticanis eiuſdem terræ,& cum omnibus iuribus, rationibus, iuſtitijs, & pertinentijs ſuis, quæ dicta terra habet, & habere poteſt,prædictis hominibus Lombardiæ,& alijs,qui de prædictis partibus illuc ſe transferre voluerint, & ſucceſſoribus eorum, ad habitandum ibidem, & exinde faciendum per eundem Oddonem & hæredes eius,prout eis in perpetuum melius viſum fuerit expedire. Et quod omnes habitatores Corilionis in nemoribus Demanij noſtræ curiæ prædictæ terræ Corilionis & territorio eius circumadiacentibus, ligna viua pro domibus & ruribus etiam, ac mortua pro igne, & alijs neceſsitatibus eorum liberè,& abſq; aliquo iure noſtræ Curiæ propterea perſoluendo incidere poſsint, de imperialis noſtræ manſuetudinis gratia pro cambio dicti loci ſcupelli concedere dignarentur. Nos igitur attendentes fidem puram & ſinceram deuotionem,quam dictus Oddo erga Maieſtatem noſtram geſsit,& gerere poterit in futurum, maximè quia in noſtris & gratiæ noſtræ ſeruitijs iugiter expendit dies ſuos, ſupplicationibus ſuis benignè admiſsis in excambium prædicti loci Scupelli, prædictam terram Corilionis,quæ eſt de mero demanio imperialis noſtræ curiæ, ſitam in dicta inſula noſtra Siciliæ in Valle Mazariæ vltra fl.Salſum, cum toto territorio, ſitu, & diſtricto ſuo,cum nemoribus,paſcuis,aquis,terris ſub aquis & ſine aquis,aratorijs & alijs quibuſcunq; Caſalinis,prædijs vrbanis,& ruſticanis eiuſdem terræ,& cum omnibus iuribus, rationibus iuſtitijs, & pertinentijs ſuis, quæ dicta terra habet, & habere ſperat,& poteſt,prædictis hominibus Lombardiæ, & omnibus alijs, qui de prædictis partibus Lombardiæ ad dictam terram Corilionis proceſſu temporis ſe conferent ad habitandum ibidem,exinde faciendum per eundẽ Oddonẽ, & hæredes eius prout melius eis viſum fuerit expedire de imperialis noſtræ manſuetudinis gratia ſpetiali in perpetuum duximus concedendũ.Inſuper volumus, & mandamus tã per nos,q̃ per hæredes & ſucceſſores noſtros,quod diſtributio & conceſsio facta per dictum Oddonem,vel eius hæredes eiſdem Lombardis,& omnibus alijs,qui de prædictis partibus Lombardiæ ad dictã terrã Corilionis ſe conferent ad habitandũ ibidẽ tã in ſcriptis, q̃ ſine ſcriptis, præſentis priuilegij noſtri authoritate perpetuo robore ſint duraturæ. De abundantiori quoq;, gratia noſtra volumus, & concedimus, quod oẽs habitatores eiuſdem terræ Corilionis, de territorio eius & circũiacentibus ligna viua pro domibus & ruribus eorum, & mortua pro igne & alijs neceſsitatibus eorum poſsint incidere. Et q̃ ſumant paſcua pro eorum animalibus in eodem territorio liberè, & abſq; aliquo iure per eos, vel hæredes eorum perpetuo perſoluendo, ſaluo tamen per omnia mandato, & ordinatione noſtra. Ad huius autem noſtræ conceſsionis memoriam, & tam imperialis noſtræ curiæ Celſitudinem, quam dicti Oddonis, & hæredum ſuorum, & prædictorum hominum Lombardorum, qui de prædictis partibus Lombardiæ ad dictum terram Corilionis ſe

lionis se conferent ad habitandum ibidem, & successorum eorum cautelam, & perpetuam firmitatem, præsens priuilegium per manus Nicolai de Tarento, fidelis nostri scribæ, & sigillo Maiestatis nostræ iussimus communiri. Datum in castris ante Brixiam Anno Dominicæ incarnationis millesimo, ducentesimo, trigesimo septimo, mense Nouembri. 11. Ind. Hactenus rescripti verba. Aetate verò mea anno salutis. 1536. oppidi huius pars solo dehiscente fundirus corruit. Deinde ad aquilonem. p. m. 6. mons est tota hac regione notissimus, & ingens Busamar Sarracenicè appellatus: ad cuius verticem Sarracenorum olim erat oppidum Calatabusamar nominatum hodie iacens. cuius etiam nũc cernuntur vestigia. Ietum Plinio, cuius populos Ietenses vocat, Ietas celsus Sylio. Iatum hodie dictum oppidum ad occidentem post. 12. p. m. in editissimo & vndiq; prærupto monte situm, abest, in magna quidem aquarum indigentia munitissimum & ingens, cuiusq; vix vnus, & is arduus ac peraccliuis est aditus. Cuius fiducia eò se olim Sarracenorum in Sicilia reliquiæ, quæ à Frederico secundo Cæsare desciuerant, ad se tuendos receperant. Quos Fredericus, duce Roberto Caserte Comite dura ac longa obsidione, quam propugnaculi in id tum ibi extructi vestigia testãtur, tandem expugnauit. Captaq; & funditus deleta vrbe, quoscunq; viuos cepit, ad Nuceram non longè à Neapoli habitandam transmisit, vnde à paganis illi oppido deinceps ad hanc vsq; ætatem factum est cognomentum. Proinde Iati admirandæ extant, & tota vrbe aceruatim calcantur ruinæ. Ad angulum montis meridionalem ædicula est in rupe excauata. D. Cosmano dicata, quæ maxima religione ab accolis, & à Panormitanis præsertim qui. p. m. 15. inde absunt, quotannis colitur. Iato Calatrasis ad meridiem arx hodie, sed Sarracenicum olim oppidum ex vestigijs adhuc cognitum, in rupe in acutum surgente, vndiq; præcisa ad passuum milia. 10. succedit. In qua cadauer hominis gigantis anno salutis. 1550. fuisse repertum libro. 1. meminimus. Duorum hinc. p. m. spatio distat Entella vrbs vetustissima in monte eiusdem nominis, quem præcisæ vndiq; & inaccessæ rupes, & vnicus tantum aditus parui præsidij indigus, natura munitissimum reddunt: qui in summitate planitiem habet ambitus. p. m. ferè. 4. peruiam & culturæ aptissimam. In ea hæc vrbs ab Entello Troiano Aeneæ sotio, quem cæstibus cum Darete contendentem lib. Aen. 5. introducit Virgilius, indus trio artificio (vt lib. 14. testatur Sylius) condita est. De qua Diodorus libro. 16. Timoleon (inquit) potitus est etiam vrbe Entella: vbi ciues quindecim, qui Carthaginensium partes sequebantur, interfecit, cæteros libertate donauit. Probatissimi vini nomine à Strabone cõmendatur, de quo etiã lib. 14. Sylius Largoq; virens Entella lyæo, Entella Hectoreo dilectum nomen Acestæ. Hodie vero agris eius in frumenti segetẽ conuersis vini cõmendationẽ prorsus amisit. Vrbs quoq; ipsa à Frederico secundo Cæsare, Sarracenis, qui eam vna cũ Iato, nouarum rerũ studio quasi pro seditionis munimine occupauerant, in Nuceriam vna cum Ietensibus relegatis, funditus deleta, penitus iacet. Cuius, arcisq; etiã, quæ speculæ speciẽ referebat, semidirutæ vestigia tantũ sparsim proiecta cõspiciuntur, reliqua incolatus parte, equis bobusq; relicta. Mons tamẽ ipse, ac prostrata vrbs Entellæ ad huc nomine veteri gaudent. Ad radicẽ montis, qua Calatrasim respicit, lapidis alabastri minera est probatissima: vbi & balneæ sunt ad diuersas ægritudines accõmodatissimæ. Qui autẽ Castrũueteranũ Entellã olim fuisse scribunt, in sole hi speculdubio caligãt. Calatamar Sarracenica arx deserta in rupe editissima ad. 3. p. m. Entellæ incubat: vbi & Sarracenorũ olim erat oppidulũ: cuius quoq; indicia super sunt. Hinc ad. 2. p. m. Cõtissa subest oppidulũ ætate paulò superiori à Græcis, qui Bisirim Mazariẽse Casale olim incolebãt, habitatũ, Cui ad meridiẽ in angulo mõtis excelsi ad. 2. p. m. Monasteriũ. D. Marię à Bosco ord. D. Benedicti prominet, vnde inferius pari interuallo Busachinum est oppidum. A quo Clusa totidem. p. abest

à Mattheo Sclafani Adrani tum comite anno salutis. 1320. conditum. cum prius ad equorum pascua clausus esset ager: vnde & nomen oppido est inditum. In agro Clusitano, locis quibus, Iardinello, & Canalotto est nomen, aqua lapidescit. Cluse ad occidentem in sublimi rupe, & ex omni parte prærupta, Iuliana oppidum, vti natura, ita & colonis, arce quoq;, & muro à Friderico Secundo Siciliæ Rege ampliatum, & munitum imminet. Quod Sarracenorum Casale vnà cum Zabuth, Comichio, Adragno, & Sinurio Guilelmus secundus Siciliæ Rex in suo priuilegio dato anno salutis. 1185. olim fuisse indicat, eaq; Casalia appellat. Cæterum in agro Iulianæ auri, argenti, & ferri minerę, adamantis præterea lapidis, & porphyretis optimæ sunt fodinæ. Comichium ad. 3. p. m. paulo infra ad meridiem prostratum iacet. cuius nomẽ ædi Diuo Iacobo ibidẽ fabricatæ superstat. Acristia superiori ætate deletum ad septentrionem in rupibus editis desertum oppidum, ad tria passuum milia. Comichio prominens occurrit. cuius reliquijs auctum ad meridiem, p. m. 2. Burgius millusius Sarracenicæ vocis oppidum recedit. A quo mille passus Villafranca distat oppidulum ab Antonio Agliata anno salutis. 1499. conditum vino nobile. Cui ad occidentem montes excelsi, ac ardui ad. 3. p. m. insurgunt. Ad quarum verticem maris prospectu iucundissimum Caltabellottha Sarraceni nominis & ædificij supereminet oppidum, Comitatus titulo ornatum; & paulo inferius ad passus mille ad angulum eiusdem montis meridionalem in loco, vbi hodie ædis est Diuę Mariæ a Monte Virgineo, Triocala vetusta olim vrbs Ptolemæo sita erat, initio belli seruilis clara, quod Romanos magis afflixit, q̃ bella Punica. In Triocalino agro (in Verrem. 7. inquit Cicero) quem locum fugitiui antè tenuerunt. Vnde libro. 14. Sylius: Et mox seruili vastata Triocala bello. Hæc vrbs extincto bello seruili à Romanis funditus est deleta, sed rursus postea habitata. Insignis est reddita victoria, quam Rogerius Normannus Siciliæ Comes contra Sarracenos in eo loco adeptus est. In cuius memoriã ibidem Diuo Georgio suo tutelari dupplici columnarum ordine ædem sacram à Triocala cognominatam quæ adhuc extat, magnificè struxit. Vrbs verò ipsa prorsus iacet vestigijs tantum ingentibus obrutis, & nomine cognita. Misilicassimus Sarracenicæ appellationis arx ad. p. m. 2. mare versus deinde subest, quam ad occidentem & in maris littore Sacca sequitur vrbs Thermæ Diodoro. P. Melæ, & Plinio dicta. Cui dextrorsum interius ad passuum milia. 10. Sambuca hodie oppidum Sarracenorum olim Casale Zabuth appellatum, vt Guilelmi secundi Siciliæ Regis diplomate dato Panormi mense Iunio anno salutis. 1185. patet. Adragnum & ipsum Sarracenicum casale olim, sed Christianorum postea oppidum: ad. m. p. supereminet hodie desertum, ruinis tantum, & nomine superstes. A quo passuum milia. 4. ad occidentem Senurium Sarracenorum & ipsum olim Casale, sed hac ætate prorsus extinctum, solis dispersis lapidibus, & eiusdem taberna hospitatoria nominis cognitum. Misilindinis & ipsum quoq; Sarracenorum olim oppidulum, nunc verò arce exili, & paucis colonis habitatum ad meridiem passuum milia. 6. Senurio hæret. A quo occidentem versus passuum milia. 3. Sala donnæ, & mille postea passuum Gibellina, vbi arx à Manfredo Claromonte erecta adhuc extat, oppida recedunt. A quibus. 2. passuum milia ad aquilonem Abbatia Diuę Mariæ de habita Ordinis Diui Benedicti distat, à qua passuum milia. 8. Partãna abest oppidum vino nobile. Et post eam ad passuum milia. 2. Biginis est arx. Cui ad oram tertio miliario Selinis vrbs vetusta iacens (Pulicorũ terra hodie dicta) subest. Interius ad passuũ milia. 5. Castrum veteranum imminet oppidum ætate mea Comitatus titulo nobilitatum. a quo nõ longe discedit perribaydę arx. Moyharta postea sinistrorsum ad. p. m. 8. Sarracenici nominis extat Arx, vbi ingẽtes cõspiciuntur ruinæ. Salemis ad. 3. p. m. deinde in collibus est oppidũ honestũ, aquis irriguum, & domesticarum

arborum

arborum ferax. Semellitanos, quorum libro. 3. meminit Plinius huius oppidi esse populos & vocis affinitas, & locus id præ se ferunt. A Sarracenis autem appellationem hoc oppidum, pro vt in præsentiarum nominatur, habuisse, etymologia indicare videtur. Salem etenim Sarracenicè locus delitiarum (vt aiunt) est Latinè. Huic ad oram & passuum milia. 18. vrbs Mazara succedit, quæ regioni, quam describimus, nomen dedit, Episcopali hodie dignitate, sed olim Sarracenorum, & subinde Rogerij Siciliæ Comitis Sede insignis. Lilybœum tandem promontorium, & vrbs, Marsala hodie nominata totius insulæ cuspis, & vnde initium sumpsimus, ad. 12. passuum milia hanc regionem claudit. Sed iam de Siciliæ descriptione satis. Quicquid est reliquum, altera Decade complectemur.

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS,

PRIORIS DECADIS.

LIBRI VLTIMI.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX POSTERIORIS DECADIS

PER ORDINEM LIBRORVM ET CAPITVM.

PRIMI LIBRI.

De primis Siciliæ habitatoribus. c. 1
De Græcis qui Siciliam incolue runt. c. 2
De Tyrannis Siciliæ, Cleandro, Hippocrate, Gelone. Terillo. c. 3
De Hierõe Seniori, & Trasibulo. c. 4

SECVNDI LIBRI.

De Ducetio Siculorum rege. c. 1
De Bello inter Leontinos & Syracusanos. c. 2
De bello memorabili inter Athenienses & Syracusanos. c. 3
De bello inter Segestanos & Selinuntinos, ac Selinis & Himeræ vrbium ab Hannibale expugnatione. c. 4

TERTII LIBRI.

De Dionisio seniori. c. 1
De Dionisio Iuniori, & Dione. c. 2
De Dionisij ad Principatum restitutione. Et Timoleonte Tyrannidis extinctore. c. 3

LIBRI QVARTI.

De Agathocle Syracusarũ Rege. c. 1
De Mamertinis Messanam occupantibus: Et Pyrrho Siciliæ Rege. c. 2
De Hierone Iuniori, Et bello Inter Romanos, & Carthaginenses in Sicilia, & propter Siciliam gesto, quod Primum bellum Punicum appellant. c. 3

LIBRI QVINTI.

De Hieronymo Syracusarum vltimo Rege. Et eiusdem vrbis a. M. Marcello expugnatione. c. 1
De Bello seruili, & cæteris motibus, qui in Sicilia imperante Populo Ro. sunt exorti. c. 2
De Gothis Siciliam occupantibus & postmodum expulsis. c. 3

LIBRI SEXTI.

De Siciliæ a Sarracenis inuasione & occupatione. c. 1
De Georgio Maniace, & eius in Sicilia contra Sarracenos rebus strenue gestis. c. 2

LIBRI SEPTIMI.

De Rogerio Normanno Sicilie Comite, & Sarracenorũ expulsione. c. 1
De Simone Sicilie Comite. c. 2
De Rogerio Siciliæ Rege. c. 3
De Guilelmo Primo huius nominis Siciliæ Rege. c. 4
De Guilelmo secũdo Siciliæ rege. c. 5
De Tancredo Siciliæ rege. c. 6
De Rogerio secũdo Siciliæ rege. c. 7

LIBRI OCTAVI.

De Henrico Sueuo Siciliæ Rege, Quinto Romanorum Imperatore. c. 1
De Frederico secundo Cæsare, & Primo Siciliæ Rege. c 2
De Corrado, Mansredo, & Corradino Siciliæ Regibus. c. 3
De Carolo Andegauensi Siciliæ Rege & Gallorum occisione. c. 4

LIBRI NONI.

De Petro Aragonio, Siciliæ Rege. c. 1
De Iacobo Siciliæ Rege. c. 2
De Frederico secundo Siciliæ, Rege quẽ falso tertium appellant. c. 3
De Petro secundo Siciliæ Rege. c. 4
De Ludouico Siciliæ Rege. c. 5
De Frederico, tertio Siciliæ Rege, quem bonum appellant. c. 6
De Maria, & Martino Siciliæ Regibus. c. 7
De Ferdinando Quinto Aragonum, sed primo Sicilię Rege. c. 8
De Alfõso Aragonũ & Sicilię rege. c. 9
De Ioãne Aragonũ & Sicilię rege c. 10
De Ferdinando Aragonum & Siciliæ secundo huius nominis rege, Cognomento Catholico. c. 11

LIBRI DECIMI ET VLTIMI.

De CAROLO QVINTO CAESARE, Hispaniæ primo, & Siciliæ secũdo huius nominis Rege. c. Vnicum

FINIS.

Digitized by Google

F. THOMAE FAZELLI SICVLI ARTIVM ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS ORDINIS PRAEDICATORVM. DE REBVS SICVLIS POSTERIORIS DECADIS.

AD CAROLVM QVINTVM CAESAREM HISPANIAE ET SICILIAE REGEM.

PRAEFATIO.

SInudo locorum, atq; vrbium situ virtus à vitio, & vir laudatus ab illaudato discerni, quantunq; in rerum humanarum successibus spei reponendum foret (quod vtrunq; instituti mei consilium est) perspici potuisset; iam priori decade toti operi finem imponere, ac epilogo coronidem perstringere oportuisset. Sed quoniam ex sola Siciliæ topographia hæc obseruari nequeunt, nihilo plus præstitisse nos hucusq; existimauimus, quàm qui comœdiã exhibituri omni apparatu theatrum splendidissimum instruxerunt, hi verò nisi quod exteriori ornatu promiserunt, interlocutorum actione, gestuq; referant, ridiculum profecto necnon molestum vulgo, accitisq; spectatoribus cachinnum, imo publicum temeritatis suæ ludibrium, mouebunt. Proinde posita ob oculos tum vti nunc est, tum vti olim fuit, vniuersa Sicilia, superest, vt concinno temporum ordine, à quibus habitari cœpta, quibus rationibus coaluerit, qui Principes, Tyranni, Reges, bellorum cum exteris, ac finitimis causæ, successus, victoriæ, strages, quæ deniq; in præsentem vsq; statum crebræ, ac memorabiles rerum mutationes iam inde à primordio se se mutuò consecutæ sint, narrationis actione veluti in proscęniũ producamus. Sic enimuero nostrates ijs velut domesticis exemplis experrecti nõ temere ad vitiorũ fugã, virtutesq; cũ delectu capessendas magis, magisq; cõcitabuntur. Rẽ autẽ ipsam a vetustissimis primisq; illis tẽporibus auspicari opere pretium est: cũ aliunde primordia petenti defuturũ plane sit narrationis initiũ. Cæterũ quanta sit Siculæ historiæ, cuius nõ pœnitenda pars interiit, inopia, nemo est, vel mediocriter in literis versatus quin videat. Ea nanq; ferè oĩa, quæ primo, ac Sicanorũ, Siculorũq; ævo gesta sunt, labentes anni inuida nobis vetustate abraserũt. Multa præterea, quæ succedenti temporũ cursu edita sunt, bellorũ sæuitia, maiorumq; negligentia interierunt & ipsa. Quocirca quod in manu fuit, id solũ præstiti: dediq; operã, vt (post habitis fabellis, & ijs quæ minus certa referuntur) quod vndiq; ex incorruptis authorum voluminibus haberi potuit, ne à verbis quidem eorum, nequid (per immutationẽ) fidei derahereretur, in plerisq; locis recedens, in hanc alterã laboris mei partẽ, velut in penũ Sicularum rerũ congereretur. Legant igitur libenter & ea conterranei mei, & cũ à prioris decadis lectione fatigati fuerint, in hanc posterioré, veluti in pratum secedant. Quicquid est autẽ huius Carole Quinte Cæsar quod mea præbet infirmitas, tibi vel hac vna ratione debetur, quod post tot calamitatũ, ac tyrannidũ vndas, ad quietũ tandẽ, nec abs re vnq; amittendũ, sub tuorũ inuictissimæ maternæ Aragonicæ stirpis maiorũ, ac tuo demũ imperio, veluti portũ appulerimus. Quare sub tuis auspicijs, & hæc pars in lucẽ prodeat, sub quibus iampridẽ & altera euulgata est. Vale.

F. TH.

Digitized by Google

F. THOMAE FAZELLI, SICVLI, THEOLOGIAE PROFESSORIS, ORDINIS PRAEDICATORVM.

DE REBVS SICVLIS POSTERIORIS DECADIS.

LIBER PRIMVS.

DE PRIMIS SICILIAE HABITATORIBVS. CAPVT PRIMVM.

ORBE Condito, Gentiumq; multitudine repleto, Gigantes ad Cataclysmum vsq; (cuius interstitium, quadraginta duorum supra ducētos, ac bis mille annorum supputatur) Siciliam incoluisse, primū omnium iam satis constat. Cum nanq; principio rerum ante aquarum profluuium, procerum illud hominum genus cum numerosa sobole late dispersa, orbem vniuersum ab ortu ad occasum (teste Beroso, inuasisset) Siciliam etiam, aliasq; mediterranei maris insulas, sibi occupauit. Quæ vero fuerint eo æuo res in Sicilia gestæ, cū nulla earū memoria, ac ne Siciliæ quidem tum vulgatum nomē exinde ad nos peruenerit, incompertum est. Quis enim res tam veteres, & quæ in recessum prorsus abierunt, vel coniectura assequi posset? At cum immanis hæc humanæ Gentis propago primæ illi ætati scelerum suorum enormi machinatione exitium cōsciuerit: vix constanti multitudine mundo ab aquis restituto, inter occupatæ Siciliæ initia, eadem ferme corporum animorunq; feritate tanq; postliminio renata est. Ita post aquas veluti & antea fuisse Gigantes, cum plerisq; difficilimis per orbem terrarum diffusos locis, tum Siciliam infando dominatu, ac tyrannide subiectam sibi tenuisse, non modo Homeri poetarum omnium maximi, sed grauissimorum quoq; historicorum authoritatibus, exemplis præterea, stupendisq; vti olim, ita & nostra etiam tempestate repertis, passim eorum sub terra cadaueribus, constantissimum est. Sed an indigenum, an aliunde, atq; vnde tandem in Siciliam hoc hominum genus aduectum, sedem sibi insulam delegerit, scriptorum necdum satis (ob certamen contentionis ambiguum) discussa, decisaq; est opinio. Trogus nanq; & qui cum eo sentiunt, Siciliæ indigenas, & ex sese oriundos tradunt. Didimus autem, alijq; complures authores græci, genus esse Threijcium, & subinde varias incoluisse regiones, & in primis Acarnaniam, Epyrotis, Aetolis, ac locrēsibus conterminam, atq; inde in Siciliam aduenisse contendunt. Pro inde, si ad iudicium fides est redigenda, ab Armenia eos in Siciliam primum aduectos liquet. Quod præter Mosen, fideliſsimi quoq; vetustæ huius originis, illorumq; scriptores temporum (quorum græci, ac deinde eos secuti Romani fuerunt ignari) ab humana clade historiam exorsi, palam posteritati contestatum reliquerunt. Cum etenim gens omnis, gigantum præsertim, pudore sublato, in omne nefas abijsset, scelerum eorum atrocitate Deus Optimus Maximus lacessitus, vniuerso orbi inundationem immisit. In tanto tamen rerum humanarum discrimine, solum ex gigantibus Noe (quem Ianum fuisse

Beroſus

Berosus refert) virum pium atq; inter tot enormia vitiorum monstra inuictum, tribus cum filijs Semo, Iapheto, & Chemo, ac sua eorũq; vxoribus ad restituẽdum post cladem Genus humanum seruari placuit. Qui multis ante excidium annis præmoniti, cautiq; naui in arcę speciem fabricata, in quam & sese ab vndarum periculo, & ex omnium animalium progenie coniugium cõgesserant, è qua siccato tandem orbe & in Gordiei montis vertice, qui est in Armenia saga, quiescente nauigio, egressi sunt. Vbi rei gestæ monumentum in lapide ab ipso Noa incisum, & locus Arameo idiomate Sale Noa, quod egressorium interpretatur, ad nostram vsq; ætatem est appellatus, vt Armeni qui ad nos inde accedunt, perferunt. In quatuor itaq; horum superstitum gigãtum semine reparandi orbis, renouandiq; incolatus spes omnis consederat. Qui mirabili diuini numinis ope cum coniugibus suis congressi, numeroso in infinitum partu, congeminatis vtpote mare & femella, multiplicatisq; præter solitum etiam nouorum gigantum fœtibus breui totam Armeniæ regionem impleuerunt. Loci postmodum angustia victi, ad quærendas nouas sedes, diuidendasq; per vniuersum colonias, sese inuicem cohortati sunt. Vnde confirmato consilio, dispertitisq; per omnes mundi regiones habitatoribus, in Siciliã quoq; Gigantum cohortem transmigrasse proculdubio censendum est, Fuit autem Gigantum, qui primi Siciliam exinde incoluerunt, tanta, ac tam effera in familiari vitæ consuetudine asperitas, vt neq; legibus, neq; moribus, neq; societatis studio, neq; deniq; vllo Dei cultu tenerentur. Eoq; per licentiam processerant, vt iniuriam pro innocentia, pro pietate numinis contemptũ habentes, non solùm regnandi ius, sed cuiusdam etiam diuinitatis fastigium sibi arrogauerint. Hos ob naturæ duritiem, virium robur, ac staturæ proceritatem confecto ad opinionem suam nomine, gigantes appellauit antiquitas. Id verò non constans, aut vnum primis hisce Siciliæ habitatoribus nomen inhæsit. Crescente nanq; eorum libidine, viribusq; in dies ad noua scelera inualescentibus, nouorum quoq; nominum accessionem meruere, atq; à latrocinijs, frequentibusq; in mediterranea, ac finitimas Italiæ regiões excursionibus, ad quas nati potius, quàm instituti videbantur, Lestrigones sunt vocati. Ac deinde prædis haud quaq̃ contenti, nequid ad extremam nequitiam, ac naturæ turpitudinem sibi reliqui facerent, cum neq; à sanguine, miserorumq; aduenarum laniena ad diram vsq; viscerum humanorum ingluuiem, voracitatemq; abstinerent, Anthropophagi etiam sunt dicti. At verò & Cyclopes iam tum appellati sunt, quod nomen ad allegoriam referendum nonnulli iudicarunt. Quippe quibus non vnus tantùm natura orbicularis in fronte oculus attributus, vt fabulæ tradunt, sed propter ingenium, prudentiamq;, ac artiũ quas cyclides vocant, quod illarum origo veluti circuli initium latens sit, industriam, Cyclopum nomen prouenerit, tametsi nõ desint ex Græcis authoribus, qui à Cyclope eorum Rege cognomentum huiusce modi eos sortitos affirment. Fabrilis eos etiam artis non ignaros fuisse, & ferreã primum fabricam, ac deinde turrium vsum inuenisse fide digni scriptores testantur. Quibus alludunt & antiquissimorum, præcipuorumq; poetarum fabulę, qui vicinas Siciliæ insulas Vulcanias, atq; Vulcani officinas, & Cyclopes operis eiusmodi ministros fuisse, & Ioui fulmina, ac telũ fabricasse non adeo absurdè, quanq̃ poeticè, commenti sunt. Quibus cum insuper ad rem accommodatissima nomina indiderint, qualia sunt Brontes, Steropes, Pyracmon, & id genus alia, communi eorum arti non modo nihil detraxisse, sed lucis etiam non parum addidisse videntur. Nam Brontes tonitrum, quod ex incude malleis verberata resultat, Steropes fulgorem ex incendio natum, & Pyracmon calentem incudem Latinè significant. Sed & Brontes oppidulo ad radices montis Aetnæ sito nomen inditum, ad meam vsq; ætatem constantissimum vetustatis huius monumentum esse non inficias eo: veluti & Polyphemi specus, & vlissis portus ad eiusdem montis decliuia hucusq;

veterum

veterũ authoritate appellati, eiuſce antiquitatis clara ſunt veſtigia. Cyclopes itaq; hi quoniam portentoſæ erant corporis ſtaturæ, non vrbes, non oppida, ſed Aetnæos, Leontinosq;, ac alios eximiæ magnitudinis ſpecus, quos in delectis ſibi mõtibus effoderant, vt in hanc vſq; ætatem cernere licet, habitabant. Authores ſunt Plato, & Ariſtoteles. Quod & Plato Homeri verbis, quibus ſtatum, qui tunc temporis in Sicilia erat, exactiſsimè deſcripſit, conſtantiſsimè aſſerere non dubitat. Porrò quantum in rebus antiquiſsimis Homero tribui debeat, non Platonis ſolùm, ſed Ariſtotelis quoq; aliorumq; grauiſsimorum in ſuſcipiendis tanti viri laudibus ſcriptorum iudicia, ac vetuſtas ipſa, & q̃ proximè ad hiſtoricam veritatem accedens poeſeos modus, liquidò commonſtrant. Homerus itaq; in ijs, quæ de Sicilia commemorat, à vetuſtiſsima Beroſi hiſtoria parum diſſentiens cum docendi tantùm, ac antiquiſsima quæq; præcipuarum, ignotiſsimarumq; ſua ætate regionum deſcribendi conſilio tam ingenioſi operis laborem aggreſſus ſit, non tẽporis ratio, quod poſt Troianum excidium circa Vlyſsis errores obſeruari poſsit, conſideranda eſt: ſed in eius inſtituto omne conſumendum eſt iudicium. Nam vetus hoſpitij ius, violatæq; ſocietatis publicæ inſignem vindictam propoſiturus à gigantum agreſtibus, inhumanis, atq; inhoſpitis moribus aptiſsimum exemplũ petit. Quorum cum in Siciliam plurimam multitudinem ab emenſi orbis primordio graſſatam accepiſſet, inſulæ deſcriptionem à primæ ferè in ea ætatis habitatoribus inchoat. In qua cum nullum adhuc Trinacriæ, Sicaniæ, Siciliæ, aut ſi quod eſt ijs antiquius nomen, cognitum eſſet, à memorabili, ac feriſsima gẽte Cyclopum qui primi inſulam incoluerunt, eam appellat. Cuius denominationis hac etiam tempeſtate in ſpecubus Aetnęis, & Leontinis, & in tribus littori Aetnenſi vicinis, & non longè ab Acis arce è mari ſurgentibus ſcopulis non ſine magna eius antiquitatis admiratione veſtigia permanent. Nam illæ Cyclopum ſpecus, & Leſtrigonum ſedes, hi verò Cyclopum ſcopuli a Pli. Solino, & Mela appellantur. Excellens præterea illa, quam Homerus collaudat, telluris fertilitas, vtpote quòd frugum omnium ſponte enaſcentium ſit ferax, quòd Cyclopibus alimenta ſuggerebat accommoda, quodq; vel ob ea Solis appelletur inſula, in Leontinis Ennẽſibus, Mylenſibus, ac pleriſq; alijs paſsim agris ad experiẽtiam quoq;, vſusq; noſtros per tot ſeculorum intercapedines inaudita quodammodo hæreditate, vt antiquæ feracitatis indicium, peruenit. Cyclopes igitur, qui primi poſt humani generis interitum Siciliam tenuerunt, ob recentem diluuij memoriam, ne eandem aquarum vim qua ſui maiores fuerant obruti, experirentur, montium altiſsimorum cacumina in ſpeluncis habitaſſe, in quibus ſeſe ab omni cœli iniuria tuebantur, conſtat. Subinde ſolitudinis, vitæq; incultioris tædio relictis ſyluęſtribus iugis, per montium decliuia deſcendentes, & ad ima ſpecus ſibi effodientes ibi habitare cœperunt, vti ſi ab ijs locis periculum immineret, facilè ad editiora refugium pateret, quod & cunctantius factum eſſe ratio ſuadet. Mox creſcente ſocietate, & corroboratis animis, imminutaq; nonnihil veteris preſſuræ memoria ad patentes inſulæ campos, latasq; planities ampliores, firmioresq; ſedes tranſtulerunt. Poſtremò autem omni abolito metu, camposq; egreſſa audacia in littoralibus locis conſederunt, & per lata etiam maria expatiati nauibus, triremibus, phaſelis, lintribus, & ratibus immenſo pelago ſe concrediderunt: imò & natatu ad piſcium æmulationem libertatem ſunt conſecuti. Hæc itaq; pro ætatum ordine atq; timoris modo incolatus genera necnon viuendi, atq; morũ diſcrimina in Sicilia, veluti & in toto penè terrarum orbe poſt ſedatos aquarum impetus ſeſe ordine ſubſecuta ſunt, vt à veteribus accepimus. Et hæc quidem Siciliæ primordia, quæ quidem & ipſa nobis veluti nube quadam obducta à vetuſtioribus ſunt relicta. Subinde anno poſt aquas. 268. & Nini primi Aſſyriorum Regis. 22. vt Beroſus ſupputat, Saturnus Ægyptius omnium primus Siciliam occupauit.

Digitized by Google

occupauit. Author est Diodorus. Sed operæpretium est Saturni genus, propriaq; eius nomina paulo altius ex Beroso, Metasthene, Xenophonte, Fabio Pictore, & Catone hoc loco repetere. Quorum explicatio etsi prolixa, non solùm rebus dicendis, sed græcæ quoq; historiæ, quæ hæc rerum initia satis obscura, ac veluti in fabulas reiecta recensere videtur, maximam afferet claritatem. Ab aquis igitur ad Ninum vsq; primum Assyriorum Regem, annorum. 249. interualli ætas fuit, quã Poetæ auream appellant, quando gentium imperium penes Reges erat, quos ad fastigium Regni non ambitus, & immoderata cupiditas, sed spectata virtus proue hebat, populusq; nullis legibus astrictus arbitria Principum, quorum fines imperij tueri magis, quam proferre moris erat, pro legibus habebat. At verò ijs omnibus, velut & vniuerso terrarũ orbi, ea temporis intercapedine Noa præsidebat cui cum soli anteactæ ætatis, rerumq; sacrarum, vitæq; ciuilis memoria insideret, humano genere ex se suisq; liberis Semo, Iapheto, & Chamo eiusdem sortis gigãtibus in Armenia vt diximus dilatato, simpliciq; agricultura, & dei cultu ĩ nouos homines disseminato, multa quoq; rerũ naturaliũ secreta literis mãdauit. Imprimisq; humanæ societatis modum ac viuendi cum summa comitate & gratia resuscitauit, ac deniq; quæcunq; ad pietatem, honestatem, necessitatemq; sentiebat non inutilia, ea ad cognitionem, vsumq; recentis, ac rudis adhuc seculi reduxit. Astrorum præterea cursus, annumq; ad cursum Solis, mensem ad Lunæ motum dimẽsus est, Vinum fat, & pleraq; alia ad humanæ vitæ vsum inuenit. Quæ non Armenis solùm, sed nationibus quoq; omnibus ad extremum cõmunicauit. Quamobrem in tanta authoritate est habitus, vt certissima diuinitatis persuasione ducti, augustiori in dies, & pro beneficiorum, gentiumq; varietate diuerso nomine ipsum colendum sibi prepoſuerint. Nam & ante, & post aquas Noa propriũ ei nomen fuit. Quod Hebræum cum sit, Latinæ mouentem omnia significat. Armeni vero Olybam, hoc est cœlum. Arsa, ideſt Solem. Ogygem hoc est illustrem, sacrorum doctorem. Ianum ideſt viniferum, vitisq; inuentorem. Græci subinde Chaos. i. confusionem, Hyleu hoc est syluam, siue materiem, eo quod in sui primordio rudis erat orbis, eum appellarunt, Vranium ideſt cœlestem. Latini postremò Semẽ mundi, quia sator omnium, Vertũnum. i. cœli cardines conuertentem, & cœlũ &, Ianũ etiam alia ratione eũ appellarunt. i. patrem Diuorum malorum, & minorum, Authorem, & principium, vt pote humani generis. Ianitorẽ, cœli clauigerum: Bifrontem, & Bicipitem. i. caput anni & finem, præteritaq; cognoscentem, & futura prospicientem: & plurimis alijs id genus epithetis eum cognominarunt. Quæ cum diuersa videantur, diuersorumq; etiam poematum commentis immensam materiã præbuerint: penitius tamen introspecta in vnũ, eundẽq; Noa, quẽ nos Ianũ deinceps Berosum imitati nominabimus, coincidũt. Vxorẽ habuit nomine Tytheã, quã Aretiã. i. terrã appellarunt: dixeruntq; ex Cœlo & Terra, hoc ẽ Iano & Tythea oẽs homes genitos. Ex hac igit Ianus post aquas fœcũdã gigantũ, creauit sobolẽ. Referta autẽ tã institutis, q̃ populo Armenia ad alias desertas regiones Ianus habitandas se conuertit. Anno itaq, post aquas. 100. in tres partes mundũ, put ante diluuiũ viderat, nimirũ in Asiã, Africam, Europã diuisit, quarũ tribus filijs maioribus vicariã velut administrationẽ concredidit, sibi tamẽ pręcipua in oẽs reseruata Monarchia. Semus itaq; filiorũ Iani natu maximus maiorẽ Asiã à termino Aegypti p meridiẽ ad Indiarũ vsq; fines obtinuit. Iaphetus, quẽ Athlãtẽ Maurũ ob id appellat Diod. quòd ĩ Mauritania obierit, Europã, & mediterranei maris insulas adeptus ẽ. Chamus vero Africã, cũ oĩbus suis regiõibus, & Aegypto, sortitus ẽ, q̃bus nõ cõtẽtus pluribus suorũ fratrũ, puincijs magna vi potitus ẽ. Fuit. n. Chamus auaritię, vetitę magię, idolatriæ quoq;, impietatis pterea, ac libidinis, pmiscuę, & cuiusuis facinoris studiosissimus. Ianũ, ob id, quòd liberos post aquas genitos ardẽtius sibi amare videretur, odio, pfecutus cũ mero sopitũ humi

Digitized by Google

ꝑstratũ cõspiceret, delusit. Hinc varia a diuersis natiõibus cognomina adeptus ẽ. Nã licet ei Chã, siue Chẽ ꝓpriũ esset nomẽ, Chameses etiã, & Chamesenus, Stercu lius. Ianus, Incubus, Syluanus, Pan, Saturnus, & Zoroastes est dictus. Chã Hebræũ est nomẽ, & libidinẽ Latinis sonat. Chameses Macrobio, siue Chamesenus, ĩfamis est Latinè. Promiscua nãq; libidine laborabat: asserebatq; nihil vetare quominus vt ante aquas cũ matribus, sororibus, filiabus, masculis, & brutis fœdè misceri liceret, Zoroastes, i. magus, & demũ Saturnus Aegiptiorũ, & inter Deos iunior ab Aegyptijs est nominatus, quòd in Aegypto regnauerit, quo nomine eum dehinc nos Berosi, ac Diodori sectatores non temere appellabimus. Quòd verò hæc cognomina coincidant, id ex eo satis manifestum est, quod id & palàm describit Berosus, & approbat Diodorus, dum Saturnus ex Rhea sorore Osiridem, & Isidem suscepisse refert, quos Berosus Chamesẽo attribuit, qui apud eum Saturnus & est, & nominatur. Quibus præterea Osiridis illud epitaphium in colũna Aegyptiaca inciſum à Diodoro proditum apertam fidem astruit in hæc verba. Sum Osiris rex, cui pater Saturnus fuit, inter Deos iunior. Cui Saturno generoso & pulchro genus & pater fuit Cœlũ. Saturnus igitur Aegyptius, qui Iani haud dubiè fuit filius, Armenia discedens in Aegypto in Thebaide Chemin sui nominis oppidum cõdidit, ac deinde Telechinibus, qui Rhodij sunt, magiæ professione corruptis, in Italiam circa Nini primi Assyriorum Regis initia venit, quam à se Saturniam appellatam, magia, auaritia, & libidine fœdauit. Quo cognito Ianus anno Nini. 19. in Italiam & ipse descendit: vbi dissimulata tribus annis filij impietate Macrobio etiã teste, cũ eo regnauit. At cum nec improbitati, nec sceleri vllum fieri modum, redactisq; in desperationem tanta tyrannide Italis, ad peiora etiam impetum parari conspiceret, euicta tandem patientia, ad fraudendam grassatoris vim consilia excogitauit: placuitq; assignatis ei colonijs efferum hominem in desertiores sedes ablegare. Tum Saturnus Italia pulsus Siciliam vt Diodorus est author, magno cum exercitu inuasit. vbi breui sine vllo ferè negotio potitus insula, regiam vrbem à se Chamesenam nuncupatam condidit. Quæ vbi fuerit sita, incertum nobis est. Deinde vt partim sibi cõstabiliret imperium, oppidorum omnium arces, ac editiora quæq; insulæ loca opere, & presidio muniens, Saturnia appellauit. Qua nomenclatura ad suam vsq; ætatẽ vsos fuisse Siculos Diodorus ipse testatur. Sed quas vrbes, quæue oppida ibi præter Chamesenam condiderit, non est memoriæ proditum. Firmato Siciliæ imperio Saturnus Libyam occupare ex huiuscemodi causa aggressus est. Potiebatur eo tẽpore in Libya rerum Hammon Tritonis, quem Ianus eò cum colonijs miserat, filius, qui Rheam Saturni sororem in vxorem acceperat. Is cum ex Amalthæa Dionysium filium suscepisset, quem in Arabiæ vrbem Nysam furtim educãdum miserat, Rhea cognito adulterio relicto Hammone, ad Saturnum germanum fratrem in Siciliam profugit, illiq; matrimonio iungitur, vbi paucis post diebus ex illo Cererem filiam genuit, quæ & Isis, & Io, dicta est. Subinde comparato satis iusto ad vlciscendam iniuriam exercitu, contra Hãmonẽ in Libyã ambo proficiscuntur, vbi nõ longo deinde interuallo Titanũ auxilijs conserto certamine, victoriam adipiscuntur, atq; Hãmonem ex Libya eiectum in Cretã fugant. Eo modo Saturnus Libya, Cyrene, & Nũmidia auctus, dum ibi regnaret, ex Rhea sorore Osirim filiũ genuit, qui Iuppiter, quasi iuuans pater, Rex à regẽdo, Cõsul à consulendo, Iustus, quia toti Aegypto iustè solus imperauit, Olympicus à magistro qui eum docuit, variè dictus est. Interea cum Dionysius Hammonis filius adoleuisset, regnum paternum repetere, atq; Saturnum cum Rhea ex Libya profligare constituit. Anno igitur Nini primi Assyriorum Regis. 43. confœderatus Libycis, & Amazonibus finitimis, atq; Nisæis, magnam contraxit militum manum, longisq; itineribus Libyam ingressus, ad regiam Hãmonis vrbem, vbi Saturnus, & Rhea se tuebantur, deuenit, cuius aduentu cognito Saturnus ingenti

nus ingenti & ipſe comitatu inſtructus extra vrbem ei occurrit, commiſſoq; prælio cum ſtrenuè vtrinq; primo congreſſu pugnatum eſſet, tandem inferior factus, viribusq; diffiſus in vrbem ſe recepit, ac noctu Rhea ſecum aſſumpta, vrbeq; incenſa fœdè inde fuſus, fugatusq; abſceſsit, Verũ Dionyſius ſumma celeritate eos inſecutus, aſſecutusq; cœpit; modeſteq; victoria vſus non vt in hoſtes ſeuijt, ſed parentum loco, & Oſiridem pro filio adoptiuo ſemper habuit. Poſthæc Nino decedente Ninias eius filius, quem Zemeim vocarunt, Aſſyriorum regno (teſte Beroſo) quem ſequimur, ſucceſsit. Huius anno octauo Ianus cum poſt aquas. 350. compleſſet annum, fato functus eſt. Quem Ianigenæ Vertumnum appellauerunt, temploq; illi dicato diuinos etiam honores impenderunt. Nec diu poſt hæc tempora Saturnus cũ ab omni ferme orbe extorris ageret, in Bactrianos, qui Aſſyrijs ſunt finitimi, ſeſe contulit, quos magia, atq; præſtigijs maximè ſibi deuinxit, adeo vt regni diadema apud eos, Zoroaſtriq; cognomentum promeruerit. Sed & Ninias ſub idẽ tempus ad Bactrianos ſibi ſubiugandos animũ adiecit. Coegit igitur peditum decies ſepties centena milia, equitũ ducenta milia, currus falcatos paulo minus decem mille & ſexcentos. cui percepta re Zoroaſtes comparata hominum quadrigentorũ miliũ non imbelli legione infinibus occurrit: permiſſaq; de induſtria parte aduerſi exercitus Bactriam ingredi, pugna inita hoſtes in fugam verſos fortiter ſuperat, quos totis viribus inſecutus centum milibus egregiè oppreſsis diminuit. Sed Ninus cũ magnis copijs accepta ſuorum conſternatione auxilio mox ſuperuenit. Sub cuius aduentum totis vtrinq; viribus in aciẽ eſt deſcenſum. Vbi verſo Marte poſt atrox certamen Zoroaſtes victus media ſui militis ſtrage ingenti animo dimicans occubuit. Ita victor Ninus regiam vrbem poſtea auxilio Semiramidis adeptus Bactrianorũ Regno potitus eſt. Hunc igitur vitæ finem habuit Saturnus Zoroaſtes, qui primus poſt aquas in Sicilia regnauit. Dum hæc foris gerũtur. Sicilia & peritia, & re, & populo non mediocriter aucta eſt. Cumq; plures ea tẽpeſtate paſsim extarent qui ad mortalium vſum varia eſſent cõmenti: Ceres, quã primo Semiramidis anno in Aegypto ex Rhea natã Saturnus in viuis reliquerat, Oſiridi fratri nupta proceræ, giganteæq; ſtaturę vt ea ætate, eoq; patre non eſt admirandum, mulier in Sicilia diuinum ſibi honorẽ conciliauit. Hordeum nanq;, & frumentũ in agris ſponte enata terrę ad corporis alimoniam perpetuò condere, legesq; ad animi culturam Siculos, qui malis Syluestribus tunc temporis veſcebãtur, nullisq; legibus tenebantur, prima docuit. Ceres Iſis Aegyptijs, & Iò dein Græcis appellata eſt. Nã Iſis ægyptio idiomate (teſte lib. 2. Herodoto) Ceres Græce dicitur. Cuius inſigne epitaphium in columna Aegyptiaca inciſum non parum poſteritati ad fidẽ prodeſt in hãc ſententiam. Ego ſum Iſis Aegypti Regina à Mercurio erudita. Quæ ego legibus ſtatui nullus ſoluet. Ego ſum Oſiridis. Ego ſum frugum prima inuentrix. Ego ſum Ori Regis mater. Vixitq; annos vnũ ſupra ſexcentos: qui quidẽ facili ratione colliguntur. Nã vno ſupra centũ anno ſuperaſſe Dodonæum memorat Beroſus quẽ quingentos non exceſsiſſe Pli. ex Cornelij Alexandri authoritate refert. Quod & eius tẽpora per Reges Aſſyriorũ à Beroſo ſupputata demonſtrant. A primo ſiquidẽ Semiramidis anno ad primũ vſq; Cecropis annũ, quo Iaſius rerũ apud Aſſyrios potitus eſt, annos. 460. numerant. Cumq; Cererem interfuiſſe Iaſij, & Cybelis nuptijs, eisq; panes triticeos obtuliſſe, cũ ãtea glandibus paſcerentur Beroſus ſcribat. quis non videt eã. 460. tum ãnos fuiſſe natam? Quibus, ſi Iaſiũ poſt quinquageſimũ regni ſui annum (quot & Cecrops dominatus eſt) à Dardano Germano fratre interfectum, addas, Cererem tum annorum decem ſupra quingentos fuiſſe conſtabit. Proinde cum à cæde Iaſij ad conditam ab ipſo Dardano Iaſij fratre vſq; Dardaniam, annos fluxiſſe vigintinouem aſſerat Euſebius, liquet eo tempore Cererem annos vitæ ſuæ numeraſſe trigintanouem ſupra quingentos. Poſtremò cum poſt extructam Dardaniam annos.

ſexaginta ſuperfuerit, vnum ſupra ſexcentos Cererem abſoluiſſe annos compertiſsimum eſt. Proinde Ceres inuenti frumentarij rationem ac modum non in Sicilia continuit, ſed poſt Oſiridis mariti exequias non inutili peregrinatione totum ferè terrarũ orbẽ peragrans, per Aegyptum, Græciamq;, atq; alias paſsim regiones diffudit. Cuius ea traditur origo. primùm omniũ paucula fruméti, hordeiq; grana accipiens terra obruit: quæ ſuo tẽpore enata fructũ reddiderunt. Rurſus deinde terræ gremio commiſſa iterum, atq; iterũ aliud, atq; aliud cũ fœnore ediderunt. Hoc ſæpius eum egiſſet, iã ſpatioſum agri tractum eo ſemine occupauit. Quod vbi euidentius eſſe cœpit: Siculi ſegetem humo condere, deinde herbeſcentem colere, poſtea flauam metere, triturare, horreo cõponere, mola molere, panem ex farina facere, clibano coquere, coctum deniq; panem edere cœperunt. Tantaq; fuit huius meriti religio, vt & inter gentes, quæ fertilitatis nomine celebres habentur, de eo ſit cõtentio. Aegyptij enim tritici vſum à Cerere in Aegypto inuentum ſibi vendicant. Athenienſes ingenue id munus Siculis, & Siculæ Cereri acceptum ferunt: Siculiſq; ea cauſa amplius, q̃ Aegyptijs ſe deuinctos prædicant. Siculi verò & quòd in Sicilia nata ſit Ceres, eiq; ſit inſula ſacra, ac hordeum, & frumentum in Sicilia ab ea repertũ autumant. Quæ propterea in antiquis apud eos numiſmatibus ſiue in æs, ſiue in argentum factis hordei, triticiue ſpicis redimita ſculpebatur. Erat Cereri Proſerpina pulchritudine inſignis filia. Hãc Orchus (quẽ Aydoneum vocabant) Epyri Moloſſorumq; Rex cum amore deperiret, ex Sicilia rapuit, eamq; ſibi matrimonio iunxit. Ceres cõnubij ignara diu filiam anxiè perquiſitam tandem repperit. Hinc Græcis magna fabulandi occaſio præſtita: quorũ Ludicra non eſt, vt in hiſtoriæ ſinum reponamus. At Siculi tantis beneficijs incẽſi Cereri, & Proſerpinæ eius filiæ, quò conteſtatã muneris dignitatem facerẽt ſacra, ceremoniasq; diuerſis ſtatisq; anni temporibus inſtituerunt. Proſerpinæ quidem maturis meſsibus ea caſtimonia, ac religione, quam accepti muneris ratio poſtulabat; Cereri verò ſementis tempore ſummo apparatu, & magnificentia exquiſita decem dies feſtos celebrabãt. Quorum hæc erat ſuperſtitio. Pompam celebrẽ quicunq; vel ſacerdotio, vel magiſtratu præſtabant, lõgo ordine ſolẽniter deducebant. Quibus cuiuſuis ordinis viri, & mulieres permixti pueri præterea puellæ cãdida veſte albentes, ac tempora ſertis redimiti Cereris imaginem ſequebantur. Erat autem illa formæ matronalis pannis calceamentisq; admodum ruſtica, caput coronam ſpiceam amicta, ligonem dextra, calathũ ſemine plenũ brachio, ſiniſtra falcem meſſoriam, & baculum geſtans, papaueribus circa eam poſitis (quę fertilitatis ſunt ſymbolum) duas inter arbores pomis onuſtas depicta. Supernè a dextro quidem latere Iuno apud ſuperſtitioſos veteres nubium Dea, imbribus ſata irrigans, ſiniſtro verò Apollo radijs ſegetes exiccans picti quoq; prominebant. Pompa quidem omnis, dictu fœdis, obſcœnisq; verbis perſtrepebat: arbitrantibus Siculis intemperantia verborum, & iocorum laſciuia Cereris luctum mœroremq; leuari, quem ex raptu Proſerpinæ cœperat. Ita in templum, quo egreſsi fuerant reuerſi ſacra peragebant. Quæ Thalyſia appellabantur, quaſi Cerealia. Nam Thalyſis Græcè Ceres eſt Latinè. Erant autem Cereris ædes ſacræ ex ritu priſcæ ſuperſtitionis extra vrbes minus frequenti loco conditæ, Quo mortales nonniſi ad ſacrificia conuenirent. Eaq; ratione complura in Sicilia fuere Cereris templa, ſimulacraq; extructa. Quorum extra Catanam, Segeſtam, Ennam, & alias nonnullas vetuſtiores Siciliæ ciuitates veſtigia adhuc cernuntur. Paucis poſt Cererem annis Ariſtæus Athenis ortus, pecoris, & mellis, oleiq; inuẽtor Græciæ cũ eſſet infenſus, Siciliã venit. Quã cũ fructibus, armentisq; refertã vidiſſet, incolas eorũ vſum edocuit. Quo munere à Siculis, & ijs præſertim apud quos naſcũtur oleę, huic veluti Deo cuidã ſacri honores ſunt delati, ſub idem ferè tempus Buthes Amyci pugilis, luctatorisq; optimi Melitæ, & Bebrycæ

brycæ (quæ teste Salustio Phrygia maior est) Regis filius, patre ob tyrannidem à Polluce in cœstuũ ludo interempto, ab imperio Bebrycę pulsus fugatusq; Drepanum Siciliæ petijt. Potiebatur eo tẽpore rerũ in ea regione Lycasta opibus, ac pulchritudine præclara mulier: cui ab eximia forma Veneris cognomen ab incolis prouenerat. Hæc Buthis amore capta coniugij cũ eo fœdus inijt: eiq; iuncta Erycẽ filium, quẽ vel ob id ex Buthe & Venere ortũ prodidit antiquitas, enixa est, qui defunctis parentibus adultior in relictum sibi hæreditate imperium successit. Quo suscepto in vertice montis, qui solus Drepano incubat, primum suorũ operũ vrbem maximis, validissimisq; obseptam mœnibus condidit. Cui simul, & monti suum nomen indidit. Lycastæ deinde matri sub Veneris epitheto in Deorũ numerũ relatæ templũ structura eleganti, & lapide quadrato in arce extruxit. Quod non solum Erycini, sed vicinæ quoq; gentes, nationes, Regesq; Barbari, ac Romani deniq; ipsi certatim excoluerunt: atq; auro, & argento plurimum exornarunt. cuius in ijs, quæ de situ sunt, meminimus. Iis rerum initijs præclarũ Eryce nomen apud incolas adepto: Hercules ex Locrensium agris traiecto freto Siciliam venit. Sed cum plures fuerint Hercules, omnium gesta, ac tot fabulosa vni Alcmenæ, & Amphitryonis filio adscripserũt Græci, qui vetustiora ad se omnia retulerũt: & in fabulis fingendis (atq; hac præsertim) adeo fuerunt licentiosi, vt non humano semine vir exortus, sed hominum ingenio confictus videatur. Nam quid monstruosius dici, aut excogitari potest quàm (vt ex multis hoc vnũ ꝓtulisse satis sit) Cerberum tricipitẽ canẽ ab inferis Herculis manibus fuisse extractum, cũ ibi neq; brutum viuat animal, neq; subterraneus aditus visatur vllus, neq; sub terris ad degentium sedes viuus homo descendere, indeq; postmodum reuerti queat? Poetarum figmenta sunt hæc omnia, & ab historia procul reijcienda: tametsi ea in allegoriã referant. Proinde omni poetico velamento detracto quis, & vnde fuerit Hercules, qui Siciliam peragrauit, tyrannisq; eã primus omniũ asseruit, fide optima explicabimus. Primùm omnium cũ M. Varro tres & quadraginta Hercules collegerit, & Cic. in ijs, quæ de natura Deorũ sunt, sex tantum cõmemorauerit; eorũ vetustissimum Aegyptium Thebanum, postremũ verò Alcidẽ Amphitryonis, & Alcmenæ filium fuisse authores grauissimi tradunt. Herodotus etenim in Phœnicia templum Herculi dicatum, longaq; seculorũ serie ante Alcæum hoc est simul cum Tyro vrbe conditum se vidisse scribit. vbi & aliud Herculis templũ cognomine Thasi antiquissimum quinq; virorũ ætatibus prius a Phœnicibus ædificatũ reperit, q̃ Hercules Amphitryonis filius in Græcia existeret. Berosus quoq;, & Macrobius Aegyptium Herculem inter primordia humani generis, cum gigantibus plena essent omnia, connumerat, quem paulo post Ninum, à quo ad Troianum vsq; excidium supra octingentos supputantur anni, natum; Alcæum verò paulo ante Troianam cladem referunt. Aegyptium præterea claua lignea vsum, & pellibus ferinis toto corpore amictum, & prima fuisse ætate cum arma ferrea, quibus nunc vtimur, uondum essent inuenta scribunt veteres. Græcum verò claua ferrea munitum tradunt, quòd ea fuerit tempestate, quando legibus, & Regibus subactus orbis diu antea iam & æuo, & ingenio ꝓfecisset. Quocirca Ephorus, Diodorus, & cæteri vetustiores dum vnum Herculem prædicant, qui præclara non solum in Sicilia, sed per vniuersum facinora, quæ traduntur, solus gesserit, non Alcæum Græcum ex Alcmena & Amphitryone filium, vt falso Graeci mentiuntur, sed hunc Aegyptium vetustissimum Osiridis & Cereris filium intelligunt. Nam Alcæus Græcus nulli orbis parti imperauit: sed sub Euristheo Rege cum Argonautis non ad gentium defensionem, sed perniciem, prædamq; pyraticam exercuit. Aegyptius verò toti ferè orbi præfectus gigantes, & tyrannos, qui eo tempore in Aegypto, Phœnicia, Asia, Africa, Hispania, Italia, & Sicilia, grassabantur, cum gloriæ reiq; ciuilis conseruationę sustulit. Accedit ad hæc, quòd

Digitized by Google

Hercules cognomen est Aegyptium, quod totum pellitum Græcis sonat, quòd Græci postea ex Aegypto mutuantes Alcęo indiderunt, vt Herodotus tradit quod à vero nõ abesse eò cõstat, quòd. Alcmena, & Amphitryo Alcæi parẽtes etsi ĩ Græcia sint orti, ex Aegypto tamẽ fuerunt Oriundi. Erycẽ præterea, quẽ in Sicilia occidit Hercules, Gerionem in Hispania, & Anthæum in Libya priori ætate, ac octingentos fermè ante Grẽcum fuisse annos scriptorum monumentis deprehenditur. Diodorus etiã Græcus author, suæ gentis alioqui defensor acerrimus, Grẽcos ipsos prioris Herculis gesta Alcæo tribuisse ingenuè fatetur. A vero igitur aberrant qui Græco tot egregia, quæ de Hercule iactantur facinora contribuunt: cum Aegyptium illum fuisse res ipsa doceat. Hercules itaq; hic vetustissimus ex Osiride, & Cerere Thebis natus est: cui Libyco (quod flãmiger est Latinis) nomẽ fuit; cognomentum verò, Hercules, quod pellitum totum, significat. Gigantem porrò fuisse Herculem, ac procera giganteaq; statura, optima huiuscemodi ratione Pythagoram comprehendisse ex Plutarcho refert Aulus Gellius. Cum nanq; stadij Herculani curriculum, quod apud Iouem Olympium olim Pisis erat, ducentorum pedum longitudinis fuerit, cæteraq; postmodum in Græcia ab alijs instituta etsi totidem pedibus essent, breuiora tamen: collegit tanto pedis Herculei plantam, quàm aliorum, fuisse longiorem, quanto Olympicum eius stadium proportione seruata cæteris esset protensius. Comprehensa pedis mensura membrorum omnium Herculis naturalem inter se proportionem metatus est: atq; ita tanto fuisse Herculem corpore alijs celsiorem, quanto olympicum stadium cæteris pari numero factis anteiret, quod ad quatuor cubitorum, pediśq; vnius altitudinem deducit Heraclides. Pubertatis annos ingressus cum omnium suæ ætatis dux fortissimus esset, vtpote manu promptus, factis strenuus, & ad obeunda pericula, laboresq; ferendos interritus, terras omnes inter Oceanum Tyrannis, qui latè eo tempore dominabantur, exuere, & sibi subigere constituit. Quo animo Asiam aggressus non multo labore subiecit. Deinde Africam occiso Busiride in Phœnicia, Typhone in Phrygia, Antheo in Libya Tyrannis, qui gigantes erant, potitus est: subactisq; tum duabus orbis partibus, columnam in signum victoriæ in Phutea, seu Phetontea à duce denominata regione, posuit: cui Libyę à se nomen indidit. Subinde in Hispaniam progressus Gerionem, qui & Chryseus dicebatur, totius Iberiæ Regem auri, & pecoris ditissimum superauit. Erant Gerioni liberi tres tum corporis robore, tum delectorum militum exercitu fortissimi, quos etiam Hercules ad singulare certamen prouocatos, nequid tam nefandi generis supereesset, sub pugnæ prætextu è medio sustulit, atq; ita Tyrannis prostratis Hispaniam omnem suo nomini subegit. Vbi substituto Hispalo Rege postmodũ anno Balei Assyriorum Regis quadragesimo primo, non vno nauigio nec armentum agens boum (vt poetæ fabulantur) sed magnis instructus copijs ad purgandam etiam Tyrannis Italiam properauit, quam decennuali contra Lestrigonas, cæterosq; gigantes conflictu, pluribus prælijs fœliciter commissis tandem adeptus est, eamq; viginti annos pacificè administrans pluribus oppidis exornauit, & Regem illis Tuscum filium reliquit. Proinde tot rebus præclarè gestis, omnibusq; in Italia rite constitutis tantum opinionis fulgorem Hercules sibi conciliauit, vt eum non aliter, atq; demissum cœlitus mundo numen amplecterentur, venerarenturq;. Hinc Alexicacus quasi depulsor malorum à veteribus fuit cognominatus. Nec ita multo pòst magna classe ex Hispania subacta, numerosaq; militum selectissimorum manu & non altero bouis cornu innixus in Siciliam misere sub Tyrannis gementem traiecit: Pelorumq; appulsus fræti Scyllæ, & Charibdis explorata natura Erycem versus, cuius celebre inter Siculos tunc erat omni immanitate nomen, iter littoreum arripuit: oramq; prætergressus vbi vrbs Himera postmodum est extructa, paulisper conquieuit, ibiq; remissis laboribus ad

fordes

sordes nimias, quas ex itinere contraxerat, abstergendas à Nymphis & cæteris illius regionis accolis, qui vltro eius imperio se dediderant, aquis calidis, quæ sulphureæ, & admodum salubres perenniter ibi scaturiunt, leniter est refectus. Suo deinde cum exercitu Drepanum vsq; perrexit Erycem Regem domiturus. Erat Eryx (vt idonei scribunt authores) ingentis prout ætas illa postulabat, staturæ. cuius viribus, industriaq; militari nemo vel pugnacissimorum barbarorum conferri posset. Quibus fretus ad duellum ab Hercule prouocatus nihil recusauit. Locus pugnæ ager constituitur Erycinus, quo & ad certam diem visendi studio incolæ, accolæq; omnes cõueniunt. in campum, qui in hunc vsq; diem Herculanus dicitur, vbi & hodie columna vetustissima iacens conspicitur, descendunt. pugiles cœstubus, quos adhuc antiquo de more ex loris factos Melochias vocant, quibus liberior ad ictum est manus, pugnam ineunt. Hercules itaq; in Erycem irruit. hic illum cœstu adoritur, ille contrà nititur. hic vim propellit. vtrinq; certaminis initio non minus animis, q̃ æquis viribus acerrimè decertatur. Neq; alter ex alterius laude quippiam detraxerat: astantibus auidè contuentibus, ac erectis, suspensisq; animis expectantibus vbinam victoria cederet, adeo varium, & anceps certamen modò hinc, modò illinc prosperum, & exitiabile videbatur. Demum cum Eryx cupidius, q̃ cautius pugnat, fit inferior. Hercules animo victor exæstuans claua pilas plumbeas loris bubulis appensas habente Erycem fractum, incautumq; graui ictu percutit, percussum humi proijcit, proiectum, prostratũq; perimit. Qui luctæ præerant, ac cæteri prope omnes, qui ad spectaculum confluxerant, in Herculis victoriam, ac decus magnis, atq; exultabundis confestim vocibus erumpunt. Quem deinde in vrbem triumphantis more inuectum magnificis tripudijs, multis acclamationibus, omniq; cęremonia excipiũt. Regemq; vnanimi & sui exercitus, & populi voce salutant, Erycis solum studiosis collachrymãtibus, mœrẽtibusq;. Inde imperij cũ insignibus Veneris tẽplum victor ingressus, peractisq; de more vetusto sacris, Erycis funus debitis iferijs nõ ẽ passus fraudari, sed cadauer eius Regio ritu ad montis speluncam funerari iussit. Qua parentationis cura iustis Eryci persolutis incolarum sibi fauorem, odiumq; Erycinorum ad gratiam deflexit. Post hæc vocata ad concilium multitudine imperium ibi æquo iure partum absq; vectigalibus illis concessit: distribuitq; agros, quibus inopes q̃ plurimi præsenti egestate sunt leuati. Postremò iureiurando illos astrinxit, neminem illic in posterum Regem nisi Heraclidam admittere. His apud Erycem rite patratis Hercules inde mouens omnem lateris meridionalis oram cuncta in ordinem suiq; dominationem perlustrauit. Ad Pachynum postea cum venisset, vrbem ibi condidit, quam à mulieris de se benemeritæ nomine Motyam appellauit, quam postea Libyci, & Phœnices incoluerunt. Ortygiam inde profectus cũ de Cerere matre, & Proserpinæ sororis raptu, quæ indigenæ, etsi fabulosè, referebant, didicisset, lacumq; quo soror cum Plutone fuerat emersa, conspexisset, nẽ diuinam illis fecit. Et colonis quibus sacris eos quotannis, ac Cyanen Proserpinæ nutricem colerent, traditum reliquit. Siciliæ tota fermè littorali ora peragrata deuictaq;, mediterraneã deinceps ingreditur. vbi protinus promiscuam Siculorum multitudinem armis sine ordine munitam obuiam habuit: cum quibus commisso prælio aliquandiu Marte incerto dimicans tandem superior factus est: hostibusq; superatis Leucaspim, Pedicratem, Bufonum, Glichatam, Butheum, & Critidem Siculorum duces, quorum in re militari egregia facinora etiam Diodori ætate passim referebantur, trucidauit, partaq; ingenti victoria, cæsisq; omnibus, qui ad vim proruebant, Leontinos agros petijt: quorum feracitatem admiratus ab accolis, quibus æterna sui monumẽta (scriptorum incuria nobis incerta) reliquit, præcipuo cultu exceptus est. Agyram deinde profectus ab incolis in Deorum numerum se referri viuũ, quod nulli mortalium accidit, vel ob id passus est, quòd

eſt, q̃ cum non procul ab vrbe ſaxoſum eſſet itet, boues eius lapidibus tanq̃ ceræ veſtigia impreſſerunt, quod ipſi diuinitatis fuit præſagium. Quod totum fabuloſum eſſe nullus ſanæ mentis non videt. At ſi fortaſsis eo tempore excauata lapidum ſuperficies cernebatur, vel natura, vel dæmonum vi, aut humana arte id elaboratum cenſendum eſt. Præter fidem etenim eſt, petræ duritiem ad bouum contactum ceræ mollitiem ita imitari potuiſſe, vt ſtatim veſtigij formam repreſentaret. Porrò Hercules, ſuis ipſe manibus pro mœnibus quatuor ambitu ſtadiorum lacum ſuo nomine nuncupatum pro beneficio Agyrineis effodit. Templum præterea ſingularis admirationis, & maieſtatis Iolao, quem & ipſe eodem errore ductus pro Deo habebat, qui laborum ſuorum & ſocius, & particeps fuerat, ex quadrato lapide extruxit, ſacriſq; acceptiſsimis, ſacerdotibusq; locupletauit: necnõ quæ libamenta ſingulis annis offerrẽt, quos paleſtricos, equeſtreſq; ludos, quaſq; choreas, epulasq; ſerui ſimul, & liberi concelebrarent, lege perpetua ſanciuit. Iolaia hæc ſacra, quæ Heracleia quoq; appellabantur, excepit inſana turba, veluti cœlitus decreta falſaq; diuinitatis perſuaſione ducti violari ſtatuta, cęremoniasq; piaculum ducebant. Diodorus autem pueros, qui Iolai ſacris initiabantur, comas ex profeſſo nutrire ab Hercule edoctos fuiſſe ſcribit, quouſq; opimis victimis Deum ſibi deuinxiſſent. Quod qui irritum feciſſent, ebingues primùm, exanimesq; mox in terram corruebant. Nec poterant a clade liberari, niſi prius ſufficientibus votis placato numine veniam impetraſſent. Res ſanè mira, non diuina vi, quæ ſuperſtitioſæ religionis teſtis eſſe nequit: ſed dæmonum arte ad hominum ludificationem efficta. Sacra hæc Herculis ſtata multis poſt annis, multisq; ætatibus maximo ex omnibus Sicilię oppidis mulierum, ac virorum conuentu Agyreneos etiam vſq; ad Diodori ætatem celebraſſe, ac Templum integrum perſtitiſſe: portamq; vrbis qua hæc prodibant Heracleam appellatam legimus. Hercules confecto Siculæ colluſtrationis itinere, totaq; ſibi inſula ſubacta, Aetnæi ignis miracula demum cum inſpexiſſet, traiecto rurſus Eutypo in Italiam, ac mortuo deinde in Iberia Hiſpano nepote, anno Altadis Aſſyriorum Regis. 19. ætate admodum grauis in Celtiberos eſt reuerſus. Vbi cum annos. 19. præfuiſſet, anno ætatis ſuę fermè ducenteſimo fato functus eſt. Poſt hęc Iolaus è Sardinia in Greciam profectus, inde in Siciliam cum pleriſq; Grecis nauigauit, diuq; eam incoluit. Quo tempore plures Grecorum, qui cum eo venerant, locorum amœnitate allecti ſedes ibi & ipſi Siculis immixti poſuere. Vbi cum Iolaus gloria preclariſsimus plurima diuerſis Sicilię locis beneficia, ſuiq; ingenij monumenta depoſuiſſet, templa plures Sicilię vrbes eius nomini, diuinosq; honores conſecrarunt. quin & eius colonia, quam in Siciliam duxerat, æui curſu cõcurrentibus ad eam barbaris barbara & ipſa effecta, ad montium cacumina, aſperaq; ſe contulit loca. ibiq; habitaculis rupe effoſsis lacte, & armentorum carne veſcentes procul a bellorũ procellis degebant: quam cum poſtmodũ Carthaginenſes primũ, ac Romani deinde armis ſubigere tentaſſent, nunq̃ tamen expugnare potuere. Sed libera ſemper, nulliusq; addicta imperio ad Diodori vſq; ętatem oraculi reſponſo perſeuerauit. Sed quę fuerit eorum eo ſeculo vrbs, quodq; illius nomen, ſi Erbeſſus quę Pantalica eſt hodie, vel ſpecuum multitudo non longè à Palazolo ſita, non fuit; obſcurum eſt. Galatheus quoq; per ea tempora Herculis ex Tuſco filio nepos in Siciliam cum colonijs à Tuſco patre miſſus peruenit, ibiq; conſedit. Sub idem ferè tempus Ilio adhuc incolumi, eiuſq; rebus florentibus Aeolus Hippotę filius Heraclidarum ſtirpe prognatus Siciliam tenuit: Claſſe nanq; Liparam appulſus Lypari Regis filiam, cui Telepora nomen erat, vxorem cum duxiſſet, inſulam à Rege dotalem accepit. ad quam ſubinde Brutiorum, & Sicilię quoq; imperium ei acceſsit. Erat autem Aeolus ſeuerioris vitę authoritate, & opibus longè princeps, & ad humanitatem, & hoſpites ſatis propenſus, à quo pleriq; veterum

ſcribunt

ſcribunt Rhegium Brutiorum vrbem cõcedente Herçule conditam. Biſſenos ſuſcepit ex Thelepora vxore liberos, mares ſex Aſtriotum, Xuthum, Androcleum, Pherremonẽ, Locaſtẽ, & Agathyrſum, totidẽq; fœminas, Iphtẽ, Aeolen, Peribœã, Diam, Aſticrateam, & Hypheſtiam. Proinde prudentia, & humanitate adeo apud Siculos præfulſit, vt neq; eo regnante, neq; decedente, cum diuiſum inter liberos eſſet imperium, arma contrà mouere ſint auſi: atq; ita immortali nominis ſui fama apud eos relicta, ĩ extrema ętate quietiſsimè deceſsit, & à filijs ſimul, & Siculis nulla ſolenni parentationis pompa velut parenti omiſſa, regie elatus eſt. Quo facto filij patris imperio pro hæreditaria quiſq; portione ſuffecti ſunt. Locaſtes Brutijs ad Rhegium vſq; præfuit. Aeolijs inſulis Aſtriotus: Xuthus oræ, quæ ad Leontinos vergit, quæ & ab eius nomine Diodori etiam ætate Xuthia dicebatur: Oræ Siculæ, quæ mari Tyrrheno alluitur, Aeoliasq; reſpicit, Agathyrſus. vbi ad ꝓ montorium cui ab Orlando hodie eſt nomen, vrbem condidit, quam à ſe Agathyrſam appellauit. Sed Pheremon, & Androcleus regionem, quæ à freto ad Lilybœũ vſq; extenditur, communi imperio tenuerunt. Non multo deinde interiecto tẽpore, & nonnihil ante Troianorum excidium Solino, ſiue extinctis, Trogo, ſiue Sicilia expulſis Solino, ſiue eam adhuc incolentibus Cyclopibus (adeo diuerſa eſt veterum opinio) Sicani, quos tametſi Timæus indigenas vocet, ex Hiſpania tamen, & à Sicori fluuio Segra hodie dicto proueniſſe Philiſtus, Thucydides, Dionyſius, & cęteri ferè ſcriptores affirmant, & a loco vt ijdem authores, ſiue a Sicano eorum rege nomẽ ſortiti, vt Solinus tradit, è Latio quod tenebant à liguribus pulſi in Siciliam traiecerunt. Quam cum inculţam, hirtaq; ſylua horreſcentem, & maiore ſui parte deſertam, ſed humano cultui aptiſsimam comperiſſent, ſedibus ibi collocatis inhabitarunt, eamq; Trinacriam prius ab ſui forma denominatam Sicaniam vocauere. Vbi cum efferati q̃ plurimi adhuc homines (quos Cyclopũ reliquias fuiſſe cenſendum eſt) dominarentur, & cum eis contentio primum, mox etiam aſſumptis armis ardens interdum ſeditio oriretur, inacceſſorum mõtium iugis, difficiliumq; locorum ſitibus indagatis delectisq; ad ſecuritatem vrbes ſibi nulli Regi debitas principio ædificarunt. Cæterùm tametſi omnem poſsiderent inſulam, Aetna tamen frequentius ignes euomente, eorumq; agros vltra q̃ tolerare poterant vaſtante, omiſsis orientalibus regionibus partes, quæ ad occidentem & meridiem vergunt, petiuere. vbi & plura condiderunt oppida. Quorum Hyccaris ad mare tum ſitum (teſte Thucydide) erat vnum. Interea Siculi genus hominum in Latio ortum, cum eam Latij partẽ, vbi interiecto pòſt tẽpore vrbs Roma eſt cõdita, vicatim ad Circæũ vſq; montem habitarent, à Pelaſgis & Aboriginibus, ſiue ab opicis, & Oſcis Thucydidi, inde eiecti, non multo poſt Sicanorum trajectum Dionyſio Alicarnaſseo, in Siciliam cum coniugibus, & liberis transfretarunt. Erat tum annus à condito mundo. 4000. & trecenti fermè anni priusq̃ Græci ad Naxum, & Syracuſas condendas Siciliam traieciſſent, & tres ætates, quarum quælibet, teſte Xenophonte in ijs, quæ de æquiũocis, quartam centenarij partem hoc eſt. 25. continebat, ante Troianorum excidium numerabãtur. Alcione in Argo ſacerdotium anno. 26. adminiſtrante, quo tẽpore Ellanicus duas Italorum claſſes Siciliam traieciſſe memorat. Elimorum vnam, quos ab Oenotrijs profectos tradit, Auſoniorum alteram quinto poſt anno Iapyges fugientiũ, quibus Rex, nomine Siculus præfuit. A quo & ipſi, & inſula, quam occuparunt, nomen ſunt adepti. Philiſtus verò anno ante Troianum excidium octuageſimo Siculos Siciliam transfretaſſe tradit, gentem tamen neq; Siculos, neq; Auſonios, neq; Elimos, ſed Ligures cum Siculo Itali filio Duce, à quo ſunt poſtea nomen ſortiti, ab Vmbris eiectos fuiſſe ſcribit. Antiochus verò ſeptuageſimo quinto anno ante res Troianas Siculos à Pelaſgis pulſos, & Siciliam traieciſſe refert. Cæterum quoquomodo res ad nominis originem ſese habeat, ſatis conſtat tranſuectos ſiue

à ſe, ſiue

à se, siue à Duce Siculos appellatos, Italiæq; antè extitisse cultores. Siculi itaq; vetustissimi Italiæ populi in Siciliam traiecti Sicanos confestim armatos contrà obuios habent: quibus tandem domitis, & in partes meridionales, & occidentales remissis, regionem, quæ ad orientem extenditur, primùm incolunt, mox optima quæq; insulæ loca peruadunt, insulamq; ipsam ex Sicania Siciliam vocant. Vrbes eorum Zancla in freto Zancloto eorum Rege authore, & Orione architecto (vt præmeminimus) Catana præterea, Leontinum, Syracusæ, Neas, Centoripe, Leghum, Trinacia, Hybla Gereates non longè à Centoripe, Hybla minor supra Gelam, & pleræq; alię, vt Diodorus, Thucydides, Plutarchus & Pausanias referūt. Sed cum Siculi sæpius pro agris cū Sicanis bello decertarēt, certo fœdere, & quibusdam finibus, agris ab Aeoli filijs, quibus propter parentis pietatem vtriq; se subiecerunt, constitutis, quieuerunt. Extincta deinde Aeoli sobole, Siculi ad prudentiores viros magistratum detulerunt, quo euenit, vt opibus, atq; imperio adeo coaluerint, vt obliterato penitus priori appellatione, Sicilię impositū nomē ratū, firmumq; ac perpetuū posteritati effecerint. Sed postmodū Sicani & ipsi cupidine dominandi orta inter se mutua contentione, diu inuicem prælijs cruentissimis factionibusq; vexati sunt. Morgetes etiam per hęc tēpora (vt Antiochus teste Strab. scribit) in Siciliā traiecerunt, ac Morgentiū vrbem ad Leontinā oram condiderunt. Sub idem ferè tempus anno ab aquis circiter. 2000. & ante Troiæ excidium. 40. Thebis Oedipode imperante, Cocalo Oeboli, siue (vt alij tradunt) Eupalami filio Sicanorum Rege viribus præcellente, rerum in ea Siciliæ parte, quæ meridiem respicit, potiente, Dædalus Atheniensis regio sanguine ex ijs, qui Metionidæ appellabantur exortus huiusce modi facinore commisso Siciliam confugit. Calum, siue Talum (vt alij efferunt) ex sorore nepotem architectura præstātē cū haberet, inuidia illū occidit. Quo cæso in Cretā fugit, vbi Minoi Regi ob heroum simulacra, quæ affabre illi fecerat, acceptissimus fuit. Sed Thesei postea causa Regem cum offendisset iniuriarum damnatus est, atq; vnà cū Icaro in carcerē coniectus inde nauigio illi à Regina suppeditato diffugit, & in Siciliam ad Cocalum Sicanorum Regē Inyctum venit, quæ illi erat regia. Neq; hoc Dædalo exilium dignitatē ademit sed auxit admirationē, nominisq; celebritatē, siquidē nō modò benignè à Cocalo Rege est exceptus sed ibi plura artis suæ monumenta edidit. Nam prope Megaram vrbem arcem inexpugnabilem extruxit, cui Lympetra nomen indidit. Iuxta Agrigentum quoq; in rupe Comico dicta thesaurorum Cocali munitissimum promptuarium excogitauit, perfecitq;, de quo priori decade latius. Ad hæc, in Eryce monte editissimo ad Veneris Erycinæ templum celeberimum miro consilio murum amplissimum duxit: quò aditus perfacilis, tutissimusq; est reditus, vbi & arietem aureum Veneri, & Eryci tanta industria fusum apposuit, vt viuus propè crederetur. Quibus, aq; pleriſq; singularibus testimonijs tam publicis q̄ etiam priuatis apud Cocalum Regem, eiusq; filias, ac deniq; Siculos omnes tantum sibi gratiæ conquisiuit, vt nemo vel extrema quæq;, nedum bellum pro eo libentissimè nō fuerit subiturus. Minos itaq; Cretensium Rex cognita eius in Siciliam fuga, ad Cocalum legatos misit, poscens, vt Dædalum sibi dedat. Cui cum contumacius fuisset responsum, Minos, qui eo tempore mari dominabatur, multasq; insulas armorum vi sibi subiecerat, classem ingentem parat, instruitq;, ac contra Cocalum Regem simul, & Dædalum in Siciliam nauigat: in cuius fines obsistente nullo copias exponit. Inde Regis animum tentandi gratia, an fortasis exardescente iam bello consilij pœnituisset, Legatos rursus ad eum expedit, Dedalum se repetere hostem suum, & Crętæ proditorem. Quem si ex æquo, amicèq; sibi traderet, vt mutua inter Reges pro tuendis, firmandisq; imperijs iura postulant, fore, vt copijs inde abductis domum placidè reuerteretur. Legati quæ in mandatis habebant, breuiter, quid

Minois

Digitized by Google

Minois conatus, quid vires posſint, quo tendant, bellum præterea periculoſum, & longè ipſi pernicioſiſsimum exponunt: tandemq; Cocalum admonent, vt futura diligenter proſpiciat, conſideretq; quid ſibi, imperioq; ſuo magis cõducat, an flagitioſi hominis cauſa bellum atrox ſuſcipere, an facinoroſum virum Minoi ad pœnam, vt iura expoſcunt, tradere. Et demũ dũ integra res erat, eum, vt pacem amplecteretur, hortantur, ne poſtea optatam, quæ nunc ſibi vltro offerebatur, pacem fruſtra requireret. Cocalus ijs auditis, cum hinc pertinacem Siculorum animum ad Dædalum tuendum exploratum haberet; illinc bellum ſibi imminere, hoſtem in foribus eſſe, & tantæ ſe moli imparem cognoſceret, anceps quid ageret, aliquãdiu immotus conſtitit; tandem præſenti fortunæ conſulens, vt ingruenti bello ſe liberaret, ad fraudem ſe conuertit. Legatis igitur commento dolo Dædalum ſe dediturum (quod neutiq; habebat in animo) reſpondet. fœdus, amicitiamq; Regis Rex ipſe priuato homini iure ſe præferre coràm profert; ſed iam in Minois necem animum intenderat. Reuerſos proinde cum reſponſo legatos ſuſcepit lætus, rataq; Minos habuit, quæ cum Cocalo compoſuerant. Vtrinq; igitur miſſis & remiſſis internuntijs: demum cum numeroſa ex vniuerſo exercitu ſelecta militum manu Cocalus ſimulata benignitate ad mare deſcendit. cui Minos exultabundus continuò & ipſe occurrit. Poſt mutuas gratulationes data, acceptaq; dextra, fidẽ futuræ amicitiæ firmant. Fœdus inter Reges ictum eſt. inter exercitus ſalutatio facta. Inde cum ingenti lætitia in vrbe regia amicè Minos excipitur. Erant Cocalo filiæ duæ forma longè pulcherrimæ. eas Minois obſequijs genitor addixit, futurum ratus, quod & euenit, vt ijſdem authoribus hoſtem de medio tolleret. Igitur dum Camici plures dies otio, & luxu, & in Dædalo repetendo, quem in mediterraneis eſſe Cocalus edixerat, Minos cõterit, virginum amore corripitur. Id vbi Cocalus animaduertit, cum filiabus cõſilium capit, Minoiq; inſidias ſtruit. Erant in Cocali regia balneæ ad dilitias miro ingenio à Dædalo elaboratæ, quibus Minos ſolis filiabus Cocali ſubſeruientibus corpus abluendi conſuetudinem induerat. In his itaq; dum de more vltimo Minos refouetur, nihil minus, q̃ inſidias cauens, à puellis non magno negotio opprimitur, ſiue (vt alij perhibent) aquæ calidæ per tecti culmen in balneas ab eiſdem demiſſo influxu, nimio æſtu ſuffocatur. Commiſſo facinore, ne patratæ cædis authores haberentur, ſtatim obijſſe Minoem conclamant, repentinum Regis obitum deflere incipiunt, magno eiulatu queruntur. tantaq; calliditatis audacia criminis atrocitatem contegunt, vt ſcelus pietatis ſpecie velarent. Ad voces eorum lugubres Cocalei domeſtici ꝓſiliũt, quos & Cocalus ipſe verſuti vir ingenij, & ſceleris author, ne homicidij, perfidiæq; inſimularetur; & vt à ſe patratum facinus deliteſceret, querula voce inſecutus eſt. Cretenſes præterea rumore per regiam euagato, Lymphatis ſimiles ad balneas & ipſi procurrunt. vbi Minoem Regem iacentem, exanimemq; conſpiciunt. cauſam mortis inquirunt. virgines conciſis ſyncopatiſq; inter eiulatum verbis referunt ex apoplexia, in quam repente inciderat, in balneas nimis calentes dilapſum obijſſe. Cocalus, vt prorſus omnis ſuſpitio ab eo dimoueretur, q̃ ardentiſsimè corpus proſpicit, tangit, veſtibus nudatum an virus veſtigium aliquod ineſſet, explorat. Identidem & Cretenſes phyſicorum etiam arbitrio exploratius exquirunt. In hanc curam dimidium diei extractum eſt. Poſtremo cadauere regio currui ſubſellijs aureis decenter inſtructo ſuperimpoſito, eius manibus parentandum procurarunt. Itaq; cadauer regio funere elatum ingenti exequiarum apparatu proſequuntur, igni ſuperiiciunt, cineres mox peruſti corporis vrnæ contradunt, & demũ duplex illi ſepulchrum, (vt Diodorus refert) extruunt. clam vnum, in quo eius oſſa, cineresq; condunt. Cœnotaphium alterum, palam ædificato Veneris templo, quod multis ſeculis poſteri q̃ religioſiſſimè, vt templum Veneris coluerunt. Verum poſtea Agragantini regnante apud

eos Thuono

eos Thuono, cum in eodem loco vrbem conderent, repertum Minois sepulchrũ ossibus in Cretam remissis demoliti sunt. Hunc finem Minos anno a cõdito mũdo (vt supputat Eusebius) 4000. in Sicilia Rex habuit, dum nimis temere Dædali vitam insectatur. Cocalus peracto parentationis officio Cretenses milites ad concionem vocat; eosq; prius mœrentes circuit, mox ad incolendam Siciliam impensius cunctos pluribus hortatur. Cuius verbis incensi Cretenses Regis humanitatem, liberalitatemq; excipiũt: & quoniam Sicanis assueuerant, spreto in Cretam reditu in Sicilia consederunt. Quorum plurimi vrbem a Comico. p. m. ferè. 20. distãtẽ cõdiderũt, quã à defuncto eorũ Rege Minoam appellauerũt. Cæteri ab illis dissidentes littus aliquandiu meridionale peragrarunt, tandemq; in loco natura satis munito, vtpote saxoso colle, vrbem & ipsi sibi struunt, quam à fonte influente Engium vocauerunt. Et hæ quidem duæ primæ Græcorum vrbes in Sicilia surrexere. At verò etsi Regis iam milites in Sicilia perstiterint, morte tamen Minois cognita Cretenses rati id, quod fuerat, dolo eum interemptum omnes præter Polychnitanos, & Presios magna classe armisq; formidabili ad vindictã vsq; in Siciliã cõcurrerunt, Comicumq, vrbẽ magna vi agressi, naturę, artisq; vrbis munitione frustrati sunt. Ea enim dura obsidione per quinq; annos nequicq̃ expugnata, tandem cõmeatus inopia depulsi fœde castris re infecta abiere, necnon in Italiæ oram tempestate dissecti naues omnes amisere. Quocirca spem omnem in Cretam redeundi planè sibi adẽptam vidẽtes, mutato nomine se Iapydes, & Mesapios appellarunt: atq; Hiriam vrbem in Italia condiderunt, vt scribit Herodotus. Dędalus autem in Sicilia ne, an in Sardinia, quo Iolaus ipsum accersiuerat, an potius in Italia diem suum obierit, incertum est. Post hæc Laomedonte Troiæ imperante & paulo ante incendium vir quidam vt ignoti nominis, ita non obscuri sanguinis a rege iniuriarum damnatus cum tota prosapia præter filias virgines, capite plexus est. In virgines nanq; cum & ob sexus & ob ætatis infirmitatem sæuire indecorum, fœdumq; Regi visum esset, procul inde asportandas mercatoribus plerisq; Ilio profectis commisit, supplicium illis vltimum, si mandatis deessent, interminatus. Naui igitur vna virgines, & incerti nominis adolescens, illustri tamen, & ipse Phrygio genere prognatus Siciliam consilio, an vi pelagi incompertum adnauigant; inq; eam partem, quæ Drepano est contermina, quam & Sicani adhuc habitabant, appulsi in agris inter Sicanos subsident. Vbi adolescens alterius virginum amore captus eam sibi connubio iũgit: filiuq; ex ea suscepit, quem quod inter Agrarios, & caprarũ syluas sit editus, Egestum nominat. Qui inter Sicanos educatus cum primùm adoleuit parentibus orbatus à Priamo Laomedontis in regnum successore reditum in Troiam impetrat, quò cum peruenisset, quibus esset maioribus genitus edixit, Gentilibus statim nepotis subijt memoria, lineamentaq; patris agnoscunt: ad quæ cum conuenirent & parentum ætas, & exilij tempus, à suis gratulanter, nec minori à cæteris Troianis studio excipitur. Subinde decem & septem dies æstiuale ante solstitium capto Ilio Egestus vnà cũ Elymo Phryge regia stirpe nato, fuga salutem sibi quærens tribus cum nauibus Siciliam aliquanto prius, q̃ Aeneas aduectus in littus Sicanorum iuxta Crimisium fluuium egreditur, agrisq; vicinis sedes ponit. Sicani ad nouæ classis aduentum occurrunt, Egestum ac Elymum. Troianæ nobilitatis principem insignem q̃ benignissimè & in hospitia, & in agrorum partem accipiunt. Interea Aeneas anno post captam Troiam primo, qui. 20. post solstitium die, hoc est. 8. cal. Iul. incipit, classe profuga Italiam nauigans circiter autumnale æquinoctium per Hellespontum in Thraciam cum socijs aduectus ibi totam eam commoratus est hyemem, quo & susciperet ex fuga reliquos, & pararet ad nauigationem necessaria. Quo facto Epyrum venit: vbi Epyrotæ complures, Patro præterea Thurius cum Thuriorum non contemnenda manu ei se itineris

instituto

instituti comites teste Dionysio adduxit. Quorum Epirotæ Ionio emenso mari ad eam Italiæ oram, quæ magna Græcia dicebatur, applicantes laborum pertæsi Epirum reuertuntur, Troianis, & Thurijs cum Aenea cursum sequentibus. Siciliam igitur veris initio freto peragrato tenent. Vbi Patro nouandarum rerum cupidine ductus, relicto Aenea Alontium circa eam oram, quæ Aeolias respicit, in edito colle sitam vrbem cum socijs incoluit. Aeneas verò vt Veneris templum inuiseret, secundante vento Erycem versus cursum tendit. Vbi & in eos Troianos incidit, qui ad Crinisium fl. paulo antè cum Elimo, & Egesto inter Sicanos insederant. Cuius aduentu cognito Elimus, & Aegestus ad littus occurrunt. Quibus post multos vtrinq; questus, ac mutuam congratulationem Aeneas ad sedes ibi Troianis instaurandas hortatur. Eoq; monitu duas vrbes ad Crinisium fl. & agros vicinos vterq; sibi vnam condunt. Hæc Aegesta, quam proinde latini Segestam dixerunt, altera Elima à cõditoribus nomen est adepta. ibiq; Aeneas quo citius eæ vrbes accrescerent, per hyemem secundo post Troię excidium anno cum socijs mansit: conditisq; vrbibus ex ea Troianorum multitudine, quam secum adduxerat, siue vt iactatis mari fluctibus exhiberet requiem, siue vt ægri exbalnearum vsu, quæ ad Segestam sunt, conualescerent, siue ob incensas à mulieribus naues (vt diuersa est authorum opinio) associauit, ciuesq; adscripsit. Sub idem ferme tempus Phocenses ob varias calamitates è Troia in Libyam tempestate ac deinde in Siciliam delati, accole icto cum Troianis fœdere accesserunt. His igitur colonijs Troiani eas vrbes, ac Scharam etiam vicinam habitantes, omnes vno nomine ab Elimi præstantia Elimi sunt appellati. Aeneas deinde suorum successu lætus, & templo Erycinæ Veneris q̃ religiosissimè culto, pretiosisq; muneribus donato, & Eryce etiam colonia relicta, qui cum alijs etiam Elimi sunt dicti, ibiq; ad eius maritimum agrum, qui à Bonagia hodie nomen habet, genitore amisso Tyrrheno mari Italiam ad Laurentem appulsus agrum secundo post Ilium deletũ anno peruenit. Vbi icto cum Latino Rege fœdere, & accepta agri portione ductaq; vxore Lauinia Latini filia vrbẽ ibi cõdidit, quã ab vxore Lauiniã appellauit. Dum hæc à Troianis in Sicilia geruntur, Phœnices, ac Libyci in Siciliam communi classe traiecerunt: occupatisq; promontorijs Pachyno, & Lilybæo, alijsq; paruis inter Africã, & Siciliã interiacentibus insulis, oram Siciliæ, quæ ad Aquilonem vergit, negotiandi cum Siculis studio etiam sunt adepti. Post Græcorum verò in Siciliam aduentum inde recedentes Motyam, Soloentum, & Panormum finitima Elimis oppida translatis eò sedibus incoluerunt, freti tum Elimorum societate, quam fœdere pepigerant, tum quod locus ille exiguo traiectu distat à Carthagine. Eodem ferme tempore post captam nimirum Troiam Merio Cretensis, & cum eo ex creta insula complures classe in Siciliam, voluntate, an maris excursu delati incertum, ad Engium vrbem appelluntur. Vbi ab Engiatibus eorum cognatis humaniter, & hilari studio susceptí pro ciuibus profugi, pro domesticis hospites adscribuntur. Et hæc quidem in Sicilia ab initio ad Troianorum vsq; errores à Barbaris sunt gesta. Quorum maxima pars scriptorum inertia, & temporum iniuria à nobis desideratur. Nunc temporum ordo expostulat, vt de Græcis, qui Siciliam postea cultu, moribus, lingua, & vrbibus maiorem in modum excoluerunt, differamus.

Digitized by Google

DE GRAECIS, QVI SICILIAM INCOLVERVNT.

CAPVT SECVNDVM.

POST occupatam igitur à varijs nationibus Siciliam, nemo fuit, qui solus in ea imperium obtinuerit: sed magna ex parte singulis vrbibus singuli imperitabant Tyranni. Reliquæ ciuitates liberæ suarũ Rerũ publicarũ, qualescunq; essent, conseruationi, defensioniq; operã dabant. Quo enim tempore Artaxerses, qui & longimanus est appellatus, Persis dominabatur, Romani verò à Cõsulibus regi cœperũt; Sicilia à populo (vt author est Cæsarieusis Eusebius) regebatur. Eoq; rerũ statu anno ab orbe condito (si rectè Eusebius supputat) circiter. 4400. & post Siculorũ aduentũ trecentesimo, & multo post Troianũ excidium Græci Siciliam traijcere cœperunt. Quorum post Cretenses, primi Chalcidẽses ex Euboea insula, Hippobatis Chalcidẽ metropolim vrbẽ (teste Aristotele) moderãtibus, Theoclis Atheniẽsis ductu, à Thucydide, Strabone, & Pausania perhibentur. Enimuero Theocles cursu pelagi, ventorumq; in Siciliam actus, visa soli feracitate, mortalium solitudine, ac pulchritudine loci, in nouandarũ rerũ cupiditatem pertrahitur. Athenas igitur regressus, cum ciues suos ad mutãdas sedes flectere nequiret, Chalcidenses, Iones, & Dorienses nactus in Siciliam reuertitur, & Naxum vrbẽ in ora fræto adiacenti ad angulum, qui aliquatenus in mare procurrit, vbi hodie arx est Schixõ appellata, cõdidit, & incoluit. Vbi & Apollinis Archageti templũ, aramq; magno structuræ ornamento extra vrbẽ extruxit. Cuius oraculum deinceps Græci anteq; Sicilia siue ad bellum, siue ad negotiũ aliquod peragendum soluissent, sacris plurimis, libaminibusq; frequentabant, ac venerabantur. Sequenti deinde anno Archias Corinthius Herculis genere satus magna Corinthiorũ, ac Dorienſium, qui Zephyrũ spectant, manu secũ adducta, è Corintho ea, quã ex Plutarcho suprà retulimus causa, in Siciliã venit: Syracusasq; in Ortygiã ab Aetolis primùm, & trecẽtis postmodũ annis à Siculis habitatã vrbẽ, classe appli cuit: eamq; copijs ibi omnibus expositis, magna incolarum strage facta, militari manu capit, Siculosq;, qui è prælio superfuerãt, inde in mediterranea Siciliæ oppida expulit. Erat tũ ea sola Syracusarũ pars mœnibus cincta, quę Omothermona ab Aetolis, Ortygia postea, & Naxos Græcè, insula Latinè vocata est. Quã tũ solùm Siculos tenuisse ex veteribus cõstat. Mox ei nouo incolatu, crescenteq; in dies multitudine Acradina, Tycha, & Neapolis partes sunt additę, quibus in eã, quę postea fuit, magnitudinẽ adoleuit. Et hæc secunda fuit Græcorũ in Sicilia vrbs. Quæ naturali duorũ portuũ cõmoditate, & agri fœlicitate breui maxima rerũ, ac imperij suscepit incrementa. ita vt Syracusani non modò dignitate, sed Principatu quoq; cæteros antecellerent, Barbarosq; omnes, qui Siculi erant, Sicani, & Morgetes, pluresq; alij, qui ante Græcos Siciliã traiecerant, maritima insulæ loca attingere non permittebant, sed in mediterranea eos depulerant. Vnde euenit, vt duo in Sicilia essent imperia, Siculorum vnum, quod solùm mediterranea possidebat. cuius regia vrbs Trinacia fuit. alterũ Syracusanorũ, quod latissimè postea etiã extra insulam ad aliquot Italiæ, & Græciæ regiones, ac vicinas etiam insulas propagatum est. Sed ad institutum redeo. Septimo anno post Syracusas à Corinthijs occupatas, Chalcidensium plurimi Leontinum vrbem à Siculis multis antè annorum spatijs extructã, habitatamq;, Corinthiorũ adducti exemplo armis aggrediũtur, & superatis prælio Siculis, atq; in mediterranea abactis, incoluerunt. Eodẽq; anno eiusdẽ gẽtis cõplures ob inclementiã cœli Naxo discedẽtes Euarcho Duce, Thucydidi, siue Catano coloniæ ductore, vt alij scribunt, Catanam vrbẽ à Siculis conditam adorti non magno labore capiunt, Siculis etiam inde in mediterranea remissis. Sub idem ferme tempus è Megara Græciæ vrbe Lampis coloniam Megareusium ducens in Siciliam venit, & ad Pantagiam fluuium Brucam hodie dictũ

consedit,

Digitized by Google

conſedit, ibiq; oppidum nomine Protilium condidit. Qui cum Chalcidenſibus poſtmodum apud Leontinos Remp. adminiſtraret, à Leotinis eſt exactus. Iccirco Tapſum peninſulam non multum inde diſtantem petens oppidũ eiuſdem nominis in ea condidit. Quo poſtea decedente Megarenſes Tapſo profecti ſub Siculorum Rege, cui Hybloni nomen erat, & qui regionem prodiderat, Hyblam Siculorum vrbem ibi propinquã occuparunt, quam poſtea à ſua patria Megaram dixerunt. Sed & anno quadringenteſimo ſupra centeſimum poſt Hyblam à Megarenſibus occupatã Duce Pammilio noua ex Megaris Græciæ eorũ metropoli accita militum manu Selinuntem in latere meridionali ſitam vrbẽ, & à Phœnicibus cõditã pulſis ex ea regione conditoribus inuadunt, & occupant. Sed & Hybla poſtq; à Megarenſibus eſt habitata anno quadrageſimo quinto ſupra ducenteſimũ à Gelone Syracuſarũ Rege incolis vrbe, & regione depulſis funditus eſt deleta. Anno verò poſt captas ab Archia Syracuſas quadrageſimo quinto Antiphemus è Rhodo, & Entimus ex creta ſocietatis inito fœdere coloniã Rhodiorũ, qui Lyndij fuerant, legibus Doricis imbutam, & Cretenſium in Siciliã duxerunt. vrbemq; iuxta Gelæ. fl. oſtium Gelam fundarunt. Sed & geloi ipſi anno centeſimo ferme octauo à ſuis primordijs Ducibus Ariſtono, & Piſtillo Agrigentũ vrbem datis etiã ei Doricis legibus cõdiderunt. Syracuſani quoq; anno poſt Syracuſas occupatas ſeptuageſimo Acras in niuoſis montibus oppidũ, annoq; dein nonageſimo Caſmenam vrbem in planitie ædificarunt, Præterea & anno centeſimo trigeſimo quinto Camerinam vrbem ad littus meridionale ducibus Daſcone, & Menecolo condiderunt. Sed & ijdem Syracuſani paulo pòſt Ennam in vmbilico Siciliæ vrbem ædificarunt. Cumani ſub eadem ferme tempora ex Cumis, quæ eſt in Opica Chalcidica vrbs per Siciliæ fretũ prædatorijs nauibus graſſantes Zanclam in freto à Siculis quadringenteſimo quinquageſimo circiter antè anno conditam, paruo negotio pulſis incolis occuparunt. Sed & poſtea ab eiuſdem gentis Perhiere Cumano, & Cratimene Chalcidenſe Ducibus ſuperueniente hominum multitudine cõmuni fœdere cum maiori tutela eſt habitata. Quo tempore Zanclæi adeo floruerunt, vt Himeram vrbem deducta ab Euclyde, Simo, & Sacone colonia condiderint. Cũ quibus plures Chalcidenſes, & Syracuſani etiam venerunt. Interiecto deinde nõ ita longo tẽpore, quo apud Latinos Aeneas Syluius regnare cœpit: Heraclea in Sicilia à Dorieo Lacedemonio conditur. Sed libet paulo altius eius originẽ repetere. Euryſtheo in Lacedemonia rerũ potiente Heraclidarũ genus, quod iã inde ab initio celebre, & apud Spartanos in ſumma veneratiõe vel ob id ſemper fuit, quod ex Hercule ſatũ in Sparta vrbe floruit, in Pelopõneſum deſcendit, atq; ſe Doriẽſibus immiſcuit. Ex his Anaxãdrides Leõtis filius vnus fuit, qui ſororis filiã in vxorẽ duxit. Quæ cũ extrema ſterilitate laboraret, ne Euryſthei propago deficeret, ab Ephoris (qui & Tribuni erãt) optimatibusq; ei cõceſſum eſt, vt nõ repudiata priore alterã ſuperduceret. ex qua ſuo tẽpore Cleomenem filiũ ſuſcepit. Quo nato, & prior concepit. Cui parturienti ne vterũ mentita partũ ſibi ſubijceret, cuſtodes aſſederunt: ijsq; teſtibus Dorieum primùm, poſtea leonidem, ac demũ Cleõbrotũ edidit. Mortuo Anaxandride, etſi Dorieus germanos fratres & cõſilio, & militia longè antecelleret, Regniq; vel ob id ſummã ad ſe delatũ iri cõfideret: Ephori tamẽ cleomeni natu, & mẽtis inopia maximo ſucceſsionis legitimo iure coacti inuiti ſanè Regnũ tradiderũt. Quocirca Dorieus indignũ ſibi prælatũ moleſtè ferẽs adduci nõ potuit, vt in Sparta permanẽs fratri ſubijceretur. eoq; impetrata à Spartanis colonia inconſulto Delphis oraculo in Africam delatus eſt. Vbi ad Syrtim iuxta flumen locum ſibi delegit tota Africa pulcherrimum, & ad future vrbis ſpem aptiſsimum, quemq; arte, & præſidio munitiſsimum etiam reddidit. At tertio vix exacto anno ab Afris, & Carthaginenſibus fœdè inde pulſus in Peloponneſum redijt. Cui Antichares vir Cleonius ex Laij oraculis conſuluit, vt in Sicilia

in Erycis regione,quæ Heraclidis lege ab Hercule ob interfectum Erycem pacta, & non Barbaris,à quibus tenebatur, in Herculis honorem debebatur, Heracleam vrbem conderet. Quo ille accepto Delphos non impiger ad oraculum,prout superstitiosæ gentis mos erat,consulendum sese contulit.cui cum Erycis regionem Pythius polliceretur,sumpta,quam paratam pro Africa repetenda habebat, classe cum Thessalo Peræbate, Celta, & Euryleonte coloniæ Spartiatarum deducendæ spartiatis Ducibus Diodoro, & Chilone Athenienſi Pausaniæ, Lacedæmone soluens, & Italiam præterrectus Siciliam tenuit. Vbi regionem Erycis q̃ primum declarata progenie sese dedentibus accolis adeptus est, atq; inter Agrigentum,& Selinuntem ad promontorium,quod Caput album hodie dicitur,super ruinis vrbis Minoę vrbem condidit,quam ab Hercule Heracleam appellauit. Qua ratione persuasi incolæ vrbis Heracleæ Herculem authorem conditoremq; prædicant. Ea verò regnante ibidem Dorieo adeo breui coaluit, vt Carthaginenses vel inuidia,vel metu, nequando Heraclea viribus aucta ob vicinitatem Phœnicum deleret imperium, exciti socia arma cum Egestanis sumpserint, magnisq; contra eas copijs conspirauerint. Qui fractis bello Heraclidis,cæsisq; Dorieo,Thessalo, Chilone,Celea, & cæteris Spartiatis Ducibus, vno Euryleonte excepto,captam vrbẽ euerterunt. Eam tamen non multo pòst Selinuntij inducta suorum colonia restituerunt.quam Pythagoras deinde assumpto Monarchiæ titulo administrauit. Sed & ipsam Euryleon,qui solus Spartiatarum Ducum cladis supererat, collectis vndiq; Heraclidarum reliquijs à Selinuntijs veteri nomini, legibusq; redditam, Minoamq; appellatam aggressus (sublato Pythagora)magna vi recepit,Selinuntinosq; à monarchiæ iugo asseruit. Quam tamen ipse postmodum cum inuasisset, à Selinuntijs in seditionem actis in ipso Iouis Forensis templo ad quod confugerat,ante aras cõfossus in suo sanguine corruit.Subinde Zãclęi nõ multo post Zãclã conditã, & Olympiade septuagesima prima cum Scythes Oenicinus Rex Zanclæ vrbi imperaret,missis in Ioniam nuntijs,Iones in pulchro Siciliæ littore,quod ad mare Tyrrhenum vergit,ad nouam condendam vrbem inducere conantur. Qua legatione ex Ionijs Samij solùm, & Ionij quidam à Phœnicibus, & Medis victi cum Cadmo Coo Scythe Coorum Tyranni filio, qui Tyrannidem Coorum à patre acceptam iustitia persuasus sponte in medio vrbis renuntiauerat, ad iter sese,vrbisq; decrete studium parauere. Cumq; ad Zephyrium locrorum promontorium, quod nostra ætate vulgò Spartiuentum appellatur, applicuissent, Zanclæi cum Scythe eorum Rege in vrbis cuiusdam Siculæ, cuius nomen scriptorum inertia intercidit,obsidionem exierant, steteratq; eo modo Zancla vrbs vel ob id præsidio vacua. Inuaserat per ea tempora Rhegij Brutiorum vrbis,quę paucorum politia prius regebatur, Tyrannidem Anaxilas Critenei filius, qui paternũ genus ad Alcidamidẽ Messeniũ Pelopõnesiacũ.5.Poli.teste Aristo.referebat.Is cum Zanclæorum odio laboraret, Samios hortatur,vt pulchro Siciliæ littore neglecto Zanclã vrbem viris desertã sibi occuparent. Qui,vt persuasi fuerãt,Zanclã, in qua amicè fuerant recepti,violata fide adoriũtur,atq; nullo labore capiunt. Re cognita Zãclæi statim soluta obsidione,aduocatoq; Hippocratis Gelæ Tyrãni Gelonis fratris auxilio,statim ad Zanclã,violatũq; hospitij ius repetendũ aduolant. Quò & Hippocrates sine mora delecta cũ militũ manu ad simulatas suppetias cõtendit.Vbi & ipse diffracta fide in Zãclæos irruit,captũq; Scythen Zãclæorũ Regẽ, & Pyttogenim eius germanum fratrem in oppidum Siciliæ Inyctum Gelæ vicinum, quod suæ ditionis erat, relegauit. Zanclæosq; postmodum, pacta cum Samijs prædæ totius, ac agrorum æqua portione Samijs prodidit. quibus & trecentos è Zanclæis viros patritios, quos captiuos tenebat, ad lanienam tradidit.Illi verò nefarium facinus horrentes vitam captis libertatemq; donarunt, Zanclæ occupatione satis iniuriæ factum rati. Quam deinde liberè veteribus

Digitized by Google

ribus exutum colonis cum ſuis inſedere. Scythes autem Zancleorum Rex effractis vinculis Inycto fugiens Himerã primùm, ac ſubinde in Aſiam, ad Darium Regem confugit. A quo benignè ſuſceptus iuſtiſſimus omniũ ob id iudicatus eſt, quod cum antea exorato Rege in Siciliam abijſſet, rurſus nunc vltro ad eum redijſſet. Protracta igitur apud Perſas multos annos vita ſenex tandem deceſsit. Poſt hanc Samiorum proditionem anno ferme decimo inter Samos, & Rheginos, ac Anaxilam eorum Regem odia, bellorumq; etiam initia non parua ſuborta ſunt. ita vt Anaxilas pertæſus conſilij, auxilijq; quæ ad Zanclam inuadendam Samijs dederat, eoſdem pellere in animo ſtatuerit. Cuius inſtituti occaſione Meſſenios complures Peloponneſiacos populares à Lacedemonijs ſuperatos, & patrias ſedes relinquere cupientes pollicitationibus allectos in Samiorum iniuriam, profligationemq; Anaxilas ad ſe euocauit. Eoq; impulſu Gorgus Ariſtomenis filius, & Mantyclus magna cum Meſſeniorum multitudine in Siciliam traiecerunt. Cum quibus Anaxilas communi Marte Zanclam terreſtri, maritimoq; bello aggreditur, quam breui obſidione expugnatam funditus delet, eiq; ad p.m. nouam vrbem ſubſtituit, quam à ſua, & ſociorum patria Peloponneſi ſcilicet Meſſenã, extincto Zanclę nomine Meſſanam appellauit. Quam deinde Mantyclus alter Meſſenenſis Ducum extra mœnia Herculis templo magnificè ſua ipſius impenſa conſtructo decorauit. In quo erectus Hercules viſebatur, Hercules Mantyclus nominatus. Anaxilas quoq; Rhegij oppidi adminiſtratione Mycitho Cheri filio ſpectatiſsimæ fidei ſeruo relicta nouæ vrbi ampliandæ totus incubuit. Enimuero magna prudentia conſpicuus ſalutares leges tulit. nec quicq̃, quod ad defendendum, honeſtandumq; ciuium ſuorum ſtatum pertinere videretur, vnq̃ prætermiſit. Quo effectum eſt, vt hinc ex Sicilia, inde ex Italia ad Meſſanam frequentandam turmatim homines confluerent. eaq; ad naturalis portus commoditatem acceſsione mœnibus etiam circumquaq;, ac propugnaculis erectis, priuatorumq; ædificijs breui coaluit: & in pulcherrimæ vrbis formam redacta eſt. Poſt hæc Anaxilas Cydippam Terilli Himerę vrbis Tyranni filiam vxorem accepit. quæ duos ei peperit liberos. Sic igitur cum plures à Græcis coloniæ in Siciliam eſſent ductę, & plureș maritimę vrbes præclarę ab eis eſſent cõditæ, mutuaq; cum Siculis poſtmodum conſuetudine, vſuq; complures quotidie Græci in Siciliam nauigarent, mutato nominę proceſſu æui omnes ſunt Siculi appellati. Sed & Siculi ipſi Barbara omiſſa lingua græcam didicerunt. qua omnes deinceps publicè tanta conſtantia ſunt vſi, vt Græcæ adhuc Siculorum paſsim non parui nominis Scriptorum variæ obſeruentur voces. Sed de Tyrannis Siciliæ poſtulat ordo, vt loquamur.

DE TYRANNIS SICILIAE, CLEANDRO, HIPPOCRATE, ET GELONE, CAPVT TERTIVM.

SICILIA ab initio incredibili Tyrannorum prouentu longè omnibus orbis regionibus feracior, ab initio hominum monſtra gignere conſueuit: quæ potius à Tragœdis deſlenda, quàm à ſcriptore recenſenda ſunt. Hinc Cyclopes, leſtrigones, & Saturnus, Hinc plurimi deinceps in eius ſinu, eiusq; delitijs enutriti, efferatæ mentis ſæuitatem in ea exercuerunt, quoſq; inopinatum robur prouexit, vberum eius lacte ſaginati eius viſcera recalcitrando diſcerpſerunt. Porrò Siciliæ ciuitates cum Oligarchia Græcorum tempore regerentur, anno mundi. 4547. & ante vrbem conditam. 64. Phalaris inter Græcos primus Agrigentum Tytannide inuaſit, quam non ſine magno ciuitatis, ciuiumq; potentiſsimorum tædio, & diſcrimine, aduenarumq; miſerandis

Digitized by Google

sceleratisq; cladibus annos secundum Eusebium triginta vnum, secundum alios nonnullos sexdecim crudelissimè vsurpatam non multo mitius finire coactus est. dum à Zenone nequicq; cõiurationis authores cruciatibus extorquens, à Telemacho Reglæ stirpis iuuene saxis obruitur. De cuius ad ministratione, vitaq; latissimè priori decade memorauimus. Sed non diuturna assertis hæc libertas fuit. postmodum enim eam Thero ibidem resumpta circa annum mundi. 4700. Tyrannide perrupit. Quo tempore & Panætius Leontinum, & Cleander Pataræus Gela in seruitutem sibi subegit, qui post septimũ tyrannidis sue annum à Sabyllo viro Geloo interemptus non indignum sue vitæ exitum sortitus est. Sed eo mortuo Hippocrates frater eius Gelæ suscepit imperium. Cuius statim initio Callipolitanos, Naxios, Zancleos, & Leontinos bello lacessiuit, ac eos ferme omnes Gelone satellite suo, quem ob strenuè deinde operam nauatam equitum Præfectura donauit, & Aenesidemo Pataico Ducibus superauit. Barbaros quoq; plurimos suæ ditioni subiecit. Pugnauit quoq; Hippocrates cum Syracusanis, quos cum ad flumen Elorum magna strage fregisset, eorum complures ex primoribus cepit. Quos tamen Corinthijs, & Corcyræis intercedentibus hac lege dimisit, vt Camerinam, quam deletam à se deseruerant, ei dederent. Quam in redemptionis pretium liberè acceptam Geloorum immissa colonia, quibus arma, viaticum, & agri portionem viritim assignauit, continuò restituit. Quibus rite constitutis rerum septennio potitus Hippocrates dum contra Siculos ante Hyblam cognomento minimam confligit, in ipso prælio ab hostibus peremptus gloriosè occubuit. Dum hæc apud Hyblam geruntur: Syracusę vrbs, quæ ea tempestate populari nomine moderabatur, potentioribus, nobilioribusq; populi ineptum regimen detestantibus facta conspiratione in paucorum, & optimatum regimen, quod Græcè Aristocratiam vocant, desciuit. Sub idem ferme tempus interfecto Hippocrate Gelon Gelæ vrbis imperium sibi vsurpat, sed libet ex Herodoto paucis eius primordia recensere. Gelon ex Oecetore descendit. Fuerat Oecetor ex Insula Telo, quæ Rhodus est, oriundus, qui dum à Lyndijs Gela conderetur assumptus non est. Cuius tamen posteri interiecto tempore Deorum inferorum sacerdotes in Gela perseuerarunt, oriundi à Feline ex propagine Oecetoris, qui eos Gelois quibusdam per seditionem in Macarium vrbem, quæ sita erat supra Gelam, relegatis, nullis militum copijs, sed solis Deorum inferorum sacris fretus, in Gelam introduxit. Oecetor igitur Dinomenen habuit filium, qui etiam ex se quatuor genuit liberos hũc Gelonem, Hieronem, Polybulũ, & Trasybulum. Scribunt Timæus, & Diodorus, quòd Gelon dum puer admodum esset, & in Ludi literarij vestibulo libellum manu tenens sederet, Lupus accedens de manu eius rapuit. At Gelon magno clamore lupum insecutus maximum tumultum excitauit. Quo ludi magister, ac pueri omnes, qui centum ferme erant, commoti, vt Geloni suppetias ferrent, arma, fustesq; tumultuariè per domum in qua erant, quærebant. Sed inter quærendum domus solutis contignationibus corruit, ac pueros omnes cum præceptore peremit. ita Gelon à Lupo seruatus est. Gelon itaq; Dinomenis filius cum in bellis, quæ Hippocrates gesserat, præclarissimum nomen esset adeptus, Demoriens Hippocrates ob res egregiè gestas Euryclem, & Cleandrum filios ei reliquit. Is verò cum Geloi à fide liberorum Hippocratis defecissent, sub tutelæ prætextu eos prælio vicit, ac subiecit. Qua fortuna insolẽs factus, pupillis hæreditate fraudatis ipse gelæ dominatũ sibi vsurpat. Subinde cum pleriq; Syracusani patritij ordinis, qui Gamori dicebantur, ob contentionem magistratus à plebe, & seruis, qui Cyllirij nominabantur, coniuratione facta eiecti in Casmenam vrbem secessissent, Gelon in auxilium ab eis euocatus, magna militum manu coacta, eos ab vrbe Casmena, subacta plebe, & seruis, Syracusas reduxit. Quo facto adeo apud eos illius nomen inualuit, vt ei Syracusas aduenienti vnò cõsensu

vniuersitas

vniuersitas & vrbem,& seipsam dederit. Atq; hoc pacto Syracusarum imperium primus omnium solus Gelon est adeptus. anno secundo septuagesimæ secundæ olympiadis Hybride Athenis regnante,vt Pausanias lib.6.testatur. Quo tempore Demaratem Theronis Agrigentinorum Tyrāni filiam vxorem accepit. Gelon igi tur occupata per hūc modum Syracusarum vrbe Gelam,quam tenebat, Hieroni fratri concesit,ipse vero ad Syracusas muniendas, atq; ornandas totum se dedidit. Ideoq; ea ciuitas eius opera confestim excreuit,ac propagata est. Nam Camerina ab eo insolenter deficiēte deleta, Camerinæos Syracusas adduxit, ciuesq; adscripsit,Geloos quoq; complures Syracusas habitandam transmisit. Megaren ses præterea qui temere bellum contrà eum moueraut superatos locupletissimos quosq;& belli authores Syracusas traduxit,& ciuitate donauit. Plebem verò, quæ belli moti fuerat expers,Syracusas in vinculis adductam per Siciliam vendidit. Euboëam etiam Siciliæ vrbem,quæ ab eo fide.& officio recesserat,armis euictam euertit. Cuius proceres (plebe pretio proscripta) Syracusas etiam incolere voluit. Iure etenim Megarensium,& Euboicorum plebem à proceribus diuisit,quod plebis contubernium proceribus sæpenumero sciret esse perniciem, Iis itaq; rerum momentis & Syracusæ vrbs maxima suscepit incremēta,& Gelon nobilitatis,administrationis,authoritatisq; commendatione, præclarissimi Tyranni tam domi,q̄ foris nomen est adeptus.Cuius res nihilo inferiores, q̄ Græcorum & bello & pace vulgo censebantur ferebanturq;: & si disciplinarum liberaliū teste Aeliano fuerit expers.Bellicę verò virtutis imperij sui principio nō obscura exēpla edidit. Mortē nāq; Doriei Lacedemonij à Carthaginēsibus,& Egestanis interfecti, vt memorauimus vlturus,bellū cōtra Egestanos mouit,quibus cū Carthaginēses auxilia misissent,ipse suppetias a Lacedemonijs, & Athenięsibus postulauit. Quibus negatis, solus ipse in aciem egressus longè amplissimam victoriam contra hostes obtinuit. Atcum subinde Xerxes iuncto pontibus Hellesponto Græciæ bellum inferret:ad Gelonem Lacedemoniorum, & Athenienſium legati venere auxilia aduersus Xersem pecituri, quibus quam turpem in simili causa repulsam ab eis passus fuisset prius ad dedecus recensens, ducētas mox triremes cū viginti armatorum milibus,equitum verò duobus,sagittariorum totidem, ferentariorum totidem,leuis armaturæ totidem,& funditorum totidem,& rei frumentariæ quantum cunctis Græciæ copijs esset vsq; ad debellationem necessarium ea lege pollicitus est, vt vel maritimo, vel terrestri ipse præesset exercitui. Quam conditionem legatis prædictis recusantibus, dicentibusq; milite, non duce Græcos indigere: subridens Gelon: Vos (inquit) Athenienses, qui apud vos imperent,non qui pareant,habetis. Abite igitur hinc q̄ celerrimè, & vestris vrbibus hoc renuntiate:ver exanno illis exaruit.hoc adagio subindicans suum exercitum præcipuum esse Græciæ florem, ac robur. Qui si illis deesset, defuturum quod erat in primis habendum. Ver enim præstantior est anni pars: quo sublato ne annus quidem dici meretur. Hoc responso nuntij accepto profecti sunt. Sed Gelon aduertens quod Xerxis victoria sibi periculum foret, vbi primum cognouit,eum Hellespōtum transmisisse, Cadmum Scythei filium Coum hominum iustissimum cum tribus triremibus,multaq; pecunia misit ad obseruandum quò casura esset pugna:vti si Xerxes vinceret, ei pecuniam suo nomine traderet simul, & terram,ac eorum locorum aquam,quibus in partibus Græciæ ipse imperabat. sin Græci superarent, pecuniam rursus reportaret. Cadmus in Græciam profectus vbi Græcos nauali pugna superiores,Xerxemq; cum exercitu retrocessisse cognouit;& ipse cum omni pecunia,prout in mandatis habebat, in Siciliam ad Gelonem est reuersus. Dum hæc Syracusis agerentur,Terillus Crinippi filius Himeræ Tyrannus, à Therone Aenesidemi filio Agrigentinorum monarcha magno exercitu,magnaq; vi ab Himera eijcitur,imperioq; priuatur. Erat Terillo Himeræo Anaxilas

ræo Anaxilas Zanclæ Tyrannus gener (vt diximus. Is vlciſcendi ſoceri gratia Hamilcari Hamonis filio Carthaginenſium duci ingenio, & militia præſtantiſsimo, qui à patre quidem Carthaginenſis, à matre verò Syracuſanus erat, vt Herodotus refert, filios duos obſides dat, quibus Phœnicum, Pœnorum, Iberorum, Ligiorum, Eliſicorum, Sardorum, & Cyniorum trecenta milia contra Theronem, & ad Terillo Himeræ imperium reſtituendum ab eo impetrat. Quo cognito Theron virium acceſsione etiam opus ſibi ratus Gelonem generum in ſocietatem euocat. Iuncti itaq; Theron, & Gelon Hamilcari obſiſtere pergunt. Hamilcar Itaq; cum copias omnes terreſtres, naualesq; coegiſſet, Carthagine cum ducentis longis nauibus, ac trecentis onerarijs ſoluens, dum Libycum mare nauigat, ſubor ta ventorum, ac maris vi naues omnes, quibus equites, currusq; vehebantur, amiſit. Tandemq; coactus procella Panormi portum applicuit. Tum victoriam in manu ſe habere confidens, poſtq̃ maris ſæuitiem euaſiſſet. Verebatur etenim ante ne maris tempeſtas claſſem omnem prorſus abſumens hoſtes metu, & periculo liberaret. Refotis igitur triduo militibus, inſtructisq; omnibus, quæ maris agitatio concuſſerat, contra Himeram terreſtri itinere copias educit, adnauigante littori, ac pariter aſſequente claſſe. Vbi ad Himeram ventum eſt, bina caſtra muniri iubet: altera maritimo, pedeſtri militi altera opportuna. Tum naues longas in terram ſubducit, easq; foſsis, vallo, & ligneo muro circumagit. Caſtra pedeſtris exercitus in vrbis conſpectum fronte aduerſa conſtituit, munitione à nauali vallo vſq; ad colles vrbi imminentes producta. Poſtremo parte ad occaſum ſpectante munitionibus vndiq; circumobſeſſa, commeatum omnem ex onerarijs in terram expoſuit. Expeditiones in diuerſa ex Africa, & Sardinia ad frumenta, & commeatum exercitui deferenda dimittit. Rebus igitur ita paratis, ipſe cum robore exercitus, mox ad pomœria vrbem inuadit. Cui Himerenſium agmen tumultuariè ſtatim occurrit. Sed Hamilcar primo impetu eos per vim fudit: pluribuſq; cæſis intra mœnia compulit. Atq; ea clades ad frangendos Himerenſium animos, perterrendosq; non parum valitura videbatur: niſi Theron, qui præſidio ciuitatem tuebatur, cognita ſuorum trepidatione, hoſtiumq; vim ſuſpiciens, extẽplo ad Gelonem re per nuntios declarata Syracuſis ſuppetias exciuiſſet. Qua legatione accepta cũ quinquaginta peditũ, equitum verò quinq; milibus, quos iam paratos, expeditosq; ad omnẽ euentũ habebat, Gelõ magnis itineribus Himeram aduolauit. Cuius ſtatim præſentia, aſpectuq;, turbati obſeſſorum animi reſedere, atq; in melioris fortunæ ſpem eriguntur. Subinde caſtra iuxta vrbem locat, foſſaq;, atq; aggere munit. Quo facto clam equites contra barbaros, quos iam tum commeatus, & rerum omnium inopia palantes, vagosq; per agros turmatim ſine ordine in prædam coegerat, nihil minus, q̃ Græcos metuentes dimittit. Qui & in incautos hoſtes irruentes ex abrupto occupant, paruo negotio ſuperant, eorumq; ſupra decem milia in vrbem captiuos ducunt. Hac prima parta victoria authoritatem, quam ſibi apud confœderatos pepererat, ſociorumq; ſpem, quos iam ex pauore in contemptũ, ludibriumq; hoſtium cõuerterat, fortunæq; applauſum, quibus intrepidè, cõſtãtiq; pectore vti cœperat, proſequitur. Vrbis igitur portas, quas prę metu inimicorum Theron munitionibus obſtruxerat, in hoſtium deſpectum aperiri, aliasq; præterea patefieri iubet. quibus ſibi ad emergentes occaſiones patere præſentanea commoditas videbatur. Et quo ſuis animos faceret, infirmiſsimum quemq; hoſtium, quos per excurſiones ceperat, præſertim ex auxiliarijs, qui nigerrimi erant, nudatum in conſpectu ſuorum militum produxit: quorum vilitate & formæ, & ſtaturę, ad audendum prouocarentur. Quod & euenit. nam conſerto poſtea prælio ſuorum fiducia potius, q̃ viribus, aut numero adiutus, Carthaginenſes ingenti, ac memorabili clade affectos egregiè docuit, quantum eſſet in inſolentia, vanoq; numero ſpei ponendum. Neq; enimuero

eo facinore

eo facinore contentus meditari insuper secum, ac scrutari cœpit, quibus artibus totam hostium legionem eludere, copiasq; omnes citra suum discrimen posset euertere. Primum itaq; de nauibus eorum ingenio absumendis tentatum consilium fuit, quod si succederet, & de hoste actum fore, & rerum omnium summam, belliq; victoriam sibi in manus dari certò confidebat. Nec voto euentus defuit. Siquidem statuto die, quo Hamilcar Neptuno solennibus hostijs de more sacrificaturus erat, ab equitibus Gelonis interceptus nũtius, qui ab Hamilcare ad Soloentinos literas ferebat, quibus eo die, quo scripserat, equites præcinctos ei mitterent, ad Gelonem adducitur. Quo examinato, perceptoq; hostium consilio, ad stratagema se parat. Cumq; dies sacrificij instaret, equites ex suis delectissimos, Soloentinorum ritum, habitumq; mentitos noctu ad circumuicina loca lustranda emittit. Quibus iniunxit, vt illucescente ad nauales hostium stationes accedant, seq; à Soloentinis socijs missos simulent, ac simul vt intra vallum amicè fuerint admissi, facto impetu Hamilcarem obtruncent, mox ad naues incendendas irrumpant. Cum his etiam exploratores in præiacentes colles dimittit, vt cum primùm intra hostium septa receptos suos equites conspexissent, signum extollerent, quo equites in castra hostium ingressos certum sibi sit indicium. Igitur illucescente vbi omnem exercitum parauit, è specula signum à suis, quos miserat, præstolabatur. Equites sub solis exortum ad nauales Carthaginensium copias, vt iussum fuerat, peruecti, statim intra munitiones à custodibus nil doli veritis pro Soloentinis socijs recipiuntur, Ingressi repentè in Hamilcarem sacrificantem irruunt, inter sacra deprehensum trucidant, postea ex aris in naues ignem inijciunt, ac omnia hostium cæde, & incendio fœdant. Exploratores, vti erant instructi eodem tempore patratæ rei Geloni signum extollunt. Gelo conspecto signo confestim cum omni, quam parauerat militum acie, contra Carthaginenses citato agmine progreditur, Phœnicum duces vbi Siculos ad se venire vident, statim arma expediunt, & contrà occurrere pergũt, collatisq; signis pugnã ineunt. tela vltro citroq; peruolant, vir virum inuadit, vtrinq; clamore sublato, vtraq; alterno impetu in alteram concurrit acies. vbiq; cæsorum clades editur. Diuq; anceps cruentumq; bellum geritur. Interea flamma in naues latè, atq; in altum correpta multa cum fumi nebula erumpens Carthaginensium omnium oculos à pugna ad id, quod esset mali, incertiq; periculi imminens, conuertit. Qui vbi Hamilcarem cæsum, nauesq; incensas accipiunt, aduerso, & inopinato gemino casu perculsi, animo, ac viribus concidunt, & in fugam vertuntur. Græci audentiores facti ad certam victoriam læto clamore in barbaros incumbunt, fugientesq; insequuntur. Et quoniam Gelonis edicto cautum erat, ne hostium quispiam viuus caperetur, fœda, ac miserabilis barbarorum strages committitur. Nec antè finis fuit cædendi, quàm centum & quinquaginta hostium milia occubuerunt. Reliqua omnis Carthaginensium multitudo in locum quendam natura munitum sese recipiens non spe victoriæ, sed in mortis vltionem confertis animis, collectisq; viribus acerrimè resistunt. Sed vbi loco arido se conclusos vident, cogente siti ad deditionem compelluntur. Herodotus diuersum quid à Diodoro de morte Hamilcaris tradit. Refert nanq; non dolo à Syracusanis enecatum, sed in acie victum à conspectu ablatum, nec vsq̃ deinde gentium aut viuum, aut mortuum amplius comparuisse. Carthaginenses verò tradunt, quod dum barbari cum Græcis hoc prælio ab Aurora ad crepusculum dimicant, Hamilcar in castris sacrificans cum suos in fugam versos vidit, sese in ingentem pyrã viuus iniecerit, atq; ita combustus è conspectu omnium sublatus euanuerit. Porrò interea dum pugnant acies, & Carthaginensium omnia igni corripiuntur; hostesq; iam ferè omnes vel cæsi, vel capti in Gelonis potestatem veniunt. naues etiam flammis cunctæ periere, exceptis viginti tantùm, quæ incendium remis euaserant. Quæ etiam cum ex

cum ex fusa acie barbarorum pluribus, quot quæq; capere potuit, perfugis repletę, versus patriam vela verterent, in medio pelagi atroci maris tempestate suborta, omnes in transuersum abiere. Ex quo naufragio vix pauci parua scapha erepti Carthaginem nuntij tantæ cladis peruenere. Gelon tam insigni victoria, cæsis videlicet vnica acie tot hostiũ milibus, quot nunq̃ antea Imperatori cuiq̃ obtigisse memoriæ est proditum, præclarissimi ducis non modò apud Siculos, verum etiã apud omnes Græcorum, & barbarorum nationes nomen est adeptus. Carthaginenses verò suorum audita tam ingenti strage adeo consternantur animis, vt nil tutum, firmumq́; sibi superesse amplius rati noctes, diesq; vigilijs domi incumberent, custodirent, mœnia curarent, ac si Gelon cum victore suo exercitu victor & ipse iamiam pro mœnibus expectandus esset. Luctu præterea publico Carthago ob interfectorum multitudinem innumeram repletur. Gelon itaq; victor soluta acie ad victoriæ munia animum intendit, ac tum equites suos, tum milites omnes, eosq; præsertim, qui Hamilcarem occiderant, amplissimis prosecutus est muneribus, vnicuiq; pro meritis præmia distribuens. Hostium selecta spolia plura Himeræ templis, pleraq; Syracusanis Deorum ædibus seruari statuit. Reliquũ omne cum captiuorum turba computatum in militum sociorum capita pro cuiusq; ordine militiæ militibus, Centurionibusq́; diuisit. Siciliæ vrbes captiuos, quos sibi sors dedidit, in publica. R. P. opera dedicarunt. Agragantini, quibus tãta deditiorum multitudo obtigerat vt plerisq; quingẽti annumerarentur, in vrbis ædificationem, agrorumq́; cultus seruorum more impenderunt. Quorum ingens numerus in publicum relatus ad lapides cædendos est addictus. Ex quibus non Deorum modò maxima extruxere templa, verum & aquæductus spectabilis structuræ, miriq; artificij defoderunt à Phæace viro Agrigẽtino, qui operibus struendis præerat Phæacos appellatos. Constructum etiam eisdem operis Acragantini Geloni & ob memoriam tam insignis victoriæ, & ob delitias piscinam ambitus stadiorum septem; de qua satis in Agrigento diximus. Gelon post hæc dimissis auxilijs, & Anaxila Messanensium Tyranno in libertatem asserto, firmataq́; cũ eo pace Syracusas reuertitur tam numeroso captiuorũ comitatu, vt omnis Africa in Sicilia hoc prælio capta videretur. Ibi verò Sicularum vrbium, Tyrannorumq́;, qui Carthaginensium partes tutando eum offenderant, legati confestim adsunt: detrectatiq́; à se imperij veniam petunt, & quam facilimè impetrant. Pœni quoq; veriti ne Gelon elatus tam ingẽti victoria Carthaginem cum exercitu traijceret, legatos cum rerum componendarum potestate ad eum mittunt: quos adeo benignè recepit, vt statim conditiones has illis proposuerit: vt abstinerent deinceps Saturno filios impuberes sacrificare, vt duo argenti talẽtorum milia ad belli sumptus resarciendos soluerent, & vt duas præterea naues ei instructas in fœderis signum mittant: quibus receptis nihil ipsis deterius metuendum foret. Pœni præter spem impetrata pace conditiones alacriter acceptant: coronamq́; auri centũ talentorum pondo Damaratæ Gelonis coniugi, quæ ad pacem impetrandam satis eis patrocinata fuerat, vltro offerunt. Numisma deinde in aurum affabre factum ab eius nomine Damarateum est appellatum decem drachmas Atticas continens, quod Siculi Pentecontalitro, hoc est quinquaginta libras dixerunt. At Gelon iam tempus esse post impetratam bellis pacẽ ratus, quo suorum in se animos experiretur, comitia edicit, mandans omnibus, vt armis accincti, loricatiq́; Syracusas adueniant. ipse verò non solùm inermis, sed nudo etiam corpore solo tectus pallio in concionem prodijt. Vbi tum vitam suam percensere omnem, singulasq́; res à se fortiter gestas, beneficiaq́; erga Syracusanos accurata oratione causis vnicuiq; adiectis declarare cœpit. Cumq́; singula quæq;, nutibus signisq; apertissimis tota contio primũ comprobasset, mox sublata omnium voce læto clamore benefactor, liberator patriæ, & Rex Regum consalutatur, principatusq́; publico cõsensu

senſu totius Siciliæ vltro ei oblato. Quem tamen ille ſumma alacritate vultus conſtantiaq; recuſauit. Cuius facti magnitudine in vehementiorem amorẽ pertracti Siculi, quippe quòd eum populi, quàm monarchiæ ſtudioſiorem cognoſcerent, huius reſponſi monumentum, erecto in Iunonis tẽplo, quod Syracuſis erat, Gelonis nudo ſimulacro, adiecta illi inſcriptione quoq; paraphraſtica, factũ egregium declarante, imperpetuum ſui animi teſtimonium depoſuerunt. Tum verò concione ſoluta, rebuſq; compoſitis è foro diſceſsit: reiq; ad æquum bonumq; adminiſtrandæ multo q̃ ante addictior, & modeſtia ſingulari, clementiq; natura gratiam ſibi omnium, ac ſingulorum etiam voluntates priuata ſibi munificentia deuincire magis, magisq; in dies conſtituit, quo vel publica authoritate, vel priuata gratia vnumquemq; ſibi obnoxium redderet. Nec ſacrarum etiam rerum curam neglexit. Syracuſis nanq; ſubinde Cereris, & Proſerpinæ templa ex manubijs, ſpolijsq; hoſtium ſummo ornatu, miroq; artificio, ingenti impenſa conſtruxit. Tripodem quoq; ſexdecim auri talentorum pondo mira arte elaboratum Delphos miſit, Appolliniq; pro gratia numinis, & bene geſtę rei referenda corroborandaq; conſecrauit. In Enna præterea Cereri templum ædificare cœpit: quod tamen extremo fato præpeditus, reliquit imperfectum. Scribit etiam Duris Samius poſt hanc victoriam apud ciuitatem Hipponium locum ædificaſſe delitijs inſignem, luco, & pulchritudine celebrem, ac aquis irriguum, quem Cornucopiã appellauit. Iamq; ſub optimo Principe pace parta, vectigalibus, rebusq; ad vſum neceſſarijs Syracuſani operam dabant; quo tempore Athenis Demoſthenes Præfectus, & Romæ Fabius, & L. Mamercus Conſulatum gerebant. Pax magna Siciliam habuit. ſtatu communi, legibus optimis compoſito, comparataq; Gelonis ſtudio vectigalium, rerumq; ad vſum omnium ſingulis quibuſq; ciuitatibus copia. Sed ne Syracuſani deſidia otioq; marceſcerent, eos tanq̃ in expeditionẽ ad agros colendos, & ſyluas cædendas ducere ſolebat, eaq; arte munus plantationis longo bello ſepultum, velut ab inferis reuocauit: tum agros & cultu feraciores, & ornatu iucundiores reddidit. Septem tandem annis recte gubernato Imperio graui morbo correptus, cum iam de ſalute deſperaret, nec hæredem relinqueret, Hieroni fratri natu maiori Regnum Syracuſanum conſenſu populi tradidit. volensq; plebis ſcita inuiolata ſuo exemplo ſeruari in ſuo corpore ſepeliẽdo, acerrimo interdicto ſtatuit, ne lex de ſumptuum in pompas imminutione edita violaretur. Ita tandem quietè diſceſsit, & in vxoris agrum loco nomen turrium à re ipſa appellato ducentis ſtadijs ab vrbe diſsito elatus tumulatusq; eſt. Vbi pauco pòſt tempore Syracuſanus populus ſepulchrum inſigne, mirificiq; operis extruxit, titulisq; heroicis Gelonis nomen extulit. Quod poſtea Carthaginenſes cum contra Syracuſas maxima vi veniſſent, diruerunt. Agathocles etiam Syracuſarũ Rex liuore & ipſe demortui Gelonis ductus turres ipſas ſolo æquauit. Sed nec publica Carthaginenſium ſimultas, neq; priuata Agathoclis prauitas, neq; temporum vis Gelonis vnq̃ potuerunt apud Syracuſanos memoriam, gloriamq; delere. Mirum quoddam de Pyrrho Gelonis cane Philiſtus, & Plinius memoriæ tradiderũt. Vbi etenim canis demortuum vidit Gelonem, & in flammas vetuſto more iectum conſpexit, ſeipſum in Regis rogum iniecit, & ſecum exarſit.

DE HIERONE SENIORI, ET TRASIBVLO.

CAPVT QVARTVM.

HIERON poſt Gelonis mortem reliquorum fratrum maximus natu, Syracuſarum Rex ſufficitur, defuncto fratri ſupra modum abſimilis, quippe qui in inexhauſtam, inexplebilemq; auaritiam, immanitatemq; extremè procliuis ab omni honeſto

Digitized by Google

omni honesto egregioq; facinore prorsus fuerit alienus. Firmato nanq; ibi Principatu, cum Polyzelum fratrem natu minorem summæ apud Syracusanos existimationis esse conspiceret, veritus ne ad suam dignitatem minuendam, imperiumq; labefactandum tandem euaderet, insidijs illum occupare statuit. Primùm igitur milites conductitios, exulesq; q̃ plurimos ad corporis sui, vrbisq; custodiam deligit. dein Sybaritanis, qui à Crotoniatis obsidebantur, implorata auxilia missurus delectæ militum manui Polyzelum fratrem ex consilio præficit, vt inter præliandum à Crotoniatis absumeretur. Polyzelus dolos fratris prouida suspitione subodoratus, Præfecturam renuit, atq; ad Theronem Acragantinorum Tyrannum, cuius post mortem Gelonis Demaratam filiam vxorem duxerat, salutem sibi fuga quæsiuit. Sed Hieron fugientem insequitur, atq; ad Polyzelum perdendum se comparat. Quo facto iratus Thero, indignabundusq; contra Hieronem expeditionem educit. Quod bellum paulo post Simonides lyricus poeta Hieronis studiosissimus diremit: tãtæq; inter eos cõcordiæ fuit author, vt affinitate quoq; arctius iungerentur, Hierone Theronis sororem in vxorem accipiente. Interea Thrasideus Theronis filius, qui à patre post Carthaginensium insignẽ cladem Himerensium Præfectus constitutus fuerat, cum licentiosius aduersus eos se gereret, ciuium à se animos auertit. Qui cum querelas contra filium apud Theronem proponere non auderent, ad Hieronem, quem contra Theronem exercitum instruxisse sciebant, legatos mittunt, Thrasidei iniurias enarrant, conquerũtur, auxilium exposcunt, vrbem simul, & se omnes cum eo contra Theronem profecturos offerunt. Hieron occasionem nactus, qua Theroni se gratificaturum, atq; ita Polyzelum sibi deditum iri arbitrabatur, Himerenses, eorumq; consilia ei clam prodidit. Ille diligenti prius inquisitione facta, vbi ea omnia vera esse comperit, Hieroni se primùm, & Polyzelum fratrem conciliat, deinde Himerenses, qui ab eo desciuerant, quorum maxima erat multitudo, comprehensos vno die omnes necari iubet. Qua laniena Himera vrbs cultoribus remansit exhausta. Sed Theron Dores, aliasq; ex Græcis gentes, quotquot habere potuit colonos eò deductos ciues adscripsit. Qui omnes prudenter Remp. administrantes ad octo & quinquaginta annos fœlici propagine profecere, quousq; vrbs à Carthaginensibus postmodum funditus est deleta. Et ex eo tempore ad Diodori vsq; tempora colonis vacua, atq; deserta perstitit. Post hæc Hieron cum natura rudis, & ad eruditionem omnino ineptus, atq; ab omni humanitate alienus semper fuisset, in morbum quendam incidens, vitam moresq; cum valetudine mutauit, tandemq; longè omnium doctissimus euasit. Enimuero tempus, quod morbus ei diuturnus suppeditauit, in audiendis summorum hominum sermonibus consumpsit: factusq; firmior assiduè erat cum Simonide Cæo, Pindaro Thebano, & Bacchylide Iulite: per quos plurium rerum cognitionem adeptus est. tantoq; postea ad liberalitatem fuit procliuior, quanto antea perditioris erat auaritiæ: prõptiorq; fuit deinceps ad largiendum, q̃ petentes ad accipiendum. Animum deniq; verè illustrem, ac magnificum induit. vnde cum germanis fratribus Trasibulo, & Polyzelo post modum leniter, & amicè vixit, à quibus etiam plurimum diligebatur. Cum Catana, Naxo, & Leontino etiam vrbibus potiretur, minusq; in Catanæis, & Naxijs confideret; Catanæos & Naxios pulsos in Leontinos transcripsit; atq; ex Peloponneso, & Syracusis colonos ad decem milia ducens Catanam inhabitare iussit, quò sibi ad necessitates imminentes subsidia q̃ paratissima, ac fidissima haberet. Cæterùm cum non Tyrannus Catanæ vrbis, neq; Rex, sed veluti conditor & haberi, & nominari vellet, abolito Catanæ nomine Aetnam eam vrbem, & se Aetnæum appellari iussit, legesq; tum Laconicas, tum Doricas incolis præscripsit: quæ sanè erant præstantissimæ. Post hæc Athenis Acatestoride, Romæ C. Fabio, & T. Virginio Coss. cum Tyrrheni Phœnicũ coloni aduersus Cumanos

Italiæ

Italiæ populos bellum mouiſſent, Cumam per legatos Hieronem ad ſuppetias ſolicitant. quibus annuens confeſtim claſſem parat, eamq; contra hoſtes mittit; conſertoq; certamine Syracuſani ſuperiores fiũt. Nã Tyrrhenis partim cæſis iuxta Himerã. fl. partim fuſis, ſubmerſisq;, Siculi Cumanos ab hoſtibus eripiunt. Xerxes ſubinde cũ Græciã magno exercitu inuadere vellet, legatos ad Carthaginẽſes mittit, vt in Siciliã nauigantẽ Græcorũ claſſem vel ſubuerterent, vel incenderẽt, velisq; dein in Pelopõneſum directis, ei prẽſtò adeſſent. Sed cũ eodẽ tẽpore ab Athenienſibus ad Hieronẽ legati affuiſſent, ſubſidia petẽtes, Hierõ illis obſecutus ducẽtas naues, equitũ duo milia, peditũ decẽ in Græcorũ auxiliũ præbuit. Eaq; Hieronis claſsis Carthaginẽſes, qui iã in Siciliã irruerãt, adorta debellauit. Quo memorabili facinore Siculos ſimul, & Græcos ab imminenti clade liberauit. Scribit Epicharmus, quod cũ Anaxilas Rheginorũ, & Meſſanẽſiũ Tyrannus Locros Epizephyrios funditus perdere tentaret, Hieron illũ ſola interminatione compeſcuit. Poſt hæc Romæ. T. Minutio, &. C. Horatio Pulchro Coſſ. Theron Agragantinorũ Tyrãnus cũ ſexdecim regnaſſet annos, morbo correptus interijt. Cuius funus ob ſingularẽ eius imperandi modeſtiã, & quòd bonis artibus in conciliandis ſibi ciuiũ animis vitã oẽm abſumpſerat, heroicis laudibus Agrigentini ſunt proſecuti. Ei in imperio Traſideus filius ſucceſsit: qui ſicuti viuente patre infirmior adhuc inaudita, odioſaq; ſæuitia flagrauerat, ita poſtmodũ illo mortuo viribus, & imperio immanitatẽ copulauit, in ciuesq; ſuos ſæuire cœpit. Quo breui factũ eſt, vt cũ crudelitate immodica ſuorũ in ſe ciuiũ voluntates irritaret, nihil fidũ ſibi, tutũq; vsq; ratus non aliter inter ſuos, atq; inter hoſtes verſaretur: adeo oĩa circunſpiciebat, adeo quẽq; pro ſuſpecto ducebat, vt ſeipſum tandẽ propè timere cœperit. Hac igitur deſperatione potius, q̃ cõſilio coactis Agrigentinorũ, & Himerenſiũ viginti peditũ, equitumq; milibus ſola dominandi cauſa contra Syracuſanos, Hieronẽq; eorũ Regẽ mouit. Hieron delecto, inſtructoq; non impari exercitu contra occurrit, cõſertoq; prælio vtrinq; complures Græcis cũ Græcis acie dimicantibus ea pugna ceciderunt. Superiores tamẽ Syracuſani fuerũt: quorũ ad duo milia, Agrigentinorũ ad quatuor ſunt cæſa. Traſideus hoc prælio fractus animo, rebusq; ſuis diffidẽs, imperio ſeſe abdicans ad Megarẽſes cognomento Myſeos ſeceſsit: vbi mortẽ manu ſibi ipſe conſciuit. Agrigentini miſsis ad Hieronẽ legatis pacẽ impetrarunt, & libertatẽ adepti populari ſtatu ciuitatẽ deinceps cõpoſuerunt. Hieron non ita pridẽ q̃ morereturL. Pinario Mamertino, &. P. Furio Philoſopho Romæ Coſſ. Anaxilæ filios iã adultos amicè ad ſe Syracuſas accerſit, quibus primũ ĩſigni munerũ pretio donatis, & q̃ benigniſsimè exceptis, beneficia a Gelone eius germano fratre Syracuſarũ principe Anaxilę eorũ genitori poſt cladẽ apud Himerã receptã, collata, recenſuit: conſuluitq; poſtea, vt Meſſanã regreſsi à Mycitho imperij adminiſtrati rationem expoſcerẽt. Meſſanam illi reuerſi Regni Iura, vt Hieron ſuaſerat, à Mycitho expetunt, quod ille nulla deliberationis poſtulata mora ſtatim fecit, regnumq; illis reſignauit, prout latius in Meſſanæ deſcriptione. Illi verò paulo pòſt Romæ. Q. Seruilio, & Sp. Poſthumio Albo Coſſ. è tutelari poteſtate imperio ſuſcepto in libidinem procliuiores, cũ Meſſanã, & Rhegium licentiori dominio adminiſtrarẽt, ac inſolentius in ciues ſæuirẽt, vterq; Principatu à populo abdicãtur: eoq; pacto Meſſanenſibus libertatem adeptis, magna, & opum, & imperij in vrbe poſtea facta eſt acceſsio. Hieron poſt hæc Syracuſanorum (qua cauſa incertũ) in ſe infeſtiſsimũ odium prouocauit. Quocirca cum plebis ſeditiones, clandeſtinasq; cõſpirationes admodũ timeret, auricularios, & deductores inſtituit viros ſui ſtudioſiſsimos, quos vbicũq; ciuiũ erat cõgregatio, ſubmittebat, vt quid Syracuſani loquerẽtur, perſentiſcerẽt, & ſibi referrẽt: eoq; modo metũ in Syracuſanos incuſſit, ne aliquid cõtra ipſum machinarẽtur. Cũq; aliquot è familiaribus ſuſpectos haberet, eos in publico foro occidit. Fuit Hieron pugil etiã ſtrenuus; terq; in olym-

picis certaminibus vicit, semel quadrigis, bis celete. At post alterã celete partam in olympijs victoriã Syracusas regressus Catanam postea petijt: vbi morbo correptus, postq̃ vndecim regnauit ãnos, mẽsesq; octo fato functus est: voto Ioui facto, regniq; successore Trasibulo fratre prius ab eo nominato. Reliquit autẽ vnicũ filium, cui Dinomeni erat nomẽ. Honores funeris nõ alios nactus est, q̃ si ipsius Catanæ vrbis fuisset cõditor. Mortuo patre Dinomenes filius, quæ Ioui Olympio vouerat statim ei persoluit, contestata hoc Regio epigrãmate græcis literis inscipto: O Iupiter Olympie, cũ Hiero tuũ venerandum vicisset certamen quadrigis semel, vnico equo bis, hæc tibi largitus est dona. Filius autẽ dicauit Dinomenes Syracusani patris monumentum. Syracusani quoq; Hieronis Trasibulum, vti vltima voluntate decreuerat, fratrem Regẽ salutant. Is Principatus initio Hieronẽ improbitatis, & prauitatis sæuitia superauit. Nã plerosq; ciues nõ solùm iniurijs affecit, sed etiam crudeliter necauit. Nonnullos proscriptis bonis innoxios in exilium egit. Cumq; indies magis, magisq; inuisus populo redderetur; sibi timens collectum exterorũ exercitũ ad sui tutelã apud se tenuit. Sed cũ nullus esset extremæ crudelitati modus, in desperationem acti Syracusani eũ regno pellere, seq; in libertatem vindicare electis ad hoc ducibus statuunt. Trasibulus verò conspirationẽ ciuium cum resciisset; mutato consilio placidis verbis seditionem frænare nititur. At vbi frustra ciuium animos flectere conatur: confestim ex Aetna viros, quos ibi colonos Hieron instituerat, aliorumq; oppidorũ socios ad se euocat: atq; ex ijs, & mercenarijs militibus exercitum ad quindecim hominũ milia cogit. Syracusani igitur pro libertate vindicanda se inuicẽ exhortantes dato à ducibus signo, contra Tyrãnũ insurgunt, atq; eã vrbis partẽ, quę Tycha dicitur, occupãt: deinde legatos Gelã, Agrigentũ, Selinuntẽ, Himerã, & ad mediterraneas etiã Siculorũ ciuitates mittũt, auxilia ad Syracusas tyrãnide liberãdas petẽtes. Trasibulus ĩterea multorũ militũ manu, Acradinã, & Naxõ duas vrbis partes muniẽs, eruptionibus assiduis Syracusanos lacessebat, illisq; terrorẽ incutiebat. Dũ Syracusis hæc ancipiti Marte geruntur, ex Gelois, Agrigẽtinis, Selinũtinis, Himerẽsibus & Siculis pedestriũ, atq; equestriũ præsidia, & classis etiã satis ad bellũ instructa Syracusas aduenĩũt. Syracusani auxilijs receptis, classe, & exercitu satis expedito freti, Trasibulo terra, mariq; pugnãdi copiã faciũt, eũ ad bellũ prouocant, atq; vrgẽt. Quibus ille conspectis, classe sua, quã paratã habebat, confestim magna vi Syracusanorũ classem adoritur. Sed conserto prælio cum plures triremes amisisset, in Insulam confugiens peditatu ex Acradina educto contra Syracusanos sub mœnibus vrbis pugnã inijt: vbi magna suorum clade recepta, intra Acradinam vi compellitur. Postremò desperatis rebus legatos ad Syracusanos mittit, cũ quibus (vt potuit) rebus compositis Syracusis libertatem restituit. Atq; fœdè decẽ postq̃ rerũ potitus est menses, inde discedens Locros abijt. vbi cum regnũ bonis artibus à Gelone partũ, firmatumq; sua sæuitia, vecordiaq; ante annũ amisisset, priuatam apud Locros vitam deinceps ad mortẽ vsq; peregit. Syracusani vero noua lætitia perfusi Ioui Liberatori statuã Colossẽã erigunt: sacraq; Libertati quotannis libamina in quibus Dijs suis quingentos quadraginta boues in ciuiũ conuiuiũ immolabant, persoluũt. Magistratus vetustis, & indigenis ciuibus distribuũt, nouitijs prorsus exclusis, quos Gelõ ad decẽ milia ciuitate donauerat: quorũ ad id vsq; tẽpus septẽ milia supererãt: siue quia eos tãto honore indignos cẽsebant; siue quoniã tyrãnidi iãdiu assueti facilè si magistratu potirẽtur, ad eandẽ aspirare potuissent. mercenarios quoq; milites liberè Syracusis abire permittũt. Reliquas postea Siciliæ vrbes tyrãnide, & præsidijs occupatas in libertatẽ reuocãt, statũq; populare vbiq; cõstituũt. Quo per sexaginta propè annos ad Dionysij vsq; dominatũ placidè vũ, solo fœcundo vbertatẽ suggerente, & opibus, & imperio maxime profecere. Sed tandẽ fœlicitas hæc in licentiã, superbiamq; cõuersa, seditionũ causas illis suppeditauit: quæ Syracusis primũ

emerserunt

Digitized by Google

emerſerunt. Enimuero cum Gelonis coloni, & quos ciuitate donauerat, magiſtratu ſe abdicatos viderent, iniquo id ferentes animo, inito inter ſe conſilio in Syracuſanos conſpirant, atq; armis inſtructi in ſeditionem vertuntur: duasq; vrbis partes maximo muro cinctas Acradinã ſcilicet, & Inſulã inuadũt, paruoq; negotio occupãt. Syracuſani in tã repentino tumultu conſternati reliquã vrbis partẽ, quæ aperta erat, & ad occidentẽ & agros, locosq; apertos vergebat, confeſtim inſidẽt, muroq; claudunt. Ex qua quidẽ parte facilimè cõſpiratores, qui duas occupauerãt partes, prohibere poterant, ne in agros ad cõmeatũ habendũ egrederẽtur. Quo factũ eſt, vt ſeditioſi obſidiõe ſimul, & annonę inopia premerẽtur: At cũ, rei militaris præſtãtia Syracuſanis ſuperiores eſſent, & ſi numero inferiores, excurſionibus frequẽtibus vrbẽ infeſtabant, atq; victores apparebãt. Poſt hæc Syracuſani Acradinã peditatu acriter oppugnãt. Sed cũ aſperitas loci nimis cõſpiratoribus faueret irritos etiã illorũ conatus reddidit. Idcirco Syracuſani claſſe eos adoriuntur, atq; ita, bello nauali inferiores facti, cedere tamen noluerunt. Quinimo eductis in apertum cõpijs acerrimè certamen redintegrant. Aliquandiu ancipiti marte, æquisq; viribus, ac vtrinq; plurimis cæſis prælium geritur: tandem Syracuſanis victoria ceſsit. Parta victoria plebs Syracuſana ſexcentos viros eo bello cæteris præſtantiores, quorum inſigni opera hoſtes ſubacti in deditionem venerunt, coronis aureis donarunt. Cæteris omnibus, qui pro Rep. dimicarunt, per capita argenti nummum diſtribuerunt. Sub idem tempus à Catanę vrbis incolis, quos Hiero ibi ciues adſcripſerat, Siculi & Syracuſani agros ſibi per vim ereptos repetunt, & ni reddant, ad bellũ ſe parent, indicunt. Quocirca Catanenſes cõtrà armis inſtructi in aciẽ exeunt. Vbi conſerto prælio inferiores fiũt, tãdẽq; fracti animis cũ ſe tueri amplius non poſſent, agros, & vrbẽ Catanã illis cedunt; atq; in mõtanã Aetnę orã, quã Ineſſam Thucydides, Inueſam Strabo, Enneoſiã Diodorus appellat quæ à Catana. 12. p. m. diſtabat, commigrarunt, vrbemq; Aetnam appellant, Et cõditorẽ Hieronẽ ſimulãt. Priſci verò Catanẽſes qui ab Hierone fuerãt expulſi, redeuntes proprias ſedes incoluerũt, & Hieronis tumulo inſigni ſolo æquato vrbẽ ipſam priſco nomine Catanã, & nõ Aetnã dixerunt. Quicũq; præterea aliunde proprijs vrbibus ab Hierone eiecti, ad eam vſq; ætatem exulabant, ſociorum auxilio in patrias vrbes redierunt: illosq; inde eijciunt, qui per vim Hieronis eas poſsidebant. Quorum ex numero Geloi, Agrigentini, Himerenſes, Rhegini quoq;, & Zanclæi fuerunt. Exules verò omnes, & eos, qui Hieronis imperio loca, & iura aliena ſibi vſurpauerant. Meſſanæ incolas conſtituerunt. Ciuitates prę terea cæteræ ad delendos aduenas, colonos, omnesq; hoſtes viribus communibus conſurgunt, eisq; ſuperatis ſeſe in ſua iura reſtituunt. Ita ſeditiones omnes, quæ per Siciliam frequenter antea concitabantur, hoc pacto ſunt compreſſæ. Poſtremò ciuitates omnes, lapſasq; vrbes inſtaurare, leges reformare, ciues bonis moribus inſtruere, & agros per ciuium capita diſtribuere pergunt. Poſt hæc dũ Romę Qu. Fabius Bibulanus, &. L. Cornelius Curetenus Conſulatũ gereret, inter Segeſtanos, & Lilybitanos, p agris ad Mazarũ. fl. poſitis, maximũ bellũ eſt exortũ. Facto igitur inter eos atroci certamine multi vtrinq; occubuere: adeoq; cruenta vtriſq; fuit hęc dimicatio, vt ab armis, & à cõtẽtione, ſubſecuta inter eos pace, diſceſſum ſit. Eodẽ ferme tẽpore ciuitates quoq; Sicilię denuo motibus ciuilibus, & popularibus, inteſtinisq; diſcordijs paſsim vno, eodẽq; authore vexari cœperunt. Quæ labes vrbẽ Syracuſas in primis inuaſit. Erat etenim Syracuſis vir, cui Tyndario nomen erat, vti opibus, ita & incredibili audacia, & omni ſcelere inſignis. Is tyrannidem captans, initio egenis pleriſq; alimenta neceſſaria propensè ſubminiſtrauit. poſtmodum plebi fauere, atq; aſsiſtere cœpit. Ita hac via fauorem ſibi popularem cum deuinxiſſet, ad vrbis tyrannidem occupandam ſe parabat. Comperto eius inſtituto, in iudicium trahitur, & à iudicio in vincula ducitur.

Digitized by Google

Quo cognito ij, qui ab eo ali consueuerant, conferto agmine in eos, qui in carcerem Tyndarionem deferebant, irruunt, pugnamq; ineunt. Tumultu excitato vrbis primores, & ij, qui magistratus officio fungebantur, simul conueniunt: seditiosos cum Tyndarione capiunt, ac simul ad supplicia raptos capite puniunt. Et cum eo tempore tyrannidis in ea vrbe occupandæ frequenter pericula emergerent: pentalismum (quod exilij genus est) Senatus, populusq; Syracusanus ad imitationem Athenienſium, quibus lex antè ostraciſmus fuerat instituta, introduxit, Athenis quippe qui ad tyrannidem aptus videbatur, à ciuibus super petram, Syracusis verò in oliuæ folijs nomen inscribebant. Qui igitur tyrannidis studiosior ex multitudine scribentium apparebat, quinquennij exilio mulctabatur. Nulla in lege iuris vtrobiq;, sed uominis sola est differentia; nisi quòd apud Athenienses diu, sed apud Syracusanos pauco tempore fuerit obseruata. Nam cum prudentissimus, ac potentissimus quisq; delati, Regis præcepto exulassent, si qui remanserant prudentia insignes metu legis Rempub. deseruerunt. Quo effectum est, vt praui, seditiosi, & rerum semper nouarum cupidi ad vrbem gubernandam bonorum inopia eligerentur. Oratorum præterea, deferentiumq; numerus erat ingens, & optima quæq; consuetudo propterea interierat, morumq; prauitas nimis admodum inoleuerat: nulliq; probitatis, iustitiæ, boni, æquiue iam amplius cura suberat. Quo animaduerso lex iacturæ magnitudine damnata abrogataq; est. Post hæc Romæ. C. Nautio Rutilio, & L. Minutio Carutiano Coss. cum Tyrrheni mare Sicilienſe incursionibus, ac deprædationibus affatim vexarent: Syracusani classem instruunt, eiq; Phaylum Syracusanum Prætorem præficiunt, & contra Tyrrhenos mittunt. Is primo cursu Aethaliam liguſtici maris insulam depopulatus est, tum magno auri pondo à Tyrrhenis, ne eorum oram tangeret, clam accepto, nihilq; strenuè ea expeditione gesto, Syracusas redijt. Senatus facinore comperto eum in iudicium pertractum vt Reip. proditorem, exilio mulctauit. Appellem subinde sexaginta triremium classi contra Tyrrhenos præfectum constituũt. Qui prima sui excursione Tyrrhenam deprædatur orã, deinde Cyrnam insulam, quæ Corsica est hodie, inuadit. postremo Aethalia insula vi capta, præda, magnoq; captiuorum numero, ac rebus alijs ad varios vsus accommodatis onustus, Syracusas est regressus.

F. TH.

Digitized by Google

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORVM DE REBVS SICVLIS, POSTERIORIS DECADIS.

LIBER SECVNDVS.

DE DVCETIO SICVLORVM REGE.

CAPVT PRIMVM.



SICVLI (vt diximus) à Græcis maritimis locis expulsi in mediterranea Siciliæ receſſerunt: diſtincto à Græcis Principatu res ſuas gerentes. Potiebatur eodem ferme tempore Ducetius patria Neetinus, genere, & opibus inſignis, nec minus acri vir ingenio, & ad egregia quæq; facinora obeunda promptiſsimus. Is Menoenon vrbem condidit, eiusq; agros colonis per capita diuiſit. Subinde contra Morgantium vrbem bellum mouit. quam tandē magna vi oppugnatam cepit. Qua victoria apud Siculos, Græcosq; etiam magnum Ducis nomen promeruit. Poſt modum Siculas omnes vrbes, Hybla excepta, ad æquale tributum coegit: eoq; ære publico ingentes ſibi coaceruauit opes. Quo factum eſt, vt maxima pecunia per vim contracta magni quoq;, potentisq; nomen ſibi vendicauerit. Deinde Neas vrbem (quæ Netum eſt hodie) ſuam patriam in collis vertice à Siculis ab initio fundatam in planitiem monti ſubiectam tranſtulit. Iuxta templum Palicorum vrbem inſignem condidit, quam à Palicis Palicem appellari iuſsit: eamq; cum muro ſatis firmo circummuniſſet, finitimum agrum colonis diuiſit. Hæc vrbs ſicuti vbertate agri, incolarum multitudine, & maieſtate templi breui coaluit, ita & breui poſt mortem Ducetij defecit. Sed de Palicis, eorumq; templo ſatis priori Decade ſcripſimus. Ducetius poſt hæc maxima militū manu coacta Romæ. L. Poſthumio, & M. Horatio Coſſ. Ennam Græcorum vrbem inuadit, necatoq; per fraudem eius Principe ea potitur, Deinde in Agrigentinorum agros exercitum traijciens Motyon oppidum non longe ab Agrigento ſitum Agrigentinorum præſidio munitū magna vi adoritur. Quo cognito Agrigentini Motyenſibus ſuppetias mittunt. Sed Ducetius expedito agmine contra eos ſtatim occurrit; conſertaq; pugna victor Agrigentinos, & Motyenſes caſtris ſpoliat, & Motyon capit. Verùm hyeme ingruente à ſe mutuo diuiſi ad propria ſunt reuerſi. Syracuſani, qui Siculis erant infenſiſsimi, contra Ducetium exercitum & ipſi miſerunt ingentem, illiq; Bolconem Syracuſanū præfecerunt. Pugna mita Ducetius ſuperior factus Syracuſanos profligauit. Sed cum rumor certis indicijs firmatus ad Syracuſanos peruenisſet; Bolconē cū Ducetio conueniſſe, ac fugæ, amiſſæq; victoriæ authorem fuiſſe, Syracuſani Bolconē in ius vocauerunt, ac veluti Reip. hoſtē, proditorēq; publico ſupplicio affecere. Deinde exercitum parant, illiq; ducē alterū pręficiunt, cui iubent, vt contra Ducetium moueat, eumq; omni arte delere nitatur. Is igitur mandata exequitur. caſtraq; hoſtis circa Nomas metata adoritur. Vbi vtrinq; inita pugna acerrimè decertatur, non ſine vtriuſq; aciei memorabili ſtrage. Tandem Siculi Syracuſanorum vi propelluntur, ac in fugā vertuntur. quorū Syracuſani terga ſecuti, multos quidē trucidarunt. maior verò fugiētiū pars in munitiſsima quæq; oppida vnà cum Ducetio ſeſe recipientes ſalutem ſibi quæſierunt. At deinde Siculorū magna multitudo, Ducetio (quod ei vires nō ſufficere ad audaciā ſpiceret)

deſerto ad ſua quiſq; loca ſe contulerunt. Quo intellecto, Agrigentini oppidum Motyon confeſtim magna vi agreſsi (cum pauci in eo bellatores eſſent) nō multo labore recipiunt. Motyone recepto, Agrigentini fœdus cum Syracuſanis contra Ducetium ineunt;ſocia arma contra eum iungunt.ac demum ex Agrigentinis, & Syracuſanis contra Ducetium ingens conflatur exercitus. Ducetius vbi effœtas vires, ſeq; à ſuis deſertū videt, veritus ne & etiam eis, qui pauci in fidè perſtiterāt,exoſus fieret,deſperatis rebus,callido cōſilio vſus: noctu Syracuſas ꝓperat,in forū ante aras ꝓſternitur:mox ad Senatū ſupplex accedit,ſeipſum, regionēq; Siculorū in Syracuſanorū fidē tradit. Vbi per vrbē inſperatus Ducetij aduētus diuulgatur,turmatim ad forū Syracuſani cōcurrūt,rei nouitate permoti, admiratione etiam penè tabeſcunt.Deinde ad concionē omnes vocātur: quid de Ducetio agendum ſit deliberant. Qui plebis partes tuebantur ſupplicium de eo veluti de hoſte ſumendum cenſuerunt. Vrbis primores, & qui prudentiores erāt: parcendum Ducetio : neq; fidem ei violandam, qui fortunæ ludibrio proiectus ſupplex aduenerat: Deorum,qui violatæ fidei crimen vlciſci ſolent, iram pertimeſcendam. Quid Syracuſanam maieſtatem deceret,ac demum quid vetuſta Syracuſanorum inſtituta,decretaq; iuberent,& non quid Ducetius ſua culpa mereretur,inſpiciendum eſſe dixerunt. Horum igitur ſententia prævalente, populus vno ore ignoſcendum Ducetio conclamat. Quorum conſenſu Senatus ducetiū vltimo ſupplicio ea conditione abſoluit, vt Corinthum relegatus reliquum ætatis ágat;illiq; vitę neceſſaria ſatis abunde ibidem ſuppeditentur. Ad Corinthum igitur Ducetius in exilium actus ducitur. Vbi non ita diu commoratus exilij cōuenta rupit,flagitium religione velat,rumore ficto ſibi fatis, ac Deorum oraculo ſub interminatione indictum, vt in pulchro Siciliæ littore, quod mare Tyrrheno alluitur,vrbem condat. Oraculo per Corinthum diuulgato maxima hominum multitudo ad nouam vrbem Deorum iuſſu promouendam ducetio adhæſit. Cum quibus in Siciliam reuerſus vbi eius aduentus innotuit Siculorum ſuorum non contemnenda manus ad reducem poſtliminio Principem ſuum refluxit, operaq; ei ſua vltro oblata, nouam cum eo rem ſuſcepere. In quorum numero & Archonides fuit Herbitæorum Princeps. Qua acceſsione Ducetij ductu, ſtudio, curaq; ſtrenua vrbs ad pulchrum littus, pluribus Siculorum colonis eo adductis infra paucos menſes exedificatur,quam Collatinam appellarunt. Interea Agrigentini veteri in Syracuſanos odio exciti,ſimul, & quod Ducetium communem hoſtem eis inconſultis contra iura,libertate donauerāt, bellum Syracuſanis inferunt. Bello indicto Siculorum inter ſe vrbes diſſentiunt, ac alijs Agrigentinas, plæriſq; Syracuſanas partes tuētibus. Eaq; diſcordia ꝓpētę,magna vtrinq; militum multitudo, populis ipſis æmulatione quadam in arma ruentibus, copijsq; eductis,ad Himeram fluuium è regione caſtrametantur. Acie inſtructa, collatis ſignis in pugnam deſcendunt:acerrimè vtrinq;,ac æquis ferè viribus dimicatur. Tandem Agrigentinorum ſupra mille in ea acie cæſis, Syracuſanis victoria ceſsit. A quibus,ſedato prælio legati ab Agrigentinis pro rerum compoſitione miſsi pacem impetrarunt. Cæterum dum hæc inter Agrigentinos, & Syracuſanos gererentur: Ducetius, Collatina vrbe iam condita,& Siculorum regno ab interitu vendicato,interrupto rerum magnarum conſilio, morbo correptus obijt. Quo mortuo, & pace inter Syracuſanos,& Agrigentinos nuper facta, perſeuerante, & icto iam pridem inter Gelonem,Syracuſanosq;,& Carthaginenſes fœdere durante: Græcorum in Sicilia vrbes ſummam imperij rerumq; adminiſtrationem penes Syracuſanos eſſe vltro permiſere. Iamq; eorum magnæ tunc erant opes, lateq; patebat imperium quippe qui non ſolum Græcorum, ſed Siculorum quoq; vrbes omnes (Trinacia excepta) ſibi addictas habebant. Erat Trinacia Siculārū vrbium Princeps, ac regia,opere,& præſidio munitiſsima,ciuibus quoq; optimatibus,

Digitized by Google

tibus, virtute, ingenio, ac opibus præstantissimis, referta. Quocirca Syracusani veriti ne Trinacini magnitudine virium, & militum cognatorum multitudine freti, vi subactis Syracusis, vniuersum sibi Sicilię vsurparēt imperiū: Trinaciā totis viribus agredi constituunt. habitoq; militū vndiq; tam ex ipsis Syracusis q̄ etiam ex socijs vrbibus delectu, contractisq; quantis tum poterant copijs, exercitum contra eam vrbem mouent. Trinacini socijs Siculis, atq; externo præsidio destituti, contra instructo ex se ipsis exercitu occurrunt, atq; acerrimè, ferociterq; dimicant, magnamq; hostium multitudinem cædunt. Sed cum numero satis essent inferiores, præualentibus postea Syracusanis heroicè præliando mortē omnes oppetiere. Senum quoq; complures inuictis adeo animis fuerunt, vt propria manu sibi vitam effuderint, ne captiuitatis contumelias, ludibriaq; experirentur. Syracusani parta victoria, ac prostratis, pœnitusq; deletis Trinacinis, qui antea inexpugnabiles eis habebantur, plebe, incolisq; omnibus in prædam, & seruitutem adductis, vrbem etiam ipsam funditus euertunt. Ex omni autem præda, manubijsq; quicquid selectum fuit, Delphos ad Apollinem miserunt, quem superstitiosa religione & Deum, & fortunarum suarum authorem, auctoremq; arbitrabātur, gratias pro tam insigni atq; ingenti victoria referentes. Erant tum Romæ. L. Iulius, & M. Geganius Coss. olympiasq; octuagesima quinta. Syracusani harum rerum successu, opibus, & animo elati, cum iam pridem vniuersam sibi Siciliam subigere meditarentur, centum triremes ædificant equitum, ac peditum numerū conduplicant. Et ne pecunia ad necessarias belli impensas minor esset, contributiones augent, maioraq; subiectis Siculorum vrbibus vectigalia imponunt, imperantq;. vt peculiares quasdam, quæ supererant respublicæ & suis adhuc legibus viuebant, subiugarent.

DE BELLO INTER LEONTINOS, ET SYRACVSANOS. CAPVT SECVNDVM.

ERAT inter Siciliæ vrbes Leontinum Resp. Græcorum insignis. Hanc igitur & propinquitatis occasione, quòd suis agris multum momenti allatura eius accessu videretur, & veteri totius Siciliæ possidēdæ animo, Syracusani. M. Manio. Q. Sontitio. Seruitio Cornelio Romæ Consulari potestate Tribunis. inuadere statuunt, viresq; ad id omnes exacuūt. Quo accepto Leontini cum opibus, potentiaq; longè Syracusanis inferiores sese cognoscerent, in discrimen patrię amictēdæ adducti, legatos ad Athenienses, quorum erant cognati vtpote ex Naxijs chalcidensibus exorti mittunt, orantes vt q̄ celerrimè in suæ originis vrbis iam periclitantis auxilium properent. Fauebant Syracusanis quæcunq; Dorici nominis in Sicilia erant ciuitates, præter Camerinenses, Leontinis Camerina, & Chalcidicæ omnes vrbes, quæ eædem & Iones erant, suppetias ferebant. Ex Italia propinqua Syracusis Locrenses, Rhegini, vtpote cognati Leontinis studebant. Pressi itaq; Leontini Syracusanorum viribus incumbente iam periculo Gorgiam Rhetorem omnium suæ ætatis sermonis acrimonia longe præstantissimum Legatum & ipsi Athenas ad auxilia petenda miserunt. Gorgias Athenas cum applicuit, super fœdere contrahendo, auxilioq; impetrando publicè Luculentissimam habuit orationem. Athenienses nouitatem rei, & eius miram in dicendo industriam admirati, & eius verbis, & quia iampridem Siciliæ inuadendæ ob loci oportunitatē, soliq; feracitatem libido eos ceperat. Et quoniam sperabant fore, vt quandiu in Sicilia Atticæ naues essent, commeatus inde Lacedemonijs, cum quibus bellum eo tempore gerebant, non apportaretur, ad suppetias Leontinis ferendas facilè sunt persuasi. Decreto igitur Leontinis auxilio centum naues ducibus Lachete Mechanopi,

Digitized by Google

Mechanopi, & Chareade Euphileti filio in Siciliam mittunt. Rhegium igitur secundante vento Attica classis aduecta, centum nauibus à Rheginis, & Chalcidensibus colonis in id collatis augetur. Inde enauigantes insulas Aeolias, quæ partes tuebantur Syracusanorum, inuadunt. Quas cum ad deditionem compellere non possent, hostiliter agris populatis discedentes, in vrbem Locros, quæ cum Syracusanis fœdere iuncta erat, deferuntur; captisq; ibi quinq; Locrensium nauibus, oppidum Peripolion, quod ad flumen Halecen situm est, obsident, quo tandē, cōserta cum oppidanis pugna, & eorum supra mille cęsis, & sexcentis captis, magna vi potiti Rhegium reuertuntur. Post hæc cum Syracusani magna classe contrà & ipsi Athenienſibus occurrissent: Athenienses cum socijs inuictis eos adoriuntur: commissoq; prælio in ea pugna Charædas occubuit. Laches, penes quem vnum remā serat classis potestas, Mylas oppidum, vbi duæ Messeniorum erant cohortes, obsidet. Sed cum illi insidias Athenienſibus parassent, Athenienses eos inuadunt, atq; in fugam vertunt, multisq; ex eis cæsis copias Mylas admouent, quibus Mylenses oppressi deditionem fecerunt. Postmodum contra Messenam soluunt, vr bemq; oppugnant. At Messanenses, cum viribus se cognoscerent inferiores deditionem statim fecerunt: datisq; obsidibus, & quæ ad tutelam pertinebant, præstitis, in fidem ab Athenienſibus sunt recepti. Subinde Athenienses cum socijs Græcis, & cæteris, qui vel ex Siculis, vel ex Syracusanis ad eos defecerant, è Messana mouent, & Nisam oppidum, cuius arcem Syracusani tenebant, aggrediuntur, Vnde oppidanis, Syracusanisq; fortiter obsistentibus fœdè reinfecta abire cogun tur. Quos insecuti Nisenses, & Syracusani, magno impetu in fugam vertunt, atq; eorum multos occidunt. Athenienses post hæc per littus maris nauigantes cum ad Himeram vrbem peruenissent, è nauibus egressi cum Siculis socijs vrbem ipsam magna vi oppugnant. Sed cum Himerenses acerrimè vrbem defenderent, Athenienses depopulatis tantùm eorum agris, regressi ad Aeolias nauigant, & paulo post ad Rhegium nullo egregio facinore gesto rediere. Siculi, qui Athenien sium erant socij, cum Syracusanos viderent & terra, & mari superiores, Athenienses q; frustra contrà niti, persuaserunt, vt maiori classe se munirent. Igitur Athenienses Pythodorum Isolochi filium Lachetis in Præfectura classis subrogatum ducem cum aliquot nauibus in Siciliam mittunt, cum reliquis Sophoclem Sosastridæ, & Eurymedontem Thucleis filium propediem missuri. Laches cum Rhegium applicuisset, Pythodorum, qui noua cum classe Athenis venerat, offendit, quem confestim (translata in eum Præfectura) ad Peripolion Locrorum præsidiū proficiſci iubet. Ineunte deinde septimo belli Peloponnesiaci anno, Syracusani decem cum suis, totidemq; locrensium nauibus Messanam à ciuibus vocati, recipiunt. Quam cum primùm præsidio munissent, Eurymedon, & Sophocles quinquaginta cum instructis triremibus Athenis in Siciliam applicant. Erant eo tempore & ad tuendas freti angustias, & ad Rhegij præsidium Atticæ naues duo deuiginti in salo stantes. Eas Syracusani Locrensium hortatu cum triginta ferme instructis nauibus in medio freto sub occasum Solis adoriuntur. Vicit Attica classis, etsi numero impar. Syracusani fœda fuga dissecti naui vna ad Rhegium, ad Messanam altera amissis, ad Pelori Siciliæ promontorij oram iterum se collegere. Quibus Syracusanorum peditatus statim affuit. Athenienses verò, Rheginiq; vbi hostium naues militibus vacuas audiunt; eas iniecta ferrea manu aggrediuntur. Sed inter præliandum athenienſium nauis vna submergitur, viris solùm nando elapsis. Quo casu Syracusani erectis paulisper animis suas naues ascēdunt, easq; fune per littus Messanam versus trahunt. Athenienses vbi hoc vidēt, sua classe hostes inuadere statuunt. At Syracusani, qui ad arma iam parati erant, dato signo, prius in atticas irruunt, atq; conserto prælio, eas amissa altera naui propulsant. In hunc modum Syracusanæ naues in portum Messanæ tandem incolu mes

incolumes venere. Post hæc Athenienſes, cum Camerinam, quæ eorum erat ſocia, ab Archia Camerinenſi, & plerisq; alijs ad id facinus coniuratis, proditum iri Syracuſanis cognouiſſent, eò contendunt: eamq; (interfectis coniuratoribus) periculo liberant. Dum hæc Camerinæ aguntur; Meſſanenſes, & Syracuſani, qui Meſſanenſibus præſidio aderant, contra Naxum vrbem Chalcidicam terra, & mari bellum mouent. Et primo die intra mœnia repulſis Naxijs, eorum quidem agrum populantur. Sequenti verò die ad amnem Aceſinem claſſe adnauigantes agrum vaſtant, & terreſtri exercitu vrbem oppugnant. Cognita, ac vulgata Naxi obſidione Siculi montani Naxiorum ſocij ad ferendam eis opem ſtatim properant, & in obſidentes deſcendunt. Naxij vt ſociorum aduentum reſciunt, rati Leontinos cæteris cum Græcis eis auxilio aduenisſe, reſumptis animis ſe mutuò hortantur, atq; repente ex vrbe erumpentes & ipſi in hoſtes irruunt, eosq; in fugam vertunt. Qui dum fugiunt, in Siculos, turmatim ad Naxo ſuppetias ferendas accurrentes, incidunt. Ita inter duos hoſtium exercitus poſiti ſupra mille eorum trucidantur, cæteris in domum ægrè elapſis. Dum hæc Syracuſanorũ naues, quæ Meſſanã tenebãt cognoſcũt, in ſuã quæq; vrbẽ & ipſæ redierunt. Leõtini verò vbi Meſſanam præſidio deſertam audiunt, aſſumptis Athenienſibus, & ſocijs ad eam armis Laceſſendam q̃ celerrimè contendunt. Athenienſes igitur à portu claſſe, ſed Leontini cum ſocijs à terra vrbem obſident. Meſſanenſes vbi obſidione preſſos ſe vident, Demotele Præfecto, & Locrenſium aliquot ad vrbis, ne ab hoſtium claſſe inuaderetur, præſidium, relictis, ex vrbe contra Leontinos erumpunt, in eosq; impetum faciunt. Leontini repentina incurſione attoniti fœdè ſe fugæ committunt. Quorum inter fugiendum complures à Meſſanenſibus interficiũtur. Athenienſes, qui portum obſidebant, cladè Leontinorum cognita confeſtim nauibus egreſsi lapſis ſocijs opem ferunt: mox Meſſanenſes adorti eos intrepidè in vrbis mœnia compellunt: ac demum veluti victores erecto trophæo Rhegium reuertuntur. Subinde Græci, qui erant in Sicilia, ſe inuicem, ſine Athenienſibus, bello infeſtabant, Camerinæi Geloos, & alij alios: ita, vt Sicilia plurimis bellorum domeſticorum anfractibus premeretur. At non ita multo pòſt inter Camerinæos, atq; Geloos induciæ primùm initæ, dehinc ex omnibus ciuitatibus legati Gelam miſsi ſi quo modo pacem componere poſſent. Cuius cum nullus eſſet modus: Hermocratis tandem Syracuſani longa oratione, qua quid damni bellum, quæ bona pax afferret, & quòd Athenienſes non vt Leontinis opitularentur, ſed vt Siciliæ imperium incolarum diſsidijs adipiſcerentur, bellum gererent, luculenter exprimebat, inducti Sicilienſes pacem hac lege pepigerũt, vt ab armis diſcederent, & retineret vnuſquiſq; quod poſsidebat: dummodo Morgantina Camerinis cederet, ſi certam Syracuſanis pecuniæ ſummam penderent. Igitur Leontini cæteris cum ſocijs diutino bello lapſi per legatos pacem cum Syracuſanis hoc modo Componunt, vt Syracuſani Leontinos Syracuſana ciuitate donatos, Syracuſanos ciues adſcriberent; Leontinumq; vrbem municipium Syracuſanum eſſe declarent. Leontini deinde conuocatis Athenienſis armaturæ, claſsisq;, quæ centũ quinquaginta triremium, præter Rheginenſes erat, Præfectis, pacem cõpoſitam, & fœdera cum Syracuſanis inita, manifeſtarunt, eaq; omnia cum eis etiam communia eſſe dixerunt. Quibus approbatis, auxiliariæ triremes bello ſoluto Athenas redierunt. Verùm Senatus, populusq; Athenienſis, quorum fuerat ſtudium Siciliam ea claſſe conquirere, vbi re infecta claſſem reuerſam vident, Pythodorũ, & Sophoclem duos ex ducibus exilio, Eurymedontem ex eis tertium pecunia mulctauerunt, imponentes eis, quod Siciliam, quam ſubigere in eorum fuiſſet manu, muneribus corrupti fœdè incolumem reliquerunt. Verùm cum poſtmodum anno belli Peloponneſiaci decimo Leontini poſt conuentionem plures in ciuitatem adſcripſiſſent, & plebs agros per capita diſtribuere vellet: qui primores erant in

ciuitate

ciuitate re percepta, Syracusanis accitis plebem eiecerunt. Qua passim vagante, ij, qui plebem profligarant, Syracusanis se dedentes, Leontino prorsus deserta, habitaculisq; solo æquatis, Syracusas tandem vt ciues commigrarunt. Cuius facti paulo pòst pleriq; pertæsi, relicta vrbe Syracusana, locum quendam Leontinæ vrbis Phoces nomine ceperunt, ac deinde arcem in Leontino agro munitissimam Bricinnas nomine etiam sunt adepti: quibus quamplurimi plebei extorres se addiderunt: vbi & se tuebantur, & cum hostibus sæpenumero præliabantur. His Leontinorum motibus cognitis Athenienses, quibus nondum deferbuerat Siciliæ captandę desiderium, Phæacem virum impigrum, & rerum bene gerendarum solertem cum tribus nauibus Siciliam miserunt, si quo modo socios, qui ibi erāt, atq; alios inducere posset, vt resumptis viribus, atq; armis coercita Syracusanorum potentia populum Leontinum liberarent. Phæax vbi Siciliam aduenit, Camerinæos, atq; Agrigentinos solùm in suam sentētiam pertraxit: Geloos autem, & cæteros alios Syracusanorum socios emollire non potuit. Quocirca re infecta per mediterranea Siculorum oppida Catanam venit, ac deinde Bricinnas; vbi Leōtini se munierant, quos ad constantiam, fidemq; hortatus Sicilia decessit. Hunc igitur finem habuit bellum, quod inter Syracusanos, & Leontinos, & socios eorum Athenienses pluribus annis gestum est. Postulat nunc historiæ, & temporum ordo, vt bellum memoria dignissimum, quod postea inter Athenienses, & Syracusanos gestum est, eius initijs, & causa paulo altius repetitis, enarremus.

DE BELLO MEMORABILI INTER ATHENIENSES, ET SYRACVSANOS. CAPVT TERTIVM.

INTER Segestanos, & Selinuntinos ob quædam sponsalia, & agrorum fines, quos vtrisq; fluuius Amphisbetes diuidebat, octingentis post Troianum excidium annis Romæ. T. Claudio, Sp. Nantio. L. Sentio, & Sex. Iulio Cōsularē potestatē quatuor Tribunis gerētibus, maxima est exorta discordia. Selinūtini igitur torrentē transgressi, primū agri partē fluuio adiacentem per vim sibi occupant, & deinde proximi quoq; agri ablata magna parte Segestanos illudunt, contumelijsq; afficiunt. Segestani iniurijs excandescentes primùm verbis ne alienum agrum inuadāt, & per vim occupatū, vt ratio suadebat, cedere velint, precantur. Sed vbi frustra & precibus, & questibus laboratum est, armis rem experiri decernunt. Proinde in iuris humani violatores copias instruunt: instructas educunt: locoq; eiectis Selinuntinis agrum per vim occupatum vi quoq; & ipsi sibi restituunt. Exacerbata inter vtrosq; contentione, litem bello dirimere constituunt. Expeditis igitur militum copijs vtrinq; in aciē descēditur, atrociq; certamine diu pugnatum est. Demum Selinuntini maxima Segestanorum cæde facta, victores fiunt. Segestani hac clade pressi, Agrigentinorum, Syracusanorumq; auxilia implorant. Quibus frustrati ad Carthaginenses supplices mittunt. His verò etiam opem recusantibus cum Leontinis, quos eo tempore Syracusani vrbe eiectos agris quoq; spoliauerant, societatem ineunt: communiq; decreto ab Athenienſibus, vt vrbibus vetusta sub cognatione astrictis Syracusanorū, & aliorum vi oppressis succurrant, vehementer contendunt: simulq; eis ad Siciliam inuadendam operam suam pollicentur, Segestanis ingentem pecuniæ summam, quam paratam habebant, pro huiusmodi belli impensis offerentibus. Catanenses præterea, quibus fœdus à Syracusanis violatum fuerat, oratores & ipsi eodem tempore pro subsidijs Athenas legant. Qui veste sordida, barba, capilloq; prolixis, demisso vultu, lachrimis obortis Athenarum Senatum, populumq; vt auxilientur,

Digitized by Google

auxilientur,rogant,obsecrant, obtestantur:errasse se, quòd eorum copias remisissent, confessi. Athenienses tribus Siciliæ ciuitatibus vno,eodemq; tempore inuitati ne occasionem Siciliæ potiundæ imprudenter reliquisse viderentur, auxilia eis pollicentur. Sed insulæ regiones, ac Segestanorum opes diligenter antea explorandas esse edicunt:eoq; nomine tres naues in Siciliam mittunt, vt cognoscãt & quænam eos essent ciuitates excepturæ,& an Segestanorum res nummaria tanta sit,quantam eorum Legati Athenis protulerant. Exploratores Segestam primùm adnauigant. Segestani,qui tot opes, quot ad tam ingens bellum requirebantur,non habebant,ne ob sumptuum inopiam Athenienses à bello desisterent, commentum huinsmodi inuenerunt. Legatis in fanum Veneris, quod Segestæ erat,adductis, sacraria,phialas,trullas,thuribula, cæteraq; alia Veneris donaria, nec nõ tenuem sacrarum vestium supellectilem ostentarunt. Quæ cum essent argentea,vel aurea,multo impensius pretiũ ferebant, quam paruæ ciuitatis expectatio permitteret. Sunt qui scribant frumenti quoq; aceruos in horreis positos argento,& auro amictos pro aureis ostendisse. Priuatim præterea hospitio, exceptis trierarchis,ex Segesta,& ex omnibus Phœnicum, & Græcorum circum oppidis corrogata pocula argentea simul, & aurea in conuiuijs pro suis exhibuerunt. Quorum omnium aspectu decepti legati vehementer obstupuere, Athenasq; reuersi Segestanorum opes ad sumptus belli perferendos plusq̃ suffecturas, Senatui renuntiant. Porrò Comitijs de bello contra Syracusanos suscipiendo,& classe in Siciliã traijciẽda Athenis cũ Senatu,& populo habitis, Nicias Nicerati filius,vir ĩter Athenienses virtute,& authoritate præstantissimus, minimè bellum Sicilienſe suscipiendum esse edixit. Cum Athenienſibus non eam esse vim opum, vt simul cũ Lacedemonijs Græcorum potentissimis bellum, quod plures annos gerebant, & Syracusanis sustinere possent; temerarijq; esse consilij Athenienſibus, qui Græciæ imperium sæpe coactis, integrisq; viribus tentatum vendicare sibi non valuissent,mox vana spe cum copiarum parte maximam totius orbis terrarum, opulentissimamq; insulam aggredi:quam Carthaginenses in terris potentissimi, & quorum admodum pollens latè pateret imperium, bello moliri, & varijs artibus sibi subigere frustra tentassent. Quibus eleganter propositis,Alcibiades Athenienſium vir clarissimus,& qui acerrimum in dicendo ingenium, facundiamq; super ciues omnes vehementem,elegantissimamq; habebat, & cui genus nobilissimum,vtpote paternum quidem ab Aiace,maternum verò ab Almeonide, amplissimæ opes,reiq; militaris peritia summa, & nomen apud omnes gloria erat celebratissimum,in contrariam sententiam non Reip. Zelo, sed suæ libidinis, ambitionisq; impetu est adductus: populumq; diuersis rationibus hortatur, vt bellum illud confidenter aggrediantur;ingens imperium,perpetuamq; gloriam Atheniẽsium Reip.allaturum:audendum aliquando, quò vlterius imperium extendatur; nec pedetentim,vt antea,sed totis viribus tentandam esse Siciliam. Athenienſiũ vires potentiores esse, quàm Syracusanorum. Siculos præterea nulli rei minus assuetos,quàm bello,seditiosos, suiq; commodi plus quàm publici studiosiores, inuicem inuidentes,atq; eò Syracusanis magis inuidere, quo opibus præter cæteros sunt præstantiores.in Sicilia demum barbaros plerosq; esse, & Græcos complures,qui Syracusanis infensi Athenienſium facilè partes sequantur. His, plurimisq; alijs Alcibiadis persuasionibus supernenere Segestani,& Leontini exules,in Senatum introducti,qui multis precibus,& lachrymis obsecrare, obtestariq; cœperunt ne se,& socios in tanto discrimine deserant. Nec parum valuit apud dominandi cupidos tot rationum contendentium, atq; in idem destinatarum numerus. Accessit & per ea tempora quòd Athenienses oraculum an in Siciliam esset traijciendum scisciti cum fuissent,responsum huiusce modi in Dodone habuerunt. In Siciliam coloniam deducendam esse.quos tamen nomen ambiguum fefellit.

fefellit. Erat etenim non longè ab Athenis terræ non ſanè magnus tumulus, cui Siciliæ nomen erat, de quo oraculi edictum loquebatur, quod ab ignaris ad inſulam tractū extra fines ſuſcipiendi belli non parua fuit occaſio. Bellum igitur Senatuſconſulto contra Syracuſanos decernitur. Duces eius expeditionis tres deligun tur: Nicias Nicerati, Alcibiades Cliniæ, & Lamachus Xenophontis filij. Quibus à Senatu hæc in mandatis data fuerunt. Contra Selinuntinos Segeſtanis auxilio ſint. Et ſi proſpere in bello ſuccederent omnia, Leontinos in ſua ſede collocent. Selinuntinos, & Syracuſanos in prædam dent, adducantq; prorſus in ſeruitutem. Reliquas Siciliæ vrbes vectigales Athenienſium faciant: ſtipendiaq; ſin gulis annua imponant, aliaq; tranſigant, quæ Athenienſium Imperio profutura cenſuerint. Erat Lamachus adeo pauper, vt quoties Dux crearetur, pallium ei, & crepidas ex publico ærario comparari neceſſe eſſet. & licet ad ſenectutem vergeret, erat tamen in periculis adeundis longè audacior, q̃ ætas poſtulabat. Ditior Alcibiades, ſed ferociſſimus; & ingenium in eo ad optima quæq; ſimul, & peſsima verſatile. Nicias ditiſsimus, & ob opes, præclareq; res geſtas apud ſuos magnæ exiſtimationis, qui etſi ob collegarum ſocietatem imperium detrectaret: populus tamen eum coegit: vt ſua cunctatione modeſtiaq; Lamachi, & Alcibiadis furorem, ferocitatemq; cohiberè & temperarè poſſet. Extemplo claſſem ad bellum idoneam centum triginta triremium & ipſi, & ſocij quinq; armatorum milibus inſtructam ædificant. cui olcadum onerariarum numerus magnus, qui commeatum veheret, adiungebatur. militum præterea peditatus, & equitatus, ſcutatorum, ſagittariorum, funditoruu, tormentorum, ac machinarum pro expugnandis vrbibus erat ingens. Sed dum hæc magno ciuium, quos ardens belli Siculi cupiditas inceſſerat, ſtudio parant. Magna rerum portenta Athenis ſunt viſa, veluti funeſti huius belli euentus præſagia. Nam Meton aſtrologiæ peritiſsimus, per id tempus in magiſtratu conſtitutus ſiue artis peritia, ſiue portentorū ſignis admonitus, ſiue humano ingenio ductus furere ſeſe ſimulauit, & propriam domum, quæ vicina erat, incendit, ac in concionē prodijt, co nqueſtusq; domus iacturam, efflagitauit ne filius, cui proprio ſumptu triremem ad bellum inſtruxerat, Siciliam pro hac expeditione proficiſceretur. nam funeſtum hoc bellum futurum ipſe ſibi præuidere videbatur. Socrates præterea ſolito fortaſſe de more agitatus ciues terrebat, ne hoc bellum pacto aliquo ſuſciperent. Sacra quoq; Cereris, quæ per id tempus celebrabantur fœda, horrendaq; portendere, & matronas paſsim per vrbem magno cum gemitu noctu, & interdiu, veluti funera celebrantes, audiri prædicabant. Mercurij poſtremò ſtatuæ, quæ per vrbem depoſitæ plures erant, omnes incerto authore truncatis capitibus mane ſunt repertæ. Facinus hoc non caſu eueniſſe, ſed ab ijs, qui ſtatum popularem diſſoluere cupiebant, plebs excepit. Alij ad Siculæ huius expeditionis augurium ſunt interpretati. Propoſita ſunt indicanti prę̃mia, & impunitas promiſſa, ſiquis eius ſacrilegij conſcius rem deferret ad Senatum. Inter hæc ex priuatis quidam intempeſta nocte Alcibiadem intra inquilini cuiuſpiam domū ſe vidiſſe Senatui refert. Interrogatus quonam pacto per noctis tenebras vultum diſcernere potuiſſet; reſpondit: Lunæ radijs. Pluries itaq; ſuper eodem quæſitus ob ſermonis inconſtantiam pro falſo relectus eſt. Verùm cum vulgato per noctem Alcibiadis præter ſolitum laſciuo diſcurſu flagitium ipſe negaret, ac priusq̃ in prouinciam proficiſceretur, ſe iudicio ſtaturum polliceretur, quia omnia ad bellum oportuna parata erant, accuſatione Magiſtratus in aliud tempus reiecta ipſum dimiſit. Erat igitur iam dimidium æſtatis, cum claſsis ex Pyræo profecta, omnium ad id tempus vnius Græciæ vrbis longè ornatiſsima, remigio (circum emenſa Peloponneſi ora) Corcyrā defertur. Inde ſoluens nauigato maris Ionij tractu ad extremam applicuit Iapygiam: atq; inde mota Italiæ oras perlegendo, à Tarentinis cum eſſet recepta,

ad Thurios

Digitized by Google

ad Thurios appulsa,& benignè ibi excepta,mox Crotonẽ petunt. Et inde superatis promõtorijs,quæ Dioscuriadã dicũtur, Scyllatiũ, Locrosq; præteruecti nõ procul ab vrbe Rhegio in ancoris constituuntur. Syracusani his cognitis tres Dictatores statim creãt, Hermocratẽ,Sicaliũ,& Heraclidẽ. Hi primùm delectos vndiq; milites habitos cõscribũt. Legatos per Siculas vrbes mittũt.eas,vt pro salute cõmuni ad bellũ accingantur,armaq; sumant hortantur. Athenienses enim licet bellum contra Syracusanos susceperint, imperium tamen Siciliæ eos affectare pro comperto, admonent. & iccirco vel seruitutis iugo colla submittere, vel contra hostium ferocitatem accerrimè confligere necesse esse. Ab Agrigentinis, & Naxijs eis est responsum, se pro seruanda fide Athenienſium societatem non posse deserere. Himerenses verò, ac Messanenses bello affore sunt pollitici. Selinuntini, Geloi, & Catanenses arma viresq; suas Syracusanis sunt polliciti. Siculorum quoq; vrbes illud idem in ore quidem habebant: animo tamen pacem optabant, & periculo abesse satius ducebant. Dum Rhegij Athenienſium classis moratur, Duces inter se cõsilia cõferunt. Lamachus recto cursu Syracusas nondũ armis instructã vrbẽ inuadẽdã: Alcibiades finitimas prius ciuitates ad deditionẽ cõpellendas,deinde de Syracusis cogitandum. Nicias nihil in Sicilia tentandum tenebat:solùm in Selinuntinos nauigandum; cõtra quos præcipuè missi erant. Sententiam tandẽ Alcibiadis sectari omnibus visum est. Igitur Alcibiades sua quectus naui Messanã traijcit, atq; cũ Messanensibus de societate verba facit. existimabat enim eam vrbẽ & ob portus capacitatẽ,& situs vicinitatẽ satis sibi ad res gerendas accõmodam. Porrò Messanenses societatẽ quidẽ,atq; hospitium negant:res tamen venales offerunt. Alcibiades parũ benignè auditus Rhegiũ regreditur:& confestim duo ex Ducibus reliqui sexaginta nauibus in Naxũ Chalcidicã nauigant,tertio cum reliqua classe ad Rhegiũ relicto. Duces à Naxijs intra vrbem amicè sunt recepti. mox Catanã petunt. Vbi licet primo ingressu repellerentur; postmodũ solis Ducibus introeundi potestas facta est. Duces catanã ingressi ad concionẽ vocato populo de ineunda simul societate,quam per legatos petierant, suadere nituntur. Quod dum ibi agitur;ex improuiso valuis per vim euulsis milites Athenienses, qui extra mœnia consistebant, intra vrbem irrumpunt: Catanaq; occupata societatem cum Catanensibus contra Syracusanos ineunt. Hoc initio prosperè gesto iam ad reliqua magnis animis Alcibiade solo duce Athenienses se parabant. Interea Athenis qui priuatas cum Alcibiade inimicitias exercebant, de truncatione imaginum Mercurij, & in patriam conspiratione eum insimulant. Ab accusatoribus persuasus populus nauem Salaminiam in Siciliam nauigare iubet, mandatq; vt q̃ celerrimè Alcibiadem Athenas reuehat causæ, iudicioq; responsurum. Naui Catanam, delata, Alcibiades vbi Legatos audiuit,ira percitus Messanam primùm, quæ certam defectionem eo authore parauerat, ex manibus abstulit Athenienſium, clam rem omnem Syracusanis, aduersus quos id bellum præcipuè gerebatur, aperiens,ac detegens eos, qui prodere Messanam decreuerant. Deinde triremem suam ascendit, atq; ea vectus cum naui Salaminia in altum nauigat. Deinde cum ad Thurios peruenisset, siue magnitudine periculi, siue impietate sceleris perterrefactus, siue ciuium ingratitudine offensus,deceptis custodibus è triremi, qua vehebatur, repente prosilijt, ac se è prospectu nautarum celeriter eripiens cum certo in loco delituisset, facilè persequentium manus effugit. Legatis Athenas regressis, fugamq; Ducis renuntiantibus; Athenienses Alcibiadem, omnesq; fugæ socios absentes ob contumaciam capitis reos vna voce condemnarunt. Ille vbi non multo pòst sibi à populo mortis sententiam dictam percepit: At ego (inquit) ostendam Alcibiadem viuere. Quocirca in Peloponnesum profectus ad Lacedemonios, quibus antea fuerat infestus, habita eorum fide publica se contulit:

Digitized by Google

à quibus mutata rerũ fortuna comiter, hoſpitaliterq; ſuſceptus eſt. Quos de Syracuſano bello cõſultantes multis cõpulit rationibus, vt Gilippũ Ducẽ auxilio Syracuſanis, exercitũq; contra Atheniẽſes emitterent: aliaq; ad hæc perſuaſit, quæ corũ eſt inſtituti recenſere, qui Alcibiadis vitã, vel Athenienſiũ res ex profeſſo ſcribunt. Poſt Alcibiadis ex Catana diſceſſum, Duces, qui rẽ Atheniẽſem in Sicilia regebant, è Catana ſoluentes Syracuſas verſus adnauigant, ac Teriã propinquũ Catanæ fluuiũ ſubeunt. Vbi ſtationẽ eo die cũ feciſſent; illuceſcente decẽ triremes Syracuſas præmiſerunt, quæ & portũ explorarẽt, & Syracuſanis, ſi Leontinos diutius in exilio detinerẽt, bellũ indicerent. Quo facto cõtigit, vt fortè Atheniẽſiũ naues triremẽ Syracuſanorũ vnã ceperint: quæ a Iouis Olympij tẽplo tabulas cũ Syracuſanorũ ciuiũ, qui ad arma cẽſebantur idonei nominibus inſcriptas vehebat. Hę tabulæ ad Athenienſiũ Duces delatæ, & inter milites vulgatæ aruſpicũ mentes mirũ in modũ turbauerunt; quod oraculũ Apollinis ijs tabularũ nominibus perfunctũ arbitrarentur. Reſponderat enim aliquando Pythias fore, vt Athenienſes Syracuſanis oĩbus potirẽtur: verùm nõ ad id tẽpus, ſed cũ Atheniẽſis Calippus Dione interfecto Syracuſas eſt adeptus, oraculũ reſpexiſſe videtur. Poſt hæc Atheniẽſiũ duces bipertita claſſe Camerinã Lamachus, Segeſtã Nicias nauigant. Sed cum Lamachus Camerinæos ad ſocietatẽ inducere nequiſſet, admoto littori exercitu Hyblã minorẽ oppidũ in agro Geloo, quod hoſtiũ erat, oppugnare cœpit. Quod cũ viribus nequicq; ſuperaſſet, aduocatos ad colloquiũ oppidanos ad deditionẽ fruſtra etiã eſt adhortatus. Quãobrẽ non minus apud ſuos, quàm apud hoſtes malè audire cœpit. Nicias ex parte altera ſua claſſe recto curſu Segeſtã tetẽdit, exploraturus Segeſtanorũ, Selinũtinorũq; res, & an daturi eſſent pecuniã Segeſtani, quã p claſſe Athenienſibus promiſerant. Dũ igitur per Tyrrhenũ mare nauigat, ad ſiniſtrã Siciliam habẽs, Himerã vrbẽ tenuit. Vbi nõ receptus, ſed recto curſu Segeſtam petens Hyccarã Sicanorũ (quod nunc Carinis eſt) ad mare tunc ſitũ, Segeſtanisq; inimicũ oppidũ cepit. Vnde & Laidẽ formoſiſsimã poſtea meretricẽ, tunc verò paruulã inter alios captiuos cepit. Hyccara direpta, & ad cẽtũ viginti talẽta per haſtã ex ſpolijs, & omni præda coactis, Segeſtanis, quorũ equitatus iã aderat, eã tradidit. Inde protinus Segeſtam delatus, ibiq; triginta talentis pro claſſe exactis, Catanam ipſe ex hac ora, & Lamachus ex altera cum claſſe redierunt. Atheniẽſes porrò cum nihil adhuc præclari geſsiſſent, eoq; nomine in contẽptũ & ſuis, & Siculis veniſſent; Syracuſani eos reſumptis animis illudebãt: atq; ad eorũ vſq; caſtra puecti tũ alia, tũ hæc pbra eis ingerebãt: Nunquid potius ad habitandũ ſecũ in alienas, quàm ad Leõtinos in pprias ſedes collocandos veniſſent. His verbis Duces irritati cõſiliũ ineunt, ſi qua ratione locum magno Syracuſarum portui proximum ſine dimicationis periculo occupare poſsint. Cõmentum igitur hoc ſunt machinati. Virum Catanẽſem pbatæ fidei Syracuſanis perq; familiarẽ Syracuſas mittunt: qui Catanẽſiũ quorundã Syracuſanę vrbis ſtudioſorum, quorum noĩa explicaturus erat, noĩe ſe miſſum diceret: ad hoc, vt cõſtituta nocte Syracuſani inſtructo exercitu Catanã peterẽt. fore pculdubio, vt Atheniẽſes ſomno oppreſſos, & armis nudatos inuadãt, deleãtq;: atq; eadẽ celeritate, ſi velint, eorũ naues etiã incẽdãt. Id verò certiſsimè ſucceſſurũ, pſertim Catanẽſibus ijs, quorũ noĩe mittebatur, ad rẽ gerẽdã auxilia porrigẽtibus. Ille mãdatis acceptis, ptinus Syracuſas verſus impigrè iter arripuit. Intrepidè oĩa Syracuſanis exponit. Re ſine vlla fraudis ſuſpicione, quã fides nũtij familiaris remouerat, temere credita, Syracuſani cũ eo & qua nocte copias educturi eſſent, & quęcũq; ad rẽ gerẽdã neceſſaria eſſent, cõferũt, cõponũtq;; eũq; ijs paratis remittũt. Interea Selinũtini, & Geloi, & cõplures ex ſocijs alij aliarũ vrbiũ iã Syracuſas aduenerãt, & delectũ militũ numerũ vrbs habebat ingentẽ. Igit ad ſtatutã diẽ Syracuſani Catanã verſus pfecti ad Symethũ. fl. caſtrametantur. Quod vbi Nicias, & Lamachus cognouerũt, oĩbus copijs in naues celeriter impoſitis Syracuſas

racusas cursum intẽdũt. magnũq; portũ nullo obsistẽte ante Olympicũ ingressi, p otiũ copias oportuno loco munitiõibus, ac cęsis arboribus, stagnis insup, & locis abruptis munito collocauerũt. Nauibus pterea cæsas arbores, & ad mare cõportatas, cãcellatimq; cõfixas ptexuerunt. Partẽ verò castrorũ, q̃ depressior erat, adituq; facilima, electis lapidibus, ac lignis arduã fecerũt. Syracusani vbi se fraude delusos animaduerterunt, cõsternato agmine ad opẽ patrię ferendã citato retro cursu ꝓcurrunt, ac primùm ad Athenienſiũ exercitũ propius accedũt. Deinde cũ ab Athenienſibus non occurreretur, via Elorina trãsmissa castrametati sunt. At verò Athenienses vt Syracusanos ad bellũ paratos cõspexerunt, ita se & ipsi ad prælium instruxerunt. Argiui dextrũ cornu, & Mantinei: alterũ socij: Athenienses medium tenebant. Copiarũ dimidiũ in fronte octonis ordinibus munitũ erat. Dimidiũ alterũ, quod ad tentoria erat, & ipsum octonis ordine quadrato agmine præferebat. cui præceptũ erat quãcumq; partẽ exercitus laborare videret, ad eã subleuandã se cõtinuò conferret. Intra hos ita instructos lixas, calonesq; posuerũt. Syracusani, qui militia præstabant, denos senos composuerunt, populum videlicet omnem, & socios, qui aderant. Nam Selinuntini primùm auxilio venerant, mox Geloi equites ducenti. Camerinæi viginti. sagittarij propè quinquaginta. Quos equites nõ minus mille & ducentos dextro cornu iuxta iaculatores collocauerunt. Igitur signo ab Athenienſibus primùm dato res ad manus deuenit, dubio Marte aliquãdiu dimicatum est. Sed fœda interim tempestas cœlo oborta tonitrua, & fulgura magno aeris fragore Syracusanos, veluti prodigio territos à certamine auocant. Athenienses vbi Syracusanos consternatos auersosq; ordines conspiciunt, inuadere illorũ aciem statuunt. Et primi omniũ Argiui in læuũ Syracusanorũ cornu impetu ferũtur. Et post Argiuos in oppositã sibi partẽ Athenienſes in reliquas irrũpunt copias, atq; in fugã vertũt. Occubuerunt tũ ex Syracusanis, & socijs quadringẽti, ex Athenienſibus circiter quinquaginta. Etenim equitatu Syracusanorum, qui permultus erat, & propè inuictus, inhibiti cũ tutò persequi hostẽ nequirent, in castra se receperunt, trophæumq; extulerunt. Syracusani verò in via Elorina congregati præsidium ad Olympicũ oppidũ, quod adhuc ipsorũ erat, posuerunt. Cæteri in vrbẽ redierunt: ibiq; collectis suorũ cæsis corporibus digna parentatione præstita extrema obsequia addiderunt. Athenienses receptis etiã suorum cadaueribus, ac pyræ impositis Catanã nauigarunt, ac partim ibi, partim ad Naxũ in hybernis consedere. Posthæc vidẽtes Syracusanos equitatu præstare, nuntios Athenas miserunt, qui equites, ac pecuniã peterent. Syracusani quoq; cũ bellũ atrox in longũ procedere prospicerent, à Corinthijs, & Lacedemonijs suppetias & ipsi implorãt. Quorũ precibus adducti Gilippũ Teandriæ filiũ rei militaris ducẽ exercitatissimũ cũ auxiliaribus copijs eis transmisere. & Corinthij quoq; vti requisiti fuerant, identidem pollicẽtur. Syracusani cũ multitudinẽ Imperatorũ dãnosam in prima pugna potius, quàm frugiferã sensissent, Hermocratẽ Hermiõis filiũ virũ cũ rerũ oĩum peritia, tũ in primis rei militaris pstãtia nulli Syracusanorũ secũdũ, & Heraclidẽ Lysimachi, & Sicaniũ Execsti filiũ, abdicatis quindecim viris, quos antea rei bellicæ pfecerãt, Imperatores totius exercitus creãt. cũ q̃bus deinde segnitie Athenienſiũ cõspecta excurrẽtes Catanã vsq; oẽm regionẽ vrbi adiacẽtem populati sunt, ac castra etiã hostiũ, quę nõ procul ab vrbe aberãt, incẽderũt. Posthęc Hermocrates vnà cũ alijs pluribus Camerinã ꝓ societate cũ Syracusanis obtinẽda ꝓfectus, quo fortè & eodẽ tẽpore Euphemus Athenienſiũ legatus vt ĩ fide iã data Camerinẽses perstare hortaretur, cõuenerat: à Camerinẽsibus vtriq; cõsultò respõsum est, se neutri auxilia pmissuros: cũ tñ equites aliquot Syracusanis clã submiserint: ne si id Athenienſesq; victores erãt, rescirẽt, pfidię ab eis pœnas reposcerẽt. Interea Athenienſiũ classis, q̃ Catanę hybernabat, ad Messanã p ꝓditionẽ (si posset) recipiẽdã se cõtulit. Sed Syracusani ꝓduellibus, quos Alcibiades iã magistratu abdicatus detulerat, ĩterẽptis Mes-

ſanam iam antea firmiori, optimoq; præſidio munierant. Munierant & per ea tẽpora Syracuſas, vrbemq; muro, qua parte ſpectat Epipolim, incluſo intra mœnia Fortunæ templo, corroborauerant: ne ſi fortè malè pugnatum eſſet, ea parte, quæ fragilior erat, circumuallari poſſent. Apud Megarã etiã, Olympicũq; præſidia poſuerant. quinimo & quãcunq; regionẽ, qua deſcendi à mari in littus poterat, cãcellato vallo præcluſerunt. Dũ hæc Syracuſis geruntur: Athenienſes ineunte primùm vere Catana mouentes aduerſus Megarã nauigauerunt. Cuius agros populati ad caſtellũ quoddã Syracuſanorũ ſunt progreſſi. & cũ id non expugnaſſent, rurſus, & pedeſtri itinere ſimul, & nauigatione ad flumẽ ſe Teriã receperũt. Inde tranſgreſſi cãpeſtria vaſtauerunt: quoſdãq; Syracuſanos viros, in quos fortè inciderant, occiderunt, atq; trophæo erecto ad claſſem, quæ Catanã iã appulerat, redierunt. Subinde cũ omnibus copijs Centoripen, quod Siculũ oppidũ erat, profecti cũ oppidanis conuentione facta ſunt ingreſſi. Poſtea Ineſſę ſimul, & Hyblæ magnæ oppidorum, quæ prope Centoripen ſunt, ſegetibus incenſis, Catanã ſunt reuerſi. Vbi dũ morantur; Athenis ducenti quinquaginta equites, argentiq; talenta trecenta aduecta eis à Senatu, prout petierant, venere. Syracuſani eo cognito veriti ne hoſtes Epipolas locũ præruptũ, vrbiq; imminentẽ clàm occuparent, & Syracuſas ex ea parte muro obſtruerent, loci aditus obſeruare cõſtituunt. Non enim alia poterat parte conſcendi, cũ cæteræ arduæ, ac præruptæ ſint. Sub Aurorã igitur ſexcenti viri ex omnibus cohortibus, quibus Hermocrates iuxta Anapũ. fl. præerat, ad præſidiũ Epipolarũ ſeliguntur. ijsq; Dyomilius Andrius exul præfectus datur. Sed ea nocte Atheniẽſes cum copijs omnibus Catana relicta ad locum quendã, cui Leoni nomen erat, mille paſſus ab Epipolis diſtantẽ peditatũ omnem claſſe aduectum clam in terram exponunt. Nauales verò milites claſſe Tapſum peninſulam Manghiſi hodie dictam ſubierunt: ibiq; iſthmo vallis obſtructo ſubſederunt. At peditatus extemplo ad Epipolas defertur, conſcendensq; ab Euryclo, locum occupat. priusq; Syracuſani ex Anapi agro, vbi ingens eorum exercitus aderat, ei ſuccurrerent. Cognita Syracuſani loci occupatione ſtatim ex vrbe auxilio affuerũt; tũ alij, vt quiſq; celerrimè poterat, tum verò ſexcenti illi milites cum Diomilio eorũ præfecto. Diſtabat autẽ ab agro Anapi locus, vbi hoſtibus Syracuſani occurrerunt, tribus paſſuum milibus. vbi inito inter eos prælio, cæſisq; Syracuſanis ferme trecentis vnà cũ Diomilio Præfecto, victoria penes Athenienſes ceſſit. Qui Syracuſanis iã in vrbẽ regreſſis, & redditis eis ſuorum cadaueribus, victoriæ trophæum erexerunt. Sequenti die cum nullus Syracuſanorũ obſiſteret: Athenienſes aduerſus vrbẽ progreſſi arcem apud Labdalũ in excelſa Epipolarũ crepidine excitarunt, qua parte Epipolæ Megaram ſpectant. Interea eis ex Segeſta equites trecenti, & à Siculis, & Naxijs ducenti quinquaginta, & ex Catana totidẽ auxilio ſuperuenere. Itaq; octingentis iã equitibus elati relicto apud Labdalum præſidio contra Tychã ipſi ſunt profecti. Quam obſidione tentatam cũ muro præpropere concluſiſſent; Syracuſanos pauor ingens inuaſit. Eaq; trepidatione mœnibus egreſsi in opifices fabros, qui murũ extruebant, irruunt, atq; ab incœpto repellere nituntur. Sed Athenienſibus equitibus contrà propugnantibus equeſtre certamen conſeritur, magnisq; vtrinq; animis dimicatur. Sed cũ Syracuſanorũ Duces abſq; ordine prælia rentur: crebrò in terrã eorũ milites proſtrati profligantur, diſipãturq;. Cũq;, nec in ordinẽ legio cogi poſſet, pars vna equitatus per Duces ĩ vrbẽ reducitur, pars altera ad impediendos Athenienſes, ne lapides legerent, longiuſue vagarentur, in agris dimittitur. Sed hanc cohors vna Athenienſium, atq; equitatus omnis adorti, primùm in fugam vertũt, deinde eam inſecuti nonnullos etiam occidunt. Poſtremò locum Polichnam Græcè dictum, qui ciuitatulam Latinè ſonat, qui & Olympicum eſt oppidulum, portui magno imminentem hoſtes inuadunt, capiũt, communiunt: Iouisq; Olympici templum eodem munimine concludunt, atq;

hoc pacto

hoc pacto Syracusas vtraq; parte obsident. Cumq; milites Iouis Olympij fanum præcipuis opibus,& pretiosis argenteis,atq; aureis donarijs insigne diripere vellent;Nicias religione ductus,sacrilegium horruit,& tam ipse, q̃ cæteri Athenienses magna circa templum vsi veneratione, nihil ex omnibus donarijs amouerunt,quinimo & sacerdotem etiam Syracusanum, qui ea custodiret(teste Pausania) ibidem reliquerunt. Sequenti die murum Aquilonem versus extruunt simul, & apud locum,cui nomen erat Trogilo,qua parte à magno portu ad alterum mare à Lamacho murus breuissimus fiebat,lapides, & materiem conferunt.Sed dum ille operi fabricæq; murorum nimis curiosè assidet, morbo correptus quem frenesim appellant,machinam inchoatam relinquere,coactus est. Tantis igitur vnà calamitatibus pressi Syracusani,Hermocratis per quem eorum vires iam in periculum erant deductæ,pertæsi,eius reiectis consilijs qua parte Athenienses ædificationem instituerant,murum & ipsi ne se circumuallari contingeret,vrbe egressi excitant,ducto ab vrbe principio subter ambitũ muri Athenienſiũ ex transuerso,excisis oleis Fani Iouis Olympici.ex quibus turres ligneas erexerunt. Adhuc enim tum maritima obtinebant. Hoc verò hoste aut inscio,aut non repugnante saltem cum celerrime Syracusani absoluissent, vna cohorte in operis præsidium relicta, in vrbem redierunt. Verùm Athenienses interea Syracusanis aquæductus,qui ad potandum ex Sortino oppido in vrbem aquam suggerebant, discinderunt:eosq; postea passim in tentorijs,partim pro vallo segniter excubãtes,partim quoq; in vrbem regressos conspicati,trecentos ex suis milites,leuis præterea armaturæ aliquot constituunt,qui repente in subiectas Syracusanorum munitiones irruant:cæteris copijs bipartitis, altera manu ad vrbem, si illinc succurreretur,altera ad vallum,quà vicinum portale erat ordinatis. Proinde trecenti Athenienses impetu facto vallum capiunt custodibus illud deserentibus, & ad murum templo circundatum refugientibus.quo pariter & ipsi irrumpentes à Syracusanis vi reijciuntur,pluribus Argiuorum, & Athenienſium occisis. Cætere verò copiæ diruto muro,reuulsoq; vallo tensis trophæis,veluti victores retro ad sua castra secessere. Postero die locum arduum paludi imminentem, vnde ex Epipolis in portum magnum prospectus iucundus & facilis est descensus, pariete cingũt. Sed Syracusani exeuntes rursus & ipsi vallum reparant inchoatum ab vrbe per mediam paludem, fossamq; pariter, & aggerem ducunt, ne Athenienses structuram vsq; ad mare possent producere. Athenienses completo superiori opere iterum Syracusanorum fossam,& vallum demoliri intendunt. Itaq; ex Tapso classem in portum magnum circumagi iubẽt,ipsi sub solis ortum ab Epipolis in planum descendentes per paludem,quæ licet limosa esset,aquis tamen carebat,substratis foribus,latisq; asseribus, ac super inscendentes priusq̃ dies inferbuisset, fossam,& vallum præter exiguam partem,sed mox & id quod erat reliquum capiunt: prælioq; ibi commisso Syracusani superãtur. Quorũ qui in dextro cornu erant,ad vrbẽ,qui in sinistro,ad.fl.Anapũ profugerũt.His transitũ trecenti illi viri præcludere conati cursum ad pontẽ dirigũt.quos Syracusani equites Callicrate duce rei militaris gloria præstantissimo suborti,fugere cõpellunt: dextrũq; deinde Atheniẽsiũ cornu aggressi primã illius cohortẽ nõ mediocri formidine perculere. Lamachus,qui iã ex morbo ad se redierat,re perspecta, è sinistro cornu multis cũ sagittarijs,assumptis etiã plerisq; Argiuis labentibus viriliter succurrit. Verùm cũ fossam quandam transgressus à suis deterreretur, cum omnibus ijs, qui secum aderant,fortiter occubuit:licet Plutarchus singulari eum certamine à Callicrate prouocatum in duellum descendisse, atq; inter dimicandum multis vulneribus ictos tandem ambos cecidisse referat. Syracusani Lamachi & corpore, & armis potiti q̃ celerrimo cursu Athenienſium muros, & castra petebant. Quo viso, & hi quos sub initium pugnæ timor in vrbem coegerat, resumptis animis & ipsi

contra Athenienſes rurſus aciem inſtruunt: atq; eorum pars ad ambitum hoſtiũ, qui Epipolis erat obiectus, virisq; deſolatus, conuerſi illico exteriores decem iugerum munitiones inuadunt, atq; expugnant, expugnaturi proculdubio & ipſum ambitum, niſi à Nicia illinc ob oppreſſam valetudinẽ prohibiti fuiſſent. Is etenim ſolus, & abſq; copijs infirmo etiam corpore, cernens nullo pacto ob militum inopiam locum teneri poſſe, miniſtris, qui ſecum aderant, iniunxit, vt quicquid ligno rum ante muros machinis parandis coniectum fuerat, ipſasq; etiam fabricatas ex lignis machinas in aceruum congeſtas incenderent. Eoq; conſilio irruentium Syracuſanorum, qui per flammas progredi nõ audebant, impetum cohibuit. Poſtea mortuis qui leui hoc prælio etiam cum Lamacho, ſi Thucydidem ſequimur, ceciderant, hinc inde redditis, Athenienſium claſsis ex Tapſo ad portum magnum conceſsit. Athenienſes præterea, qui indefatigatè Syracuſanos fuerant inſecuti, iam ad vrbem obſidendam appropinquabant. Quo animaduerſo Syracuſani, qui ſuperius erant, omnisq; pariter exercitus propere ad vrbem redierunt. rati non ſatis virium ibi ad prohibendum Athenienſium in muro ad mare pertrahẽdo inſtitutum ſupereſſe. Proinde cum Athenienſium nauales pariter, & terreſtres copiæ omnes adiunctæ eſſent, ab Epipolis, rupibusq; extructo vſq; ad mare duplici muro Syracuſas vrbem concluſerunt. Interea plures Syracuſanorum res labantes conſpicati, apertè ad Athenienſes defecerunt. ita, vt vndiq; etiam ex ora maris Tyrrheni nauigia omnis generis conuenerint, quæ commeatum militibus Athenienſibus, ac neceſſaria ſuppeditarent. Iis calamitatibus Syracuſani penè exanimati, proprijsq; iam planè viribus diffiſi, de pace inter ſe cum Nicia etiam tractare cœperunt: præſertim cum auxilia è Lacedemonijs, & Corinthijs promiſſa non aduentaſſent. Hinc omnia etiam ſibi iam tuta timebant: adeo, vt inter ſe quidem mutua ſuſpitione vacarent. Duces præterea ipſos, quorum ductu tot cædes, & bellorum clades ſibi obuenerant, vel vt imperitos, vel vt proditionis ſuſpectos abdicarunt: eorumq; loco Heraclidem, Eucleam, & Telliam ſuffecere. Dũ in hoc infœlici rerum ſucceſſu res Syracuſanorum eſſent: Gilippus Lacedæmonius Cleandridæ filius à Spartanis, & Pythen à Corinthijs cũ copijs auxiliaribus miſsi circa Leucadem adſunt, recto curſu Syracuſanis auxilio venturi. Sed audita Syracuſanorum obſidione, duplicisq; muri circumuallatione: Gilippus deſperans ſocijs poſſe amplius ſubueniri, in Italiam curſum deflexit: vbi fœda tempeſtate iactatus nauibus penè omnibus concutitur. Quibus deinde cum in Locros ex Tarento adnauigaſſet; certior ibi factus Syracuſis per Epipolarum partem copias inferri poſſe, ex Locris in Siciliam nauigare cœpit. Nicias Gilippi accepto aduentu, eiusq; claſsis naufragio, & rerum ſucceſsibus ſupra modum etiam animo elatus nullam aduenientis Gilippi habebat rationem. Augebant præterea eius animos clandeſtina per occultos nuntios cum Syracuſanis habita colloquia: quæ ſub certis conditionibus vrbis deditionem pollicebantur. Ea itaq; fiducia Nicias factus ſecurior neq; aditus munire cuſtodijs, neq; Gilippo aduenienti præſidia opponere curabat. Interea Gilippus, & Pythen ſecum diu conſuluerunt, dexteriora ne Siciliæ littora tenderent, & cum periculo per hoſtium claſſem Syracuſas ingrederentur, an verò nauigatione ad leuam directa fretum excurrendo Himeram peterent: vt comparata ibidem, quam poſſent, militum manu incautis Athenienſibus terreſtri itinere in vrbem Syracuſas per Epipolas reciperentur. Tandem de induſtria præterita Siciliæ dextra, Rhegium & Meſſanam præteruecti emenſo freto Himeram verſus nauigarunt. Vbi Himerenſibus ad belli ſocietatem inductis, Selinuntinis etiam, qui in Syracuſanorum fide perſtabant, certum locum, diemq; quo ab eis copias expectarent, præſcripſere. Geloos quoq; ad ſubmittendos milites excitarunt, Siculorum poſtremò complures vrbes (defuncto eo tempore Archonide eorum Rege) ſocietatem quoq; cum Gilippo inierunt. Qui auctis

hac ſociorum

hac ſociorum confœderatione ad tria ferme armatorum milia ſuis copijs, terra Syracuſas contendebat. Harum rerum Syracuſani inſcij populum in concionem conciuerant : vt quibus conditionibus pax à Nicia eſſet petenda conſulerent: inter quos tum de legatis primum ad petendas inducias mittendis conuentū eſt. Interea verò eximprouiſo Gongylus vnus è ducibus Corinthiacæ claſsis cum vna tantùm triremi à Gilippo miſſus Syracuſas appulit. Ad quem repente totius ciuitatis frequentia concurrit. Qui vbi eum à Gilippo miſſum, illumq; breui maximis copijs auxlio affuturum audierunt: licet lætis animis omnibus lætum omen exciperetur: non tamen plena verbis eius fides adhibita eſt, quouſq; nuntius alter ſuperueniens à Gilippo mandata detulit, vt venienti ſibi obuiam Syracuſani occurrerent. Eo demum nuntio alacriores redditi vrbem conſtantius tutantur. Nec multo pòſt Gilippus dum Syracuſas properat, in itinere Legham Siculorum oppidum, hoſtium ſtudioſiſsimum expugnat. Et deinde acie expedita ad Epipolas, tanq; ad prælium proficiſcitur, aſcendensq; ab Euryclo, qua parte Athenienſes primùm aſcenderant, contra hoſtium munitiones perrexit. Athenienſes etſi murum duplicem ad mille ferme paſſus ab Epipolis ad portum magnum extruxiſſent: interruptum tamen circa maris proſpectum (aliquot adhuc locis) erat opus: quod in tanta celeritate perfici non poterat. Inde igitur conſpicati aduerſus eos Gilippum aciem dirigere, & præuidentes Syracuſanos in pugnā excituros, ſeſe ad prælium & ipſi expediunt. Ibi verò dum vtrinq; inſtructæ ſtarent acies: Gilippus in conſpectu Athenienſium depoſitis armis progreſſus per preconem eis edixit. Si Sicilia intra quinq; dies abire vellent, tutò inde eis exire licere. Cui Nicias nec reſpondere quidem dignatus eſt. Scribit Timæus Gilippum cum primùm aduenisſet, parum apud Syracuſanos exiſtimationis promeruiſſe: imò & proceſſu temporis contemptui quoq; habitum, ludibrijſq;, ac ſcommatis potius q̄ honore exceptum fuiſſe; adeo populi animos primo ſuo aſpectu offendiſſe. Thucydides verò, & Philiſtus Syracuſanus, qui huius belli rebus adminiſtrandis non otioſus ſpectator interfuit, cum admiratione quadam & reuerentia à Syracuſanis veneratum tradunt, cum in chlamyde ſemilacera, & ſolo baculo, quibus Gilippus prodibat in publicum, ciuitatis Laconicæ ſpeciem, & dignitatem contemplarentur. Porrò Gilippus paratis vtrinq; legionibus cum tumultuariè Syracuſanos, perturbatosq; progredi cerneret, in locum patentiorem eos reduxit. At Nicias milites contrà non mouit, ſed quietos ſub caſtrorum muro continebat. Quod vbi Gilippus animaduertit, exercitum ad verticem montis Temenites adduxit: ibiq; caſtrametatus ſequenti die maiorem militum manum ad muros Athenienſium admouit, ne per vices hoſtibus ſibi mutuò ſuccurrendi poteſtas eſſet. Miſſa deinde copiarum parte Labdalum arcem vi cepit, occiſis Athenienſibus, qui in preſidio latitabāt. Nam reliqui Athenienſes in caſtris erāt, & arcem hanc inde conſpicere minimè poterant. Eodem quoq; die Triremis Athenienſium vna dum portum magnum ſubiret, à Syracuſanis eſt capta. Poſt hæc Syracuſani ab vrbe per Epipolas ſurſum verſus murum extruxerunt: ne Athenienſes vrbem amplius vallo cingere poſſent. At illi abſoluto iam ad mare muro, quem totis viribus perfecerant, in ſuperiora ſe receperunt. Cumq; quædam muri pars fragilis eſſet; Gilippus ad eam noctu cum exercitu profectus, cum Athenienſes id ſenſiſſe, obuiamq; prodire vidiſſet, tacito agmine retro abijt. Hunc murum cum ſubinde Athenienſes ſublimius excitaſſent, per ſeipſos ibi excubias faciebant, ſocijs ad reliquas muri partes tutandas collocatis. Viſum præterea eſt Niciæ Plemmyrium promontorium, quod è regione vrbis prominet, & portus magni fauces coarctat, muro ſepiendum fore: vt & commeatus, ac rerum neceſſariarum facilior, propinquiorq; eſſet receptus, & fauces portus in poteſtate haberet. Iam enim poſt Gilippi aduentum cum terreſtribus copijs vrbis

expugnationem

expugnationem minus ſperaret,ad nauale bellum totum animum adiecerat. Inſtructa deinde militibus claſſe poſtq̃ triplici præſidio murum firmaſſet, Plemmyrium capit,claſſemq́; in ſtatione ponit. Ex eo tempore Athenienſibus ſucceſſus ſimul, & fortuna defecit. Enimuero & aquæ penuria multi eorum interierunt. Et quoties ad cædenda ligna prodibant, ab equitatu Syracuſanorum, qui apud oppidum Olympicum ſtatiua tenebat,fœdè opprimebantur. Interea Nicias cognito quòd cæteræ Corinthiorum naues, in Syracuſanorum auxilium aduentarent ad eas intercipiendas viginti naues circa Locros,& Rhegium, & promontoria Siciliæ & ipſe mittit. Gilippus verò cum murum inter Epipolas extruxiſſet, vbi ſibi tempus præliandi adeſſe viſum eſt,inter vtrunq; murum primus omnium hoſtes inuaſit. Cumq; ad manus deuentum eſſet:Atheniẽſes (Syracuſanorum magna clade facta) victores Gilippi culpa extiterunt,qui cum intra muros aciem inſtruxiſſet,bellandi vſum equitibus, & iaculatoribus eripuiſſet. Qua clade Gilippus non animo fractus, q̃ primùm mortuorum cadauera recepiſſet: mutato aciei ordine rurſus poſtridie in hoſtes irruere ſtatuit. Milites proinde longius à muris,q̃ nuper produxit,equitesq́; ac iaculatores in loco ſpatioſo è regiõe Athenienſibus oppoſuit, Pugnam igitur maioribus animis redintegrat, ſiniſtrumq́; equitatus Athenienſis cornu,quod in ipſum ſpectabat,continuò impetit, profligatq́;. Quo viſo,& reliquus Athenienſium exercitus animis deijcitur, atq; in fugam diſſipatus vertitur. Quos Syracuſani vſq; ad caſtra fugientes inſecuti ſunt. Ac tum ibi quantum in bello rei militaris ſcientia poſſet, Gilippus hoc ſuo exemplo,apertaq́; re geſta declarauit.quippe qui ijſdem militibus, atq; in eodem loco pugnans aciei ſolùm mutato ordine Athenienſes vicerit, à quibus paulo antè ingenti ipſe prælio ſuperatus fuerat. Parta victoria Syracuſani ſequenti nocte murum,quem ceperant, vſq; ad hoſtilem perduxerunt.ita vt ab Athenienſibus neq; amplius ab opificio prohiberi,neq; contrà circumuallari poſſent. Poſt hæc appulerunt Ambracienſium, & Corinthiorum duodecim, quas ſuprà diximus, naues, quibus Eraſinides Corinthius præerat. Quorum interuentu muri opus à Gilippo inchoatum celerrimè ad ſummam perfectionem eſt perductum. Quo facto Gilippus vrbe egreſſus terreſtri itinere Siciliæ ciuitates, quæ à Syracuſanis deſciuerant,obibat,easq́; rurſus in fidem recipiebat, atq; vndiq; exercitum comparabat. Tum quoq; ne maritimis viribus cederent,ad claſſem colligendam totis animis,opibusq́; intendebat. Quocirca & Legatos Lacedemona, Corinthumq́; rurſus emittit: qui plus copiarum Syracuſas accerſerent: quippe quòd in principio, non in fine belli euentus adiuuandus eſſet. Nicias ex altera parte videns Syracuſanorum vires terra,mariq́; inualeſcere,ſuisq́; iam nihilo eſſe inferiores,ab Athenienſium Senatu,& populo per literas,& nuntios poſtulat,vt triremes, pecunias, copiasq́; quantas poſſunt,q̃ celerrimè tranſmittant,nec non & idoneos Prætores qui loco Alcibiadis fuga ſubrepti, & Lamachi interẽpti belli munia obeãt,ac ipsũ ſenem & ægre belli molem ſuſtinentem abdicent. Proinde maturatò opus eſſe: alioqui de ingenti clade toti Athenienſium Reip. periculum imminere, prænuntiat. Niciæ literis in Senatu recitatis, omnia ex ſententia ſunt ei ad bellum decreta,Magiſtratus ſolùm abdicatio negata. Nihilominus donec collegas mittant, duos,qui cum eo erant,Menandrum,& Euthydemum delegere, qui ſecum in partem bellici oneris ſuccedant. Nec multo pòſt collegam vnum Eurymedontem Thuclis filium circa brumam cum nauibus decem, argentiq́; centum & viginti talentis Athenienſes in Siciliam miſere. Propediem & Demoſthenem Alciſthenis filium cum maioribus viribus alterum collegam addituri. Contrà Lacedemonij, & Corinthij auditis quæ poſt Gilippi in Siciliam appulſum circa Syracuſas geſta fuerant,ſumma ope claſſem, terreſtresq́; copias ad bellum inſtruunt:ac ſubinde mille ſexcentos numero milites ſpartiatas, Corinthios, & Bæotios cum nauibus

vigintiquinq;

Digitized by Google

vigintiquinq; Syracusas auxiliares legant. Athenienses quoq; & ipsi Demosthenem cum nauibus quadragintaquinq;,in quibus erant mille & ducenti Attici generis,& insulani complures,aduehunt.Reparatis itaq; iam vtrinq; copijs Syracusani ob secunda prælia, quæ in terris gesserant,animo elati, & hortatu Gilippi,& Hermocratis classem opulentissimam educunt,pugnamq; naualem cum Atheniensibus experiri decernunt. Habebant in portu magno triginta quinq; naues bello instructas,in minori vero quadraginta quinq;:sed fauces magni portus, quæ angustæ sunt,ab Athenienſibus,qui circa Plemmyrium erant,custodiebantur. Quãobrem Syracusanæ naues in vnum coire absq; ambiguo belli discrimine non poterant. Quod Gilippus animaduertens noctu pedestre agmen circa isthmum Plemmyrij duxit:vt eodem momento ipse à terra, & naues à mari Plemmyrium, quod ab Athenienſibus tenebatur,aggrederentur. Igitur è vestigio Syracusanorum triremes trigintaquinq; è portu magno, & ex minori quadragintaquinq; eo consilio soluunt,vt coeant,& simul Plemmyrium adoriantur. Athenienses ex sexaginta nauibus,quas ad Plemmyrium habebant,contra trigintaquinq; Syracusanas,quæ in portu erant,solùm vigintiquinq;, cæteras contra eas,quæ è portu minori soluebant,educunt.Cæterùm cum Syracusanorum classis remis impulsa magni portus è faucibus erumpere niteretur: vigintiquinq; Athenienſium triremes contra eam irruunt, & egressum inhibent. Quibus Syracusanæ naues magna vi se opponunt:atq; in ore ipsius portus non ignauum certamen initur. Vbi confligi cœptum est:iam vndiq; ex Plemmyrio Athenienses ad mare collecti littus compleuerant,partim spectandi naualis prælij studio;partim vt siquid pugnando suis aduersi obtigisset, auxilio quamprimum succederent. Gilippus vbi Plemmyrij præsidia negligentius ab hostibus haberi sensit, ad eorum propugnacula procurrit,in quibus nautica omnis facultas,& pecuniæ,tum rerum, ac militum omnium apparatus reconditi tenebantur. Quò cum peruenisset,repente Plemmyrij muros adoritur,& primum è tribus,qui maximus erat, & deinde alios minores parno labore capit. Ea re cognita Athenienses,qui ad mare descenderant, ad suppetias recurrunt. Sed Gilippus contrà obstitit,magnamq; eorum cædem fecit. Tũ clamore ingenti,tumultuq;, ac sonitu per castra sublato, re insperata variè Athenienſium acies perculsa funditur,atq; in reliquam stationem confugit. Sed quàm id negotium Gilippo prosperè succesſit,tam naualis pugna Syracusanis fuit infœlix. Enimuero cum initio pugnæ res eis satis ad votum euenissent, nauesq; minoris portus Athenienſibus frustra obnitentibus in portum magnum perrumperẽt, dum nimium,& absq; ordine accelerãt,in internas naues incompositæ impingũt. Quo viso victi Athenienses agmine collecto cõuersi impetum victorum primùm comprimunt; inde etiam dispersas eorum vires frangunt, versaq; fortunæ vice eos in fugam vertunt,atq; inter insectandum naues eorum vndecim supprimunt, reliquas in Insulam vsq; per multis Syracusanorum interfectis insecuti compulerunt. Soluto prælio ab vtrisq; trophæa sunt erecta:ab Athenienſibus victoria naualí obtenta;à Syracusanis re terrestri optimè gesta. Siquidem Athenienses ex Syracusanorum naufragijs collectis manubijs trophæum in paruula insula, quæ faucibus magni portus,ac Plemmyrio præiacens à.S.Martiano hodie nomen habet,in Syracusanorum ludibrium erexere, atq; in sua castra reuersi sunt. Syracusani verò pro tribus muris apud Plemmyrium adeptis in eodem loco tria & ipsi statuere trophæa.atq; ita contigit, vt vno, eodemq; prælio vtriq; & victi fuerint, & victores. Sed Athenienſium insignior fuit clades. Nam Gilippus capto Plemmyrio,& præsidijs munito ingenti Athenienſium pecunia publica,priuataq;, omni præterea bellico apparatu,quæ in eum locum veluti in ærarium fuerant deportata,potitus est. Ad hæc Syracusani parta terrestri victoria iam portus magni fauces,& portũ ipsum apertum habebant. Quo euenit,vt Atheniẽsibus cõmeatus

in castra

in castra deinceps sine periculo minimè subuehi potuerit: quippe quod in portus ingressu assidue paratam tenerent classem, Syracusaniq; aduenientes Athenienſiũ cum commeatu naues exciperẽt. Quocirca nihil æquè Athenienſibus obfuit, atq; Plemmyrij amiſsio. Quæ & illis languorem, & ſuis audaciam præbuit. Nam & pauco pòſt tempore Syracuſani naues duodecim cũ Agatharcho Syracuſano claſſis Præfecto in Italiam ablegarunt, quòd fama erat naues pecunia onuſtas Athenis ad Niciam in Siciliam ea curſum tenere. Miſerunt & nauim vnam Peloponneſium, quæ Spartanos, Corinthios, ac ſocios cæteros proſperè à ſuis geſta doceret. Porrò Agatharchus cum ſua claſſe Athenienſium nauibus in alto Appuliæ mari occurrens magnam ex illis partem oppreſsit; & in ijs vnã, quę ſtipendium in Athenienſium caſtra deuehebat. Et in ora Cauloniæ maritima ingentem materiam, quam ad ædificandas naues Athenienſes ibi comparauerant, iniecto igne exuſsit. Sed cum in reditu circa Megaricum maris tractum viginti Athenienſium naues in eum irruiſſent; vna tantùm eius naui ab hoſtibus intercepta ipſe cum cæteris de medio eorum fuga ſubductus incolumis Syracuſas redijt. Occluſerant & minorẽ portum cathena lignea: ne in eorum naualia, quæ ibi erant, Athenienſes vel irrũperent, vel ignem injcerent. Hanc Athenienſes reſcindere tentarunt, oneraria vna naui turrita, ac loricata, ne in aggrediendo offenderentur, expugnationi admota. Sed Syracuſanis ex naualibus in Athenienſes miſsilia iacientibus, & viriliter propugnantibus, ſuo conatu illi fruſtrati ab incepto deſtiterunt. Dum hæc Syracuſis fiunt: Demoſthenes vbi in Græcia copias coegit, cum quibus ad ſuis ſubueniendum in Siciliam traiecturus erat; ex Aegina in Peloponneſum nauigat, Charicliq;, qui cum triginta ibi erat nauibus, iungitur. Corcyram inde verſus curſum tenet, ſed nauigatione intermiſſa circa Zacynthum, Cephaleniam, aliasq; circumiectas inſulas aliquandiu ad delectum militum habendum ſubſedit. Cui circa ea loca tardanti Eurymedon è Sicilia pro ſolicitandis auxilijs veniens occurrit; qui ei Plemmyrium à Syracuſanis fuiſſe receptum nuntiauit. Sed dum hi in eis locis ex ſocijs diuerſis copias in Siciliam traijciendas augere ſtudent: in Sicilia Legati Syracuſanorum, qui poſt expugnatum Plemmyrium Siciliæ ciuitates adierant, easq; præſenti rerum ſucceſſu in Syracuſanorum ſocietatem adduxerant, cum bis mille & trecentis auxiliatoribus, quos tum ab Himera, tum ab alijs ſocijs vrbibus contraxerant, Syracuſas petebant. Quo Nicias cognito, ad Siculos ſocios, Centuripinos præſertim, & Alicienſes (qua Syracuſani neceſſariò tranſituri erant ob negatũ ab Agrigentinis per eorũ agros iter) ſcribit, vt hoſtes, inſidijs adoriãtur. Igitur ad iuſſa parati tribus in locis tranſituris hoſtibus inſidias poſuere: vbi cum ad inſidiarum locum Syracuſani peruenirent, repente à Siculis inuaſi octingenti ex eis, legatiq; omnes præter vnum Corinthium trucidati interiere. cæteros mille & quingentos legatus Corinthius licet diſiectos Syracuſas incolumes perduxit. Subidem quoq; tempus Camerinæi armatos quingentos, iaculatores trecentos, totidemq; ſagittarios, & Geloi quoq; naues quinq;, iaculatores quadringentos & equites ducentos Syracuſas auxilio miſerunt. Et iam omnis ferè Sicilia præter Agrigentinos, qui nondum partibus adhæſerant, ad Syracuſanos defecerat. Athenienſes interea cognito, quod propediem cum Demoſthene Prætore claſsis ingens auxiliaris eis ventura eſſet, ſtatuunt ante illius aduentum fortunam belli nullo pacto amplius experiri. At Syracuſanorum conſilium contrà erat. Enimuero ſociorum acceſſu viribus aucti: & priusq̃ Demoſthenes aduentaret, & nouis auxilijs Athenienſes inualeſcerent; omnia moliri; intra munitiones ſeſe continentes hoſtes laceſſere, ad pugnam irritare, & claſſe inſtructa cunctãtes inuadere decernũt. Mari itaq;, & terra acriter aliquandiu, incertaq; victoria dimicatum eſt: niſi quod duæ Athenienſium naues perierunt. Poſthæc ſuadente Ariſtone Corinthio Pyrrhychi filio, rei naualis peritiſsimo, Syracuſani nauium proras & breuiores, & depreſsiores

depreſsiores conſtituunt, vt contra Athenienſium naues, quæ infirmiores ipſa figura proras habebant, quarumq; roſtra vel ob id nihil eis damni afferre poterãt, quod impetum facere q̃ facilime non poſſent. Igitur Syracuſani ſingulis propè diebus roſtrorum concurſu Athenienſium triremes vexabant, caſtra hoſtium inuadebant, terra, mariq; nihil quietis hoſtibus promittebant. At cum ſua ſe arte Athenienſes aliquandiu tutati irritamentis modum fieri nõ viderent, incaleſcunt tandem, pugnæq; ſtudio incenduntur, ac exæſtuant, neq; diutius tam inſolenter, tamq; impune hoſtem ſufferendum cenſent. Arma proinde expediunt, ſeq; ad decertandum accingunt, ac claſſem octuaginta nauium inſtruunt: ſed onerarias ante triremium ſtationem certo inter ſe ſpatio collocant, vt per ea interualla foret triremibus, ſi fortaſſe ab hoſte vincerentur, in tutum recurſus. Erant Athenienſium triremes ſicuti numero, ita & celeritate Syracuſanis ſuperiores. Nautæ præterea rei nauticæ peritia, ac diſciplina quoq;, & arte præſtantiores. Verùm hęc omnia etſi ad victoriam in aperto mari non parui momenti eſſent, in anguſto tamen portus magni ſinu, vbi certamen eſt commiſſum, parum valuere. Acceſsit ad hæc ars quoq; Syracuſanorum, qui dum Athenienſes ſe ad aciẽ paraſſe cernunt, quo incautos hoſtes adoriri poſſent, nullo ipſi belli dato indicio, ad ſtationem recepiſſe ſe ſimulant, rerum quoq; venalium forum fingunt: quò nautæ ad cibos emendos confluunt. indeq; veluti ad prandendum clàm omnes triremes aſcendunt. Quæ omnia induſtriam, & quæ Athenienſibus alia fuerant in belli ratione potiora, & æquabant, & ſuperabant. Athenienſes his viſis nullam eo die nauale pugnam futuram, ſed omnia tuta eſſe arbitrati, ad prandium & ipſi ſe conferunt. Syracuſani verò vbi hoſtes remiſſo præliandi ardore ad cibum operam conuertiſſe cernunt, repente in eos nihil tale ſuſpicantes procurrunt, inuehunturq;. Athenienſes hoſtium tumultu audito ieiuno corpore, nulloq; ordine ægrè tandem naues aſcendunt, atq; vt poſſunt commodiſsimè obſiſtunt: dato ſigno pugnam ineunt: triremibus conſertis Syracuſani Athenienſes protinus occupant; nihil otij ad expeditionem, nihil quietis illis relinquunt: primos, qui ex tabulatis impetum repellebant, haſtis transfigunt, indeq; deijciunt; complures fundis, ſaxisq; petunt, ac locis vndiq; deturbant, in pleroſq; roſtris incurſant, atq; per aduerſas proras infodiunt. Poſtremò propius congreſsi comminus gladijs rem gerunt: iamq; nauale bellum ſpeciem pugnæ pedeſtris referebat. Vbi afflicti vndiq; Athenienſes in fugam præcipites aguntur. quos Syracuſani ſumma vincẽdi libidine inſectati, ſeptẽ eorum triremes fluctibus ſupprimunt, pleraſq; compagibus diſcuſsis ad munia belli prorſus inutiles reddunt. Plures eo bello capti: plurimi ſunt interfecti. hoſtibusq; cum terra, tum mari profligatis Syracuſani victoriæ trophæum circa littus erexere. Sed dum ipſi in certam rerum ſuarum ſpem hac victoria efferuntur: ecce repente Demoſthenes, & Eurymedon cum ingenti claſſe, innumerisq; copijs adnauigantes procul apparent. Nam in tranſcurſu à Thurijs, & Meſſapijs iure ſocietatis præſidio accepto ſeptuaginta tres naues adducebant; milites ad quinq; milia; iaculatorum, ac ſagittariorum, funditoribus etiam admixtis ad tria milia, præter eos, qui in onerarijs ad ſupplementa vehebantur. Armorum præterea pecuniæq; magnam vim: ad hæc machinas, & omnifariam inſtrumenta ad expugnationem idonea. Armis præterea ac militaribus ſignis nautarum, ac tubicinum turba adeo exornatæ triremes erant, vt ſcænici apparatus magnificentiam præ ſe ferrent. Quibus cognitis Syracuſani fracti rurſus animis ſpem omnem, ac fiduciam, quam de priori victoria ceperant, mox depoſuere, ac retrolabuntur. Demoſthenes Niciæ iunctus explorato iam ſatis vrbis ſitu, non terendum tempus, ſed dum ſe terribilem ſcit eſſe hoſtibus, vrbem aggrediendam cenſuit: ne cunctando contemnendum ſe Syracuſanis, veluti antè Niciæ, proponeret. Celerrimè igitur extrema quæq; experiri, captaq; vrbe Athenas regredi ſtatuit. Quod cum Nicias audiſſet,

Digitized by Google

audiſſet, eius audaciam admiratus orabat, nequid temere aggredi properaret: cunctationem nanq; hoſtibus plurimùm obeſſe; quòd neq; ſumptus diutius tolerare diuturnitate inopiæ poſſent, & à ſocijs eos non multo pòſt deſertum iri neceſſe eſſet: fore, vt in ſummis rerum difficultatibus ad conditiones rurſus pacis petendas, quemadmodum & antea concurrant. Et iam non pauci ex Syracuſanis erant, qui clandeſtinis nuntijs Niciam ijs ipſis de cauſis admonebant, ne quo modo remitteret obſidionem. Sed Niciæ conſilio Demoſthenis ſententia apud milites prævaluit. qui etiam omnes collegas ad occupandas Epipolarum moles hortatus, aſſumptis decem grauis armaturæ, totidemq; leuis militum milibus è ſtationibus egreſſus, Syracuſanum circa Anapũ.fl.agrum populatur. mox pedeſtribus copijs ſimul, & claſſe eam regionem ſine hoſtium occurſu obtinet: ac poſtremò ad Epipolas inuadendas ipſe ſe parat: quinq; dierum cibaria portari iubet, & eos, qui lapides legant, & qui ſtruant, reliquumq; miſsilium apparatum portent, vna cum rebus ad ædificandum neceſſarijs, ſi loco fortè potiretur, ſecum aſſumit: conuocatisq; collegis ſolo Nicia ad muros ſuos relicto cum omnibus copijs ad inſtitutum contendit. Vbi igitur iam Euryclo propinquabat, repentino, atq; improuiſo in Syracuſanos impetu irruit, eorumq; murum occiſis cuſtodum pluribus capit, cumq; è cuſtodibus aliquot q̃ properè dilapſi tribus Syracuſanorum caſtris, quæ in Epipolis erant; hoſtium introitu nuntiato ſexcentos viros, eosq; etiam, qui primi ad hanc ingreſſus partem excubabant, protinus in ſubſidium exciuiſſent: Demoſthenes, atq; Athenienſes primum impetum facilè fregere: ac intra molis ſepta penetrando proximas hoſtium munitiones inuadunt, capiũt, & pinnas detrahunt. Hermocrates verò cum Syracuſanorum electa manu, & Gilippus quoq; cum ſuis præpropere è propugnaculis exeuntes hoſtibus in occurſum prodeunt. & cum per noctem inopinato hoſtium occurſu premerentur, attoniti ad pugnam compulſi ſunt: & primo quidem congreſſu repulſi, cum tamen Athenienſes veluti victores nondum expugnata Epipolarum loca cupidius, q̃ par erat irrumperent, longiusq; expatiarentur; Boeotij exorti ſeſe ingerunt, eosq; nõ minori, q̃ irruperant, impetu, fundunt, atq; eijciunt. Vnde Athenienſes ingens perturbatio, atq; difficultas circumuoluit, quam noctis caligo non mediocriter grauauerat. Fulgente ſiquidem luna amicum ab hoſte non diſcernebant; adeo corporum, & armorum multitudine repercuſſa infirmũ, debilemq; reddebat intuitum. Fortè etiam ita in acie conſtiterant, vt eis illa à tergo luceret: quò præſe iacentes vmbrarum tractus, armorum fulgorem, ſuorumq; numerum ipſimet occultabant. contraq; aduerſis clypeorum vmbonibus lunæ radij repercuſsi & hoſtium maiorem videri numerum, & armorum claritatem lucidiorem efficiebant. His igitur cauſis in diuerſa præcipiti ordine ruunt. Hinc quicunq; eis occurrebant, etiam ſocios pro hoſtibus formidatos refugiebant. Et cum in anguſto loco armati ex vtriſq; non pauci verſarentur: omnia eis perculſa apparebant. Syracuſani verò ſocijq; victores magno vtebantur clamore, quòd nequibant aliter per noctem quid ſibi opus eſſet, ſignificare. Athenienſes quoq; contrà ſuos quæritabant, & ſignum teſſeræ, quod ſymbolum eſt, ex ſe mutuò requirebant; ꝙ nulla re alia dignoſci poſſent. Sed & hoc maiorem ſibi perturbationem præbebat: quod omnes ſimul, & idem percontarentur. præter hæc autem præcipuè illis obfuit modulatio pæanis, qui hymnus & pro victoria in Apollinem decantantium erat. Qui cum ſimilis vtrorumq; eſſet, animos confundebat: ita vt inuicem ſe vel trucidarẽt, vel ſaltem congrederentur. Eorum etiam pleriq; fugati per abrupta locorum imperitia præcipiti fuga cum arctus eſſet ex Epipolis ad regrediendum deſcenſus, in interitum ipſi corruerunt. Nonnullos præterea alios alio itinere diſperſos, palantesq;, vbi illuxit, Syracuſanorum circumfuſus equitatus obtruncauit. Proindè Syracuſani vna cum ſocijs fortunam propenſius proſecuti, hoſtium ſupra duo

milia, &

Digitized by Google

milia, & quingentos necarunt non minori eorum numero ſauciato: ex quorum ſpolijs prædam etiam non inutilem retulere. Atq; ita ex inopinato parta victoria apud Epipolas duo ſtatuerunt trophæa, vnum qua parte hoſtes ingreſsi, alterum vbi à Boeotijs primùm repulſi ſunt. atq; exinde audentiores facti non ſolùm ſua tueri, ſed aliena quoq; appetere animo concipiunt. Quocirca Sicanum ex Prætoribus vnum quindecim cum triremibus Agrigentum, vbi inter ciues orta erat ſeditio, ad ſedandos tumultus, occupandamq; vrbem mittunt. Gilippus quoq; terreſtri itinere ad Siciliæ vrbes ad auxilia vndiq; contrahenda exijt. Tum Athenienſium duces cum è clade accepta, tum exercitus imbecillitate, ſæuienteq; cœli inclementia, quæ ex cœno paluſtri, limoq; prouenerat, exercitumq; inuaſerat, in arduas adducti difficultates conferre inter ſe conſilia cœperunt. Demoſthenes Epipolarum occupatione, ſuoq; conatu fruſtratus confeſtim obſidionem ſoluendam, abeundumq; Athenas cenſebat, nec fruſtra Syracuſis aſsidendum: ſed ſatius eſſe patriam ſolùm contra Spartanos tueri, q̃ procul, & in alieno propè orbe incaſſum tempus, pecunias, copias ipſas, ſalutis, imperijq; columen terere. nec Eurymedon multum ab eo diſſentiebat. Nicias contrà, aſsidendum adhuc; atq; eò impenſius, quòd clam à Syracuſanis pleriſq; Athenienſium ſtudioſis per literas certior factus fuerat, futurum, vt breui Syracuſæ caperentur, ſi in obſidione perſeueraretur. Hac igitur ſententiarum diuerſitate diſtracta conſultatione nihil certi decernitur, ſed in loco perſtant. Interea Gilippus, & Sicanus redierunt: Sicanus quidem negotio infecto: quia dum apud Gelam ipſe adhuc ageret, ſeditio Agrigentinorum ſedata eſt. Gilippus verò ex Siculis, Selinuntijs, Gelois, Himerenſibus, & Camerinæis maxima militum præſidia ſecum adduxerat. Creſcentibus igitur Syracuſanorum viribus, ipſis augebantur. Athenienſium contrà. ceciderunt animi: eoq; magis, quò morbus in ſuos durius graſſabatur. cui non parum etiam addiderat ponderis Ducum inter ſe diſſenſio. Qua perterritus Nicias reditum in patriam, ſed clandeſtinum probare cogitur. Cæterùm cum inſtructis omnibus ſub auroram ad naues conuentum eſſet, parareturq; nauigatio: luna, quæ plena erat, noctis initio eclypſim paſſa eſt. qua turbatus Nicias accitos aruſpices conſulit. A quibus ad alterum lunæ circuitum profectionem differri oportere reſponſum eſt. Quo non Nicias modò, ſed & cæteri ingenti formidine correpti à vatibus decretum tempus expectandum eſſe iudicauerunt. Syracuſani cognita per transfugas dilationis cauſa adaucti audacia terra, mariq; morantes infeſtare ſtatuunt. Terreſtri exercitu murum, & caſtra eorum obſident, nauibusq; in latum ordinem directis fauces portus occupant: vnde probris, & conuitijs hoſtem laccesſebant. Interea Heraclides nobilitate inſignis adoleſcens, triremi, qua ferebatur, alias prætergreſſus in hoſtes licentioſius inuehebatur. Quem Athenienſium nauis vna inſecuta parum abfuit, quin retro ad ſuos fugientem comprehenderet. Cuius periculo commotus Poliuchus auunculus eius cum decem triremibus, quibus præerat, in altum delatus auxilio venit. Cæteri Syracuſani de Poliuchi ſalute metuentes vno conſenſu nauali certamine dimicare conſtituunt. triremes ſeptuaginta ſex parant, militibus inſtruunt, atq; ad prælium expediunt. terreſtres etiam copias in ordine diſponunt, vt hoſtes terra, & mari adoriantur. Athenienſes etſi conſternati animo, & iam tum ad fugam parati, vrgente tamen diſcrimine ſex atq; octuaginta triremes militibus impulſi & ipſi complent. ſubinde acies inſtruunt. Dextrum cornu Eurymedonti datur. cui cõtrà à Syracuſanis Agatharchus Prętor diſponitur. Alterum Athenięſium cornu Euthydemus duxit. huic Sicanum Syracuſani ducem oppoſuerunt. medium agmen in Athenienſium acie Menandrus tenuit. In Syracuſana Pythes Corinthius. Signo itaq; dato phalãx

Athenienſium iuxta littus ſeſe porrigit. inde Eurymedon illorum dux cum maiori triremium numero conſideret, procul à ſuis ſenſim abnauigando, cornu Syracuſanorum circumuenire nitebatur. Quem vbi ab ordinibus, & reliquo agmine ſatis digreſſum Syracuſani conſpexerunt, rapto impetu, remisq; citatis in eum feruntur, intercipiunt: atq; intra ſinum, cui Daſcona eo tempore nomen erat, quem Syracuſani præſidijs munitum tenebant, compellunt. Qui iam vndiq; a circunſiſtentibus hoſtibus, & in anguſtum, profundumq; portus locum concluſus in terram vertere triremes cogitur. ibiq; ipſe cum plerisq; Athenienſibus præſtantiſsimis viris transfoſſus ab hoſtibus perijt; ſeptemq; triremes in ſcopulos impingendo contritæ ſunt. Qui rumor illico per ora Athenienſium diffuſus iam eorum aciem ad extremam vſq; deſperationem concuſsit. cui cum accederet Syracuſanorum nihil remittentium ferocia, victos demum miſeros, diffractosq; in fugam compulit. Sed & fuga parum ad ſalutem profuit. Cum nanq; pauentes trepidantesq; in incertum hinc inde raperentur, nihilq; certi haberent præſidij: quippe quòd omnia ſibi tentata conſilia à Syracuſanis interturbari viderent: pleræq; eorum triremes in littora, breuiaq; quædam loca cœno, & limo inuia peruadunt. Vbi & Gilippus mox affuit: qui Athenienſes in terram euadentes ferro exciperet. Tyrrheni porrò Athenienſium auxiliatores confeſtim & ipſi occurrunt, factoq; in Gilippum, & ſuos impetu in Lyſimeliam paludem fugientem vertunt, ac toto circùm littore abigunt. Quod vbi Sicanus Syracuſanorum Prætor animaduertit, onerariam quandam vetuſtam, quam Olcadam appellant, ſarmentis, faſcibusq;, ac tædis ſtatim replent, eamq; pyræ additã atq; iniecto igne ad comburendas Athenienſium triremes in vadis, & locis breuibus, ac limoſis fluitantes exponi iubet. Sed cauti Athenienſes machinamentis ad ignem reſtinguendum adhibitis, hoc ſe periculo facilè liberarunt. Tum & copiæ eorum pedeſtres ad ea littora, ad quæ ſuas ex fuga naues appuliſſe cognouerant, auxilio accurrentes cum Syracuſanis, qui in magno etiam numero ſuperuenerant, prælium iterant: vt cum vtrinq; ferociſsimè dimicatum eſſet; Syracuſanos tamen pedeſtri certamine inferiores fuſos eſſe memoriæ ſit proditum. Sunt qui ſcribant iuxta hæc loca rurſum vtrinq; duo erecta trophæa, à Syracuſanis vnum ob naualem victoriam, militum, ac equitum interceptionem, ab Athenienſibus alterum, tum propter Gilippi, & peditatus à Tyrrhenis in paludem deiectionem, tum propter cæterorum factam profligationem. cecidiſſe tamen hoc prælio Syracuſanos paucos, Athenienſes verò ad duo propè milia. quibus & ibi triremes duodeuiginti perijſſe Thucydides, & Diodorus poſteritati tradidere. Syracuſani tamen nondum pacata ira ad noua conſilia, quibus hoſtes penitus concluderent, perderentq;, animum intenderunt. Proinde ne Athenienſium claſsis, quæ in portus magni ſinu erat, egredi poſſet, portus fauces tranſuerſis triremibus, ac onerarijs, alijsq; nauigijs & ad littus, & ad inuicem ferreis cathenis, & ancoris firmiter, ac mutuo nexu compactis obſtruunt. Sed illi vbi ſe intercluſos vident, ad extrema conſilia redacti, tum ob alias difficultates, tum præcipuè ob inopiam commeatus, quem nec vllum tunc habebant, nec in poſterum expectabant, niſi claſſem Syracuſanorum ſuperarent, conſulto ſuperiores muros, caſtraq;, quæ iuxta fanum Herculis fixa fuerant, deſerunt, & ad littus deſcendunt; nauesq; ex vniuerſis hominibus ætate idoneis, atq; ſagittarijs, & iaculatoribus complent, & nauali prælio dimicandum omnino decernunt: vt ſi eo victores forent, diſcedentes Catanam ſe reciperent: ſin victi, incenſa claſſe pedeſtri itinere agmen deducerent, abirentq; ea parte, qua q̃ minimo interuallo locus aliquis ſiue barbaricus, ſiue Græcus, qui amicus eſſet, promitteretur. Ferreas manus præterea complures in triremibus poſuere aduerſus craſsitudinem lignorum,

quæ

quæ prominebãt è proris Syracuſanorum; vt nauem hoſtilem, ſiqua incurreret, retro abire prohiberent. Syracuſani etiam re cognita naues & ipſi numero quatuor & ſeptuaginta armis, & militibus inſtruunt, ſeq; ad bellum parant. & de manibus ferreis certiores facti, quibus ſuas naues Atheniẽſes erant munituri, proras & ipſi, ac nauium ſuperiora magna ex parte corijs contegunt, vt in ijs nihil habens manus iniecta quod appræhenderet, illico laberetur. Poſt hæc libera Syracuſanorum omnis pubes nec dum etiam bello ſatis maturam habens ætatem naues ſubſidiarias conſcendunt. Parentes quoq; filios in certamen deſcenſuros adhortaturi, ac eorum ferociam, viresq; in dimicando ſuo conſpectu corroboraturi ſimul aderant. Muri etiam vrbis circum vndiq; portum ducti, & cuncta prꝛterea vrbis eminentia loca, vnde poſſet acies ſpectari, paſsim mortalium corporibus tanq̃ compacta videbantur. Mulieres omnes, viriq;, qui per ætatem à belli munijs vacabant, vndiq; cum ſumma trepidatione, & ſolicitudine ad contemplandum, quaſi extremi certaminis diſcrimen confluxerant. Nicias Athenienſium Dux cõſpecta periculi huius præſenti magnitudine, cum iam acies vtrinq; conſtitiſſent, confeſtim relicto peditatu nauem quandam conſcendens ſingulas quaſq; ſuorum triremes adit: quas omnes, & ipſum etiam Demoſthenem, cæterosq; in primis Prætores ad victoriam hortatur. deinde rurſus in aciem pedeſtrem ad ſuos ordines refertur. Nec ſecus Gilippus, & cæteri Syracuſanorum duces milites Syracuſanos, ſociosq; ad victoriam, quam in manu habebant; hortatibus admonent. Tandem belli dato ſigno Demoſthenes, Menander, & Eutydemus Athenienſis claſsis Duces loco ſoluunt, naues ex ordine remis ad fauces portus iam præcluſas adigunt, cathenam primùm, ac nauium ſeptum reſcindere conati, quò in exteriora perrumpant. Quos inde Syracuſani tempeſtiuè accurrentes ab inſtituto reuocatos ad certamen coegere. Ibi in anguſtijs ipſis, & intra portum atrox pugna initur. Breui diſsipatis ordinibus diſperſæ triremes, palantesq; incerto curſu paſsim fluitantium more deferebantur: totoq; vbiq; portu varia diuerſis locis prælia miſcebantur. Conſpicere erat ſingulari propè concurſu certantes iam tum obnixis animis vtrinq; adeo ferociter, atq; indefeſsè pro victoria dimicare: vt nunq̃ ad illud vſq; tempus (teſte Diodoro) alicubi gentium (quod quidem memoriæ ſit proditum) tam infeſtæ inter ſe concurrerent claſſes, nec maioribus odijs. Hi de vita, illi de patria, de liberis, de fortunis, de aris, atq; focis dimicabant. Athenienſes nauium multitudine freti, tum deſperato prorſus aliunde præſidio pericula intrepidè ſubibant, nihilq; pertimeſcebant. nunc conſiſtebant: nunc hoſtes impellebant, feroces ſemper impigrè varieq; rem gerebant. Poſtremò ſtrenuè conſtanterq; periclitandò mortem oppetebant. Syracuſani etiam ipſi ſuperioribus victorijs elati pertinacius multo, acriusq; pugnabant, pericula ſine metu obeuntes. Demoſthenes, Menander, & Eutydemus Athenienſium duces bellum ciebant. Sicanus, Hermocrates, & Pythes Syracuſanos accendebant. Stabat in vtroq; littore inſtructa vtriuſq; peditatus acies, vt clamore, & præſentia ſuis fauerent. Stabant & in mœnibus vrbis, & locis prominentibus, velut è theatro liberi, vxores, affines, domeſtici, & ciues omnes ad victoriam ſuos hortantes, & ſeſe ad Deos ſuos ne ſe ſalute fraudarent, precibus conuertentes. Neq; in tanto agmine vlla furoris, crudelitatis, ac miſerabilis caſus ſpecies abfuit, affectusq; contrà in lætitiam effuſi. Nonnullæ nanq; Syracuſanorum triremes ſub mœnia patriæ dimicando vi hoſtium pulſæ dum defendere obnixè pergerent, diram ſuis pugnæ faciem, ac miſeranda ſub oculis ſpectacula præbuerant. Contrà verò Athenienſium quoq; diſijci naues, trucidari milites, ſubmergi nautas, & plura huiuſmodi, quæ Mars ferus, Neptunusq; edebant, opera cum lætitia cernebant. Cæterum cum aliquandiu ancipiti Marte

dimicatum esset: à Syracusanis Atheniensium agmen tandem in fugam vertitur; mox reliqui ordines, pòst breui tota acies inclinata, ac salutē in fuga ponere coacta, ad terrā in exercitū pedestrem euadere properabant, quos Syracusani victores insequebantur. Per portus sinū tabulæ nauium, virorū arma, ac dilacerata passim corpora per summas vndas variè fluitantia, velut ex ingenti naufragio, tēpestateq; disiecta cōspiciebantur. Sexaginta Atheniensiū triremes eo cōflictu dissipatæ per fluctus ferebantur, Syracusanorū viginti ad summū, quarū sexdecim cōconcursu attritæ perierunt. Ariston Corinthius Prætor præstantissimus inter primos acerrimè dimicans victoria Syracusanis relicta miserè interfectus occubuit. Cōfecto prælio victores quotquot poterant triremes in terrā subduxere: simulq; vt ciuiū, sociorūq; cadauera legerentur laborauere: quos publicis honoribus, sepulchrisq; recōdi placuit. Reuersi deinde ī vrbē victoriæ monumētū trophæo imposuere. Atheniēses è diuerso cladis magnitudine diffracti neq; ad bellū repetendū, sed ad nocturnū, clādestinūq; recessū cōsilia retulere. Quo ī cōuētu Demosthenes primus dissolueudū septū suasit, dū lassitudo, & fiducia simul per recentē triūphum ab ea custodia Syracusanos auerteret. Triremes deinde milite qui è clade superfuerat, cōplendas, ac repēte in Syracusanā classem nondū sedata strage edomitā irrūpendū, fore, vt eo modo voti cōpotes proculdubio facti extra portū euaderent, atq; Athenas liberi peterent. Nicię consiliū ab hoc lōgè diuersum fuit. relinquendas prorsus naues, ac per mediterranea potius itinera ad socias vrbes confugiendum. cui mox vno oēs ore assensere. Quocirca nonnullis nauibus incensis ad profectionē quiq; cū festinatione se cōparant. Id cū passim inter Syracusanos iactaretur: Hermocrates ciues hortatur, vt oībus copijs noctu instructis extra vrbē exeant. quaq; fugituros Athenienses arbitrarentur, vias, & itinera vbiq; oīa occupent, & insidias collocēt. Cuius sententiā cū Syracusani non probassent, quòd magnā eorū pars vulneribus curādis īsisteret, & exercitus corpora ex certamine lassa curaret; ipse suorū ignauiā execratus rē sine cōsensu ex se aggredi deliberat. equitesq; è suis quosdā velut ex his Atheniensiū studiosis, qui in vrbe erant, & ab homi nibus amicæ factionis excitos ad stationes hostiū mittit, vt Niciæ, cæterisq; clam per noctē nuntient, ne ea nocte castra moueāt: cū Syracusani passim itinera, quibus ipsi ꝓfecturi essent, copijs, insidijsq; repleuerint, cunctasq; viarū oras occupa uerint. Equites Hermocratis imperata prudenter, callideq; ad Niciam suosq; perferunt, quibus illi facilè decepti à ꝓfectione superfedētes, eā vsq; ī diē tertiū differunt. Interea Syracusani & Gilippus cū primùm corporibus operā dedissent, in diuersa loca ad itinera passim obstruenda, riuorūq;, & fluminū vada milites, mittūt. pōtes præterea amnibus superstructos rescindi iubēt. Deinde in Atheniēsiū naues impetu facto plerasq; subiecto igne cōbussere. Cæteras, quæ quinquaginta fuere in suas stationes nemine prohibente iuxta vrbē protraxere. Nicias, & Demosthenes triduo post nauale cladē elapso, toto cū militū exercitu, qui ad quadraginta hominū milia fuerūt, motis castris tanq; è sedibus patrijs flentes, mœstiq; in duas partes diuisi ꝓficiscuntur. Quarū vni cū veteranorū militū agmine saucijs, ægrotisq; & impedimētis oībus in medio dispositis Nicias: alteri cū suis copijs Demosthenes præerat. Nihil in tantis cladibus ad eā diē acerbius Atheniēses viderunt, q̄ cū insepulta suorū cadauera deserere, locoq;, ad quē cū votis, ac cāticis subigēdū venerāt, ꝓfugi absq; parētatiōe cedere cogerētur. Suū quoq; cuiq; periculū in primis aīo obuersabat: cū incerti quo tēderēt ne de vita quidē securi esse possent. Id verò lōgè tristius, miserationeq; dignius spectaculū est visum, quòd Nicias ipse nōdū ex aduersa valetudine satis firmus, ad famis vsq; iniuriā cōpelleret: quāpfere bat constantissimè, frontisq; hilaritate, ac comi salutatione dextera obuios etiā quosq; amplexatus calamitatis cōmunis sortē dissimulabat. Atq; ita cū Demosthene, totoq; exercitu Catanā versus iter flectēs cū ad vada Anapi. fl. peruenissent īstru-

ctam

ctam primùm Syracuſanorum cohortem obuiam habent. quæ paruo negotio ſuperata, traiectuq; fluuij potiti, ſuperatiſq; equitibus Syracuſanis, leuiſq; armaturæ iaculatoribus, eo die quinq; ferè paſſum milia confecerunt, atq; in tumulum quendam natura munitum appulſi quieuerunt. Die verò ſequenti ſub auroram itineri rurſus ſuccedunt, atq; tribus paſſuum milibus emenſis ad campeſtrem quendam locum colonis habitatum caſtrametati ſunt, vt ibi cibo, potuq; reficerentur. Nam per ſiticuloſa quædam loca nonnihil eis eundum eſſe ſciebant. Interea Syracuſani collem arduum, & vtrinq; præruptum, Euryclo dictum: cuius vertex lepas appellatur; per quem iter facturi erant Athenienſes, præoccupant, atq; tumultuariè muniunt. Athenienſes poſtridie ſummo mane profectionem proſequuntur: ſed continuò à Syracuſanis equitibus, & iaculatoribus, quorum magnus erat numerus, vtrinq; obequitantibus, & iaculantibus vltrà progredi prohibentur. Vbi aliquandiu cum hoſtibus fruſtra pro loco luctati in eadem rurſus caſtra, vnde mane diſceſſerant, vel inuiti rediere. Poſtera tamen luce rurſus inde diſcedunt, & magna vi ad collem Lepas perueniunt. Quem à Syracuſanis muro præcluſum, & pedeſtri ſcutatorum acie munitum cum inueniſſent, loci anguſtia animaduerſa ſubeuntes, expugnare illum ſumma ope nitebãtur. Verùm cum ex iniquo loco congrederentur, quàm facilimè à Syracuſanis, qui verticem poſsidebant, telis inde vibrantibus feriuntur, atq; retrocedere coguntur. Interea cum magna imbrium vis eſſet exorta, & tonitrua etiam horrendo ſonitu increbreſcerent, ea velut exitij ſibi præſagia pertimeſcentes, in eodem loco inſederunt. Ad quos Gilippus à tergo quo venerant, muro intercludendos copiarũ partes emiſit; quem ipſi militibus è diuerſo expeditis ab incepto impediere. Cęterum cum ſequenti die motis caſtris Lepas aſcendere decreuiſſent; eos Gilippus, & Syracuſani de improuiſo adorti vndiq; circumfundunt, pluresq; ſauciant. Ipſi contrà, vim repellunt, & in poſtremos Syracuſanorum impetum faciunt, ac demũ totum eorum agmen propellunt, & vſq; in caſtra inſectantur. Porrò Nicias, & Demoſthenes cum omnes ſibi abeundi vias præcluſas viderent, Catanaq; omnino prohiberentur. quo poſſent, non quo vellent, raptim agmen ducere ſtatuere. Noctu igitur multis per caſtra pyris accenſis in aduerſam maris Siciliæ orã, quæ ad Camerinam, Gelam, aliasq; infeſtas ciuitates ſpectabat, iter ſilenti agmine cõuertunt: quanq; & nox, & per hoſticum, hoſteq; victore non procul agente profectio trepidationem maximã, pauoremq; per ipſam viam eis incuterent. Qui Niciam ſequebantur, ordinẽ obſeruantes ad mare peruenerunt. Sed qui Demoſthenem, interrupti ſunt, quia ſolutis ordinibus, & à ſuis aberrantes pergebant. Prima tamẽ luce ad mare cũ veniſſent, viã Elorinã ingreſsi, ad Caęyparim amnẽ, Yhaſiblim hac ętate appellatũ appropinquãt. Vbi quoſdã è Syracuſanis fluuij vada munitionibus, & vallo obſepientes offendũt. Sed illis victis fluuiũ traiecerũt. Traiecto amne ad Erineũ aliũ fluuiũ, qui Miranda hodie dicitur, proceſſerunt. Et iam Atheniẽſes Duce Nicia eo die obliquo itinere p.m. circiter viginti cõfecerãt. Syracuſani vbi illuxit, abijſſe Atheniẽſes primùm cognouerũt. Pleriq; eorũ, Gilippũ proditionis inſimulabant, quòd conſcius illorũ receſſus diſsimulauerit. Mox exploratis abeuntiũ per itinera veſtigijs inſiſtentes circa horã prandij in Demoſthenicos incidunt, qui tardius, & inordinatius incedebant: in eosq; ad locum arctum munitionibus circundatum, viamq; vtrinq; oliuis conſitam, irruẽtes, circũquaq; miſsilibus inceſſunt: neq; enim comminus pugnare audent, qui de vita deſperaſſent. Sed vbi per arcta locorum eos toto die iaculis impetendo, feſſos, ſauciosq;, alijsq; inſuper erumnis exhauſtos conſpexere: Gilippus, & Syracuſani per preconem eis edicunt: ſi qui Siculorum ad ſe tranſire vellent, libertatem aſſecuturos. Tranſiere nonnulli, nec adeo multi: mox vita cæteris omnibus, qui cum Demoſthene aderant promiſſa, omnium animi ſeſe ad deditionem

Digitized by Google

inclinarunt. Itaq; ad ſex milia è Demoſthenicis ſine armis,& pecunijs dediti ſunt miſsi. Scribit Plutarchus Demoſthenem cum ſe vndiq; hoſtibus circunſeptum vidiſſet,& nullam euadendi viam ſibi ſupereſſe, nudatum gladium ſibi in ſuum pectus adegiſſe;qui tamen eo vulnere nō occubuerit:ſed ſtatim à Syracuſanis ſuperuenientibus gladio è vulnere deducto viuum in hoſtium poteſtatem deueniſſe. Nicias interea harum rerum ignarus cum ſuis.ſl.Erineum tranſgreſſus in edito quodam loco conſederat; quem victores ad Erineum mox inſecuti,caduceatorē ei mittunt, qui Demoſthenis, & ſuorum deditionem illi annuntient, idemq; ipſum vt faciat,hortetur,ſi viuere illi eſſet in animo. Quo nihil horum credente paciſcuntur, vt equitem ad explorandum expediat. Miſſus eques, & reuerſus rem retulit. Qua comperta Nicias Athenienſium nomine ſe tranſigere ſpondet:ſi toto cum exercitu liberum eum abire permitterent, ad belli impenſas Syracuſanis ſoluendas ſuos inducturum. Hac conditione reiecta Gilippus, atq; Syracuſani vndiq; aggreſsi telis ad veſperum vſq; petiuere. Illi etſi commeatus aliorumq; neceſſariorum inopia laborarent:ſeruato tamen in noctis ſilentium diſcedendi animo arma ſumpſerunt.quæ quia eorum diſceſſus hoſtem non lateret,rurſus depoſuere, præter trecentos, qui magna Syracuſanorum vi cuſtodiam peruadentes, quà potuerunt,noctu contendere. Nec minus poſtridiè Syracuſani eodem, quo pridie modo iaculis, ſagittisq; progredientes vndiq; laceſsiuere: qui tamen ad Aſsinarum vſq; fluuium, qui Falconara eſt hodie, inter tela ferientia feſtinando proceſſerunt tum potandi deſiderio, quo anxie tenebantur, tum rati eo traiecto tutiorem habere abitionem. Vbi ad flumen peruenerunt, tumultuariè in illum procumbunt,nulloq; ordine irrumpunt;cum quiſq; primus tranſgredi fluuium ſatageret. Sed ingruentes Syracuſani difficilem, periculoſumq; traiectum eis reddebant. Ibi nanq; confertim procurrendo inuicem illapſi conculcabantur, atq; inter ſe impliciti in aquas defluebant:vbi telis, & armis impetiti peribant. Ex vtraq; præterea fluminis parte,cuius ripa præceps erat, ab hoſte ſuperſtante confeſtim occupati interficiebantur. Complures inſuper, propter ſitis, quam diu toleraſſent,magnitudinem,quaſi furentes in cauum fluminis alueum, ſeſe præcipitabant, ibiq;, & ipſi vitam profundebant. Inde miſerabilis ſanè rerum facies,cum plurimi vel cœnoſam,vel cruentam aquam,permixtumq; aquæ commilitonum ſanguinem interipſa cadauera potabant. Tandemq; decem & octo cæſis,ſeptemq; captis milibus: Nicias ad Gilippi genua prouolutus, ac deditionem faciens:Miſerere (inquit) victor. His verbis motus Gilippus apprehenſa dextera eum ſubleuauit,lachrymantemq; lachrymans & ipſe non ſine ingenti commiſeratione ſuſcepit:ſuisq;, quanq̃ ſerò tandem,vt à cædibus abſtineretur imperauit. Deinde & cæteri, qui cædem euaſerant (quorum ad ſeptem milia erat numerus) traditis armis ſeſe quoq; dedere compelluntur. Proinde Syracuſani parta tam memorabili victoria ingentes arbores, quæ plurimæ in ripa fluminis erāt, captiuorum ſpolijs exornarunt:duoq; trophæa ſpolijs hoſtium Ducum circumamicta eodē loco erexerūt, ac ſubinde coronati omnes cū equis coronas quoq; geſtantibus, ſed hoſtium equis detonſis crinibus in vrbem triumphum ducentes redierunt:captiuos vero omnes in Latomias, veluti in tutiſsimam cuſtodiam cōiecere. Tunc illico Dijs ſuis ſacra publicè ab vniuerſo populo fuere celebrata pro victoria:quæ tanta fuit,vt ex ducentis Athenienſium triremibus,& ex quadraginta,& eo amplius pugnantum milibus non ſolùm nauis nulla relicta fuerit, ſed ne nuntius quidem tantæ cladis euaſerit. Fuit autem dies ille huius victoriæ adeo fœlix Syracuſanis quartus & vigeſimus eius menſis,quem ea ætate ipſi Carnium, Metagethnionem Athenienſes,Latini verò Maium appellant, vt Plutarchus prodit. licet Thucydides id anni tempus circa Autumnum reijcere videatur. Euſebius verò à mundo condito annum ferme, 4780. & ante ſalutis annum. 423. & poſt

vrbem

vrbem conditam. 342. olympiadis autem nonagesimæ tertium supputat. Porrò Syracusani post partam victoriam aduocata concione statuerunt vt dies ille quot annis solennis in memoriam tam insignis victoriæ ac sacer celebraretur, festumq; a fluuij cognomine, Asinarium appellarunt. Subinde consultatum est, quid de captiuis constituendum esset. Vbi Diocles summæ authoritatis vir, & inter populi principes facilè præstantissimus protulit, Niciam, & Demosthenem virgis primùm verberatos, mox probris affectos vltimo supplicio dedendos, & reliquam captiuorum turbam per lapicidinas ad lapides cædendos distribuendam. Athenienſium ſocios ſub haſta nudis corporibus vendendos. Huic ſententiæ Eurycles Syracuſanus Prætor, & populus plurimum aſſentiebantur. At Hermocrates decretum hoc vt ſatis impium reprehēdit, ſuaſitq; illis ignoſcendum, quo Syracuſanorum & victoria, & clementia pariter prædicaretur. Verum hæc ſententia à populo cum ſtrepitu repreſſa eſt. Nicolaus verò Syracuſanus vir primarius, qui eo bello duos filios amiſerat, luculentam pro Athenienſium liberatione orationem habuit. Gilippus tamen, ſi Plutarcho credimus, Duces ſibi ad gloriam dari fruſtra popoſcit, ſi autem Diodoro, quem maxime in hac hiſtoria ſumus imitati, implacabili in Athenienſes odio flagrans Duces necandos eſſe edixit: ne eis ſeruatis aliud quidq̃ aduerſi, grauioriſq; periculi deinceps ſibi contingeret. cui permota turba ſuo more aſſenſum præbuit. Quare Nicias, & Demoſthenes, vt Philiſtus, qui huic bello & præfuit, & interfuit, Thucydides, Diodorus, & Plutarchus referunt, illico ad ſupplicium rapti necantur: licet Timæus non fuiſſe eos à Syracuſanis interfectos, ſed cum communi decreto id concluſum fuiſſet, Hermocrati nōdum concione dimiſſa ad eos occidendos præfecto occurriſſe carceris cuſtodem, ac retuliſſe illos ſibimet mortem conſciuiſſe ſcribat. Eorum corpora ante fores carceris proiecta diutius iacuere, vt ea cuiq; aſpiciendi poteſtas fieret. Clypeus Niciæ auro, purpuraq; mira arte intexta ornatiſsimus Syracuſis in Iouis templo in eius victoriæ monumentum fuit repoſitus: qui ætate Plutarchi ibidem adhuc viſebatur. Athenienſium ſocij ſub haſta loco prædę fuerunt venditi: Athenienſes per officinas lapidum diſtributi ſub cuſtodia tenebantur in vinculis. Quorum pars, quicunq; videlicet artem aliquam percalluerant, liberati: plures in vinculis, & carcere interierunt. Nihil enim præter ordei duas, & vnam aquæ cotylam, quę eſt menſuræ genus, ſingulis diebus in victum habebant. præter id, quòd in loco depreſſo, & arcto ſub diuo habitabant, vbi ſuis ipſi ſordibus vexati ſuffocabantur. multi à cuſtodibus clam ſurrepti ad colendos agros dimiſſi. pleriſq; abeundi facultas tacitè permiſſa. nonnulli quoq; pro ſeruis venditi ſunt, prius tamen equi charactere in fronte peruſti, & inſigniti. Quo nō obſtante, ingenuitas, quam facies loquebatur, eorum pluribus fuit adiumēto. nam empti vel à Dominis manumittebantur, vel pro liberis habebantur. aliqui etiam propter Eurypidem poetā ſalutem conſecuti ſunt. cuius præ cæteris græcorum poetis carmina Siculi admirabantur. qui & à captiuis audita auidè perdiſcebant. Quæ quidam cum domi nos docuiſſent; ab eiſdem mercedis loco libertatem conſequebātur. Nec deerāt, qui poſt hanc pugnam per diuerſa Siciliæ oppida diſperſi carminibus huiuſmodi decantandis victum conquirebant. Multi hac ratione captiuorum Athenas reuerſi Eurypidem ſalutatum veniebant, ſuis ſe carminibus libertatem conſecutos adijcientes. Tantæ Athenienſium apud Aſinarum cladis cum primus nuntius Athenas venit, vix fidem habuit, quousq; certi frequētioresq; alij nuntij rem omnem eo, quo geſta erat, ordine exponentes ſuperuenere. Quod vbi ita eſſe conſtitit: tum demum pauor ingens, ac ſtupor ciuitatem inuaſit ac ſi Athenę vrbs corruiſſet. Qua de re Eurypides tale in ſuos edidit epigramma: Hi viri de Syracuſis victoriam octies reportarunt: donec vtriſq; Dij æqua ſorte propitij fuerunt. At verò non octies tantùm, ſed longè pluries Syracuſanos fuiſſe ab Athenienſibus

ſuperatos

ſuperatos reperiet, qui rectè ſupputauerit, anteq; illis fortuna aduerſaretur. Porrò deinde populus Syracuſanus viribus, & animo elatus Remp. ad ſtatum popularem pertraxit: quem & legibus Diocles roborauit. inter quas & hæc commemoratur: Ne cui cum armis in forum, aut concionem prodire ſub capitis multa aliqua ex cauſa liceret. Cumq; die quodam hoſtes in agrum irrupiſſe, ſeditionemq; circa forum excitatã, nuntiatũ eſſet, & ad eam compeſcendam gladio accinctus Diocles imprudenter in publicum prodiret, à quodam priuato notatus, quòd leges ipſe ſuas, quas ediderat, tranſgreſſus fuiſſet, incuſanti edita voce reſpõdit: vtiq; per Iouem: ſed qui errauit, ſummota prorſus venia pœna plectetur, ſtatimq; ſtricto ferro de ſeipſo ſupplicium ſumpſit.

DE BELLO INTER SEGESTANOS, ET SELINVNTINOS, AC VRBIVM SELINIS, ET HIMERAE AB ANNIBALE DELETIONE. CAPVT QVARTVM.

ATHENIENSIBVS in Sicilia deletis, Segeſtani, qui Athenienſium contra Syracuſanos ſocij fuerant, veriti, ne eorum, quæ contra Syracuſanos geſſerant, pœnas aliquando luerent; Selinuntinis, quibus Syracuſani erant fœderati, agros, ex quibus tam ingentis belli cauſæ fuerant enatæ, vltro cedunt. Qui cum agrorum plusq; in contentionem venerat, ſibi vſurpaſſent: Segeſtani Legatos ad Carthaginenſes mittunt, auxilium petunt, vrbemq; ſuam Pœnorum imperio deinceps ſubijciendam pollicentur: dummodo contra Selinuntinos agrorum ius ſibi vendicent. Carthagine non ſine hæſitatione legatio audita eſt. Enimuero etſi Segeſtanorum imperium concupiſcerent vel ob id, quod ea vrbs bello contra Siciliam gerendo ſatis eis videbatur accommoda; Syracuſanorum tamen quorũ Selinuntij erant ſocij, potentiam pertimeſcebãt, qua paulo antè tam ingẽs Athenienſium exercitus corruerat, At paulo pòſt Senatus, populuſq; Carthaginenſis mutato conſilio Segeſtanis contra Selinuntinos auxilia, & Annibalem bellicæ expeditionis ducem decreuere. Erat is Annibal Amilcaris nepos, qui cum Gelone apud Himeram bello infœliciter geſto, trucidatus obierat: Giſconis verò, qui paterna clade apud Selinuntem exilio plexus interierat, filius. Annibal igitur cum his de cauſis vetus in Græcos Siculos odium concepiſſet, occaſionem vindictæ amplexus, egregium aliquod facinus, & patria dignum, & ſibi decorum contra Selinuntinos gerere ardebat. Sed priusq; Segeſtam veniſſet, Carthagine ad Syracuſanos legatos miſit, qui eorum iudicio agrorum controuerſiam committerent. Quod eò fecit, quod animo iam præſumeret Selinuntinos nullo pacto Syracuſanorum ſe iudicio ſubmiſſuros: ideoq; nec ſubſidia ab eis obtenturos ſperaret: prout euentu comprobatum eſt. Siquidem Selinuntini nullo pacto in arbitrium cõſentientes, totis viribus quæ à Segeſtanis, & Carthaginenſibus proponebãtur, perturbabant. Quocirca Syracuſani & amicitiæ iura, & Pœnis pacis fœdera ſeruare conſtituunt. Legatis agrorum contentione non dirempta reuerſis, Carthaginenſes ex Sicilia Libycorum quinq; milia, Campanorum verò, qui Chalcidenſium erant milites, octingentos Segeſtanis mittunt. Hos Campanos cum Athenienſibus inutiles operas antè præſtitiſſent, quia poſt cladem tardè ſuperuenerant, nullus ſupererat, qui eos mercede conduceret. eamq; ob rem Carthaginenſes comparatis equis, pecuniaq; data intra Segeſtam eos poſuerunt. Selinuntini his auditis cum ea tempeſtate potentes eſſent, vrbemq; hominibus refertam haberent, Segeſtanos deſpiciebant, & in eorum agros cum ſuis militibus quotidie prædatum incurrebant,

Hibal, amilcaris Nepos & Giſconis filij

incurrebant: qui cum ſparſim contemptu,& ſine ordine vagarentur: Segeſtani cũ ſocijs occaſione arrepta armis inſtructi palantes hoſtes improuiſo impetu adorti in fugam vertunt,omnemq; eorum prædam cæſis ex eis mille recipiunt. Selinuntini ea clade attriti,à Syracuſanis per legatos ſuppetias petunt. Quo cognito Segeſtani, Carthaginenſes, auxilia vt accelerent, multis precibus ſollicitant. Cunq; ambobus ab vtriſq; populis præſidium promitteretur, Carthaginenſes hunc Annibalem Giſconis filium cum ingenti claſſe Segeſtanis mittunt. Proinde Annibal ſine mora Africo permenſo mari in Siciliam ad Lilybeum promontorium,vbi longo poſt tempore, eiuſdem nominis à Phœnicibus vrbs eſt condita, cum claſſe (teſte Diodoro) applicat, militēq; omnem nemine obſiſtente in terram exponit. Peditatus numerum, ducenta, equitatus vero quatuor fuiſſe milia Ephorus ſcribit. Timæus verò centum duntaxat armatorum milia in toto exercitu recenſet. Annibal militibus exoneratas naues omnes in ſinum Motyæ vrbis, portum Galli hodie non longe a Panormo,nominatum,ſtationem habere voluit, quo Syracuſanis ob loci diſtantiam ſe neq; ad bellum eis mouendum,neq; Syracuſas verſus nauigaturum ſignificaret. Deinde Segeſtanis alijſq; ſocijs ſcribit, vt conductos ei milites mittant. Quibus acceptis, à Lilybœo mouens, Selinuntem verſus terreſtri itinere toto cum exercitu proficiſcitur. Cumq; ad Mazarum fluuium peruenisſet,Emporium,oppidulumq; quod ad amnis oſtium ſitum erat,ſtatim,in deditionē accepit:author eſt Diodorus. Ad Selinuntem autem ipſam vrbem,quæ ad.p.m.10.ſuccedit,cum poſtmodum appropinquaſſet,in duas partes exercitum diuiſit, ac vrbem obſidione cinxit,eamq; deinde collocatis machinis oppugnare cœpit, atq; ſumma vi vrbis muros quatit. Sed cum Selinuntini magnis animis mœnia tuerentur,Annibal ſex ingentes ligneas turres effecit, ſuper quibus cathenis alligatis arietes parietibus inhærentes impoſuit. Vnde fundatores, & iaculatores,qui in muris pro præſidio ſtabant,miſsilibus propulſabat,eijciebatq;. Selinuntini præter opinionem,atq; ex improuiſo à Carthaginenſibus hoc bello impetiti a defenſione ad admirationem conuertuntur:quippe quòd cum in bello,quod Gelon contra eos apud Himeram geſſerat,ſoli ipſi præſidium Pœnis miſiſſent,nequaq; ab eis ad tantas rerum difficultates reduci timerent, à quibus maximam potius beneficiorum gratiam expectarent. Ea nanq; ſecuritate ducti quæ ad obſidionem perferendam erant neceſſaria minimè pararant, Cũq; etiam obſidionis tolerandæ eſſent expertes, belli eorum tormentorum magnitudine, ac hoſtium multitudine perculſi,plurimùm formidabant. a deſperatione tamen abſtinebant tantiſper dum Syracuſanos,alioſq; ſocios cum veterano militum apparatu prope diem ſibi affore ſperarent. Sed vt viderunt Carthaginenſes occupandæ vrbis ſpem pertinaciter cepiſſe,aut vincendum ſibi,aut moriendum cenſuere. Idcirco hi quibus ætas robuſta erat,& ad pericula obeunda ſufficiens,magnis viribus molibuſq; fortiter hoſtes propellebant. Proinde ſenes,& cætera imbecillis ætas,effætæq; ætatis viri bello ad mortem vſq; ſe offerunt:tantum animorum,viriumq; patriæ amore, & penatum conſpectu ſubminiſtrabat. Mulieres vero,pueri, & valetudinarij, quibus vel ætas immatura, vel ſexus huic oneri haud idoneus, vel corpus erat exile, muros ipſos circumeuntes ſagittas, lapides, cibos,aliaq; neceſſaria abiecto etiam dignitatis & ſexus pudore decertantibus deferebant, hortati continuè, vt hoſtes muris appropinquare nullo modo ſufferrent. Annibal autem poſtq; militibus vrbem in prędam, ſi vincerent, promiſiſſet, cum delectis virtute viris,vim augēs debellabat, magnaq; arietum vi mœnia cõcutit. Cunq; Turres ligneæ celſitudine ſua vrbis muros ſuperarent, Pœni bellando plures Selinuntinorum occidebant. Inter hæc magna pars muri ſubruitur:cuius occaſione Campanorum pleriq; moti audax facinus aggrediuntur. Vrbem nāq; eà,quà murus prolapſus eſt, confeſtim ingrediuntur: primoq; impetu perterrefactis cuſtodibus victoriam

victoriam in manibus habere arbitrabantur. Sed parum fœliciter eis succesſit audacia: continuò nanq; vniuerſa ciuium acies laborantibus cuſtodibus auxilio affuit, Campanoſq; per ruinas ingreſſos, qui in difficiles vrbis partes inciderant, pluribus eorum occiſis, foras abegit. Adueſperaſcente, ceſſante prælio, obſeſſi expeditiores equites elegere. quorum alios Agrigentum, Gelam quoſdam, pleroſq; Syracuſas deſtinant, qui præſentem opem labantibus iamiam rebus expoſcerent. Agrigentini, & Geloi cum paratis auxilijs Syracuſanos præſtolabantur: quò omnis ſimul ſociorum exercitus contra Carthaginenſes induceretur. At Syracuſani nuntio accepto, rati vrbem obſideri quidem, ſed expugnari, & in prædam tam cito dari minime poſſe (pace cum Catanenſibus, & cæteris Chalcidenſibus, cum quibus adhuc bella gerebant, firmata) ingentem militum apparatum, quo Selinũtinis opitulentur, inſtruunt. Sed in hoc militum delectu, multum temporis aſſumebatur. Annibal illuceſcente ex omni parte contractis viribus, nihil aut temporis, aut induſtriæ remittens, paruo labore, qua muri pars lapſa fuerat, alteram diſijcit. difficile tamẽ erat eos, qui ꝓ aris, pro focis, ꝓ patria, pro liberis, pro vxoribus, ac demũ pro ſalute certabãt, ita prima fortuna ſuperare. Proinde aperta vrbe prælium comminus geri cœpit, cõſertisq; manibus magna hinc inde ſtrages cõmittitur. Sed Carthaginenſes feſſis militibus nouos ſubinde ſufficiebant. Selinuntini verò cum auxiliares adhuc ſocij non aduenissent, ijdem ſemper pugnabant. Et iam nonus obſidionis dies animorum ardore inſuperabilis illuxerat, quo Carthaginenſes magno impetu per ruinas vrbis clamores feros, minasq; etiã fœuas iterantes irrumpunt. Quod vbi mulieres e tectis vident, eiulatibus omnia replent. Quibus auditis cuſtodes; vrbem iam captam arbitrati, mœnia deſerunt, & ad anguſtos vicorum exitus, vbi commodius hoſtibus obſiſtant, ſeſe recipiunt. Sed Pœni magno niſu vrbem ingrediuntur. Quibus ſtatim ardentiſsimis animis occurrerũt nonnulli, quos in patriæ occubitu diutius ſupereſſe tædebat, Sed & ſenes, & pueri, & mulieres è pinnaculis, ac domorum feneſtris lapidibus in hoſtes acriter iectis, eorum plures interficiebant. Quo factum eſt, vt impedita quidem aliquandiu vrbis expugnatio fuerit. Sed cum confertim ingrediendo cohortes increbeſcerent, ciuibus ex angiportibus, compitisq; viarum pulſis, cedentibusq; demum vrbs capitur. Capta vrbe pium erat exaudire Græcorum vlulatus vehementes. contraq; horrendum, barbarorum elatos clamores, qui ad ſydera perſonabant, Selinuntinosq; præiacentis calamitatis aſpectu perterritos. Pœni porrò ſecunda fortuna elati in vrbis perniciem ſe mutuò hortabantur. Itaq; cum ciues ad forum ſe conglobaſſent, ibidem acerrimè propugnantes, præualentibus Carthaginenſibus occubuerunt. Barbari deinde ad prædam conuerſi, ciues quotquot intra domos inueniebant, concremabant. Sed & ij, qui ab anguſtijs viarum primùm impediebantur, patefactis per vim vijs ingentem, ſæuamq; ſenum, & puerorum cædem, ac ſtragem effecerunt. Quorum cadaueribus truncatis, more patrio telis acutis, elatisq; affixa capita deferebãt. Mulieribus, quæ ad Deorum tẽpla confugerant, ſecumq; filios impuberes, filiasq; detulerant, fides ab Annibale, ne trucidarentur, eſt præſtita. Nec verò id pietatis votum fuit: ſed ne mulieres ſalute deſperata & templa, & opes, quas ſecum rapuerant, quibusq; inhiabant, ſimul exurerent: templis parcebant, quæ poſtea diripere, & ſpoliare poſſent. Et iã nox imminebat: & vrbis domus plures dirutæ, combuſtæ plurimæ: ſolum præterea vrbis ſanguine madefactum, & cadaueribus refertum conſpiciebatur. Supra nanq; ſexdecim Selinuntinorum milia trucidata ex inuentis cadaueribus deprehenſa, quinq; verò milia in captiuitatem redacta ſunt. Mulieres libertate priuatæ dum noctu cum barbaris vnà morarentur, præter miſerias, ſeruitutisq; graue iugum, contumelias, & opprobria ſupra humanam patientiam in ſe, ſuisq; filiabus ingenua venuſtate educatis tolerabant: eoq; ac animo repetentes acerbiſsimam

quam in

Digitized by Google

quam in Africa toleraturę erant ſeruitutem, vitæ iam perteſi, fœlices eos ciues iudicabant, qui cum ipſa vrbe mortem oppetierunt. Selinuntini, qui ante cladem vrbe ceſſerant, cum ſe ad Agrigentum contuliſſent, humaniſsimè ſunt recepti. Capta iam vrbe quatuor armatorum delectiſsimorum milia, qui à Syracuſanis in auxilium Selinuntinorum mittebantur, Agrigentum peruenerunt, qui vbi captam vrbem, deletamq; acceperunt, legatos ad Annibalem mittunt petentes, vt captiuos pretio redimi liceret, & Deorum templa intacta, incorruptaq; dimitteret. Annibal his reſpondit, Selinuntinos ſeruitutem experiri oportere, qui libertatem alijs concedere neſcierunt: Deos verò iratos iam vrbe ceſsiſſe, ideoq; templa ſolo æquanda eſſe. Syracuſanis hoc reſponſo relato; Selinuntini, qui pro ſalute Agrigentum cõfugerant, legatum ciuem ſuum, cui Empedion erat nomen, ad Annibalem & ipſi mittunt, vt vrbi iam deletæ poſtremò parceret. Erat Empedion patria Selinuntinus, ſed qui Carthaginenſium ſemper fuerat ſtudioſus: & qui ante obſidionem ſuos contribules, ne contra Carthaginenſes bellum ſuſciperẽt, fruſtra fuerat hortatus. Is igitur ad Annibalem profectus benignè ab eo habitus eſt, ſuoſq; cognatos e carcere petitos liberaliter vnà cum libertate donatos, recepit. Fortunas quoq; ſuas, ſuorumq;, ac prædia poſtulata recuperauit, quæ iam omnia per pręconem publicum eo abſente ſeruari, ne à militibus violarentur Annibal edixerat. At cum rurſus templis tota Sicilia celeberrimis vt parceret, obnixè deprecaretur, non eſt exauditus: vel ob id, quod cum incolarum perfidia iam Deos & vrbe & fanis diſceſsiſſe ſibi conſtaret, & in profanos vſus redigi ea lex non permitteret, iure demolienda cenſebãtur. Demum vt vrbem ſuam ſaltem inſtaurare ſibi liceret, magnis precibus poſcenti Annibal non abnuit: ea tamen lege, vt Selinuntinorum reliquiæ, quæ fuga ſibi ſalutem quæſiuerant, ſoluto quotannis Pœnis tributo ad vrbem, agrosq; colendos reuerterentur. Annibal his geſtis, Giſconis genitoris abunde in Selinuntinis morte vindicata, ad vlciſcendã quoq; Amilcaris aui mortem ſe conuertit: eoq; inſtituto cum omni militum apparatu, furoreq; terreſtri itinere contra Himeram delendæ etiam illius animo proficiſcitur. Vbi igitur ad circumiectos agros peruenit, quadraginta hominũ milia ſupra conualles non longè ab vrbe locat, reliquum verò exercitum, ac viginti Siculorũ & Sicanorum milia circum vrbem ponit. Subinde tormentis, machinisq; mœnia propulſat, muriq; continuò magna vi partem vnam diruit. Adducta deinde ad muros maxima armatorum multitudine Himerenſes ſumma violentia laceſſebat. Poſt hæc & ſubterraneos cuniculos ſub vrbis fundamẽtis adeo effodit, vt deſu per incumbentes muri ſuppoſitis trabibus ſuſtentarentur. Quibus paratis iniecto incendio magna pars vrbis in voraginem collapſa eſt. Quã cum Carthaginenſes vrbem ingredi niterentur, Himerenſes, quibus hinc liberorum, parentum, inde patriæ quoq; periculum, extremumq; fatum ante oculos verſabatur, nec iam ſpes vlla niſi in manibus erat, ſummo conatu hoſtem repellere, collapſaq; mœnia reficere conabantur. Interea Syracuſanorum, aliorumq; ſociorum præſidia quæ poſt cladem Selinuntinam apud Agrigentum adhuc erant, quibus Diocles Syracuſanus præerat, Himeram appropinquarunt. Quibus aucti Himerenſes nequaq; ſe more Selinuntinorum circumcludi vtile viſum eſt. Quo circa relictis ad muros cuſtodibus milites, ſociosq; alios, quornm ad duodecim milia numerus aſcendebat, extra mœnia contra hoſtes educunt: atq; ex improuiſo barbaros nil tale metuentes adoriuntur. Quos partim loco pellunt, partim cedunt. Cumq; paſsim barbarorum copiæ, quæ ſibi perſuadere nõ poterant eos, qui clauſi obſidebantur, in tantam audaciam aliquando abituros, vt numero, & viribus longè inferiores contra tot armatorum milia armis inſtructiſsima erumperent, paſſim ſine ordine diſcurrerent otioſæ, Himerenſes impetu facto adeo eos turbãt, vt alium alio impediente maiorem ex ſeipſis cladem, quàm ex Himerenſibus reciperent;

ciperent;eoq; repentino,atq; inexpectato incursu perculsi in fugam tandem conuerterentur. Quos illi veluti victos sectati,maximaq; eorum strage edita, editis etiam vocibus,ne cuiq; parceretur,persequebantur: adeo,vt Timeus ea pugna sex decim Carthaginensium milia, (& si viginti recenseat Ephorus) occubuisse tradat. Annibal cum suos iam effusos,fugatosq;,ac magna ex parte cæsos conspiceret,militum copias, quas non longè ab vrbe supra conualles locauerat, in præsidium fugientium induxit,bellumq; redintegrat;vbi acerrimè quidem vtrinq; pugnatur: sed Himerensiũ postea exercitus nouo Carthaginensium præsidio superueniente concussus, in fugam conuertitur: quorum tria tantùm milia inconcussa remanserunt.qui strenuè tandem pugnando omnes interiere. At cum dimicatio eodem die hic finem accepisset: quinq; & viginti triremes paulò antè ad Lacedemoniorum auxilium à Syracusanis missæ Himeram applicant. statimq; per vrbẽ fama vagatur, Syracusanos cum maiori parte populi ad suppetias Himerensibus ferendas propediem affuturos, Annibalemq; cum triremibus omnibus, quas apud Motyæ sinum miserat,delectis militibus refertas Syracusas petere,quò ciuibus destitutam vrbem inuaderet, occuparetq;. Quo audito Diocles,nauium præfectis imperauit,vt confestim Syracusas nauigarent, ne ex improuiso vrbs interciperetur. Decretum quoq; est Himerensium partem cum triremibus Messanam emitti,reliquos verò ad vrbis præsidium remanere quousq; triremes reuerterentur. Himerenses audito ducum decreto,etsi iniquissimo (vt par erat) id ferrent animo:noctu tamen summa celeritate in triremes se recipiunt: Dioclesq; ipse cõspecta eorum,qui in pugna ceciderant,strage,relicta Himera Syracusas etiam redire parat. Quem Himerenses rescito consilio complures cum vxoribus,& liberis deserta patria,quam propediem casuram præuidebant,sunt secuti. Ita Himera vrbs cum pauciſsimo præsidio remansit. Quam deinde Carthaginenses rursus circũsepiunt,ac magno belli ardore oppugnant. Obsessi etsi pauci,ardentissimis tamen animis patriam nocte fortiter,& insomnes tutati, sub auroram etiam contra hostes è mœnibus egressi prælium susceperе. Paucis pòst diebus cum triremes redijssent,videntes vrbem ab hostibus conclusam, nec audentes militem in terram exponere,in prospectu vrbis stabant,vt sic suis animum adderent. Sed Carthaginenses victoria iam penè certa incitati adeo bellum vrgẽt, instantq; oppugnationi, vt neq; respirandi Himerensibus tempus darent. Quo demum ciues labore fessi,defecere,atq; mœnia magnis tormentorum ictibus concussa magna ex parte corruerunt. Carthaginenses id videntes statim magno impetu ex ea parte vrbem turmatim ingrediuntur, in ciues irruunt, & quotcunq; obuios habent,trucidantes horrendam stragem faciunt.Annibal vt captam vrbem,& ingẽtem cæsorum numerum ac sæuam stragem, & cadauera passim per vicos,& domos iacentia conspexit,à cede cessationẽ militibus indixit, & vt viui Himerenses eorum fortunis victoribus concessis, capiantur sub mulcta imperat. Post hæc Deorũ tẽpla ornamentis,opibusq; spoliat,atq; inde ciues omnes,qui ad Deorum præsidia confugerant,eduxit. Demum appositis tota vrbe lignis, & iniecto domibus & tẽplis incẽdio, Himerã, ducẽtis & quadraginta, postq; fuit cõdita,annis, (teste Diodoro) cõbussit.Captiuos,qui ad tria hominũ milia fuerunt, q; diligẽtissimè ab exercitu secerni,& custodiri iubet. Quos oẽs ad eũ locũ, in quo Amilcar eius auus à Gelone occisus fuerat,trucidari iussit. Ita Himerensibus interfectis, & vrbe Himera combusta Annibal triremibus,& nauibus onerarijs, omni præda, in qua & Stesichori statua,& Himeræ vrbis forma,ac cætera ornamenta in honorem vrbis vel templorum,vel priuatarum ædium affabre facta erant, superimpositis,Carthaginem victor cum exercitu repetit. Cui ad vrbẽ appulso Senatus,& populus Carthaginensium obuiam factus ingentem honorem duarum vrbium expugnatori,gloriæq; publicæ restitutori debitum,exhibuit. Eodem ferme tẽpore

Hermocrates

Digitized by Google

Hermocrates Syracusanæ classis præfectus, post Asinariam Atheniensium cladē in Lacedemoniorum auxilium contra Athenienses missus suorum æmulatione Syracusis expulsus est. Qui classe ducibus quos sibi Syracusani suffecerant, ad Peloponnesum assignata, ad Pharnabazum Persarum Regem se contulit, à quo ingentem pecuniarum summam consecutus, in Siciliam nauigat. Messanam appulsus statim triremes quinq; fabricari fecit, easq; militibus veteranis, Himerensibusq;, qui post Himeram ab Annibale combustam extorres vagabantur, instructas, cum ex suorum fauore Syracusas se conferre tentasset, fortunæ iniuria frustratus per mediterranea Selinuntem paruo colono habitatam occupat, dirutiq; à Carthaginensibus muri præcipuam partem refecit. ad quam deinde incolendā Selinuntinos, qui cladi supererant, vndiq; conuocat. Collectisq; postea ex vicinis oppidis militibus sex milium armatorum exercitum comparat. cum quo Selini egressus Motyanorum agros depopulatus est. Quo cognito Motyani sumptis armis ad prælium contra eum egrediuntur, a quo superati turpiter intra mœnia reuertuntur. Superatis Motyanis Hermocrates deinde Panormitanorū agros, finesq; Motyanis vicinos inuadens vastauit, ingētemq; inde prædam abstulit. Sed Panormitani magna manu coacta vrbe egressi ipsum adoriuntur. Qui inito acri ante vrbē certamine cæsis Panormitanorum quingentis militibus reliquos fudit, fugauitq;, atq; intra vrbem compulit. Hac victoria elatus Hermocrates regionem omnem, quam Carthaginenses paulo antè vi sibi subegerant, eorum reiecto Imperio liberati restituit. Quibus gestis magnum præclari Ducis nomen simul, & gratiā apud Siculos est adeptus. Syracusani cum tot eius egregia militiæ facinora audissent, pertæsi quod contra virtutis merita ipsum exilio mulctassent, cōuocata concione de eius in patriā reditu consiliū ineunt. cui populus facilè assensit. Quo ille cognito comparato maiori exercitu ad Syracusas redeundū se instruit. At cum eos, qui contra se sententiam exilij dixerant, sibi adhuc obsistere sciret, vt insigni facinore & illos ad se in vrbem recipiēdum flecteret, Himeram proficiscitur: inuestigatoq; loco quo Syracusani cum Carthaginensibus dimicando occubuerant, reperta diligenter eorum ossa, & simul collecta super ornatis quadrigis imposuit, illaq; secū Syracusas detulit. Vbi memor legis, quæ exules simul cum ciuibus iungi sub capitis mulcta inhibebat, super colles non longè ab vrbe castrametatus quosdam præmisit, qui cadauerū quadrigas in vrbē introducerēt. Quod eò fecit, vt in vrbe perspecta eius in occisos, p patria pietate, populare sibi fauorē cōciliaret: & Diocles, qui sibi aduersabatur, quiq; causa fuerat, vt cæsorū corpora apud Himerā sine sepultura feris relicta iacerent, inuisus populo redderetur. Hermocratis nuntij cum in vrbē cadauera intulissent: magna inter ciues seditio est exorta. Diocles etenim ne humarentur obsistebat, cuius sententiæ cōplures assensi sunt. Syracusani verò concitato populo Diocli aduersabantur, & occisorū ossa ingenti honore excepere, magnaq; pietate sepulturæ dederunt. Diocle verò, qui tāta humanitatis officia defunctis inuidebat, Senatus consulto extra patriā eiecerunt, non tamen Hermocratem introduxerunt. Verebātur enim ne cū primarius esset vrbis, victoria rerū gestarū elatus tyrannidē occuparet. Ille verò cū aduersante sibi Senatu in vrbē ingredi non posset, re infecta Selinuntē regressus est. Vbi aliquandiu moratus, & vrbe instaurata, ab amicis Syracusas reuocatus per agros Geloorum nocte intempesta iter faciens ad statutum sibi locum cū tribus armatorum milibus peruenit. Deinde ad Acradinæ portam cum paucis appulsus reliquias exercitus, qui pedetentim sequebatur, præstolabatur. Syracusani vbi eius aduentum cognouerunt, vim timentes in armis omnes conglobato ordine ad vrbis forum se coegerunt. Deinde contra Hermocratem facto impetu erumpunt, ipsumq; cum pluribus Selinuntinis socijs adorti trucidant. reliquos verò sui exercitus, quorum plurimi Syracusani erant, in fugam vertunt, atq; exilio mulctant.

Digitized by Google

Sed cum illorum plures inter præliandum grauibus vulneribus fuiſſent ſauciati: quorum Dionyſius Hermocratis gener, qui vrbis poſtea Tyrānus effectus eſt (teſte Plutarcho) vnus erat, ne populus ſæuiens ac furens ad eos interficiendos extra vrbem exiret, callidè a ſuis pro mortuis, & parētationis officio, luctuq; etiam ſimulato, tota vrbe vulgati ſunt.

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS, POSTERIORIS DECADIS.

LIBER TERTIVS.

DE DIONYSIO SENIORI.

CAPVT PRIMVM.

SYRACVSANI poſtq̃ a Thraſybuli eiectione ſexaginta ferme annos libertate ſunt potiti, quia nimis intemperanter ea ſunt abuſi, Romæ conſulari imperio Tribunis Militaribus Rempublicam regentibus, Anno vrbis conditæ circiter. 357. in Tyrannidem Dionyſij inciderūt. Nam cum inſatiabili libertatis amore ducerentur, beatę ſibi viuere videbantur, libidine ac luxu diſſoluti dominantes. Et cum nulli ius æquè dicenti ſubeſſent, ſed in omnibus eſſent liberi, plures ante Dionyſium prefectos abſq; lege aliqua depoſuerunt, profligaueruntq;. Seruitus enim ac libertas, ſi modū ſeruent, vtraq; bona, ſi excedāt mala. Ea igitur cauſa, Syracuſæ vrbs in tyrānidē corruit. Fuit Dionyſius (teſte Plutarcho) Hermocrate Patre, & Hermōe Auo, honeſtis boniſq; parētibus in Tuſcul. Cicerone Authore, & Syracuſis genitus. etſi Ariſtoteles, & pleriq; alij plebeiū, ac popularem ipſum fuiſſe memoriæ prodiderint. Porrò Principatum eius præſagia multa anteceſſerunt. Mater nanq; eius cum prægnans eum aluo contineret, ſomniauit ſe peperiſſe Satyriſcum, vt Philiſtus Syracuſanus temporum eius æqualis ſcriptum reliquit. Somniorum interprætes, qui eo tempore Gallice, iſiue Galeotæ in Sicilia nominabantur, conſulti matri reſponderunt. eum, quem peperiſſet, clariſsimum Græciæ diuturna cum fortuna virum, potentiſsimumq; futurum. Mulier etiam quædam Syracuſana, cui Himera erat nomen, genere clara, paulo ante imperium occupatum dum quieſceret, videre ſibi viſa eſt cœlum conſcendere, atq; Ducem ſibi datum, per quem cœli regiones peruagaretur. Cumq; ad Iouem eſſet introducta, ſub eius pedibus iuuenis flaui coloris, lentiginoſiq; oris cathenis vinctus ferreis ei apparuit. Cunq; Ducem interrogaſſet, quis nam is eſſet; Siciliæ illum, atq; Italiæ dirum fatum, ſolutumq; compedibus multis vrbibus exitio futurum audiuit. Interiectis deinde aliquot annis, cum Dionyſius Rex creatus eſſet, ciuesq; extra mœnia ex officio ei obuiam prodirent, atq; inter hos matronæ complures Dijs ſuis ſupplicationes facerent, inter eas Himera, vt Tyrannum ciuitatem ingredientem vidit, voce protinus edita clamauit: Hunc illū eſſe iuuenē, quē in ſomnis per quietem viderat. Cuius dicto Dionyſius cognito eam tolli de medio iuſsit. Tribuni præterea cum per literas ſortirentur, eſſetq; Dionyſius inſortitus; dicente quodam: repulſam habuiſti inſane Dionyſi:

Dionisi:respondisse fertur: Princeps solus ero. Eodem tendit & id, quod de eo refert Plutarchus. quòd cũ Syracusis mos esset vetustus, vt concionaturi literarũ notis, quæ sortes dicebãtur, designarẽtur, vbi qui literã suã adeptus esset, cõcionãdi ad populum facultatem consequebatur, Dionysius in concionem proditurus per literam. M. concionis habendæ ius sortitus sit. Qua cum cauillatores morologiã, hoc est fatuam, insulsamq; loquacitatem essent interpretati: ipse eludẽs scomma, simulq; ad sortis literam alludens Monarchico dixit potiemur Principatu. Sicuti obuenit. Etenim non ita multo pòst habitam concionem temporis spatio Prætor à Syracusanis est designatus, qui fuit ad tyrannidem gradus peraccommodus. Eũ nanq; Carthaginensibus Siciliam inuadentibus Syracusani, cum illustre in re bellica eo tempore haberet nomen, rerum summæ præfecerunt. Erat siquidem manu promptus, & fortis, & rei militaris Dux simul, & miles peritissimus, summa in victu temperantia: in rebus gerendis acer, & industrius: & quod in ea fortuna perrarum est, minimè libidinosus, neq; auarus; nullius deniq; rei cupidus, præterq̃ singularis, perpetuiq; imperij. Porrò principium tentandæ tyrannidis paulo altiori repetendum est initio. Primùm omnium ex quo tempore bellum Carthaginense gestum est, Siciliæ familia vna continuè ex decreto Syracusanorum publicis rebus præerat; quam Remp. appellabant. Sed cum deinde à Carthaginẽsibus pressi, Syracusæ vrbs cum vniuersa Sicilia in extremum discrimen venissent, Dionysium iuuenem quidem strenuũ, cuius iam virtus vulgata erat, militibus, ac rebus bellicis, Hipparinum verò, vt pote seniorem consilio præesse voluerunt. penes quos totius Siciliæ salus versabatur. Dionysius igitur contra Carthaginenses profectus non multo negotio illos superauit, profligauitq;. Repulsis Carthaginensibus, & salute Siciliæ parta, inuadendi imperij occasionem hac via nactus est. Electos etenim ante eum à Syracusanis exercitus Duces (qui decem fuerant) cum contra Carthaginenses malè se gessissent, vocato ad concionem populo, vt patriæ proditores accusat. Sed eum Magistratus acriter cum increpuisset, Philistus vir summæ authoritatis, & opulentiæ, illi e contrario fauit, ac palàm loquendi facultatem dedit. Quo Dionysius roboratus, elata voce populorum animos contra Duces exercitus concitabat, quòd pecunia corrupti Agrigentinos Carthaginensibus prodidissent. Insectatus est & Dapheum virum insignem, aliosq; ciuitatis præpotentes, ac principes viros. vt in politicis refert Aristoteles. Quo circa cum contra primores vrbis inimicitias suscepisset, populi studiosissimus, & solus dignus cui principatus crederetur, iudicatus est. A Gelois præterea cum apud Syracusanos plurimum commendaretur, & ipse quoq; Syracusanos plerosq; ab exilio reuocasset; ab omni populo est acclamatum, solum Dionysium Syracusani exercitus Ducem ex templo eligendum; neq; diutius id esse differendum. Inclinatis igitur repente in peiorem partem (vt sæpenumero fit) plebis animis, totius exercitus summa cum potestate domi forisq; iura dandi præfectura Dionysio datur, & Prætor constituitur. Initio magistratus quo exercitum ad se inclinaret, suiq; studiosum faceret, militibus duplex dari stipendium instituit. Quo pleriq; viso suspitionem futuri mali non mediocrem conceperunt. Quibus Dionysius hæc rescions, se purgaturus, palàm respondit, iccirco se stipendium auxisse, vt milites ad præliandum promptiores redderentur. atq; ita primo facinore velato, mox pro militibus sui corporis custodibus habendis plebem solicitauit. Sed cum Syracusis, complures sibi in petitione aduersantes haberet; iubet vt omnes ab exacta pubertate ad annum vsq; quadragesimum secum arma sumant, & contra Leontinum vrbem exeant, ratus paucos ex contradictoribus secum profectionem suscepturos. Exulum itaq;, militumq; suffragantium copijs instructus contra Leontinum pergit: ibiq; re bene gesta, partaq; victoria paratam contra se proditionem simulat, eamq; primùm per seruos, & præcones per castra dispergit: dein vocata

Digitized by Google

multitudine, palamq; ſuo more concionantis in modum per infernas obteſtationes apud populum agit, vt ſexcenti milites pro arbitrio eligendi ad ſui corporis cuſtodiã ſibi decernãtur. Et licet quibuſdam (teſte Ariſtotele) viſum ſit, ei tot cuſtodes dari, quot populi potentiam ſubijcere nequirent: peruicit tamẽ, vt ſexcẽtos milites ſibi deligere poſſet, Piſyſtratũ Atheniẽſem imitatus, qui ſimili comẽto tyrannidẽ occupauit. Satellitũ itaq; agmine ſtipatus Syracuſas reuertitur: mox arcẽ, vbi naues ſubducũtur, tutior vt eſſet, ſibi populi conſenſu occupat. Tũ demũ re patefacta quinq; tantùm & viginti natus annos ſuperbo dominatu Syracuſas vrbẽ, & patriã inuadit, ſibiq; ſubijcit. Adiutus maximè ad id fuit Hipparini Syracuſani viri primarij patrocinio. Is nanq; cũ paupertate premeretur, & fruſtra magiſtratũ ambiret, ei ad tyrannidẽ & animos auxit, & ſuffragio etiã fuit. Scribit Phi liſtus eũ paulo ante q̃ tyrannidẽ occupaſſet, vt aliquo oſtento rẽ futurã præſciret, equũ in cœnũ proiecisſe: qui ſtatim inde erectus cũ apũ examine iubæ inherente, Domini veſtigia fuit ſecutus. Quo viſo Dionyſius: tuto rem aggrediamur, inquit, nã voti cõpotes erimus, & ita in inſtituto animũ firmauit. Philiſtus quoq; nõ inutilem ei operã in eo præſtitit: qua gratia Dionyſius eũ arcis cuſtodiæ diu Præfectũ inſtituit. Quem poſtea firmato imperio cum rumor eſſet rẽ habere cũ Dionyſij matre, idq; Dionyſium non lateret, è Sicilia expulit. quo viuente in Siciliam nunq̃ eſt reuerſus. Porrò poſt vrbis Imperium occupatũ ſtatim Hermocratis nobiliſsimi viri filiam vxorem duxit: ſororemq; ſuam, cui Teſcha erat nomẽ Hermocratis fratri Polyxeno connubio iunxit. Id autem fecit, vt nobiliratis ſtẽmata ad tyrannidem ſibi perpetuandã non deeſſent. Cæterũ initio principatus vix ſatis firmata tyrãnide Syracuſani complures ab eo defecere: qui in domũ eius ditiſsimã irruentes omnia prædabantur, eiusq; vxorem grauibus, ac nequiſsimis ludibrijs affectam ad violatã vſq; pudicitiã laceſſere, quæ in deſperationẽ verſa mortẽ ſibi ipſa manu pro tuendo pudore conſciuit. Eas porrò iniurias Dionyſius non paſſus inultas interfectis ſeditiõis, & ſceleris authoribus, ne in poſterũ ſimile quidq̃ ſibi iterũ metuẽdũ eſſet, oẽs, quos pro aduerſarijs habebat, præſertim verò Daphæũ, & Demarathæũ, pluresq; alios potentiores trucidauit. Quæſiuit & Polixenum ſibi iam ob tyrannidẽ factum infenſiſsimũ de medio tollere. Sed ille eius metu Sicilia deſceſsit. Quo cognito Dionyſius accitã ſororẽ incuſare cœpit: quòd fugæ Polixeni viri cõſcia nihil ſibi denuntiaſſet. Cui illa oĩs pauoris expers: Adeo ne (inquit) Dionyſi vilis, & abiecta, & virilitatis indiga tibi viſa ſum mulier, vt ſi coniugis mei fugã ipſa præſciſſem, eiuſdẽ nauigationis comes, & fortunę particeps eſſe noluiſſem? An non antè habui quod mihi ſatius extitiſſet Polixeni exulãtis vxorẽ, quàm tui dominãtis ſororẽ appellari? Hæc cũ ingenue, & egregia quadã licentia Teſcha protuliſſet, admiratum ferunt Dionyſium, admiratosq; Syracuſanos tantam in muliere animi fortitudinẽ, virtutemq; . vſq; adeo fuiſſe, vt poſt deſtructã etiã tyrannidem regali more Syracuſani eam colere perſeuerauerint; & defunctę poſtea funus honore publico fuerint proſecuti. Dionyſius demortua coniuge duas ſimul vxores duxit, Locridem vnam, cui nomen erat Dorida, & Ariſtomachen alteram Hipparini filiam, & Dionis ſororem, vt Cicero refert. Ex Dorida tres habuit filios. Quorum natu maximus Dionyſius fuit, qui ei in Imperio ſucceſſit. Ariſtomache diu ſterilis tandem quatuor filios genuit, duos mares, ac totidem fœminas: maribus Narſæus, & Hipparinus, fœminis Sophroſina, & Areta fuerunt nomina, vt Plutarchus in Dione ſcribit. Sophroſinam Dionyſio filio nuptui dedit, & Aretam Taraciæ fratri, & eo mortuo Dioni deſpondit. Dionyſij Tyrannidis plura apud veteres leguntur monumenta. Fratrem habebat Dionyſius Leptinem nomine: qui cum Siciliæ ſitum vellet in terra deſignare, a ſtipatorum vno ſpiculum mutuò accepit, eoq; regionem deſcripſit. Quod cũ reſciſſet Dionyſius, ipſum grauiter obiurgauit, quòd lanceã accepiſſet.

iam enim

Digitized by Google

iam enim omnibus armorum vſus ab eo interdictus erat: ſtipatorem verò, qui ei ſpiculum mutuarat, occidit. Marſiam quendam ſibi præ cæteris charum, & ad ſumma quæq; euectum, ea ſolum cauſa interemit, q̃ is per quietem iugulare ſe Dionyſium ſomniauerat. Arbitratus eſt enim Tyrannus quod ex diuturna cogitatione ac conſilio, hoc per quietem vidiſſet. Eo tempore cum Plato ſiue ad cæteres explorandos, vt pleriq; ſcribunt, ſiue ex Tarẽto, quò nuper venerat, ad Dionem cum Dionyſij venia Syracuſas accerſitus in Siciliã veniſſet: Syracuſanis tanq̃ numen aliquod libertatis initium afferens apparuit. Hominis doctrinam Dion admiratus ſe illi adiunxit. Sub quo breui tempore tantum in philoſophiæ documẽtis ac cæteris ſcientijs liberalibus profecit, vt cũctos Platonis diſcipulos longe antecelluerit: adeo, vt præceptor ipſe diſcipulum maximè admiraretur. Dion vbi Platonem, & eius philoſophiam deguſtauit, deſiderans vt idem Dionyſio obtingeret, effecit, vt diſſerentem eum audiret, & cum eo per otium familiariter verſaretur. Inter quos ibi de ſumma hominis virtute, & præſertim de fortitudine diſputatum eſt: & inter cætera optimis rationibus mortales omnes longè fortiores eſſe, quam tyrannos oſtendit: beatiſſimam quoq; iuſtorum eſſe vitam, calamitoſiſsimam verò Tyrannorum: neq; id præſtare homini, quod ſibi ſoli eſſet vtile, niſi virtute quoq; excelleret: offenſum Dionyſium reſpondiſſe ferunt: verba tua otioſorum ſenum ſunt: & tua (inquit Plato) Tyrannidem ſapiunt. Qua audacia indignatus Dionyſius eum perdere voluit: ſed repreſſus a Dione, & Ariſtomache, Polidi Lacedemonij, qui per id tempus Legatus ad ſe venerat, vita donatũ, vt in Aegina eum venũdaret, tradidit. Vbi vẽditus, ac deinde ab Amicerio Cyrenaico philoſopho viginti, licet triginta quidam numerent, minis redemptus eſt, quẽ Athenas ad ſuos ſtatim liberum remiſit. Sed non multo pòſt Amicerio ab amicis Platonis pecuniæ ſunt reſtitutæ. Firmato eius principatu cum inſurgentibus in eum Syracuſanis, arctiſsimaq; obſidione prementibus, eius ſtudioſi, vt ſe abdicaret Dominio hortarentur, ne in hoſtium poteſtatem perueniens trucidaretur: fortè cum ante oculos illi veniſſet, vt bos à coquo iugularetur, momentoq; prolaberetur, ad amicos conuerſus Dionyſius: Nonne (inquit) deforme eſt ob mortẽ adeo celerem, tranſuolantemq;, talem me, tantumq; relinquere imperium? Poſt hæc quinquennio omnes Syracuſanorum diuitias exhauſit, vt deinde in pauperiem redacti rebellare nequirẽt. Quod vt exploratius haberet; iuſsit eis pecunias exigi ſemel, atq; iterũ, ac tertio. Quos vt querentes vidit, indixit & quartã exactionem. At poſtq̃ maiore ſumma imperata audiret illos in foro obambulantes ridere, & ſcommata in Regem iacere, iuſsit Præfectis, vt ab exigendo deſiſterent: Nũc enim (inquit) nihil habent, poſtq̃ nos contemnunt. Scribit Cicero Dionyſium cum aliquando pila ludere vellet, quod ſtudioſè faciebat, tunicam depoſuiſſe, atq; enſem amaſiò puero cuſtodiendum tradidiſſe. quod quidam eius familiaris cum vidiſſet, dixiſſe fertur Dionyſio: Huic vitam tuam cõmittis? Arriſiſſe hoc dicto adoleſcentulũ, eamq; tyrãno cauſam ſuffeciſſe prodũt, qua ſine mora vtrãq; internecioni daret, familiarẽ, qui viam aperuit ſui interimẽdi: adoleſcentulũ, quoniã ſuo arriſu illius dictũ approbaſſet. Cũ Damocles Dionyſij familiaris ſuſpiciẽs eius copias, opes, maieſtatẽ, dominatũ, rerũ abundantiã, magnificentiã ædiũ regiarũ, beatiſsimũ eũ oĩum hominũ iudicaret: Dionyſius illũ ſuã fortunã hoc epilogo deguſtare, expeririq; voluit. Collocari iuſsit hoĩem ĩ aureo lecto, quẽ ei ſtrato pulcherrimo, tapetisq; ſplẽdidiſsimo exornauerũt: mẽſas quoq; cõplures argẽto, auroq; ſculpto inſtruxit; ad quas eximia forma pueros, delectosq; cõſiſtere, quos ad Damoclis iuſſum miniſtrare iuſsit. Aderant ibi de more vnguenta, incendebantur odores, ſuffitus adolebantur, cibos ſabæi thuris, atq; myrrhæ lignis coqui, & deinde mẽſis epulas cõquiſitiſsimas apponi iuſsit. Nõ deerãt inſtrumẽta muſicalia, atq; oĩs generis exteræ letitiæ, vt ex omni parte Damoclẽ beatum redderet. Sed

poſt hęc oĩa,gladiũ vagina exemptũ,fulgentemq; à capulo de filo tenui pendentẽ mucrone demiſſo prandentis capiti inter ipſas epulas imminere præcepit. Tunc Damocles impendentis mortis periculo propè iam exanguis,neq; cęlatum argẽtum,& aurum, nec pulchros miniſtratores aſpiciebat, nec manus porrigebat ad menſam:ſed tot opes,delitiasq; præ mortis præſentis periculo aſpernatus Dionyſium exorauit,vt abire ſibi liceret.cui tum: Talis eſt (inquit Dionyſius)o Damocles vita mea,quam beatiſsimam putabas. Exiſtima iam quí fœlix eſſe poſſum, cum vndiq;,a cuſtodibus,a comitibus, a familiaribus mortem mihi imminere videam,& timere nunq̃ deſinam. Hinc (teſte Cicerone) ſummotis amicis in eorũ locum ferociſsimos gentium homines,& ex familijs locupletiſsimis electos, prævalidosq; ſeruos,quibus corporis ſui cuſtodiam committebat, ſubſtituit. Hinc tonſorum quoq; metu tondere filias edocuit. Quarum cum adultæ iam eſſent, manibus nouacula committere non confidens, inſtituit, vt candentium glandiũ, aut nucum putaminibus barbam, & capillum ſibi adurerent. Hinc cubicularem lectum perinde quaſi caſtra, lata foſſa cinxerat, in quem ſe ligneo ponte recipiebat. Cuius quidem fores extrinſecus cuſtodes operiebant, ſed interiori clauſtro diligenter ipſe obſerabat. Hinc concionaturus non in communibus ſuggeſtis,ſed in turri alta conſiſtere ſolebat. Hinc cum noctu ad vxores, cum quibus communes habebat cœnas,viciſsimq; noctes diuidebat, ventitaret, omnia antè ſpeculabatur, omnia perſcrutabatur. Hinc demum cubiculum eius neq; frater, neq; filius, vt erant induti, ingrediebantur: ſed depoſito prius amictu, & nudi ſatelliti ſe oſtentare cogebantur. ita cum nemini fidem haberet, ſuſpectos habebat mortales omnes. Quinimo & Dionyſium filium, ne illi inſidias tenderet,& regnum interciperet,incluſum domi ſub cuſtodibus obſeruabat, neq; cum prudentibus familiaritatem illum ob eam cauſam habere volebat. Quid igitur eius vita tetrius?quid miſerius?quid deniq; deteſtabilius? Pacinus egregium Damonis,& Pythiæ ſub eo contigit. Quorum cum alteri diem necis deſignaſſet;moriturus paucos dies pro rebus domeſticis ordinandis altero ſponſore impetrauit,& redijt ad diem:Cuius vtriusq; fidem Dionyſius admiratus vtrumq; ſeruauit,& ſe in amicitiam tertium adſcribi poſtulauit. Hoſpes quidam cum ei priuatim colloqui deſideraret, oſtenſurus quonam pacto ſcire poſſet qui illi inſidias molirentur:Dionyſius ſemotis arbitris hominem prius diligentiſsimè à cuſtodibus perſcrutatum admiſit,at ille:Da mihi (inquit) talentum, vt exiſtimetur à me inſidiatorum te audiſſe indicia. Dedit Dionyſius;ac ſimulauit ſe audiſſe.nam fucus ille plurimum vtilis erat ad deterrendos inſidiatores. Fuit aliquando ei delatum adoleſcentes duos inter pocula conuitiatos in eum, eiusq; tyrannidem, ambos vocauit ad cœnam.ibiq; vt animaduertit alterum largius potum multa nugari,alterum rarò cauteq;:illum dimiſit,vt qui natura vinolentus per temulentiã maledicus fuiſſet:hunc interfecit,vt qui ſtudio maleuolus,& hoſtis eſſet. Mulier quædam Syracuſana extremæ ſenectutis genere nobilis Deos pro incolumitate Dionyſij,cuius mortem omnes exoptabant,precari quotidie non deſinebat. Quo Dionyſius cognito admiratus,quippe qui omnibus ſe inuiſum videbat; mulierẽ ad ſe acciri iuſsit,cauſamq; tam ſedulæ deprecationis auidiſsimè inquiſiuit. Tum illa:Cum paruula (inquit) eſſem,Syracuſis ſæuus imperabat Tyrannus, cuius extinctionem votis omnibus ciues expetebant. Quo tandem mortuo deterior eo ſucceſsit. Et hoc quoq; defuncto,tertius imperio eſt ſuffectus vtroq; longè peior. Timeo igitur ne te decedente deterrimus Tyrannus ſuccedat. Hinc itaq; tota mente, lachrymiſq; obortis Deos pro tua incolumitate deprecor. Tam liberam,facetamq; reſponſionem Dionyſius punire erubuit, ſacrilegia ſua facetis dictis ſolebat obtegere. Locris Proſerpinæ templum ſpoliauit. mox cum claſsis illius ſecundo vento nauigaret:Videtis (inquit) quàm proſpera nauigatio à Dijs

immortalibus

immortalibus datur sacrilegis. Ioui Olympio Syracusis detraxit aureum amiculum ponderis (teste Aeliano) octoginta quinq; talentorum, quo eum Hieron ex manubijs Carthaginensium ornauerat, proq; detracto aureo laneũ illi pallium iniecit. Cum autem ministri timerent Iouem tangere; primus ipse simulacrum confregit. ita cauillans: Aureum æstate grauem, hyeme frigidum esse, laneum verò ad vtrunq; anni tempus aptissimum. Epidauri Aesculapio barbam auream ademit: quod negaret decorum, patrem Apollinem imberbem, Aesculapium filium barbatum conspici. Mensas aureas Dijs bonis dicatas è fanis auferebat: cauillatus se eorum bonitate vti. Spolia quoq; aurea, pateras, & coronas, quæ Deorum simulacra porrectis manibus habebant, tollebat dicens: se oblata à Dijs accipere, non eripere. Ad Troezenias quoq; naui appulsus omnes Leucothę, & Apollinis pecunias, mensamq; argenteam Deo appositam sustulit: præcepitq; vt bonum euentum ipsi propinarent. Lucinæ quoq; templum ad Ceretæ, siue Agyllæ emporium à Pelasgis cõstructum opulentissimum Dionysius in suo cursu ad Corsicam (teste lib. 5. Strabone) spoliauit. Circunferuntur & eius aliquot præclara dicta. Cum intra Regiam sacrum ex more perageretur, precoq; precaretur, vt per multa tempora inconcussum eius duraret imperium: Non tu desines (inquit) abhominanda nobis imprecari? Ab amicis cauendum etiam aiebat ei, qui præfit: cum id omnibus persuasissimum esse debeat, eos imperare malle, quàm seruire. Metum, & violentiam adamantina appellabat vincula, seq; adamantinis vinculis principatum filio relicturum aiebat. Quem cum audisset aliquando ingenui viri coniugem adulteraſſe; iratus interrogauit: an vnq̃ tale quidq̃ in patre comperisset: Tum ille: Tu non habuisti Patrem Regem. Cui mox Dionysius: neq; tu Regem filium habebis. quod & euenit. Eidem filio vasculorum aureorum, & argenteorum magnã supellectilem habenti dixit: non est in te Regius animus, qui his neminem amicũ tibi feciſti. Dum his moribus, multisq; alijs, quæ apud Plutarchum latius commemorantur, imperio stabiliendo incumberet: Carthaginenses postq̃ Magone Duce insulas Africæ adiacentes sibi subegissent, Siciliam omnibus viribus peruadere decernunt. Sed dum expeditio paratur; Mago moritur, relictis liberis Amilcare, & Asdrubale. quo postea in bello Sardoo interfecto, & Annibale patre alterius Amilcaris cognomento Barcha, patris magni Annibalis, quo Duce Carthaginenses secundum bellum contra Romanos gesserunt, Asdrubale, & Saphone filijs relictis, Amilcar eius frater Dux belli efficitur. Is igitur veluti non satis auspicatò in Sardinia gesta res esset, in Siciliam bellum transtulit, magnaq; classe insulam inuadit. cui quidem Siculi duce Dionysio, magno animo obstitere. Cæterùm cum sibi impares vires ad ferendos Carthaginensium insultus esse animaduerterent, à Leonida Spartanorum Regis fratre auxilia petunt. Qui q̃ primum aduectis classe tot armatorum milibus, quot vnà cum exercitu Dionysij ad Carthaginensium potentiam reprimendam suffecturos speraret, in Siciliam traiecit. Graue itaq; bellum geritur, in quo & diu, & vario Marte dimicatum est. Tandem eo bello Amilcar occiditur relictis Himilcone, Hannone, & Giscone liberis. E quibus Himilco exercitui à Carthaginensibus in Sicilia præficitur. Is contra Dionysium, Siculosq; nauali, terrestriq; bello dimicans, superato Dionysio Gelam, & Camerinam, & aliquot alias vrbes vi cepit. Nec multo pòst Leontini, qui plures annos Syracusis fuerant adscripti, & patria exulauerant, ea rerum nouitate vsi, Syracusis clam egressi in Leontinum patriam populariter remigrarunt. Interea dũ multis secundis prælijs in Sicilia gestis Carthaginenses iam in manifesto victoriæ cursu essent, repentè pestilentis syderis vis eorum exercitum inuasit: ita vt breu omnibus fere copijs letali morbo absumptis, Himilco Dux pro victo ex Sicilia cũ exercitus reliquijs Carthaginem aufugere coactus sit. Vbi cum summo totius ciuitatis luctu & mœrore, ac si vrbs iam capta fuisset, exceptus mortem sibi manu

statim

ſtatim intulit. Dionyſius Pœnis Sicilia morbo abactis & totius inſulæ imperio per otium potitus, ne florentiſsimus eius exercitus quo maiorem (teſte in epiſtolis Iſocrate) eius exercitus, nullus vnq̃ habuit. cui inter alia Plutarchus triremes quadringentas, equitum milia decem, peditum viginti, & ſupra hæc milia ſtipatorum decem aſcribit deſidia & ocio corrumperetur, Italiæ Principatum affectare cœpit. eoq; protinus tranſuectis copijs in eos Græcos irruit, qui extremam Italiæ partem, quæ Siciliæ imminet, poſsidebant. Vbi expugnatis locrorum vrbibus, & deleto Rhegio Crotoniatas magna vi aggreditur. qui licet ex prioris belli, quod aduerſus Locrenſes habuerãt, clade, iam imminutas haberent vires, aliquatenus tamen reſtiterunt. Sybaritas poſtea luxu, & diuitijs intemperantes paruo negotio ſuperauit. E quibus ingentem prædam, chlamydemq; Athenis tota Italia tum ſumptu ipſo, magnificentiaq;, ac artis mira excellentia pretioſiſsimam cepit. Quam poſtea centum & viginti talentis Carthaginenſibus venundedit. Pars hæc Italiæ inferior mari Ionio alluitur, & tam crebro lancinatur, vt in tres, breuis hæc ora ſinus curuetur, & adeo interdũ ſeſe extenuat, vt non alibi Italia ſit anguſtior. Hãc Dionyſius adeptus in animo habuit iſthmo circa portum, qui poſtea eſt Annibalis dictus, reſciſſo extremam hanc Italiæ partem inſulam facere, & Siciliæ adiungere. Sed dum hæc meditatur, legati Gallorum Senonum, qui ante mẽſes aliquot Romam incenderant, amititiam, ſocietatemq; petentes ad eum venere. Gentem ſuam, quæ vel ob id, quòd inter eius in Italia hoſtes habitabat, magno ei vſui vel in acie bellanti, vel de tergo opprimendis hoſtibus eſſe poterat, offerunt. Gratiſsima hæc illi legatio fuit. Proinde pacta cum eis ſocietate bellum veluti ex integro in Italiam reliquam reſtaurat, quam latè eo tempore Græci incolebant. Sed ab Hannone Carthaginenſium Duce ab incepto reuocatur. Eo nanq; Duce Carthaginenſes bellum, quod lue compellente in Sicilia deſeruerant, ſequẽti anno reparato exercitu, auctisq; viribus redintegrant. Id vbi Dionyſius cognouit, in Siciliam ſtatim cum exercitu reuertitur. Erat tum Carthago in duas diuiſa factiones. Vnius princeps erat Aſdrubal, Amilcarisq; familia, alterius præſtãtes pleriq; ciues, qui Barchinini nominabantur. Ex his Surriatus quidam domi nobilis, & ea tempeſtate Pœnorum potentiſsimus cum eſſet aduerſæ factionis, Hãnoniq; infenſiſsimus, literas Græcè ſcriptas clam ad Dionyſium in Italiam ſub miſit, quibus ei omnem expeditionis apparatum, omnemq; belli aduerſus Siciliam gerendi rationem. Nauigiorum præterea totius claſsis, & militum numerum, conſtitutam quoq; nauigandi diem, ducis ingenium, quis deniq; primùm inuadendus eſſet locus ſignificabat. Cæterum interceptis literis comprehenſus, proditus, damnatusq; capitis ſupplitium luit, occaſionemq; Senatuſconſulto dedit, quo nequis poſtea Carthaginẽſis Græcis literis, aut Græco ſermoni ſtuderet. & ne quis aut loqui cum hoſte, aut ſcribere ſine interprete poſſet, ſub capitis pœna cauebatur. Porrò aduenienti cum claſſe in Siciliam Hannoni Dionyſius inſtructo cum exercitu occurrit. Vbi tum vario Marte, varioq; fortunæ euentu multis prælijs habitis, tandem ob ſuperbiam, acerbosq; mores militibus inuiſus redditur, & à maiori exercitus parte deſeritur: atq; ita Carthaginenſium viribus impar varijs certaminibus, aſsiduisq; ſuperatus, poſtq̃ duode quadraginta (teſte Cicerone) regnauit annos, inſidijs ſuorum, ſi Trogo credimus, interficitur, ſiue hauſta potione ſommifera, quæ ſoporis mortem citra ſenſum continebat, quam ei medici ſuaſu Dionyſij filij, ne cum alijs fratribus regnum partiretur, vt Dion, ei perſuaſerat, vt Timeus, Plutarchus & Probus referunt, ſiue accepto tragicæ victoriæ nũtio gaudio, interijt, vt Plinius. Huic ſẽtẽtiæ Cicero in lib. de natura deorum aſſentire videtur, qui de eo: Hunc (inquit) non Olympius Iupiter fulmine percuſsit; non Aeſculapius miſero, diuturnoq; morbo tabeſcentem interemit. atqui in ſuo lectulo mortuus triumphantis in modum in rogum illatus eſt. eamq;

poteſtatem,

Digitized by Google

poteſtatem, quam per ſcelus nactus eſt, quaſi iuſtam, & legitimam hæreditatis loco filio ſuo tradidit. Eo mortuo Sicilię ciuitatum pars magna vi ab Hannone ſubijcitur. Pars in deditionem accipitur, Pars vero in ſocietatem eſt recepta. Hanno vero parta hac ingenti victoria, ex præda Sicilienſi factus ditiſſimus, Carthaginem redijt. Vbi maximo cum honore ſuſceptus non multo pòſt animum ad occupandam ſuæ Reip. dominationem adiecit. quod cum ſemel interfecto Senatu, atq; iterum ſcelus fruſtra tentaſſet, tertiò in ſeditione capitur, virgisq; cæſus, & effoſsis oculis, ac manibus, cruribusq; fractis, & corpore verberibus lacerato in crucem adigitur. Filij quoq; eius, cognatiq; omnes etiam vltimo ſupplicio ſunt affecti; ne quisq̃ aut ad eum imitandum, aut ad eius mortem vlciſcendam ex tam nefaria domo ſupereſſet. Ita igitur quem Siculæ opes clariſsimum reddiderant, hunc eundem non bene fortunis vſum in præceps deiecerunt.

DE DIONYSIO IVNIORI, ET DIONE.

CAPVT SECVNDVM.

DEFVNCTO Dionyſio milites, qui in eius fide permanſerant, Dionyſium filiorum eius natu maximum, virum omnium ignauiſsimum, luxuq;, ac otio perditum Imperio ſuffecerunt. Is cum nomine idem eſſet cum patre, longe tamen illum ſceleribus antecelluit: ſicuti magnitudine animi, & pluribus virtutibus ſatis ab illo retroceſsit. Inter initia regni ſui hic fratrum ſuorum auunculos tanq̃ imperij ſui æmulos, pueris ad diuiſionem regni authores, de medio tollere pergit. Sed quo id cum prætextu tutius faceret, ad fauorem ſibi populi conciliandum prius animum aduertit. Igitur noxiorum ad tria milia carceribus liberat: tributa populo per triennium remittit. Vnde cum prudenter, liberaliterq; ſe gerere ſub initia videretur, voluntates omnium ad ſe traxit: ac ſubinde cum quaſi adamantinis nexibus imperium ſibi firmatum putat, ad deſtinatum facinus conuertitur. Fratrum cognatis primùm, mox fratribus quoq; ipſis nullo non iniuriarum genere in eos edito, vitam ademit, tyrannidemq; in ſuos primùm, quàm in externos auſpicatus eſt. Sublatis omnibus Imperij æmulis in Appulia vrbes duas extruxit, vt tutam efficeret maris Ionij nauigationem. Qui enim loca maritima incolebant, prædatorijs nauibus diſcurrentes Adriaticum pelagus omnino inacceſſum reddiderant, idq; ſolum inſigne, ac dignum memoria facinus toto ſuo dominatu patrauit. Cum ſuceſsiſſet in bellum, quod Carthaginenſes Siciliæ machinabantur, ſedatorum morum ſimulatione, cum hoſtibus pacem firmauit. Cum Lucanis item bello ſumma negligentia prorogato, poſtremò prælijs aliquot ſuperior, cupidiſsimo animo pacem eis conceſsit. Dehinc in ſegnitiem lapſus auaritiæ, ſocordiæ, ac luxuriæ ſeſe totum mancipat; tanta intemperantia, vt nouarum voluptatum inuentores ſummis etiam afficeret præmijs, & ad nonageſimũ vſq; diem aliquãdo ebrius perſeuerarit. Qnare adeo cecutientibus ac vitioſis oculis fuit, vt nec ſolem, nec diem, nec ſplendorem lucis ferre poſſet. Vnde amici eius, ac complures per adulationem ſimulare conſueuerant non videre ſeſe neq; cibos, neq; calices appoſitos. Ferunt quòq; de eo veteres, quòd cum Syracuſis in Aeſculapij templo ante ſimulacrum aurea menſa eſſet repoſita, patera mero repleta; Propino tibi (inquit) Aeſculapi boni dæmonis calicem: & cum dicto auream ſtatim menſam auferri iuſsit. Quibus omnibus dum contemni ſe putat, in ciues ſæuitia graſſari cœpit, nunc hos, nunc illos pro libito atroci morte de medio auferens. Syracuſani non impatienter, indigniſsimeq; hæc omnia ferentes primum in eum conſpirãt. mox comparatis copijs eũ in Acradina adeo dure obſident, vt aliquandiu dubitauerit,

imperiumne

imperium nè deponeret,an bello resisteret. Sed à militibus suis,qui prædam,vrbisq; direptionem expetebant,persuasus, eductis ordinibus descendit in aciem: vbi sine vllo ferè negotio victus, fusus, fugatusq; est in arcem,& cum iteratò fortunam belli tentasset, inferior quoq; factus succubuit. Porrò cum viribus nihil se profecturum cognosceret, ad fraudem se conuertit. Legatos ad Syracusanos mittit, qui Tyrannidem se depositurum sponderent, si ad eum mittant,cum quibus de pace agat. Primores itaq; aliquot ex ciuibus ad eum legant.quos ipse violata fide in carceribus retinuit;ac deinde incautis Syracusanis, nec quicq̃ hostile metuentibus,exercitum ad delendam vrbem eduxit. Syracusani tumultuariè ad obsistendum se parant:fitq; in ipsa vrbe acre bellum,sed aliquandiu anceps.tandē victis,fugatisq; Dionysianis, penes Syracusanos multitudine superantes mansit victoria. Superatus Dionysius cum arcis obsidionem metueret,cum omni apparatu regio clam nauem conscendens in Locros vrbem insignem,a Rhegio.70.ferme.p.m.distantem secessit. A Locrensibus rei gestæ ignaris regio more comiter, benigneq; susceptus benignitatis artibus sub initia ciuium animos ad se pellexit: vrbis Rhegij a patre diruta partem restaurauit, eamq; Phœbæam appellauit. Sed mox vrbis arcem occupat,solitamq; sæuitiam aggreditur: Primorum virgines ad stuprũ rapi,virgines ante nuptias ad se ducere, & stupratas procis reddere iubet. Locupletissimos quosq; aut vrbe pellebat, aut interficiebat, eorumq; bona sibi adiudicabat. Subinde cum rapinæ occasio deesset, vniuersam ciuitatem callido commento circumuenit. Nam cum Locrenses à Leophrone Rheginorum Tyranno aliquando bello premerentur,vouerunt,si victoriam adipiscerentur,vt die Veneris festo virgines suas prostituerent. Parta victoria cum voto Locrenses intermisso aduersa bella cum Lucanis gererent,in concionem eos Dionysius vocat, diuinam hanc esse numinum vltionem dicit.quem si placare cuperent, hortatur, vt vxores, filiasq; suas in Veneris templum q̃ possint ornatissimas mittant. Ex quibus centum sorte ductæ voto publico fungantur,religionisq; gratia vno mense stent in lupanari;omnibus antè iuratis viris, nequis vllam attaminet. Quæ res ne virginibus voto ciuitatem soluentibus fraudi, damnoq; esset, decretum fecerent:ne qua virgo nuberet,priusq̃ illę nuptui traderentur.Probato consilio,quòd nec superstitioni, nec virginum pudicitiæ iniuriam facere videbatur, certatim omnes fœminæ impensius exornatæ in templum Veneris conueniunt. quas vix fanum ingressas Dionysius missis militibus omnes spoliat,necnon ad prodendas maritorum pecunias pœnis, minisq; constringit: ipsisq; nudo,vt erant,corpore eiectis,ornamenta subtracta suam vertit in prædam Pleriq; earum viri miserabiliter conquesti ab eo sunt interfecti. His igitur malis artibus cum sex apud Locros regnasset annos,ab exasperatis ciuibus impetu in eum facto ignominiosè ciuitate expulsus est. Vnde Syracusas reuersus, ingenio vsus veteri pacis cõditionibus interiectis à Syracusanis regali more receptus est. Sed Locrenses post Tyrãni fugam cæsis eius militibus,qui arci præerant, primò quidem,vt Strabo refert, in libertatem se vendicant,deinde eius vxorem,ac liberos in sui potestatem redigunt. Reliquerat enim ibi filias duas,filiumq; natu minorem adolescentem: maior nanq;,cui nomen Apollocrates erat,cum patre diffugerat. Pater verò absens per nuntios Tarentinos obsecrat,vt vxorem,& filios pretio ei restituant. Quibus id recusantibus hostilem exercitum mittit,Locros obsidet, eorumq; agros populatur.ipsi verò iram omnem in filias explicuere: quas constupratas interficiunt: demum earum corpora concremant, ossaq; molibus antè frumentarijs contrita in mare proijciunt. Dionysius a Syracusanis receptus, principio benignissimum facillimumq; se adeuntibus exhibebat,sed eo minus illis ad beneuolentiam potuit inflectere. Tantæ siquidem in eorum præcordijs prioris odij reliquiæ consederãt,vt nullis etiam beneficijs allici possent. Neq; enim facilè propagata odiorũ

sementis

Digitized by Google

sementis stirps interit: quippe vt gratiæ in odium deflexus facilis, ita odij ad gratiam difficilis est transitus: raroq; animus, quem semel grauiter indignatio subit, syncera fide excolitur: aut cum quo vehementes primùm immicitias gessit, affectuosè postmodum in gratiam redit. Neq; verò diu ea humanitate vsus est: sed ad intermissam ignauiã, luxuriã, auaritiãq; rediens, veteris etiã crudelitatis non est oblitus: atq; ita grauior, sæuiorq; in dies ciuibus redditur. Cuius quidem Tyrannidis pleriq; impatientia, deserta patria, in Italiam profugi sub ora Galliæ Cisalpinæ iuxta Cimmerium promontorium vrbem Anconem condiderunt. Naxij quoq; Chalcidenses per ea tempora sub Andromacho Naxio viro principe Timei historici patre, quod Tyrãnidem Dionysij maximè essent exosi, ab eo magna peditum vi, & ingẽti classe bello petiti, Naxoq; funditus deleta expugnati, in colle vrbi prominente, qui eo tempore Taurus nuncupabatur, profugere. Vbi extructæ vrbi nomen Tauromenium indidere. Dionysius verò etsi omnibus esset inuisus, imperium tamen possidebat instructissimum. Habebat enim naues quadringentas, ordinum quinq; & sex. Pedites ad decem myriadas, equites ad nouẽ milia. Ad hæc vrbs ipsa regia, portubus maximis insignis, altissimis mœnibus inuictam obsidionibus faciem præsentabat. cui apud se præterea semper in promptu erat & commeatus, & apparatus bellicus ad quingentas naues sufficiens. Intus seruabat ad centum myriadas medimnorum tritici, Armamentarium refertum scutis, machæris, hastis, ocreis multis, thoracibus, & catapultis: quarum inuentorem fuisse ipsum Dionysium affirmant. Habebat & socios multos: quibus omnibus fretus adamantino se imperio septum arbitrabatur. Alebat postremò familiares quosdam sibi deuinctissimos, qui Prosagogidæ appellabantur, impios sanè homines, & omnibus inuisos. Hi vrbem promiscui peragrabant, singulorum dicta, vel facta sagacissimè speculantes, indaganteſq;: quę deinde ad Regem deferebant: quò ille amicos, & inimicos pariter dignoscere, conspiratorumq; consilia præuenire posset. Quo eueniebat, vt ne loqui quidem Syracusis tutum esset. Erat Dionysio affinis Dion Syracusanus (cuius supra meminimus) vir non solùm in philosophiæ, sed in re etiam militari, & generis nobilitate, atq; animi magnitudine clarus, qui sicut Dionysio patri gener fuerat, ita & Iuniori intimus erat. Is cũ apud Dionysium de bello, quod Carthaginenses denuo contra Siciliam moliebãtur, sermo fieret, multiq; trepidè, ac imprudenter loquerentur, adeo prudenter pro temporis angustia disseruit, vt omnes præcipuo stupore affecerit. Enimuero post multa vltro, citroq; colloquia Dionysio pollicitus est: si pacem expeteret, se q̃ primum in Africam nauigaturum, eamq; compositurum: sin bellum; illud se proprijs sumptibus sustentaturum. ad quod quinquaginta triremes offerebat. Porrò hæc animi promptitudo ei apud Dionysium & admirationem, & amorem peperit, sed apud proceres inuidiam, & odium. Existimabant enim & ingenij perspicacia, & virium potentia se deiectos esse. quibus accedebat morum quoq; differentia. Illi etenim turpiter etiam cum ipso Dionysio educati: hic seuerè admodum, ac nullis illecebris, sed omni egregia viuendi forma imbutus. Cum igitur in aula regia non Regis gratia, sed rei veritate omnium primum se cognosceret, existimans id ab imperitia proficisci, Dionysium ad philosophiæ studium, liberales, moralesq; disciplinas accendere magnis rationibus cœpit: quo tandem, pro vt Regem decebat, reiecta solutiori vita, cui assuuerat, ad virtutis consuetudinẽ sese cõuerteret. ignominiosum, ac turpe esse dicẽs, si Rex corpus pretioso ornet amictu, ædiumq; parietes auratis obducat vestibus, animum vero ignauia, luxu, auaritia & omnibus voluptatibus deturpari sinat. qui vt regali potestate cæteris præest, ita diuinis moribus est expoliẽdus. Hæc cum sæpe occineret, & nonnulla interdum Platonis documenta interseret: ingens ac flagrans studiorum, Platonisq; ipsius amor Dionysium cœpit. Quare litera Athenas frequentes, & ab ipso,

& à Dione,

Digitized by Google

& à Dione,& à Pythagoricis,qui Italiam eo tempore habitabant, ad Platonem ſta tim ſcribunt, vt Syrac uſas proficiſcatur ad Regis animum imbuendum. Dum hi rumores per vrbem deferuntur:Dionis æmuli pro magno negotio habuerunt, vt Philiſtus,qui a Dionyſio patre fuerat relegatus,ab exilio reuocaretur: vt haberent quem Platoni, & Dioni apud Dionyſium opponerent. quod obtinuerunt. Reuocatus Philiſtus,vt erat acri vir ingenio,illico rerum regiarum adminiſtratio ni ſe implicuit. Inuidi verò contra Dionem calumnias, &criminationes ad Regem deferre non ceſſábant, quòd Imperium diſſoluere,& popularem principatú Platonis opera in vrbem reducere vellet. Interea Plato Syracuſas applicuit. cui Dionyſius triremem ornatu regio inſtructam aduentanti miſit obuiam. Egreſſo deinde ex triremi regius etiam currus cum quadrigis albis affuit, qui ipſum ad Regiam magna pompa deueheret. Dionyſius perinde ac ſi numen aliquod Syracuſas aduenisſet, ſacrificia celebrare, conuiuia honeſta indicere, curiæ ordinem mutare,benignitatem in omnes æquè induere cœpit.cuius exemplo (ſolet nanq; populus principis vitam æmulari) Syracuſanorum omnium frequens ad philoſophiam erat concurſus : geometricis figuris, quas Platonis innumeri diſcipuli deſcribebant, plena erat arx regia. Vbi cum non ita multo pòſt tempore de more ſacrificium fieret,precoq; vt conſueuerat,perpetuum Dionyſio imperiũ conceptis verbis precaretur: Deſine (inquit ille) execranda nobis imprecari. Adeo Dionyſius breui in Platonis philoſophia profecerat, vt regnum vltro relinquere cogitaret. Id vbi Philiſtus audiuit, magno affectus eſt mœrore Emuli etiam Dionis Dionyſij mentem immutatam videntes, rati quòd ſi ipſe ſe abdicaret Imperio,Ariſtomathes liberos,quorum Dioni erat auunculus,ſuo loco ſufficeret,non clam,vt antea,ſed palam Dionem conuitijs laceſſebant:Platonem verò vt Sophiſtam irridebant,eiusq; præſentiam regno pernicioſam apertè aſſerebant.Philiſtus interea totus in Dionem odio, & inuidia flagrãs clam eũ apud Regem in ſuſpitionẽ adducit,quòd ad Carthaginenſium præfectos,vt non niſi ſe præſente cum Dionyſio de pace agerent, literas dederit. quibus commonſtratis, lectisq;, Dionem Rex quarto menſe poſt Platonis aduentum in arcem circa mare adduxit.vnde communicatis illi literis vehementer increpatum, quòd contra ſe vnà cum Carthaginenſibus conſpiraſſet,nullam excuſationem admittens ſtatim, vt erat,cymbæ impoſitum cum Megacle eius fratre in Italiam primùm, & mox in Peloponneſum exportari per nautas curauit. Quod vbi Syracuſis vulgatum eſt: regiam quidem muliebris vlulatus,ciuitatem verò mœror, & luctus tenuit.adeo non neceſſarij modò,ſed & ciues omnes eum,mores,virtutumq; illuſtria ornamẽta proſequebantur beneuolentia. Quæ vt Dionyſius conſpexit, ad præſentem omnium dolorem leuandum non exulaſſe Dionem, ſed paululum ob linguæ petulantiam ſeceſſiſſe, ac cognatis breui Syracuſas rediturum prædicabat. iuſitq; vt duabus nauibus ex eius bonis quantumcunq; pecuniarum neceſſe eſſet, ad ipſum tranſmitteretur, quo lautè, & pro priſtina fortuna viueret. Quæ omnia clarum ipſum etiam in exilio inter Græcos oſtenderunt. Plato præterea multis precibus apud Dionyſium agere non ceſſabat,vt eum reuocaret. Cui cum intra annũ id facturum ſpopondiſſet:Plato è Sicilia diſcedere conſtituit,ante tamen Archita Tarentino, nonnullisq; Pythagoricis in amicitiam cum Dionyſio conductis. Sub idem tempus Dionyſius militibus ſtipendia contra patris decretum minuere voluit. Quod cum irati milites facto concurſu id ſe neutiq; toleraturos minarentur:ipſe occluſis arcis portis eos cohercere nitebatur. Sed illi repentè in furorẽ acti ad mœnia concurrunt:ſignisq; datis claſsicum ciebant. quo territus Dionyſius ad ſtipendia conſueta, ac plura etiam coactus eſt. Rumor fuit Heraclidem, qui præfectus erat equitum, tumultus huiuſce cauſam extitiſſe. Quod Heraclides audiens, ne Regis iram incurreret,fugam arripuit. Quem cum Dionyſius

capere

Digitized by Google

capere optaret. Theodoti coram Platone impoſuit, vt ea lege ad ſe illum adduceret, vt poſtq̃ criminibus ſibi obiectis reſponderit, ſi Regi in Sicilia illum amplius manere non placeret, tutò aſſumptis vxore, & liberis, ac omni ſupellectile Peloponneſum petat. Theodotus verò cum id ab eo per fraudem promitti intelligeret, cum Heraclide iram regis metuens Corynthum ſeceſſit Plato poſtmodum non inuitus, neq; abſq; Regis conſenſu Syracuſis diſcedens Athenas eſt reuerſus. Vbi & Dionem ſapientiæ ſtudijs aſsiduum in Academia continebat. Vnde tandem Dion Græcorum vrbes cum optimis, & principibus viris adibat, feſtos conuentus celebrans, nihil non in vita modeſtum, nihil turpe, ſed honeſtum, ſeq; dignum peragebat. His moribus beneuolentiam, & publicos honores à ciuitatibus conſequebatur. Lacedemonij etiã, qui per id tẽpus Dionyſium contra Thebanos promptiſsimum belli ſocium habebant, quaſi eius iram paruipendentes, Dionem ob eius merita ciuitate donarunt. Nec multo pòſt interiecto tempore cum Dionyſius Platonis videndi, ac eius philoſophiæ deſiderio teneretur, Archytam, ac cæteros Pythagoricos, qui per ea tempora Syracuſas ſeceſſerant, induxit, vt vades ipſi pro eo exiſtentes Syracuſas illum accerſerent. Qui Archidemum Syracuſanũ Archytæ familiariſsimum, quem vnice Plato amabat, Athenas miſerunt. Ipſe etiam Dionyſius plures oratores Siciliæ nobiles, & triremes ad Platonem tranſmiſit, cum literis, quibus minabatur, nunq̃ ſe Dionem reuocaturum, niſi Syracuſas ipſe rediret. Cognati præterea, ac ſoror, & vxor Dionem per literas monebant, vt omnino Syracuſas Plato reuerteretur, ſi ipſe patriã, ac ſuos viſere aliquando ſperaret. Quibus omnibus Plato adductus Syracuſas tertiò venit. Vbi cum Dionyſio familiariter verſatus, cum reuocationem Dionis, tyrannidéq; relinquẽdam ſæpius hortatus eſſet, acerbiusq; vrgeret: Dionyſius iratus ex arce eum remiſit, & extra arcem manere iuſsit, quem cum conuiciſſet, ad Thedotum profectum fuiſſe, veluti inimicum, nunq̃ amplius in ſuas ædes vocauit, ſed inter milites conductitios habitare ipſum voluit. Qui cum illum interficere vellent, Dionyſius obſtitit. Quo Plato cognito, Architam, & cæteros, pythagoricos, qui eius erant vades per certũ nuntiũ in quo diſcrimine eſſet, certiores fecit. Qui ſtatim Salmiſcum eorum vnum cum triremi ordinis triginta remorum, ad repoſcendum Platonem, ad Dionyſium legatum mittunt. Atq; ita Plato a Dionyſij ſęuitia ereptus, Athenas, commeatum rege ſibi ſuppeditante, eſt reuerſus. Vbi cum Dionem ludos ſpectantem olympiacos offendiſſet, illi quæ apud Dionyſium facta fuerant, enarrauit. At ille Deum teſtatus ſe pœnas à Dionyſio exacturum tum ob Platonem illuſum, tum ob iniuſtam ſuam expulſionem iurauit. quod quidem Plato non improbauit. ſe tamen illi comitem fore negauit, & quòd ætatem ſuam bellicis rebus ineptam, & familiaritatem cum Dionyſio non eſſe violandam cognoſceret. At ſi quando conciliatore intereos opus eſſet, hoc munus ſibi deberi arbitraretur. Dion igitur deſperato reditu iam inde animum ad Dionyſium Sicilia pellendum, & Syracuſas vrbem tyrannide liberandam adiecit: fœderatusq; Heraclidi bellum parat, milites conquirit. Adiunxerunt ſe ſponte illi Eudemus Cyprius, & Timonides Leucadius, & ex Zacyntho octingenti viri in re bellica præſtantes. Erat quoq; eo tẽpore in Peloponneſo Syracuſanorũ exulũ manus ingens ſupra mille numero, ex quibus vix quinq; & viginti à Dione potuerũt ad ſocietatẽ allici: quod cæteri Dionyſij potentiam pertimeſcerent. Quinimo pleriq; eius damnabãt inceptũ, veluti hominis præ nimia ira deſipientis. Ipſe porrò accuratiſſima oratione ſuorũ aĩos nõnihil cõfirmabat. Cui licet parua tunc facultas adeſſet; ingens tamẽ erat aĩus, virtus súma, & magna eorũ, qui miſerè Syracuſis ſeruiebãt, erga eũ beneuolẽtia; quodq; ijs oĩbus maius erat, ipſius tyrãni iguauia, & populariũ oĩum mẽtes ab eo alienatæ. Proinde duas tñ onerarias naues armis, & militibus inſtruit, & cũ eis Zacynthũ Inſulã, q̃ ppe eſt Cephaleniã, tranſinittit, relicto in

Digitized by Google

Peloponneſo Heraclide collega, quem Caricidem Diodorus appellat, quo inſtructis alijs nauibus ipſum in Siciliam ſuo tempore ſequeretur. Hæc vbi Dionyſio ſunt nuntiata, Aretem inuitam Dionis vxorem. Tymocrati familiari ſuo matrimonio iunxit, filiumq; eius intemperanter educari præcepit, patris in hoc iuſtitiam non imitatus, qui Polyxeno ſibi inſidianti, & ob metum Sicilia exulanti vxorem Teſchã intactam vſq; ad funus ſeruauit. Interea Dioni è Zacyntho duabus cum nauibus paruo apparatu in Siciliam nauigaturo, cũ antè luna pleno luceret orbe, repente tota delituit. Id prodigium veluti infauſtum ſocijs eſt viſum. Sed Dion, Myltha Aſtronomo teſte, deliquium eſſe lunæ, & naturæ factum oſtendit. Quod ſi tamen quid mali portenderet, id totum ad Tyranni exitium pertinere, quòd eius Principatus, qui veluti Sol clariſsimus videbatur, obductis tenebris citò eſſet inuoluendus. Nec ſolùm id eo tempore oſtentum in Dionyſij cladem apparuit: ſed & pleraq; alia notata fuere. Mare etenim, quod Syracuſanam arcem alluit toto die vno dulces, & potu ſuaues habuit aquas. Sues ſine auribus editi. Aquila demum de cœlo lapſa iaculum ſatelliti abreptum in ſublime primùm detulit, mox deorſum in profundum abiecit. Quæ omnia Dionyſij exitium, imperijq; eius euerſionem præſagire vates ita ſunt interpretati, vt amariſsimus eius Tyrannidis ſtatus dulceſceret, & Syracuſanorum aures à ſæuo imperio auerterentur, ab eoq; poſtremò vis regia Iouis nutu, cui aquila eſt ſacra, pœnitus tolleretur, & ad ima dehiſceret. Dion verò tertiodecimo die Pachynum Siciliæ promontorium applicuit. Sed cum Philiſtum Dionyſij claſsis præfectum, qui in Iapygia ſtationem habebat, & propinquum hoſtibus deſcenſum reformidaret: Pachyno ad dexteram relicto, vlteriora, lateris ſcilicet meridionalis regionem petebat. Tum repentè aſper incumbens ſeptentrio longè à Sicilia claſſem ingenti procella ad finitimam Libyæ Cercinam inſulam primũ detulit, vbi parum abfuit, quin ſcopulis illiſa diſijceretur: ſed maximo nautarum, remorumq; labore ſeruata, mox alia tempeſtate ad magnæ Syrtis caput peruenit. Vnde tandem flante auſtro Siciliam verſus ſoluens quinto die præternauigans Agrigentum, Minoam tenuit. Parebat tum ea vrbs Carthaginenſium imperio; præeratq; ei loco Paralus, vt Diodorus refert; licet Synalum Plutarchus eum appellet. Hic Dioni anteactis licet temporibus amicitia, & hoſpitio eſſet coniunctus: ignarus tamen qui hominum aduecti eſſent, arcere milites a littore nititur. Quem Dion cum ſuis, in oppidanos mixto agmine irruentes, in fugam vertunt, vrbemq; in poteſtatem redigunt. Vrbe capta duces inter ſe cognoſcuntur: ſtatimq; nemine violato vrbs Paralo reſtituitur. Tum Paralus receptis benignè militibus neceſſaria Dioni comparauit, auditaq; aduentus cauſa ei ſignificauit Dionyſium per ea tempora octuaginta cum nauibus circa mare Adriaticum in vrbibus nuper à ſe conſtructis otiari. Quo audito Dion, & ſocij maximam bene gerendæ rei ſpem concepere. Igitur vt tempus patrandæ rei aptiſsimum vident, æreis armis numero ad quinq; milia, & ſarcinis Paralo relictis, vt ea Syracuſas, vbi tempus ſibi oportunum viſum fuerit, tranſmitteret, mille viris comitatus Syracuſas verſus præpropere mouet. Proficiſcenti ducenti Agrigentinorum equites, qui Ecnomum incolebant, vltro ſe illi adiunxere. Inde & Gelenſes, Madinæi, & Camerinenſes, ac aliæ Siciliæ mediterraneæ ciuitates ad aſſerendam Syracuſarum libertatem ſe ſocios addunt. atq; ita Dion concurrentibus ex omni parte auxilijs etiam Meſſanenſibus, & ex Italia pariter Græcis exercitum ſupra viginti milia hominum comparauit. Cuius aduentus fama illico Syracuſas peruaſit. Timocrates, cui Dionis coniux connubio fuerat tradita, præſidio Syracuſarum præfectus ad Dionyſium expeditiſsimum cum literis nuntiũ mittit; quo Dionis aduentũ ſignificabat. Nuntius traiecto freto, Rhegium venit, deinde in Cauloniam ad Dionyſium

acceleraus

accelerans in familiarem quendam incidit, qui nuper cæsum ferebat atietem. A quo carnis frustum dono cum accepisset, peræ, in qua literas deferebat, inclusit. postmodum maiori parte noctis itinere absumpta sub auroram somno, & labore victus in sylua paulisper se quieti dedit. Dormienti casus sanè admirandus obtigit. Lupus fortè per sylvam oberrans iuxta cubantem transiens odore carnis persentito sacculum cum carne, & literis abstulit. Experrectus homo, ignarus rei cum aliquandiu literas frustra quæsisset, sine legationis fide ad Dionysium non ausus accedere ab itinere aliò diuertit. Quo euenit, vt Dionysius Dionis aduentum tardius resciuerit. Interea iam Dion Syracusanos fines intrauerat. Cuius aduentu cognito, occurrit ei multitudo ingens, & ex agris, & ex vrbe venientium ad se hominum inermium. Quibus Dion aduecta iam sibi ab vrbe Minoa arma distribuit. quæ cum non sufficerent; reliquos eo armorum genere, quod sibi sors obtulit, instruxit. Post hæc omnibus ad concionem vocatis eo animo se venisse dixit, vt Siciliæ libertatem restitueret: longoq; sermone est hortatus, vt tales Duces deligant, qui huic prelio superincumbant. cui ab omni multitudine cõclamatum est: se non alios, q̃ ipsum, & fratrem eius Megaclem aptiores ad id bellum nosse. Flagrabat iam tum libertatis adipiscendæ desiderio Syracusæ vrbs, & conspirationibus æstuabat. Duces interea, quos Dionysius ad vrbis custodiam reliquerat, oppidanos à defectione q̃ diligentissimè deterrere studebant. Quod cum frustra tẽtassent; ciuium tumultu passim conualescente, coacto mercenario milite vnà cum his, qui in vrbe Regis partes tuebantur, conspirantibus obsistere pergunt. Erant cum Timocrate Leontini, atq; Campani, qui Ennam; complures, qui Epipolis præsidiũ tenebant. Hi cũ (sed falsum) a Dione prolatum rumorẽ de eorũ vrbibus occupandis audissent, Epipolis & Timocrate destitutis, opem suis allaturi cucurrerunt. Erat Dion tum circa Matras, exercitum habens. Vbi cũ per certum nũtium Leontinorũ, & Campanorũ ab Epipolis abscessum audiuisset, confestim cõcitatis militibus noctu ad Anapum fl. peruenit. Ibi castrametatus peractis iuxta flumen pro victoria obtinenda de more sacris, cum inter sacrificandum corona esset insignitus; vno animo milites oẽs & sibi ipsis ex floribus, & herbis coronas imposuerunt. Erant tũ cũ Dione, hominũ milia ferme quinquaginta. cum quibus traiecto flumine subito vrbem inuadit, vbi cũ nullos in aperto se illi opponentes offenderet; quinimo qui aut opibus, aut nobilitate præstabant, cõpotito ad lætitiam, gratulationemq; habitu ante mœnia obuiã illi egrederentur; audacter per Menetidas portas Acradinam subit, confestimq; in forum cum exercitu libertatẽ apertis, ac iteratis vocibus ingeminante contendit: ibiq; ingenti oĩum ciuiũ fauore exceptus est. A quibus mox in Tyranni Prosagogidas facto impetu, quotquot occurrerũt, capti, virgis cæsi, & membranis exuti ignominiosè sunt trucidati. Timocrates subita mutatione perculsus cũ in arcẽ ingredi nequisset, cõscenso cõfestim equo fuga salutem quæsiuit. Proinde vrbe a seruitute ad libertatem restituta, omnia gaudijs, sacrificijs, focisq; triumphalibus publica & priuata perstrepebant. Passim ab omnibus vrbis partibus concursus ciuium ingens ad Dionem fiebat. Omnes eum cum admiratione intuebantur. Quocunq; ille incedebat, floribus, frugibusq; libertatis assertori solum insternebatur. Annus ab introducta a priori Dionysio tyrannide quinquagesimus, siue quadragesimus octauus, si Plutarcho credimus, agebatur, cum celerrima hæc Dioni, & mira cum libertatis Syracusanæ restitutione tertio post aduentum die tanto Dionysij imperio delecto contigit victoria. Capta vrbe, Dion horologium excelsum, quod sub arcem, & Pentaphylum Dionysius illustre ediderat, ascendens, ad concionem vocatam plebem ad tuendam sibi diuinitus redditum omnium dignissimum libertatis beneficium pluribus est hortatus. Subinde Epipolis minimo negotio captis, quotquot ex ciuibus in vinculis ibi detentos repperit,

disloluit. Totaq; iam vrbe præter arcem, quæ erat ad insulam potitus, vt & eã obsidione premeret; muro à terra circunsepit; ne præsidio illius, quod erat validum, suppetias, vel cõmeatum quisq; ferre posset. Interea cognitis apud Cauloniã Dionysius quæ Dion gesserat, septimo die post vrbem captam cum classe reuersus sese in arcem retulit. Vnde initio priuatim missis ad Dionem Legatis pace res cõponere tentauit, mediocria polliceri vectigalia, militiæ requiem; nisi si quam illi vltro suscipiendam esse decreuerint. Quæ cum populus irrideret; mox petijt, vt aliqui ad se mitterentur, cum quibus de pace aliquid certi transigi posset. Missi sunt ad eum viri, quos Dion probatæ, spectatæq; fidei esse sciebat. Qui dum cum Dionysio de pace disserunt; ex arce subdole exorta fama vrbem peruasit: a Dionysio Tyrãnidem non Dionis, sed sui, ac patriæ gratia deserendam. Sed ea omnia dolum Syracusanis & insidias portendebant. Nam cũ populus inter hæc pacis expectatione negligentius stationes ageret, segniusq; custodias curaret: ipse legatos primùm in carcerẽ conijcit: mox illucescente extemplo reseratis portis arcis instructum stipendiariorum agmen, & mero saturatum contra circunductum à Dione murum emittit. Quem barbari cum clamore ingenti repentè inuadentes trucidatis non paucis præsidium peruastant, ac deinde intra ciuitatem irruunt. Syracusani re inexpectata perculsi ad obsistendum occurrere non audent. Dion verò vbi fraude à Dionysio deceptum se videt, milites colligit, ac obuiam factus hostibus resistit: ceptoq; prælio multos passim cædit. Cũq; intra munitiões esset pugna, nec magnum, sed vnius vix stadij spatium intercederet: accurrit subitò ex arce noua militum manus. Vbi inter milites vtrinq; virtute præstantes acerrimè pugnatum est, his quidẽ ob ingentia Dionisij promissa, illis verò libertatis amore partes suas tuẽtibus. Et initio quidẽ anceps pugna, equalisq; vtrorũq; fuit animi vigor. Cadebant etenim ex vtrisq; plurimi, nec pauci confodiebãtur. Dion egregium facinus peracturus in mediam hostium aciem prorupit, & acriter dimicans multos cæcidit, perturbatisq; illorum ordinibus in medio solus constitit. Vbi contra emissa vndiq; in se tela, clypeo, galea, alijsq; armis propulsans, tandem in brachio dextro confixus est, vulnerisq; impatientia in terram collapsus. Quo viso Syracusani de sui Ducis salute soliciti vehemẽtiori in hostes ruunt impetu, Dionemq; ne in hostium manus deueniret, periculo leuant. Qui à militibus ereptus Timonidem Ducem sibi substituit. Ipse verò equo vrbem circuit, Syracusanos à fuga retrahit, externos milites, qui Acradinam pro statione tenebant, contra Barbaros concitat, integros præterea contra saucios adhibet. promptos contra animo dejectos subrogat. ita, vt barbari spe occupandæ vrbis dejecti gradum in arcem referre, & incumbente vehementius Græcorũ agmine terga vertere, ac sese mœnibus includere compulsi sint. Identidem quoq; & ad aliam muri partem Syracusani strenuè gesserunt, barbaros superantes, & eos ad portas vsq; insulæ persecuti. Ceciderunt ea pugna ex Dionis militibus quatuor & septuaginta, Dionysiani octingenti. Parta hac victoria, per quam Syracusanorum ciuium animi libertatis fiducia sunt roborati, trophæũ in Tyranni opprobriũ erexere; & externos milites centũ minarũ coronis ornauerũt: Dionẽ verò aureo diademate redimiuerũt. Dionysius sua spe frustratus, impetratisq; suorũ cadaueribus, parentãdũ curat: quæ aureis coronis, purpureisq; vestibus exculta efferri iubet. Quibus officijs superstitũ aios ad subeunda libenter pro eo discrimina erexit. Magnis præterea muneribus eos, qui strenuè pugnauerãt, prosecutus, validioribus præsidijs arces cõmunijt. Post hæc Legatos, q de pace cũ Syracusanis iterũ tractarẽt, misit. Quos Diõ varijs excusatiõibus distinebat, quousq; eã muri partẽ absolueret, quæ ad totã arcẽ circũsepiendã deerat, eadẽ arte Dionysiũ ludificaturus, qua ipse fuerat ab eo paulo antè deceptus. Absoluto deinde opere Legatis respõdit: Vnicã esse pacis viã, si depositã tyrãnide priuato sit cõtẽtus. Dionisius hac via exclusus ad cõmẽta quędã cõtra Dionẽ, q bus

eum populo

cum populo inuisum redderet, se conuertit. Literas igitur Hipparini Dionis filij, quem Aretheum Timeus appellat, patri scriptas finxit, aliasq; alijs complures, quibus Dion eo bello Syracusanis, ob acceptas olim ab eis iniurias odio adhuc conflagrans, non libertatem, sed Imperium sibi acquirere pergebat. Syracusani literis publice lectis Dionem suspectum habere cœperunt. Cumq; interea Cariclides, siue Heraclides, vt alij efferunt, quem Dion cum triremibus in Peloponneso reliquerat, Syracusas viginti cũ triremibus, mille & quingentis instructis militibus appulisset, classis eũ Præfectũ deligunt: vt cõmuni eius, & Dionis consilio contra Dionysiũ deinceps res ageretur. Aegro id animo Diõ tulit, questus collatũ Heraclidi Præfecturã Principatus sui labefactationem esse. indeq; clã paucis Heraclidẽ increpuit, quòd non bene eo tẽpore, quo victoria in manu erat, secum pro gloria decertaret. Orta igitur ob hoc inter eos contentione, Heraclides, licet non apertas, clandestinas tamen in Dionem exercebat inimicitias. Erat inter Syracusanos Dionis insidiatores Sosis versuti vir ingenij. Is cõtra eũ nouandi res tempus cõmodum, occasionemq; nactus vulneribus, ac plagis totum sibi corpus, ac faciem fœdauit: atq; ita veste lacera indutus, quo ex omni parte fidẽ mereretur, in forum venit, ac lamentabili voce eas iniurias à Dione sibi illatas queritur. Ius sibi vt fiat, populum appellat. Cuius consilio, ac fraude detecta, rerũ nouarũ molitor, & vrbis turbator iudicium publicum subijt, & pœnas luit. Damnato Sosside Dion in populi gratiam redijt. Interea Philistus Dionysij præfectus, quem mari Adriatico præfecerat, octoginta cũ triremibus, & quingentis equitibus ex Iapigia Syracusas venit. Vnde pluribus alijs equitibus, ac duobus peditum milibus assumptis in Leõtinos, qui & ipsi à Dionysio desciuerant, se conuertit. Noctu mœnibus superatis cũ partem vrbis occupasset, à Syracusanis, qui Leontinis auxilio venerant, irruentibus superatur, ac extra mœnia eijcitur. Ita fœdè pulsus classem triremiũ sexaginta mox instruit, & ad nauale bellum Syracusanos authores eius cladis excitat. Syracusani, qui & ipsi classem non multo minorem in procinctu habebant, cui Heraclides præerat, contrà exeunt. Conserto prælio summa vi vtrinq; pugnatũ est. Et iam primò victoria se ad Philistũ inclinabat; sed paulopò it inferior factus à suis tãdem vna cum sola naui deseritur. Syracusani vbi Philistũ derelictum vidẽt, vndiq; eum premunt, & vt viuum capiant, obnixè laborant. Sed ipse ne in manus hostium veniret, captiuitatisq; contumelias euitaret, sua manu sibi mortem conscisuit, vt Ephorus, & Diodorus scribunt, licet Plutarchus viuum in Syracusanorũ potestatem venisse, probrisq; affectũ tandẽ obtruncatũ fuisse Timonidis authoritate, qui ab initio belli Dionis socius fuit, asserat. Eius cadauer discerptũ primò Syracusani rheda per vrbẽ traxerũt: dehinc in Latomias insepultũ abiecerũt. Dionysius mortuo Philisto, & amisso tanto Duce animo deijcitur; & demũ desperatis rebus per legatos Dioni dimidium Imperij offert. quo recusato totum etiam cessit: dum tamen milites, & opes omnes in Italiam tutò posset transferre; & ex Gyarte agro, qui intra Syracusanos fines latus, & ferax à mari ad mediterranea surgit, annuos fructus perciperet. Responsum est à Dione, vt ea à populo petat. Approbabat nanq; ipse conditiones: populum etiam ad subeunda pacta hortabatur. Sed plerisq; in contrarium tendentibus nihil profecit: quippe quòd vi, & viuum sibi dedi Tyrannum vellent. Re infecta reuersis legatis Dionysius valido præsidio firmata arce, & Apollocrati liberorum eius natu maximo tradita, Regiaq; supellectili, ac omni gaza nauibus clam imposita Heraclidem, qui cum classe eius fugam in portu obseruabat, noctu præteruectus in Italiam ad Locros euasit. Dionysio fugato, in vrbe seditiones statim sunt exortæ. Erant namq;, qui rerum summam Heraclidi, qui ad Tyrannidem minimè propensus videbatur, demandandã iudicabãt: pleriq; Dioni. Populus agros æquè plebi diuidi postulabat, quod hoc libertatis esset initium. Quibus hinc fauebat

Digitized by Google

Heraclides, illi nc aduersabatur Dion. Hinc populus, quo nihil in humanis est vo lubilius, odijs contra Dionem exardere cœpit. ac interea ne in præceps vrbs prolaberetur: quinq; & viginti ex plebe deligunt prefectos, ex quibus vnus erat Heraclides, qui rei Syracusanæ (Dione frustrato) præessent. Accesit ad ærumnas, quæ Syracusis paulopòst superuenerunt: quòd mercenarij milites, qui ad tria milia ex Peloponneso venerant, cum stipendia multa eis deberentur: & ob indigentiam Reip. præstari non possent, & abire propterea decreuissent, Dionem hortabantur, vt secum & ipse discederet, vlciscerenturq; pariter communes iniurias à Syracusanis acceptas. Nō annuit primò Diō, verùm paulo pòst vrbe cōtra eū sedi tionibus flagrante, coactus (relicta ingrata Syracusarum vrbe) cum eis ad Leontinos pergebat. Quo rescito Syracusani acceptum odium aperto bello manifestant, eosq; insequuntur. Sed in ipso itinere pugna inita superantur, multisq; cæsis retro fœde fugati domum redeunt. Vbi à mulieribus derisi ab ignominia, ac ludibrijs exasperantur: tum resumptis animis contra Dionem sunt regressi. Quē vt fluuium traijcientem offendunt, abacto equitatu prælium inchoant: sed multis ibi è suis amissis fœdiorem, q̃ antea, fugam capessentes iterum in vrbem reuertūtur. Dion bis parta victoria humanissimè erga hostes, inimicosq; capitales se gessit. qui missis qui cæsorum corpora peterent, nihil negauit; captiuosq; omnes citra redemptionem liberos dimisit. Inde verò Leontinum perueniens à ciuibus summo honore excipitur: vbi multa apud socios de suorum iniuria, atq; ingratitudine questus est. Leontini per legatos à Syracusanis militum stipendia, vt æquum erat, poscunt. Quibus illi militibus, & Dioni ob varias rationes fidei nihil deberi respondent: ac demum sociorum decreto vr res apud Leontinos discutiatur, statutum est. Vbi auditis partibus quæ iam ibi conueneranr, contra Syracusanos iudicatum est. Illi verò, qui insolentię, ob seruitutis iugum excussum magis, magisq; indies incumbebant, iudicium subire noluerunt. Interea Dionysius ratus (quod & euenerat) milites qui erant in arce, annonæ caritate premi, veritusq, ne ob id deditionem facerent; Hypsium Neapolitanum virum prudentia, & fortitudine insignem cum aliquot nauibus commeatu onustis è Locris Syracusas ad obsessos in arcem misit. Sed illo naurgante arcis milites spei omnis, atq; expectationis ignari, fame pulsi sequenti die, & arcem, & seipsos Syracusanis dedere statuerant. Illucescente igitur iam ab arce ad populum milites, qui deditionis pacta firmarent, ibant: cum Nypsius inexpectatus cum classe ab arce conspectus est. Portum ingressus circa Arethusam naues applicat: frumenta, & summam rerum omnium abundantiam Dionysianis in arcem exponit. atq; ita arx iam propè desperata ex insperato militibus inopia leuatis firmata est. Syracusani eius aduentu ira commoti eductis triremibus (Nypsio adhuc cum militibus in arce agente) in eius classem irruunt. Quo prælio Nypsij aliquot naues naufragio perierunt, quatuor captæ, cæterę sunt fugatę. Ea victoria ciues nimis elati ab excubijs ad conuiuia continua genium simul, mentesq; conuertere: vtpote qui iam hostibus penitus deuictis, nihil sibi amplius metuendum esse arbitrabantur. Quo cognito Nypsius copijs noctu expeditis oppositas arci munitiones cū suis furtim ascendit, perfractisq; muris, trucidatisq; custodibus, quos temulentos, ac somno sopitos offenderat, reseratis portis totum exercitum, qui ad decem milia peditum erat, in vrbem introduxit. Syracusani hostium ingressu experrecti alij à mensis, alij à somno in subsidium accurrunt. Sed cum vino languerent, vel trucidati, vel in fugam versi, repentino casu cōsternati sunt. Incompositi itaq; ipsi & sine Duce, hostiū vero ordinata acie, dimicantiū impetus sustinere nō poterant. Dionysiani porrò occupato foro in domos irruunt, cuncta diripiunt, opes prędantur: fœminas & pueros captiuos cum eiulatu in arcem ducunt. Diffugerant complures in angiportus, & vias quasdam: vbi magna etiam cum eorum

cæde dimica-

Digitized by Google

cæde dimicabatur.& noctu quidem hæc omnia geſta ſunt,& propterea quanta ho minum facta fuerit ſtrages,nonniſi illuceſcente dignoſci potuit. Iamq; Acradinę propinquum erat diſcrimen. Quo Syracuſani animaduerſo, ea omnia ob ingratitudinem in Dionem exercitam pati ſe intelligentes, vocandum Dionem, & ex Leontinis accerſendos Peloponnenſes milites ſeria omnium voce conclamatum eſt.Proinde ad eos mittunt ex ſocijs Archonidem, & Ieleſidem, ex equeſtri verò ordine Hellanicum. Miſsi concitato curſu Leontinum profecti coram Dione obortis procidere lachrymis,& mox patriæ calamitatem, ac diſcrimen exponũt. cuius ſi miſerendum ſtatueret,ad eam ſubleuandam cum Peloponnenſibus vt feſtinet, orant. Dioni & pietas,& legationis nouitas lachrymas quoq; excuſsit:ita vt vocem etiam præ ſingultibus aliquandiu teneret.Mox tamen vt ex affectu paulum ſe recepit, nihil indignationis in ciues oſtendens, milites ſuos ad patriam liberandam paucis hortatus eſt. Subinde per eoſdem Legatos Syracuſanis,vt ſeſe omnes ad bellum noctu dum hoſtes quieſcerent,parent,imperat. Interea Dionyſiani poſtq; & eo die pluribus cladibus vrbem affeciſſent,paucis ſuorum amiſsis in arcem ſe retulere. Quo viſo Dionis oſores reſumptis animis, & per ſe vrbem,libertatemq; tueri confiſi, ciues, vt Dionem omittant, hortantur, atq; effecere,vt Præfecti rurſum,qui eum ab itinere retinerent,à populo remitterentur:at contrà equites,ciuesq;, vt maturaret iter inſtabant. Ea ratione Dion ſerò ſimul, ac per otium proficiſcens adueniebat. Quem noctu æmuli vt aduentantem excluderẽt, vrbis portas tenebant. Dum ita inteſtinis hiſce diſsidijs ſtudent Syracuſani: Nypſius ex arce longè plures,promptioresq; ſtipendiarios milites emittens totũ muri circuitum demolitus eſt,vrbemq; percurrens diripit vniuerſa: cæduntur nõ modò viri, ſed mulieres quoq;, ac pueri non pauci. Magna cunctorum ſtrages; magnæ direptiones,magna incendia tota vrbe per domos agitabantur. Qui per vias profugiebant,necabantur:qui domos introibant, igne compulſi aut erumpebant,aut incendio ſuffocabantur. Dionyſius nanq; deſperatis rebus tantũ in Syracuſanos odium conceperat,vt cum Principatu ſuo Nypſio ſimul & vrbem tumulare præceperit. Ea calamitas plusq; miſerabilis vniuerſam vrbem, & Dionis etiã inimicos tetigit. Quamobrem illuceſcente prodeuntes aliquot equites, & complures Dionis aduerſarij,ac Heraclidis frater, & Theodotus auunculus ab Heraclide miſsi ſupplices Dioni in itinere obuiam occurrentes magnis cum precibus, vt captæ rurſus vrbi,& propè euerſæ, ac concrematæ, priusq; pœnitus collabatur, q; celerrimè auxilietur,orant. Aberat tum à portis vrbis vndecim paſſuum milibus:nec iam pedetentim, ſed maturato itinere Syracuſas cum exercitu perrexit. Cumq; ad Hexapilon perueniſſet;ibi luſtratis ordinibus progredi cœpit.Cui mulierum,puerorum, ſenumq; plus minus decem milium ab vrbe fugientium ſorte & vrbis,& ſuã deplorantiũ turba occurrit.Quos vt vidit; tum pietate accenſus,tũ militum ſtrenuitate fretus per portas in vrbis regionem, quam Hecatompedon appellabant, irrupit.continuoq; leuis armaturæ equites in hoſtes immiſit: reliquos munitos armis,confluenteſq; promiſcuè ad ſe ciues per turmas,prefectoſq; diſpartiebatur,vt multis ſimul in locis terribiliorem ſe hoſtibus inferret.atq; ita in hoſtes nil tale metuentes, vt qui concremandis laribus, & auferenda raptim præda adhuc diſtinebantur,incompoſitiq; per vrbem diſcurrebant, multis ex partibus repentinus irruit. Dionyſiani ſubito eius aduentu perculſi animis conſternantur,paſsimq; trucidantur. Ipſe porrò Dion per cruorem,per ignem,per cadauera primus inibat,primus diſcrimen obibat.ingens nanq; ab igne periculum milites turbabat,infeſtumq; faciebat iter. Aedium ruinæ, feruida permeantia rudera,& collabentia.murorum fragmenta,fumus præterea ſimul, & puluis ne continuatæ incederent acies, impediebant. Vt verò ſeſe hoſtibus immiſcuerunt,paucicum paucis ob locorum anguſtias, difficultateſq; cõminus pugnam conferunt.

Cecidere

Cecidere ex eo prælio ex Dionisianis ad quatuor circiter milia. Tum Nypsius vi compulsus cum reliquis repetita fuga in arcem sese recipit, obstructisq; portis imminentem cladem euitat. Dion hac victoria fœlix sine mora curauit, vt incendia, quibus pleræq; adhuc domus conflagrabant, coercerentur. Iussit quoq;, vt q̃ primum munitionibus reficiendis incumberetur, ne ab arce in vrbem excurrere possent. Deinde expurgatis locis omnibus, quæ interfectorum cadaueribus patebant, trophæum erexit; & Dijs more gentium sacra persoluit. Populus verò, & Heraclides, ac Theodotus, inimici quoq; eius eum patriæ liberatorem salutãt: Imperatorem etiam sibi deligunt, & vt animũ eius maximo officio demererentur, diuinos illi honores decernunt. Ille vt vbiq; se magnanimum ostenderet, inimicis q̃ benignissimè indulsit. Heraclidem insuper amore præcipuo (classis præfectura ei populo consentiente restituta) complexus est: populumq; vniuersum ad concordiam seruandam cohortatus est. Diuinos sibi honores decretos respuit: cæsos sepulturæ dedit: & captiuos ad duo prope milia soluit. Ad murum, quem arci circundederat, vallum adiecit, & transuersis etiam trabibus arcem ambiuit. Quibus meritis diu in publico seruator patriæ cognominatus est. Cęterũ cũ pulso Dionysio, domos, agrosq; viritim populus diuisisset, eaq; decretis etiã firmasset; Diõ huic distributioni aduersatus plebescitis rescissis noua iã lege immutauit. Eo facto indignatus populus nouum in eum odium suscepit. Heraclides, qui in ea lege populo fauebat, occasione considerata confestim milites, & nautas Messanã cautè abduxit, eosq; ibi contra Dionem, veluti ad Regnum inhiantem in seditionem eos pertraxit. atq; interea cum Dionysio per Pharacem Spartanum eius exercitus Ducem pacta transigebat. Erat is eo tempore cum castris non longè ab Agrigentinorum agris: vbi qui Dionysij adhuc partibus adhærerant, in fide continebat. Dion licet cum eo manus conserere percuperet: rem tamen ad tempus magis oportunum differebat: quippe quòd relinquere eo tempore vrbem quæ intestinis seditionibus flagraret, expediens non arbitrabatur. Sed Heraclides, qui toto huc incumbebat animo, vt pulso Dione Syracusas ipse teneret; per suos diuulgauit, eum iccirco cum Pharace certamen procrastinare, quo perpetuum penes se teneret Imperium. Quibus rumoribus excitus Dion, magna cũ Syracusano rum manu contra Pharacem contendit. Conserto prælio Dion superatus, dum iteratò instructis copijs redintegrare pugnã constituit, longeq; à Syracusis bello incumbit: Heraclides Syracusas inuadendi tempus adesse ratus Messana cum sua classe soluens illuc nauigat: eo animo, vt capta vrbe Dionem excludat. Dion vbi hæc per certum indicium cognouit, confestim robustissimis, ijsq; expeditissimis militibus ante Syracusarum portas stetit. Heraclides licet cum classe celerrimò contendisset cursu; posterior tamen Dione Syracusas venit. Qui vbi se præuentũ cognouit: reflexo cursu littoralia inuasit. At inter nauigandum ex improuiso Gesylus & ipse Spartanus, qui à Lacedemonijs cum classe missus, vt Gylippus olim ad Syracusas liberandas, tuendasq; adnauigabat, ei occurrit. quem, quo sibi contra Dionem auxilio esset, q̃ benignissimè receptum præmisso præcone Syracusanis, vt Præfectum suscipiant, imperat. Cui satis Præfectorum Syracusis esse à Dione responsum est. Quòd si forte res Syracusanæ Spartano Duce indigerent: Spartanum iam ciuem se factum esse etiam adijcit. Gesylus horum visa controuersia, præfectura omissa, ad Dionem nauigat. A quo magnificè receptus Heraclidem ei etiam iuramento conciliat. Syracusani his successibus læti classem, quæ ingentiũ impensarum, & magnarum inter Principes sæpe seditionum causas suppeditabat, cum nihil eis amplius pro tempore opus esset, dissoluunt: ac deinde totis viribus ad obsidendam arcem conuertuntur, circunseptumq; murum exædificant. Appollocrates Dionysij filius, quem pater arci in sua fuga præfecerat, cum fortè annona deficeret, & suppetias nullas speraret, & milites in fide titubãtes videret,

desperatis

desperatis rebus,præsenti fortunæ consulens arcem Dioni tradidit: & ipse liber cum sororibus,ac triremibus quindecim regia gaza onustis Syracusis discessit, & ad Dionysium patrem Locros nauigauit. Ad quod spectaculum tota ciuitas indicto festo confluxerat:quippe quòd ex diuturnis tenebris eo demum die Syracusis sol per libertatem exori eis visus est. Dion verò ad arcem tendit. Cuius ingressum Areta coniux,& Aristomache soror cum Hipparino filio ad fores præuenere. Quos benignissimè, nec sine lachrymis complexus arcem Syracusanis tradidit:atq; ipse in paternam domum cum suis reuersus priuatam vitam instituit. Hæc modestia maiorem famam non solùm inter suos,sed tota etiam Græcia, magnaq; Italiæ parte conflauit.operamq; deinceps dedit, vt præsens vrbis status optimè iuxta Platonis placita institueretur. Sed dum his incumbit,Heraclides rursum ei opponitur,ipsumq; varijs actionibus impetit, quòd arcem non esset demolitus,quòd Dionysij sepulchrum non euerterit, quòd illius cadauer nõ disiecerit, prout populus expetiuerat,quòd consiliarios ex Corintho euocarit, quòd ciues dedignetur habere collegas,quòd demum Principatum affectaret. Nam Heraclides non minus valebat apud optimates,quorum consensu classi fuerat prælatus, q̃ Dion,qui peditatui præerat. Non tulit hæc Dion æquo animo:sed versum Homeri retulisse fertur:Non posse bene regi Remp.multorum imperijs. Quo dicto magna inuidia, suspitioq; Dionem est consecuta: quippe quòd eo ambitionem, affectationemq; Imperij ipse declarare videretur. Eam porrò non obsequijs lenire Dion studuit,sed acerbitate opprimere. Nam Heraclidem, quem aliàs à cæde seruauerat,vt turbulentum,seditiosumq; ciuem ad cædem depoposcit. Ciues, petitione Dionis audita statim Heraclidis domum consentiente Dione irrumpunt,eumq; interimunt. Dion vt authorẽ sceleris minimè fuisse se ostenderet,ei magnificè parentandum curauit, iustaq; ei exercitu funus comitante persoluit. Displicuit Syracusanis vehementer eius mors: omnesq; non dolore modò, sed & timore perculsit. Dion verò aduersario remoto licentiosius Principatu fungebatur,eorumq; bona,quos sciebat contra se sensisse,militibus dispertiebat. Quibus moribus & optimatibus, & militibus quoq; inuisus redditur. Plebs etiam citatis vocibus Tyrannum non ferendum conclamare cepit. Inter hæc horrendum ei suæ mortis ostentum apparuit. Sedebat prima nocte in cubiculo solus: vbi tum repentè ex ea parte ædium,quæ contra cubiculum erat, strepitus ingens eius aures perculit. Vnde & mulieris simulacrum statura enormi nihil à tragico cultu diuersum ei oblatum est, quæ scopis pauimentum verrebat. Quo aspectu perculsus accitos amicos orat, vt secum pernoctent:ne rursus phantasma oculis obuersatum eum examinaret. Erat eo tempore Calippus Atheniensis inter Duces insignis, qui ex Peloponneso cum Dione (vt diximus) ad Syracusas liberandas venerat, vir callidus, vafri ingenij, & sine vlla religione, ac fide. Is cum præstantissimos Dionis socios bello absumptos,Heraclidem quoq; occisum, & Dionem ob Heraclidis necem populo inuisum, & militum animos ad se translatos videret, ad Siciliæ imperium inuadendum animum adiecit. In quo instituto cum solum Dionem formidaret, in eius necem conspirat. Quam vt cautius perpetrare posset,ipsum Dionem adit,eum in magno esse periculo propter optimatum,& plebis odium aperit.& nisi virum solertem habeat, qui simulata eius inimicitia cum æmulis se ingerat, & eorũ animos,tractatusq; indagando perscrutetur, precaueatq; ; eum proculdubio interfectũ iri. Probauit eius consiliũ Diõ; eiq; ipse illud negotium committit. Qui receptus cum eius æmulis conuersandi potestate, Zacynthios quosdam sibi asciscit:cum quibus pacta viginti talentorum mercede in caput Dionis conspirat, quem vt Syracusanis magis suspectum redderet;falso spargebat in vulgus,Dionem,quòd filijs esset orbatus,Apollocratẽ Dionysij filium,qui vxoris eius ex fratre nepos erat, ad se vocatum Imperij Syracusani hære-

cusani hæredē instituisse. Calippi hæc cōiuratio multis cognita ad Aristomachen sororē, vxoremq; eius Aretam peruenit. Quæ timore perculsæ Dionem monent, vt caueat. Ille negat parari sibi insidias: sed quæ gerebātur, eius iussu fieri dicit. Mulieres nondum sedato hoc responso animo ipsum Calippum adeunt, obiurgant. qui re negata constantissimè quid tractatum sit, vt seruetur Dion, non vt perimatur, actum affirmat. Illæ neq; timori, quo plenus est fœmineus animus, hac quidem exceptione depositō, vt securæ omnino redderentur: Calippum in templum Proserpinæ ducunt, ac iurare nihil ab illo periculi fore Dioni, compellunt. Qui cum nec religionem, nec fidem vereretur, hoc sacramento non modò non est deterritus, sed ad facinus maturandum potius concitatus: quippe quòd timeret, ne anteq̄ voto potitus esset, consilium detegeretur. Calippus itaq; coniuratis munitiora loca tradidit, domum custodibus circunsepsit, à foribus qui non discederent, constituit, triremē parat, vt si consilijs fortuna obstitisset, haberet, quò cō fugeret ad salutem. Post hæc statuto Proserpinæ die in Dionis domum, quò è ciuium conuentu iam se receperat, Zacynthij absq; mucronibus inermes veluti cōueniendi eius gratia ingrediuntur: Dionem in cubiculo nil tale metuentem manibus inuadunt, suffocare nituntur. Quod vbi non successit, gladium exposcunt: quem eis Lycon Syracusanus coniuratorum vnus, qui foris cum cæteris astabat, per fenestras statim proijcit, quo ipsum pauitantem, veluti ante aras victimam interficerent, annos tum natum quinquagintaquinq;, quarto post Syracusas in libertatem restitutas anno. Eius cædis rumore per vrbem delato, plebs omnis eo visendi gratia conuolauit. cuius mortui aspectus omnium subitò voluntates ab odio in lachrymas, desideriumq; immutauit. & qui viuentem paulo antè Tyrannum vocitarant, eundem tunc patriæ liberatorem, & tyranni expulsorem cognouerunt. Porrò Calippus cæso Dione Syracusas vrbem per vim tyrannide oppressit: Dionisq; grauidam vxorem vnà cum sorore coniecit in carcerem. Quæ cum partus instaret, in vinculis peperit masculum. Eas postea Icetes Syracusanus Dionis amicus è carcere solutas benignè susceptit. Quas tamen à Dionis hostibus postea inductus simulato earum in Peloponnesum traiectu, inter nauigandum vnà cum infante necari, & in pelagus proijci iussit. Calippus Syracusis oppressis ad subigendam sibi Catanam perrexit. Quam dum oppugnat, Syracusas amisit. Nam Syracusani eò absente in libertatem nullo obsistente sese vendicarunt. Recepta Catana, & subacta, Calippus Messanam est adortus. quam licet inuaserit, maximam tamen militum partem, & Dionis interfectores amisit. Et cum tota ferme Sicilia discurrens nullam ciuitatem cepisset, traiecto freto Rhegium occupat. Vbi cum præinopia stipendia militibus soluere nequisset: à Leptino, & Polipercōte, eodem, quo & Dion pugione occisus, cædis immeritæ meritas tandem pœnas dedit.

DE DIONYSII IVNIORIS AD PRINCIPATVM RESTITVTIONE, ET TIMOLEONTE TYRANNIDIS EXTINCTORE. CAPVT TERTIVM.

POST Dionis interitum insurgentibus ad libertatem contra Calippum qui cum Dione senserant: mansit per annos ferme sex nonnihil immunitatis, libertatisq; Syracusis. Sed tot postea clades, ac varij rerum casus Siciliā afflixerant, vt parum abfuerit, quin vrbs ipsa pœnitus desereretur. Reliquę etiam ciuitates turbulentæ, vel à potentioribus, vel à barbaris facilè occupabantur, aliæ alijs casibus afflictæ. Dum in hoc statu seditionum res Siculæ laborarent: Dionysius repetendi regni occasionem nactus ex mercenarijs militibus

restaurato

reſtaurato exercitu, decimo poſt Principatum amiſſum anno Syracuſas ex inopinato adortus, Nyſeo tunc Reip. miniſtro ſine negotio pulſo, vrbem rurſus tyrannide ſibi ſubegit. Enimuero cum omni metu ciuitas videretur erepta, repente hoſtiles Dioniſij copiæ cum exulibus quibuſdam, quos ad ſocietatem Rex coegerat, ad vrbem occupandam aduentarunt. Vbi ſine periculo per Acradinæ muros illapſi refracta proxima porta aditum equitibus patefecerunt. Ad horum ingreſſum clamor ſublatus per vrbem diffunditur. itur ad arma. concurritur aduerſus hoſtes, ac paſsim tota vrbe prælia conſeruntur. At ciues trepidi nec quid agere, nec vbi conſiſtere deberent, nec quomodo tantis viribus reſiſti poſſet, præuidentes, migrandi aliqui cõſilium ceperunt, aliqui congrediendi; quos ita diſtractos in medio vrbis hoſtes hinc inde oppreſſere, tandẽq; ipſis ſuperatis, & Nyſeo fugã capeſſente vrbs capitur. contrariæ factionis capita trucidantur. Mirum profectò Dioni obtigerat: Dionyſium è tyrannide tunc omnium Tyrannorum maximum expuliſſe. At multò mirabilius modò exulem Dionyſium paucis cum copijs tyrãnidem pleno iure recepiſſe. Porrò Syracuſani in vrbe ſubacti eò ſæuius à Dionyſio opprimebantur, quo nuper exilium, cladesq; ingentes animum illius acerbius exaſperauerant. Iamq; omni domeſticorum ſpe deſtituti optimates, cæteriq; omnes genere clari, quos iam ſeruitutis pertæſum erat, vrbe dilapſi ad Icetem Leontinorum tyrannum, qui & ipſe Syracuſanus erat, ſupplices confugiunt, ac eũ vt patriæ iam in præceps iterum lapſæ ſuccurrat, ducem ſibi deligunt. Sub idem præterea tempus Carthaginenſes quoq; ad occupandam Siciliam totis animis intenti, centum & quinquaginta triremes, peditumq; quinquaginta milia, præter hæc bigarum, curruum, armorum, telorum, ac machinarum ad expugnãdas vrbes multa milia, commeatuum deniq;, & aliarum rerum, quæ bello ſunt vſui, copiam ingentem parauerant. Cum quibus omnibus eo conſilio Dux Hannon cum plena Præfectura Siciliam peruenerat, iamq; non longe à Syracuſis erat. Tot igitur calamitatibus Syracuſani oppreſsi, conſilij propè inopes perlegatos Corinthum (quòd coloni Corinthiorum eſſent, & ad Archiã primordia referrent) pro auxilio, & ad Tyrannidem abigendam, & ad Carthaginenſes propulſandos ſolicitant. Corinthij & vt cognatis opitularentur, & quòd libertatis amatores ſemper extiterant; pro qua in Græcia bella ingentia geſſerant, ſuppetias Syracuſanis ferre decreuerunt. Igitur Timoleontem Corinthium Ducem, & rei militaris peritia, & bonis artibus præſtantiſsimum ad tantam molem deligunt. Erat is patre Timaneto, quem Timodinum Plutarchus appellat, & matre Demariſtia clariſsimis parentibus ortus; qui patriam à Timophanis fratris natu maximi tyrannide oppreſſam fratrem in publico foro trucidans, liberauerat. Dum igitur Timoleon & copias inſtruit, & ad profectionem ſe parat: mirum ei prodigium obtigit. Nam cum ſuperſtitioſè in Delphis Apollinem conſuleret, ab anathematis in templo affixis ex alto in caput eius corona aurea adeo aptè concidit, ac ſi ei ex induſtria fuiſſet impoſita. quo omine ex demandato ſibi bello victoriam pollicebatur. Nauiganti quoq; ei in Siciliam noctu fax ardens in cœlo præluxit, donec ad Rhegium peruenisſet. Prius etiam anteq; Corintho ſolueret, Cererem, & Proſerpinam vidiſſe, ac Sacerdotibus ſuis in ſomnis aſtantes pollicitas fuiſſe cum Timoleonte ſeſe in Siciliam nauigaturas, memoriæ proditum eſt. Interea Icetes Leontinorum Princeps, ad quem Syracuſani ſupplices confugerant, ad imperium Syracuſarum aſpirans primùm cum Carthaginenſibus ad Dionyſij Principatum euertendum ſocietatem ſecretò iniit: deinde per literas Corinthios à ſuppetijs ferendis, Duceq; mittendo conatur auertere: multum periculi adeſſe ſignificans, ſi eam expeditionem aggrederentur, Carthaginenſibus longè lateq; iam Siciliam occupantibus. Scripſit eiſdem quoq; ſe vel ob eam cauſam dediſſe operam, vt ſociæ ciuitates cõtra Carthaginenſes Dionyſio iungerentur. Spretæ à Corinthijs cum earũ authore

hæ litere

hæ literæ à classis transmissione Corinthios auertere non potuerunt. quinimo maiori, q̃ antea, studio rebus ad bellum necessarijs incumbere, & Timoleontem expedire properarunt. Icetes interea vbi Corinthiorum classem aduentare omnino in Siciliam cognouit, veritus ne ad suam ambitionem ei impedimento forent, Carthaginensium triremibus accersitis, ac terrestri valido exercitu Syracusas contra Dionysium ex Leontinis contendit. Iamq; vallum circa Olympium iecerat, totisq; viribus terra, & mari hostem oppugnabat. Sed obsidione in longum protracta commeatus inopia pressus, inde soluere, Leontinosq; repetere cõpulsus est. Dionysius porrò emissis copijs abeũtem insequitur, ac extremum eius agmen incessit. Quo irritatus Icetes conuersus manus cum Tyranno conseruit. Vtrinq; acerrimè bellatum. vbi ad extremum ipse superior factus tria armatorum milia sub Dionysio merentium cædit; reliquos in fugam conuertit; eosq; tanta celeritate insequitur, vt simul cum fugientibus in vrbem irruperit. Ita mira fœlicitate tota Syracusarum vrbe, excepta insula, atq; arce, paruo negotio potitus, vrbem muro & fossa circundedit, fugatumq; Dionysium in arce & Insula terra, & mari obsedit. Dum hæc Syracusis geruntur, Carthaginenses primam expeditionem contra Entellẽses susceperunt, eorum agros primum populari, mox ad oppidum obsidendum properant. Tenebant Entellam Campani, qui magno hostium numero perterriti, ab vrbibus Carthaginensibus inimicis, per legatos auxilia petunt. Ex quibus soli Galerienses (cæteris omnibus societatem detrectantibus) mille armatos miserunt. Qui à Pœnis in itinere circumuenti omnes trucidati sunt. Campani quoq;, qui Ennam tenebant, comparata auxilia Entellam, vt pote ad gentem cognatam mittere decreuerant. Sed Galerienſium clade perculsi ab incepto destiterunt. Quocirca Entellenses omni destituti subsidio, tametsi vrbem natura munitam, & in colle edito, ac vndiq; prærupto sitam incolerent, deditionem fecere. Carthaginenses ijs initijs prosperè gestis, veriti ne à Corinthijs ab incepto impedirentur, legatos cum triremibus viginti ad Timoleontem precatum miserunt, vt remissis Corinthum nauibus ipse se Iceti, qui iam in cursu esset victoriæ, socium adiungeret. Interea Timoleon decem cum triremibus Corintho soluerat, & Ionio mari emenso tribus diebus post captas ab Iceto Syracusas Rhegium appulerat, vbi cum non longè ab oppido copias in terram ad corpora curanda vix exposuisset; Carthaginensium legati ei suorum mandata pertulere. Qui cum videret longè plurimas naues Carthaginensibus, Iceti verò multo maiores copias, q̃ sibi esse, & ab incepto opere pedem referre sibi decorum non esse, ac nullo eorum, quæ moliebatur, facto indicio, legatis simulato ore, satis benigne, & ad vota respondit. Mox ab illis sese surripiens nauim ascendit, & quã ocyssimè in Siciliam prouehitur. Quem cum Legati ita delusi abeuntem insequerentur, ipse maiori cursu progressus, nocte superueniente tenebris maximum sibi auxilium prebente, citra offensam Taurominium tenuit. Præerat illi oppido tum Andromachus Timæi historici pater Syracusanæ libertatis studiosus, & Tyrannis infensissimus. qui summo humanitatis officio Timoleontem, suosq; omnes excepit, eisq; sinum oppidum, tanq̃ asylum obtulit. Deinde & ciues suos, vt pro Siciliæ libertate Corinthijs socios se adiungerent, hortatus est. Carthaginenses eo fœdere percepto grauiter offensi per Legatos Andromacho crudelissima quæq; minantur. Quibus subridens Andromachus: ni inde citius vna cum naui abscessissent, igne absumendos comminatus est. Interea per vicinas vrbes Timoleontis ad Tyrannidem extinguendam aduentu diuulgato ob copiarum paucitatem, qui vix mille erant milites, Carthaginensium vero contra, exercitus immensus, classis ingens, & Icetis copiæ innumeræ, quæ iam in victoriæ cursu erant, parum fidei, minusq; spei ad libertatem adipiscendam est assecutus. Cui etiam & Calippi, Pharacisq;, quorum alter ex Athenis, alter ex Sparta pro

libertate

libertate frustra in Siciliam nuper venerant, recens memoria non parum authoritatis detraxit. Sed egregium illud facinus, quod pro patriæ libertate contra fratrem Timoleon gesserat, tum eius in rebus gerendis prudentia simul, & rei militaris præstantia, beneuolentia deniq;, & comitas, quam omnibus æquè exhibebat, fiduciam Siculis tametsi exilem libertatis potiundæ exhibebat. Dum in hac animorum perplexitate essent Siculi; Icetes delectis quinq; armatorum milibus contra Adranitas, qui suas partes detrectauerant, profectus est. Adranitæ hostem contra se armata manu progredientem cum vidissent, Timoleontis aduentu cognito eum per Legatos ad auxilium euocant. Qui Legatione benignè audita trecentis supra mille secum militibus confestim assumptis ex Tauromenio, vbi adhuc agebat, Adranum, quod quadraginta ferè passuum milibus ab eo distat, petit. Primo die non multum itineris confecit: proximo per loca aspera, vtpote combustas Aetnæ montis radices iter ingressus, toto die progrediens, contigit, vt vno, eodemq; ferme tempore & ipse, & Icetes Adranum appropinquarent. Icetes non longè ab oppido castrametatus militibus reficiendis corporibus vacare concessit. Timoleon vbi Icetem cum exercitu prandentem accepit, hostes incautos, laboreq; fessos inuadere statuit. Quare promptioribus ad pugnam militibus selectis tanq̃ manifestè victoriam præsagiret, primus ad hostes contendit, eosq; inuadit. Quem milites secuti in hostes & ipsi ruunt, cosq; repentino aduentu turbatos in fugam vertunt, trecentis cæsis, sexcentisq; vnà cum illorum castris in captiuitatem adductis. Hac victoria læti Adranitæ apertis portis Timoleontem mira gratulatione, honoreq; excipiunt: illiq; victoriæ illius præsagium ab se antè notatum huiuscemodi enarrant. Viderant nanq; ostijs templi vltro recluſis Adranum, quem deum falso errore ducti arbitrabantur, pili cuspidem concussisse, sudoremq; nouum facie exhalasse. Quod ostentum suscepit insana turba non modò in peractæ pugnæ, sed futurarum etiam rerum omnium faustissimum omen. Fuit ea victoria Timoleonti ad res bene gerendas initium satis oportunum. Enimuero Tyndaritani, & plures Siciliæ populi, qui adhuc sub Tyrannide viuebant, eo fœlici successu diuulgato, per legatos & ipsi auxilium ab eo ad Tyrannorum profligationem implorauere: quin & aliquot ciuitates decretis legationibus ei se se, vrbes, agrosq; suos vltro dederunt. Timoleon vt gratum se omnibus pro accepta victoria præstaret, Adrano Deo more gentis sacra facit. Sed dum cæremonijs intendit: duo ad eum occidendum ab Icete milites missi rusticos mentiti ad aras astitere. Quorum alter gladio extracto, socĩ Ducis peremit, ac fuga celeri ad petrã altissimã ibi vicinam euasit. Alter dum Timoleontem occisurus aram amplectitur, capitur, captusq; vt sibi rem omnem detecturo, parcatur, orat. Data fide, se ab Icete ad Timoleontem interficiendum missos fatetur. Timoleon, & ei, & capto etiam qui in petram ascenderat, condonauit: quòd is, qui ab eo occisus fuerat, patrem apud Leontinos necauerat. Atq; ita peracta re diuina ereptus periculo Adranitis, Tyndaritanisq; simul, & suorum militum manu assumptis, confestim Syracusas properat: miraq; celeritate iter totum emensus Tycham ex improuiso adortus nullo labore capit. Tum repentè ingens intra Syracusas tumultus fit; cum tres iam principes viri diuersa vrbis loca occuparent. Insulam, & Arcem Dionysius: Acradinam & Neapolim Icetes, & Tycham Timoleon. Porrò sub hæc victoriæ initia, inopinata & quæ nullo consilio parari poterat, prospera rerum successio Timoleonti obuenit. Primum vulgata eius victoria Mamercus Catanæ Tyrannus vir militia, & opibus insignis, cuiq; tum & thesauri parati, & magnæ militum copiæ suppetebant, cum Timoleonte vltro societatem inijt: eiq; argentum, quo stipendia exercitui solueret, obtulit. Atq; ipse etiam in Tyrannidis euersionem cum eo enixè

Digitized by Google

cuncta moliebatur. A Corinthijs præterea naues alias decem militibus, auroq; onustas non ita multo pòst accepit. Quibus omnibus animo elatus, ad Dionysium expugnandum se accinxit. Quod anteq̃ aggrederetur, per legatos ei persuasit, vti arce tradita, & Principatu relicto in Peloponnesum cum omni sua pecunia ex composito transiret. Dionysius incredibilem Timoleontis rerum successum admiratus, & sibi nullam euadendi spem supereſſe videns continuo (mirũ dictu) seipsum, arcem, regiam omnem, ac regnum nobilissimum victori quinquagesimo postq̃ Siciliam ille applicuerat, die, tradidit. Timoleon assumptis secum Euclyde, & Telemacho Corinthijs, simul & quadringentis militibus arcem à Dionysio recepit. In qua præter regiam supellectilem, quæ immensi erat pretij, tantam armorum vim ibi congestam reperit, vt septuaginta hominum milia inde ad bellum satis commodè instrui possent. Equorum insuper, telorum, ac machinarum ingentem numerum, & militum plus minus duo milia. Dionysium deinde regno priuatum, quod decem ante Dionem, & duodecim postea crudeliter occuparat, annos, cum vna naui, in quam omnem suam pecuniam conuehebat, Corinthum in exilium anno mundi. 4 8 6 0. transmisit: vt & Corinthij Tyrannidis ab eo extinctæ belluam immanem conspicerent. Pepercit autem Dionysio Timoleon, cum ad necem vsq; sæuire posset, duas præsertim ob causas, tum quòd Corinthij vtriusq; Dionysij operas vtiles aliquando experti essent, tum quòd clementiæ, quàm sæuitiæ memoria se digniorem arbitraretur. Ita Dionysius, qui quadringentas antea triremes habuerat, in pusilla arctus nauicula ex Syracusis, vbi paulo antè in maiestatis solio fulserat, Corinthum soluit. Admirandum sanè fortunæ spectaculum. Ad quod visendum Syracusani ferme omnes, viri, mulieres, senes, pueriq; quotquot in magna illa vrbe tunc erant, laribus relictis concurrere: alij pristinæ fortunæ celebritatem, plures priuatum odium secuti, vt veterem superbiam priuato exprobrarent. Multi fortunæ miserabile propè mancipium contumelioso cum ludibrio intuiti condolebant. Scribit Plinius eo die, quo Dionysius tyrannide est exutus, mare in portu Syracusano edulcuisse. Abeuntem eum cum pleriq; interrogassent: quid sibi Plato, eiusq;, quam didicerat, philosophia profuisset; respondisset ferunt: Vt has fortunæ mutationes ferre possem. Interrogatus quoq; quonam modo cum eius pater Syracusanus ciuis, egenus, & priuatus Tyrannidem sibi parauisset: ipse Regis filius Regnum adamante reuinctum amiserit: respondit. Patrem regnum sibi tradidisse, non fortunam. Corinthum cum appulisset: nemo fuit etiam ex Græcis, qui diuersa ratione inductus videndi illum, & alloquendi studio non teneretur. Vbi cum ageret, saniori ductus consilio nil, nisi quod humilimum esset, tutum arbitratus est. iccirco in sordidissimum vitæ genus abijt. Inter lixas nanq;, & Lenones in popinis, & fornacibus veste obsoleta contectus residebat. Nouissimè se ludi magistrum professus in triuio docebat. Inter has tamen simulationum artes ter affectatæ tyrannidis à Corinthijs est insimulatus. Postremò miseria extrema ductus obscurè adeo interijt, vt incertum sit, an apud Corinthum naturalem, an verò in Siciliam reuersus coactam mortem obierit. Corinthij felicem Timoleontis, festinamq; fortunam, ac victoriã, ad mirati, maiori armatorũ coacta manu peditũ milia duo, equites ducentos in Siciliã ei transmisere. Icetes post hæc, qui Acradin & Neapolim adhuc tenebat, cum Charthaginensibus confœderatus arcem, quæ Dionisio pulso in Corinthiorum potestatem venerat, terra, & mari oppugnare constituit. Quocirca Carthaginensium centum & quinquaginta triremes Duce Magone in portum magnum ad se pertraxit. Deinde sexaginta armatorum milibus in vrbem introductis magnis viribus arcem obsedit. Timoleon interea cymbis, & nauiculis per loca stagnosa occultè ne ab hostium triremibus intercipe-

rentur,

Digitized by Google

perentur, ſuis præſidijs in arcem ex Catana commeatum conuehebat. Quo explorato Icetes, & Mago Catanam ex improuiſo inuadere ſtatuunt. Sumptis igitur ſecum præſtantiſsimis quibuſq; militibus, ſolutisq; ex portu triremibus Syracuſis eo inſtituto exceſsit. Quod vbi Neon Corinthius, qui Syracuſanæ arcis præfectus erat, reſciuit, hoſtesq; ab excubijs vrbem tenere animaduerteret, ſuorum manu educta repentè in Acradinã ex inopinato irruunt, quam hoſtibus partim cæſis, partim fugatis occupatam in ſuam poteſtatem redigit: eamq; quòd & eſſet arci coniuncta, & cæteris vrbis partibus munitior, necnon commeatu, alijsq; ad bellum neceſſarijs referta, muro, & præſidio muniuit. Icetes, & Mago, qui iuxta Catanam erant, vbi per certum nuntium, & captam Acradinam, & claſſem Corinthiorum propediem cum noua militum manu aduenturam audiſſent, aliquot triremes ad intercipiendam hoſtium claſſem emiſerunt. Mox ipſi (Catana relicta) Syracuſas cum copijs ſunt regreſsi. Sed dum ipſi prope Syracuſas caſtrametantur: claſsis Corinthiaca cum duobus armatorum milibus, & ducentis equitibus Rhegium applicat. Quibus Timoleon adauctus relicto Syracuſis præſidio, Meſſanam vrbem, quæ Carthaginenſibus etiam parebat, terra, mariq; adortus, paruo labore adeptus eſt. Mago dum circa Syracuſas expugnandas tempus terere ſe videt, ad fallendum Corinthios, qui in ea erant, nouum conſilium commiſcitur. Nautas ſuos omnes coronis induit, rubriſq; ſcutis, ac Corinthiorum inſigni triremes extrinſecus ornat. Subinde Syracuſas adnauigans portum magnum maximo plauſu ingreditur, ac ſi claſſem Corinthiacam, quam obſeruabat, intercepiſſet; vt ſic Corinthij animo deiecti ad deditionem inducerentur. Sed Corinthij, qui Pœnorum artes exploratas habebant, & à mœnibus, & ab arce eos cachinnis, & contumelijs inceſſebant. Interea Timoleon capta Meſſana fortunæ ſucceſsibus magis, q̃ viribus fretus, cum quatuor armatorum milibus paruifaciens quadraginta hominum milia, quos Mago ſub ſignis habebat, Syracuſas ad ſuis auxiliandum confidentiſsimè properat. Mago vbi tantam animi virtutem conſpicit, ſuſpicatus Timoleontem cum Icete clam fœdus (ad eum intercipiendum) inijſſe, & ſibi inter Græcorum medio paratas inſidias, præſertim quòd id, ex quibuſdã ſignis notaſſet, Icete cum tota claſſe, copijsq; omnibus Syracuſis relictis, in Libyam contendit. Icetes & ſi Carthaginenſium claſſe eſſet deſtitutus, animo tamen non deijcitur. Sed cum Neapoli adhuc potiretur, de capiendis reliquis vrbis partibus ſpem ſibi, animumq; facit. Timoleon contrà, Magonis diſceſſu cognito, milites, quos præſtantiores habebat, diuidit, ac Neapolim aggredi ſtatuit. Igitur ad Anapum fluuium ſtationes ponit. deinde & præſidiares Acradinæ cohortes, quarum Niſias Corinthius erat Dux, inde egredi iubet. Tertiam verò militum partem, quos Demachus, atq; Demarathus Corinthij nouiſsimè cum claſſe noua Corintho aduexerant, ad vertices direxit. atq; ita Neapolim tribus ex locis adoritur: quam facili inſultu ex caſtris Icetis militibus ad eum transfugientibus capit, atq; in poteſtatem ſuam, nemine ſuorum aut cæſo, aut ſaucio redigit, Icete ad Leontinos profugiente. Ita tota Syracuſarum vrbs à Timoleonte capitur: Mira ſanè, & celerrima fuit hæc Timoleontis victoria, qui intra quinquageſimum diem, quo ex Corintho Sicilia applicuit, tota Siracuſarum vrbe potitus eſt. Porrò Timoleon his rebus fœliciter geſtis Arcem vrbis Syracuſanæ, ſitus præſtantia, pulchritudine, & ſtructuræ magnificentia toto ferè orbe celebrem, veluti Tyrannorum aſylum, ac ſedem, ſingulari animi magnitudine in ſignum recuperatæ libertatis vnà cum tyrannorum ſepulchris, Ac palatio, pubblicè per precouem ad id accitis ciuibus, quò omnis Tyrannorum memoria abolueretur, funditus demolitus eſt. Ge-

Ionis autem ſtatuam ob id, quòd Carthaginenſes ad Himeram vrbem viciſſet, populiq; ſemper fuiſſet ſtudioſus, ne illius, eiusq; beneficiorum memoria excideret, Senatus, populiq; decreto ſeruauit incolumem. deinde ciuibus libertatem reddidit: populare regimen tyrannide præſtantius inſtituit. Poſtea leges, quas à Diocle conſcriptas hactenus Syracuſani ſeruauerant, corrigere aggreſſus, quæ ad rerum priuatarum contractus, teſtamentaq; pertinebant, inuiolata reliquit. Sed quæ Remp. decernebant, ad regimen populare immutando tranſtulit, authoresq; & cenſores earum legum Cephalum, & Dionyſium Corinthios doctrina, & prudentia inſignes elegit. Inſtituit præterea annuum magiſtratum honorificentiſsimum, quem Iouis Olympij famulatum appellauit. Callimenesq; primus omnium Olympij Iouis famulus ſuffragijs eſt electus. Durauitq; is Iouis famulatus in ea vrbe annos ſupra trecentos: quouſq; captis à Romanis Syracuſis abolitus eſt. Et quoniam Tyrannorum ſæuitia, varijsq; bellorum cladibus Syracuſæ continuò afflictæ adeo ingentem vaſtitatem contraxerant, vt forum ipſum ob ſolitudinem in ſyluam concretum læta iam brutis pabula præberet, & pro mœnibus vrbis homines venarentur, prout & in cæteris Siciliæ vrbibus, ceruos, aprosq; habitaſſe memoriæ traditum eſt: Corinthij, petentibus Timoleonte, & Syracuſanis, decem hominum milia tum ex Siculis, quos Dionyſij Tyranni, ceteraq; calamitates in Græciã fecerant extorres, tum ex Græcia reliqua, & Aſia collecta ad incolẽdum Syracuſas tranſmiſere. Quò & ipſe Timoleon ex Sicilia, Italiaq; vicina ſexaginta hominum milia domibus, & agris liberaliter donatos habitatum pertraxit. His rite conſtitutis, reliquas Siciliæ vrbes ſub Tyrannis adhuc preſſas in libertatem vendicare properat. Ac primùm contra Leontinum, quo Icetes iuſto cum exercitu ſeceſſerat, caſtra mouit: ſtatimq; eam vrbis partem, quam nouam vrbem appellabant, aggreſſus, cum ibi eſſet præſidium, & ad mœnium propugnationem ſatis idoneũ, ab incepto deſiſtere coactus eſt. Vnde ad Engium vrbem tranſiuit, quæ Leptini Tyranno parebat: qui & Apolloniam cum pleriſq; alijs finitimis oppidis occupauerat. Is porrò licet principio belli æquis propè viribus, & acerrimè obſiſteret: ingraueſcente tamen bello deditionem facere cogitur. Quem Timoleon Corinthũ in exilium aſportari iuſsit, vt eo pacto Græci deuictorum Tyrannorum pulchro fruerentur ſpectaculo. Capto Engio Apollonia etiam ſe dedidere. Quibus Timoleon vtriſq; libertatem, vt ſuis viuerent legibus, conceſsit. Potitus eſt preterea Entella vrbe, in qua quindecim primores ciues, qui Carthaginenſium partes acriter tutabantur, trucidant: cæteros autem & vrbe ipſa, & libertate donauit. Interea cum rei pecuniariæ laboraret inopia: iamq; militum, quibus multa ſtipendia debebantur, ſeditiones timeret, armatorum pubem ſelectiſsimam ſub Demarcho, atq; Demaratho in Carthaginenſium ciuitates ad incurſiones, populationesq; faciendas emiſit. Qui latiſsimam eorum regionem, vt iniunctum erat, populati egregiam inde rerum omnium prædam Timoleonti apportauerunt. ex qua militibus multi temporis ſtipes perſoluit. Hac rerum fœliciter geſtarum fama excitæ Græcæ in Sicilia ciuitates libertatis quoq; expectatione vltro omnes Timoleonti ſe tradiderunt. Siculorum præterea, Sicanorum, & aliarum gentium ciuitates à Carthaginenſibus ſubiugatæ, amicitiam ab eo, ſocietatemq; per legatos petiere. Qui benignè omnes in fœdus recipiens, libertatem quoq; eis præſtabat. Interea Carthaginenſes cum parum ſtrenuè res Siciliæ à Magone adminiſtratas vidiſſent, corpus eius, qui per deſperationem ſibimet vim intulerat, cruci primùm affigunt; mox ex Afris, Gallis, Hiſpanis, & Liguribus ad ſeptuaginta milia exercitu comparato, ducentisq; triremibus inſtructis, & mille præterea nauibus frumento, machinis, curribus, rerumq; cæterarum copia onuſtis, Annibalem, atq; Bomilcarem Duces in Siciliam cum mandatis tranſmittunt, vt omnes Græcos ſubacta prouincia inde pellant.

lant. Timoleon licet non ita magnum militum numerum haberet, cognito tantæ classis, tantarumq; copiarum in Siciliam traiectu, nihil animo perturbatus est. Sed cum contra Icetem adhuc pugnaret, pace cum eo firmata, auxilia quoq; eius obtinuit. quibus non parum auctus, ad bellum se parat: atq; in Carthaginensium Siciliæ prouincia, quæ hodie vallis Mazaræ dicitur, distatq; à Syracusis centum & sexaginta ferme passuum milibus, bellum transferre pro consulto habuit: quo & vrbium sociarum agros immunes seruaret, & eodem tempore hostiles vastarentur. Cæterùm Syracusani, militesq; audito Carthaginensium numero adeo perculsi sunt, vt mille ex eis, qui cum quatuor alijs milibus sub Timoleonte stipendia merebant, inter eundum secesserint: Timoleontem mente captum edicentes, quòd cum quinq; peditum milibus, & equitum solis mille contra septuaginta hostium milia dimicare auderet, abducto etiam longe a Syracusis exercitu: vnde nec suppetiarum indigentibus succursus, nec fugientibus salus, nec deniq; morientibus sepeliendi facultas expectari posset. Ipse verò his pro nihilo habitis, comparatas ex auxilijs omnibus, & mercenarijs suas omnes copias, quæ ad duodecim armatorum milia censebantur, ad concionem vocat. Vbi eos (oratione habita) ad bellum, & ad victoriæ communionem hortatur. eosdem ipsos esse, qui & paulo antè contra quadraginta Carthaginensium milia egressi acie vicerant, & Dionysium, Icetem, Leptinem etiam, ac Syracusas, Catanam, Messanam, & cæteras ferme omnes hostium vrbes expugnauerant, in memoriam reuocans. Carthaginenses præterea eos esse, qui paulo antè fœdè fugati fuerant, ac victi, victoriam deniq; non in multitudine, sed qualitate, ac fortitudine consistere multis edocens. Excepta est à militibus eius oratio magnis animis, atq; acclamationibus. qui omnes contra barbaros statim progrediendum esse conclamabant. Atq; ita explicatis signis iter ingressi, vix in Agrigentinum agrum peruenerant, cum tumultus, seditioq; magna in eorum castris nulla hostium apparente suspitione repentè exorta est. Erat in exercitu miles vnus Thrasius nomine, vir temeritatis incredibilis, & ad omne facinus promptus. Is milites ad defectionem solicitare cœpit: Timoleontem insanum dictitans, qui ad certissimam cædem suos duceret milites. quippe quòd Carthaginenses copiarum numero sexcuplo, & omni deniq; apparatu bellico sint superiores. Id autem nihil aliud esse, q̃ militum suorum animas in periculum conijcere: ne stipendia longi temporis mortuis illis persolueret. Proinde vt Syracusas reuersi debitum exposcerent, suasit. Verba hæc multorum animos commouerant, & iam seditio inter milites inchoata mille ex eis viros ad sequendum Thrasium retraxit. Timoleon magna prudentia reliquorum tumultum sedauit: & per literas primùm ministris, quos Syracusis habebat, scripsit, vt persolutis stipendijs milites contumaces cum Thrasio benignè reciperent; seditionum authores in tempus aliud puniendos differens. Deinde sedatos blanda, lõgaq; oratione a tumultu, reliquos ad veterem erga se beneuolentiam, animiq; promptitudinem reuocauit. Post hæc cum cognouisset Carthaginenses ad Crinisium fl. propediem venturos, in colle fluuio prominenti, vnde hostes videre posset, castrametatus est. Vbi cum Græci in stationibus essent, viatores fortè multi eis occurrerunt, qui iumentis magnam apiorũ vim ad thoros extruendos portabant. Quæ visio Græcos nõ mediocriter perterruit: coniectantes quod appium ob id, quod sepulchris defunctorũ in Græcia solet affigi, mortem eis portenderet. At Timoleon in contrarium trahens, victoriæ id omen est interpretatus: quod victores Isthmiacis apud Corinthum ludis corona ex apio contexta capite redimirentur. Itaq; statim in vectores irruens coronam ex apio contextam capiti sibi imposuit, idq; vt oẽs suo exemplo milites facerent, persuasit. Cuius interpretationẽ lætis animis milites exceptam

quasi indubitatam vincendi sortem pari mentium alacritate præsumunt. quos eò audaciæ portentum ipsum prouehebat, vt iam sibi victoriam ante oculos proponentes, absq; respectu periculorum certatim in prælium prosilirent. Ita Timoleon firmatis suorum animis aciem instruit, ac vt ex colle flumen ab alto conspiciant edocet. Postridie Carthaginenses ad fluuium traiecturi ab oriente appellunt: iamq; æstiuum erat solstitiũ. quo crassior sub aurorã maximè nebulosa tãta aeris densitas regionem, & flumen obtexit, vt neq; ex cliuo superiori, vbi erat Timoleon, neq; per emissos ad flumen equites, Græci de hostium aduẽtu quicq̃ præsentire potuerint: sed tãtummodo voces magnæ multitudinis, & sonitus quidam indiscretus, atq, commixtus de vertice collis à Timoleonte, & Corinthijs audiebatur. Cæterum nebula sensim a locis inferioribus Solis viribus in mõtium summitates elata, fluuius claro vndiq; prospectu, hostiumq; traiectus a Timoleonte videri cœpit. Collocauerant Carthaginenses in prima fronte ad pugnam currus, & milites albis scutis candicantes: post quos cætera multitudo flumine traiecto absq; ordine sequebatur, & iam hostium decem circiter milia fluuium incompositè ob festinationem traiecerant. Quod cum vidisset Timoleon, iussit Demaratho, vt cum equitibus in eos nondum in aciem reductos irrueret. Ipse verò ex colle in planitiem descẽdens plurimos stipẽdiarios cum Siculis in vtroq; cornu primùm cõstituit, deinde Syracusanis, suisq; militibus circum vndiq;: stipatus fixo gressu, quid Demarathus cum equitatu egisset, obseruabat. Cumq; Demaratus ob hostium currus, qui ante eum discurrendo dimicationem impediebant, manus cum hostibus conserere non posset: Timoleon cum exercitu; & editiori voce, quàm consueuerat, vsus, vt absq; mora in aciem irrumperent, equitibus signum dedit. Cornua extra ordinem curruum contra Carthaginenses irruere iubet. Ipse collectis propugnatoribus in pugnam quoq; succedit. Hostes quoniam thoracibus ferreis, galeis æreis, ingentibusq; scutis protecti iaculorum insultus facilè reijciebant; primo congressu viribus æquis, animisq; restitere; iaculaq; resiliebãt. Sed postq̃ bellũ cõminus gladijs geri ceptũ est; vbi nõ minus ingenio, q̃ corporis viribus est opus: consertis manibus Græci magna Carthaginensium facta cæde, reliquisq;, qui iam flumen traiecerant, in fugam versis, superiores fiunt. Sed interea reliquæ omnes hostium copiæ flumine transmisso Corinthiorum impetum facilè represserunt: prælioq; instaurato Græcos turbare incipiunt. Sed tum repentè imber, & vehemens & continuus cum fragore ingenti coortus est; simulq; grando, ac vehementissima ventorum vis, & nebula ipsa, quæ colles, & montium vertices tegebat, veluti diuinitus missa ad locum pugnæ conglomerata sunt: nimbus deniq; Corinthios à tergo, Carthaginenses à fronte, & ob oculos impetebat, quos & delata assiduè à nubibus fulgura, & tonitrua miserè vexabant: fecerunt q̃;, vt ipsa sibi arma ab aqua, & grandine propulsata impedimento essent, ne iussa Ducum vel audire, vel exequi possent: vestimẽta quoq; sinuosa, quibus vtebantur, plurimo imbre repleta dum manus conserebant, ipsos graues, ineptosq; reddebant, idoneos autem, vt à Corinthijs superarẽtur. Ad hæc cum cadebant: ex cœno irreleuabiles erant. Nam Crinisius aquarum irruptione cum magnopere exundasset, ob traijcientium multitudinem, aggerem ruperat, & planities, quæ fluuio adiacebat, multis fluuij faucibus cõcurrentibus, aquis, quæ non suo ferebantur alueo, lutoq; abundabat, à quibus Carthaginenses inuoluti vix liberabantur. Tandem cum inundatio, & aquarum fluctus instarent, & prima Corinthiorum acies, quæ ex quadringentis militibus constabat, contra Carthaginenses irrueret, in fugam illi vertuntur. Quorum pleriq; in planitie obiere. Qui verò ad Crinisium vado, & ripis impeditum, ac aquis tumentem ex fuga, vt traijcerent, peruenerunt, aut profluentis gurgitibus sunt absorpti, aut in ipsa cunctatione tranandi amnis, dum alieno periculo humiliora quærunt,

persequentibus

perſequentibus Corinthijs miſerabiliter perierunt. Plurimos, qui ad colles ſibi ſalutem quærebant, ab aſcenſu velites prohibebant. Multi conculcati à ſuis, pleriq; à ſocijs ob vadi occupationem confoſsi: plures Corinthiorum equitatu vrgente cum ad ripam agminatim confluerent, vulneribus à tergo oppreſsi obibãt. quãplurimi citra hoſtilem offenſam ſuis ipſi manibus interempti: nonnulli etiã metu, & pauore acti cum flumini minimè ſe committere audèrent, aceruatim dilapſi ſtruc corporum opprimebantur. Deniq; ex tanto Carthaginenſium numero in hoc bello decẽ milia ſunt cæſa: inter quos tria ferme milia opibus, dignitate, ac militia inter Carthaginenſes lõge principes numerabãtur: capti ad quindecim milia. Currus bellici in ipſo certamine diffracti: ducenti tantum recepti. Iumenta verò, & vehicula cum impedimentis milites ſibi rapuerunt. Armorum magna vis in flumine deperijt. Eorum porrò, quæ ſuperfuerant, thoraces mille, ſcuta ferè decem milia ad Timoleontem à ſuis collecta peruenere: quę partim in Syracuſanis templis dicata fuerunt, partim ſocijs auxiliaribus dono data. Plura Corinthum in Neptuni templum ex voto ſunt miſſa. Tanta verò auri, argentiq; copia reperta eſt, vt ab ijs, qui ſpolia extraxerunt, ærea, atq; ferrea ſuppellex parum fieret. Triduum Corinthij in prædæ conquiſitione (adeò fuit ingens) conſumauerunt. Subinde trophæum pro victoria erexerũt. quæ eò fuit admirabilior, quod eam ſine vllo ſuorum vulnere tam paruus numero exercitus à tanta legione conſecutus eſt. Carthaginenſes, qui tantæ cladi ſuperfuerunt, animo conſternati ad Lilybæum ſeſe contulerunt. nec ſunt ausi naues inſcendere; veritine in ipſo mari Libyco quicq̃ aliud aduerſi experirentur. Nuncius tantæ cladis Carthaginem delatus adeo vrbem perterruit: vt ipſa ſibi in ea ſtrage corruiſſe ſit viſa. Nã nullo ad id vſq; tempus prælio tot viros vna pugna amiſerunt ex ſuis, quot in iſta: cum in cæteris bellis mercenario milite plerunq;, in hoc verò ſuis tantùm eſſent vſi. Timoleon ea victoria fœlix mille ſtipendiarios Syracuſas ad prædam deferendam præmiſit. quos ipſe paulo pòſt totò cum exercitu ſecutus ingenti cum gratulatione, fauſtiſq; ſuorum acclamationibus, tripudijsq; excipitur. Cum aliquantulum quieuiſſet: mille milites, qui duce Thraſio in agro Agrigentino defectionem fecerant, Sicilia vt abſcederent, ſub capitis nuleta præcepit. Qui proximam Brutiorũ Italiam petentes, oppidum ibi maritimum cum diripuiſſent, à Brutijs ſuperati ad vnum omnes trucidati ſunt. Poſt hæc Timoleon Poſthumium pyratam, qui prætextu amicitiæ duodecim cum biremibus cuncta Syracuſis vicina littoralia prædatus fuerat, captum interemit. Interea Icetes, & Mamercus, qui iam Timoleonti fœdere iuncti erant, ſiue tam inſignem ex victoriam inuidentes; ſiue (quod veriſimile videtur) timentes ne ſuperatis Carthaginenſibus, & ſubactis iam cæteris omnibus Tyrannis, eos quoq; tandem armis ſumptis expelleret: clam cũ Carthaginenſibus fœdus, ſocietatemq; ineunt; eisq; ſuadent, vt nouum exercitum in Sicilia reſtaurent, ni vellent & Sicilia penitus exulare, & ad extremum Carthaginem diſcrimen deducere. Qui ita perſuaſi Giſconem Hannonis filium tunc exulãtem in patriam reuocant: eumq;, quòd ſpiritus eſſet ingentis, & rei bellicæ peritia polleret, ducem belli conſtituunt, mãlites exteros, græcosq; conducunt. Quos cũ ſeptuaginta nauibus omni commeatu inſtructis in Siciliam mittunt. Giſco vt primùm in Siciliã peruenit, Meſſanam vrbem nauigat, primasq; eius vires vna cum Icete mouet, atq; oppugnat. Quam initio ſtatim obſidionis in conſpirationem abeuntibus ciuibus paruo negotio cepit, eamq; trecentis Timoleontis militibus præſidiarijs ibi captis, interfectisq;, Hipponi tradidit. Timoleon vbi captã Meſſanam audiuit, eò militibus inſtructus proficiſcitur. Sed cum Icetes in Calabriam ad expugnanda quædam oppida traieciſſet, eius terga inſequitur. cũ quo ad Damiriam fluuium congreſſus ancipiti Marte diu concertat. Vbi tandem ſuperior factus ex hoſtili exercitu mille cadentibus Icetem ipſum in fugam vertit.

qui prolapſus

qui prolapsus traiecto freto Leontinum venit. Quem Timoleon (omissa pro tempore Messana) persecutus Leontino expugnato, viuum cum filio iudicio populi capitis supplicio affecit, ac sepulturæ tradidit. In Euthynum quoq;, qui vnà cum eodem in eius manus deuenerat, ob contumeliam in Corinthios, quos ad bellum non magis, q̃ mulieres aptos in concione vocarat, capitaliter animaduertit. Icetis vxorem, ac filias, eo quòd ipse Aretam Dionis vxorem, sororemq; Aristomachen, ac filium infantem in mare demersérat, interficiendas Syracusanis tradidit. Porrò ijs gestis nil se feciste ratus, si Mamercum inultum dimisisset; contra Catanam exercitum mouet. Quo cognito Mamercus contractis viribus Timoleonti in campum, qui inter Teriam, & Symethum fluuios situs est, occurrit. Ibi signo dato prælium ineunt, manus conserunt. gladijs res geritur. Aliquandiu Mamercus obstitit: demum amissis tribus militum milibus, quos sibi ex Phœnicibus Gisco auxiliares miserat, in fugam vertitur. atq; ita auxilij, consilijq; inops in Italiã, vt Lucanos in Timoleontem induceret, nauigat. Sed qui cum eo Catanenses profecti sunt, duce relicto, remensoq; cũ triremibus pelago in Siciliam reuersi, Catanam cum omnium ciuium consensu Timoleonti tradunt. Mamercus amissa Catana, & Lucanorum auxilio frustratus in Messanam vrbem ad Hipponem confugere cogitur. Quo audito Timoleon copias contra Hipponem mouet. Messanam terra, & mari recenti obsidione tentat. Qua in desperationem Hippo ductus nauem ascendens, Italiam profugus nauigat, sed a militibus interceptus capitur, & in vrbem ducitur, atq; vna cum filijs necatur. Mamercus desperata fuga hac conditione Timoleonti se dedidit, vt Syracusanorum iudicio sisteretur: sperabat enim ab illis ad commiserationem flexis veniam etiam consequi. Syracusas adductus cum orationem pro se in concione moliretur; populus contra eum tumultu edito non esse proditorem audiendum, sed in supplicium raptandum conclamauit. Quod ille animaduertens dolore, ac desperatione percitus abiecto pallio per theatrum medium cursu citissimo in subsellia perductus veluti ibi moriturus caput dabat: sed à militibus inhibitus paucis pòst diebus pro prædone à legibus indicto pœne genere suffocatus est. Scribit Athanes (referente Plutarcho) Timoleontem dum Messanam contra Hipponem, & Mamercum oppugnaret, oculis aliquatenus fuisse captum, sed pedem minime retulisse, quinimo pertinaciter oppugnando tandem & vrbem, & tyrannos cepisse. Carthaginenses fœliciſsimum huiusce modi victoriarum Timoleontis cursum, quo omnes iam Siciliæ Tyrannos subegerat, admirati, veriti etiam ne ad suorum in Sicilia prouincias deueniretur: Legatis ad eum primoribus vrbis destinatis pacem petunt. Quam benignè quidem Timoleon, sed ijs conditionibus concessit: vt Græcæ in Sicilia vrbes omnes liberę essent. Vt Lycus fluuius, qui Platanis hodie dicitur, Carthaginensium prouinciæ ad occidentem terminus sit. ne Carthaginenses Tyrannis suppetias ferant. & deniq; qui ex Carthaginensium prouincia Syracusas transmigrare vellent, cum familia, & omni suppellectile liberè admitterentur. Hoc fœdere pacis cum Carthaginensibus icto, Timoleon Campanos, qui Ennam tenebant, interfecit: Nicodemum Centuripis vrbis Tyrannum ad libertatem suis dãdam compulit. Apolloniadem Agyræ Principem Tyrannidem deponere coegit. In summa Tyrannis omnibus in Sicilia extinctis, ciuitates omnes liberas fecit. Verum & eas, quæ bellorum procellis habitatoribus ferè desertæ iacebant, cultu reddidit frequentiores. Nec Syracusas modò incolatu restaurauit: sed Agyram quoq;, quòd ibi ager esset latissimus, magnaq; loci amœnitas, decem incolarum milia transcripsit. Agrigentum etiam, & Gelam magnas eo tempore Siciliæ vrbes post Atticum bellum à Carthaginensibus depopulatas habitatoribus replent. Agrigentum à Megero, & Ferisco ex Helia coloniam ducentibus; Gelam verò à Grogo ex Chio colonis ductis. Camerinam quoq; multis ciuibus auxit. Vrbium

mœnia,

Digitized by Google

mœnia, fanaq; diſſecta refecit. Singulis ciuitatibus leges tradidit: tantamq; pacem & quietē ſubmotis bellis toti Siciliæ dedit: vt ſingularum vrbium verior ipſe, q̄ illi, qui ab initio earum fundamenta iecerant, conditor haberetur. Tum verò à laboribus diuturnis meritam quietem nactus vxorem ex Corintho ſibi accerſiri curauit. & quod nullo recuſante obtinere poterat, imperium depoſuit; priuatāq; vitam Syracuſis egi. cui Syracuſani ædes ex publico ædificarunt: agrumq; ei dona runt amœniſsimum, quem apud Trimiliam fuiſſe hodie ducta per manus fama Syracuſani predicant. in quo reliquum vitæ à ciuium tumultibus ſeceſſu delecto inter rureſtria exercitia peregit. Senio verò cōfectus pœnitus viſu eſt orbatus. Syracuſani verò non minus cæcum, q̄ videntem coluerunt, indieſq; ad eum confluentes, patrem patriæ, liberatoremq; ſalutabant. quin & hoſpites, aduenasq; ad eum pro miraculo rerum geſtarum viſendum educebant, eoq; eis placebat magis, quòd apud ſe diem ſuum obire delegerit. Mireq; eum extollebant, quòd ſplendidos, clarosq; triumphi apparatus, quos ſibi in ſuo reditu Corinthij, cæteriq; Græci pro rerum geſtarum gloria plusq̄ promerita præparauerant, Syracuſanorum conſuetudini poſthabuerit. Ipſi præterea cum de rebus magnis concilium habebant, Timoleontem cæcum etiam conuocabant. Qui cum per forum lectica perferretur, in tranſitu à populo lætiſsimis acclamationibus Patris patriæ nomine ſalutabatur: dictaq; in publico ſua de rebus conſultandis ſententia, rurſus per theatrum à miniſtris domum deportatus cum ijſdem vocibus, & plauſu ab omnibus dimittebatur. In huiuſce fœlici ſenio, paterna reuerentia à Syracuſanis habitus diem ſuum anno octauo libertatis reſtitutę obiuit. Syracuſani die funeris protracto, vt debitæ pararentur exequiæ, & vt finitimis ad ſpectaculum, funeriſq; frequentiam veniendi daretur facultas, atratos de more iuuenes feretro ſubegere. Qui per regiam Dioniſij eo tempore ſolo adæquatam progreſsi multis virorum, ac mulierum milibus, & præeuntibus, & ſequentibus, ſpectaculum nullo celebritatis genere inferius exhibuere. Senatus præterea, populusq;, ac tota ciuitas lachrymis, planctu, luctuq; Timoleontem proſequebantur, patrem patriæ, benefactorem, præſtantiſsimum libertatis reſtitutorem, Tyrannidis extinctorem, ac beatū, fœlicemq;, ingeminatis laudibus etiam in cœlum ipſum efferebant. Expenſæ verò in funus ducentæ minæ ſunt computatę. Proinde vbi cadauer rogo iniectum eſt, collapſiſq; deinde cineribus flamma quieuit: Demetrius, qui ea tempeſtate facundia, ac magnitudine vocis cæteris præſtabat, cum funebri oratione, populi Syracuſani decretum etiam promulgauit: Vt ſingulis annis perpetuò Timoleontis memoria muſico, equeſtri, & gymnico certamine celebraretur: quòd Barbaros in Sicilia Carthaginenſes debellaſſet: quòd maximas Siciliæ vrbes populi frequentia repleuiſſet, atq; reſtauraſſet: quòdq; demum libertatem extinctis Tyrannis reſtituiſſet. Preconio edito ſepulchrum in foro ſtruunt. Eius aream magna porticu circundant, palæſtras ædificant, gymnaſium extruunt, quod Timoleontis nomine appellant, atq; quotannis ludos in eo loco in eius, & patriæ liberatæ memoriam inſtituunt.

FR. THO.

Digitized by Google

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS, POSTERIORIS DECADIS.

LIBER QVARTVS.

DE AGATHOCLE SYRACVSARVM REGE.

CAPVT PRIMVM.

TIMOLEONTIS Opera libertate Siciliæ restituta, quæ per annos circiter viginti (vt supputat Eusebius) durauit; vrbes, ac oppida, paruo eo temporis interuallo populi frequentia, opibus, publicis, priuatisq; extructionibus maximè coaluerunt. Siquidem præter priuata ædificia, Deorum quoq; templa, curiæ, fora, turres, monumenta, Pyramides, theatra, & cætera id genus opere egregio, accuratoq; artificio passim vrbibus accessere. Præ cæteris verò, Syracusanis ex opum abundantia non solùm ornatus, sed & Imperij quoq; amplitudo accreuit. At voluentibus annis dum externam vim metuunt, in domesticam incidunt, dilabunturq;. Nam Anno mundi. 4880. Athenis imperante Dimogene, & Romæ. L. Plotio, & Manio Fuluio Coss. Agathocles vir humili loco, & sordido genere, vtpote ignobili, & figulo patre genitus Syracusarum vrbis Tyrannidem occupauit. Cuius originem paulo altius repeti locus expostulat. Carcinus figulina arte vix cognitus Rhegij Brutiorum nascitur. Is processu æui ob seditionem patria pulsus Thermas Siciliæ oppidum in ora Selinuntina situm, quod nunc Sacca dicitur, incoluit, quod quidem eo tempore Carthaginensibus parebat. Vbi vxore, quam ex ea regione duxerat concipiente; nocturnis ipse imaginibus frequenter; & ante somnum visis, & in somnis occurrentibus, deterrebatur. Quocirca, pro vt genti moris erat, per Carthaginenses amicos, qui Naxum se conferebant, de prole nascitura oraculum scisciatur. Nuncupatis votis Archegetus Apollo natum iri infantem, à quo Carthaginensibus, atq; vniuersæ Siciliæ variæ clades imminerent, vaticinatus est. Quod vbi pater resciuit, editum infantem, ne eiusdem ipse oraculi euentu declarato in perduellionis pœnam, quæ equorum virgultis damnatos conculcabat, vnà cum vxore, totaq; familia incideret, exponere decreuit. Iam enim oraculum per totum oppidum iactabatur. Agathocles itaq; puerpera matre in lucem editus ab incunabulis, primisq; infantiæ rudimentis formosus, cunctisq; dilectus adeo euasit, vt omniū sinu iugiter, atq; oculis foueretur. Carcinus pater a Carthaginēsibus, quibus suberat, exitium veritus, infantem exponēdum suffocandumq; conductis ad id famulis tradidit. Sed ministri eius pulchritudine in commiserationem, cædisq; innocuæ formidinem attracti, à suffocatione abstinentes more gentis duntaxat eum exposuerunt. Quo cognito mater noctu filium è vado raptum ad Heraclidem eius germanum fratrem clam detulit educandum. Vbi ab auo materno, qui tum adhuc viuis supererat, Agathoclis nomen sortitus est. Infantiam egresso ac crescēte cum annis forma, & robore, Carcinus fortè cum ad Heraclidis ædes ad sacrificandum Dijs inuitatus conueniisset; septem iam annos natus puer ibidem cum alijs coetaneis ludo intentis aderat. Cuius ignarus pater, & decoram faciem, & vires vltra ætatem prouectas admiratus, & paterno affectu etiam in ignorantia stimulatus, quisnam, & cuias puer esset, percontatus est: magnoq; se illius amore detineri, palamq; optare se, vt suus esset filius, quem metu coactus exposuerat,

Digitized by Google

expoſuerat,edixit. Mater vbi eius deſiderium cognouit,ſtatim:Hic eſt (inquit) filius tuus. Quo dicto,inopinatus parens ingenti affectus lætitia in filij amplexus ruit, oſculiſq; delinitum domum recipit. Verùm cum præ recenti adhuc oraculi apud oppidanos, & Carthaginenſes memoria nõdum formidinem exuiſſet: ſumptis ſecum vxore,filio,omniq; ſupellectili Syracuſas, quò id temporis lex à Timoleonte promulgata omnibus ex oppidis Carthaginenſibus liberam veniendi poteſtatem conceſſerat,commigrauit. Vbi in ciuium numerum receptus tegulariam exercuit.qua poſtq̃ filium etiam imbuiſſet, paulo pòſt morbo correptus vita functus eſt. Poſt Carcini mortem cum Agathocles vnà cum matre extra Syracuſas ad hortos eſſet, dormiretq;, ingens apum examen fauum mellis ad os pueri conuolans formauit. Quod miraculum cunctis immani ſtupore proſequentibus,conſultus aruſpex eloquij in eo ſuauitatem, & ad Imperium euectionem interpretatus eſt.ad quod his initijs ſanè parũ honeſtis contendit.Damas inter Syracuſanos proceres & genere,& opibus princeps vir erat. Is Agathoclem inſigni eius captus forma ardere, atq; miſerrimè deperire cœpit. Cuius libidini obſequentem auro vbertim proſequitur.iamq; paruo tempore ex ſtupri cum Damãte patientia puer coaceruando ditiſsimus euaſit. Vbi verò per ætatem ex ephoebis exceſsit, libidinem à viris ad fœminas tranſtulit. mox eò ſcelerum proceſsit, vt iam vtroq; ſexu eſſet infamis.cum quo & Damantis vxor in adulterio deprehenſa eſt. Hinc Timæus eum ſcortum promiſcuum impudentiſsimo cuiq; expoſitum, Triorchem à Triorche aue efferatæ libidinis appellat. Inde vbi primùm per ætatem militiæ aptus fuit:cum & manu promptus,& valde facundus eſſet, Damantis auxilio,gregarius miles efficitur. Prima militia egregia facinora aduerſus Ennęos Syracuſanis edidit. Vbi eodem ſuffragante Hecatontarchus, quem Centurionẽappellant,factus eſt. Subinde cõtra Cãpanos, atq; Agrigentinos tantam de ſe ſpem omnibus dedit, vt omnium conſenſu Tribunus militum, quem Græci Chiliarchũ vocant,ſit inſtitutus. In quibus bellis præclarum ſibi Ducis nomen comparauit: agilis, promptus, & in periculis arduis obeundis ſtrenuus, & intrepidus,atq; ita in prælijs ſeſe obijciebat,vt ſemper inde cũ victoria reuerteretur. Cumq; milites vel turbatos,vel pauidos conſpiciebat,eos ſua facundia & firmabat, & audentiores faciebat, ad prædam, & latrocinia auidiſsimus. Hinc eo tempore ob morum eius affinitatem, quos natura ad furta imbuiſſe videbatur, loquacitatemq;, graculum ipſum appellatum ſcribit Timæus. Interea Damante morbo correpto, & tãdẽ abſq; liberis defuncto, vix inferijs peractis,vxor ex aſſe hæres,Agathocli,& quòd clandeſtinos antea accubitus cum eo habere conſueuiſſet,& quòd nomen eius militia inclarere cœperat, connubio iungitur. Atq; ita Agathocles ex inope diues,ex plebeio nobilis,& ex figulo Dux, fœlix etiam matrimonio,animum ad maiora erexit. Sub id tempus cum inter Crotoniatas,& Brutios bello exorto, Crotoniatæ inferiores facti à Brutijs dura obſidione præmerentur, à Syracuſanis auxilia petentes Heraclidem, & Soſiſtratum duces cum copijs impetrarunt,cum quibus & Agathocles cum Tribunatus munere eſt profectus. At cum Agathocles ſtrenuè cum Brutijs re geſta nomen ſuum propagaret, per inuidiam à Soſiſtrato Chiliarchatus dignitate priuatus fuit. Qui ſtatim apud Syracuſanos iniuſtè militia ſe abdicatum conqueritur, Soſiſtratumq; Tyrannidis inſimulat. Syracuſani ſpreto propemodum accuſatore Soſiſtrati cauſæ fauerunt. Quod Agathocles ægrè ferens Syracuſis abſceſsit,& in Italiam profectus ad Brutios deſciuit. Cum quibus contra Crotoniatas, eisq; fauentes Syracuſanos bellum mouit. Sed eo prælio victus,fugatusq; à Tarentinis receptus eſt. Vbi ob ſingularem militaris rei peritiam Præfectura donatus,cum in rerum nouarum ſuſpitionem poſtmodum incidiſſet, dignitatem ſimul cum ciuitate amiſit. Eodem ferme tempore cum Heraclides, & Soſiſtratus magna militum manu Rhegium

oppidum

Digitized by Google

oppidum obsiderent: Agathocles veteris iniuriæ non immemor coactis exulibus omnibus, qui per Italiam vagabantur, Rheginis opem tulit: profligatoq; Sosistrati, & Heraclidis exercitu, confestim Syracusas ad vrbem occupandam se contulit. Sed qui ex Sosistrate erant, cæteriq; ciues fortiter obsistentes non sine multo suorum sanguine irritos eius conatus effecerunt. Deinde cum Syracusani contra Gelam pugnantes vrbem deseruissent: Agathocles eius rei certior per emissarios factus mille cum militibus noctu Syracusas ingressus est. Sed Sosistratini, qui in vrbe erant, magna vi statim occurrunt, atq; eum extra vrbem cum suis fugāt, fugatosq; insecuti, ad angustissimum locum, vnde nulla euadendi spes apparebat, propellunt. At Agathocles in Syracusanos versus, acerrime contra propugnat, & tādem se, suosq; à discrimine non sine magno vitæ periculo strenuè liberat. Siquidem inter præliandum ab hostibus septem vulneribus confossus in terram corruit: adeoq; ex sanguine defluente debilitatus est, vt cum fugam arripere non posset, a Syracusanis confestim circundatus parum abfuit, quin in hostium manus veniret. calliditate tamen sua se redemit. Nam sine mora, suis ad vrbis mœnia signa canere iubet. Syracusani signo belli audito rati nouos aduenisse hostes, vrbemq; inuasisse, relicto Agathocle ad vrbem tuendam conuolant. ita ipse periculo exemptus in specus cuiusdam subterraneæ cum suis militibus primùm latebras, deinde in tutissima loca se transtulit. Vbi grauissimè ægrotans, ac longo itinere attritus diu conquieuit. Syracusani postq̄ ad mœnia peruenere, vbi se delusos agnoscunt, ad Agathoclem capiendum redeunt. Quo non reperto non satis constitutum habentes quod sibi capiendum consilium foret, neq; periclitari diutius pro eo tutum rati Syracusas reuersi sunt. Erat eo tempore Syracusanorum Dux Acestorides Corinthius. Is cum Tyrannidem ambiret, multaq; pro ea obtinenda tentasset: Agathocles hoc cognito spem sui facinoris accommodam inde sumens, clam per internuntios cum Syracusanis conspirationē pro libertate patriæ contra eum ordinauit. Sed non latuit Acestoridem Agathoclis consiliū. Id circo contra eū qua vrbem ingressurus erat, insidias ponit. Sed Agathocles hæc rescíens, adolescentem ætate, & forma sibi similem armis suis indutum: ac suo inuectum equo, per locum insidiarum transire iussit: qui pro Agathocle interfectus est: ipse verò rusticum mentitus per turbas nemini cognitus incolumis Syracusas peruenit. Vbi paulo pòst cum bis occupare imperium tentasset, secundò à ciuibus in exilium actus Murgantinos adijt. Illi cum infensissimi Syracusanis essent, Agathoclem ducem contra eos creant. Agathocles itaq; coacta maxima militum manu vrbem Leontinum ex inopinato adoritur, capitq;. deinde contra Syracusas profectus vrbem obsidet. Syracusani necessitate premente, exules, qui Sosistratinæ factionis erant, in vrbem reuocant: & cum Carthaginensibus, eorumq; duce Amilcare pacem, societatemq; ineunt, atq; auxilium implorant. Amilcar deposito quod ad id vsq; tempus in Syracusanos atrocissimè gesserat, odio hostili, subsidia eis decernit. Mira rerum vicissitudo. Vno eodemq; tempore Syracusæ vrbs ab hoste, ciuili amore defenditur, & à ciue hostiliter oppugnatur. Itaq; Syracusani & sociorum, & Pœnorum aucti viribus acerrime obsistendo ab incepta oppugnatione Agathoclem dimouerunt. Quod ille animaduertens ad fraudem se conuertit. Amilcarem per internuntios promissionibus non solùm sibi conciliare, sed occultè etiam se in eius societatem inducere studet. quod vt cum honesto prætextu impetraret, eum obsecrat, vt pacem inter se, & Syracusanos componat: quippe quòd inuitum, & desperatione non impietate ductum contra Syracusas se bellum gerere iureiurando affirmaret. Amilcar, qui toto animo ad occupandam Carthaginensibus Siciliam inhiabat, ratus quanto Agathocles Syracusanis viribus præstabat, tanto Carthaginenses maiorem ad capessendum Siciliæ imperium facultatem habere; societatem cum

homine

Digitized by Google

homine iungit. Pro qua Agathocles expositis ignibus cereis, eisq; digito contactis in obsequia Carthaginensium iurat. Quibus inter se clam firmatis, Amilcar ad concionem Syracusanos vocat, eos elaborata oratione ad pacem cum Agathocle hortatur: præsertim cum principe viro domestico, & potente. Cuius ipsi verbis persuasi pace renouata Agathoclem lætis animis in vrbem recipiunt. Vrbem ingressus cum Senatu, & populo ad Cereris templum perductus more gentis ictis sacris se nunq̃ amplius Reip. infensum fore, neq; contra eam arma sumpturum iurat, ac deinceps erga ciues comem, mitem, benignumq; se ostendebat, populi partes semper tuebatur. Qua morum immutatione illecti Syracusani quia tum ingenio, lingua, & militia erat insignis, tum quòd Amilcarem ad id authorem habebant, eum vrbis Prætorem simul, & Ducem non multò post instituerunt. præsertim cum eo tempore in plures ciuium factiones vrbe diuisa pleriq; ob Tyrannidis suspitionem in exilium abijssent. Agathocles itaq; magistratu suscepto, ad Tyrannidem occupandam totus inhiabat, modumq;, ac occasionem quærebat. Ad quam cum viros quosdam sibi aduersantes haberet, eos primum de medio tollere hac arte pergit. Contra Herbitam ciuitatem bellum se moturum simulanter edicit, postea Herbitenses quosdam patria extorres, qui in agro Herbitensi exercitum habebant, & Morgantinos multos, atq; ex finitimis vrbibus mercenarios milites delegit. Milites quoq;, qui secum strenuè contra Carthaginenses olim pugnauerant, & pluribus ab eo muneribus deuincti ad tyrannidem occupandam, delendamq; Remp. (quòd perpetuò subijci populo iniquum eis videbatur) iam secum nuper coniurauerant, ad se euocauit. Ciues præterea, qui paupertate pressi inuidia aduersus diuites exardebant, sibi socios asciuit. Ab Amilcare demum quinq; Pœnorum milia ad facinoris apparatum accepit. Eos igitur omnes cum Pisarcho, & Decleo, qui coniuratorum multitudini præerant, in vrbem reductos, mane ad concionem ad gymnasium, quod Timoleontis appellabatur, vocat, facunda, oratione eos contra proceres suę mentis turbatores, eo prætextu irritauit, quòd populi (cuius ipse studiosissimus erat) illi fortunæ inuiderent, ac libertati, quam eousq; fortiter ipse tutatus fuerat, & deinceps propter inuidorum diuitum calumnias, quibus premebatur, deserere cogeretur. Vix soluto concilio indomita militum, populiq; turba non diutius cunctandum: sed in sui Ducis hostes irruendum conclamans dato signo, concitatoq; impetu in seditionem vertitur. Vrbis Senatum primò; mox primores, ac potentiores exagitant, cœdunt, irruptisq; eorum ædibus prædam exportant. Ita vrbs repente tumultu, cæde, populatione repletur. Cuius facinoris ignari complures per inordinatum rumorem è domibus exciti, vt vrbi labenti succurrerent, ad vicos, forumq; festinabant, quos imparatos seditiosi milites adorti nullo obuiantium, ac ne affinium quidem habito discrimine, genus nullum omittentes immanitatis, & iniuriarum, trucidabant. Neq; enimuero in tanta vrbis clade, maxima hominum nece patrata, omniq; ciuitatis loco cadaueribus repleto, quisq; erat, qui ad tam dirum, & calamitosum spectaculum vel miseratione commoueretur, vel contrà iret. Portis vrbis clausis qui per eas profugium foras quærebant, capti vel interficiebantur, vel diripiebantur. Plurimi è mœnibus sese exrrà præcipites dabant, atq; ad vicinas vrbes fugiendo stragem euaserunt, quorum pleriq; cum Sosistrato apud Agrigentinos benignè sunt recepti. Initio deinde noctis vxores, virgines, & cæteræ mulieres omnis ignominiæ, atq; impudicitiæ dedecore violatæ sunt. Duobus diebus vrbe hoc pacto miserè dilaniata; tertia demum luce eos, qui tantæ cladi superfuerant, Agathocles captos ante se

Digitized by Google

adduci fecit. Et Dinocratem quidem propter veteris beneuolentiæ nexum liberum dimisit: cæteros verò vel peremit, vel extorres patria fecit. Cæsorum numerus supra decem: vero fugientium verò ad sex milia fuit. Rerum omnium, ac pecuniarum vis immensa abducta est. Iis immaniter gestis Agathocles milites, eosq; omnes, qui factioni suæ adhæserant, ad concionem vocauit, quos humanissima oratione a tantæ sæuitiæ admiratione abduxit: quippe quòd non alia via peruicacibus & Reip. libertatis perturbatoribus, q̃ permissa cæde obstari potuisset. Democratia, hoc est regimine populari, & non oligarchia, idest paucorum magistratu, qui facilè ad tyrannidem propensus est, deinceps vrbem moderandam sibi videri edixit. Et pro libertate Reip. semet tam arduum opus non sine grauissimo & rerum, & salutis periculo aggressum: quò & ipse omni solicitudine solutus priuatam cum cæteris vitam ageret. His dictis chlamydem sericam, qua erat indutus, laceratam humi proiecit, ac se magistratu abdicauit; hortatus plebem, vt cum in agmine, ac prælio pro tuenda Rep. eum socium periculi accepissent; tantùm adniterentur, ne ex sua parte tantæ curæ deessent: viderentq; quomodo postmodum optimè gubernata Resp. benemeritos præsequeretur. Sed hæc omnis ex composito conficta simulatio fuit. Iam enim pro comperto habebat, multitudinem, quæ tot cædes eo authore ediderat, non alium, nisi Agathoclem in Regem appetere. Proinde cum finem dicendi fecisset, tota confestim concio eum precibus vrget, oratq;, ne vrbem labantem deserat: sed imperium ipse, qui ciuis, qui Dux strenuus, & qui vrbis pater hactenus fuerat, pari animo susciperet. Qui cum ad hæc nihil responderet: sed meditantem se taciturnitate fingeret: multitudo repentè elatis clamoribus Regem eum conclamat, salutat, adorat. At ille cum se iterum Imperio ineptum, Remp. liberam fore. & non vni duntaxat illius administrationem conuenire responderet: populus eo magis, vehementiusq; repetitis suffragijs ei velut inuito regnum detulit. Demum ille multitudinis voto succumbere ea lege visus est, si tantum sibi soli imperium decernatur, vereri enim cum collegis imperare addidit, ne illis errantibus sibi error imputaretur. Cui annuente populo: Agathocles solus Rex efficitur. Initio quidem principatus non tam armis, q̃ comitati studuit: pauperes benignitate prosecutus muneribus pluribus affecit: in peruicaces durus animaduersor. At quanq̃ authoritate Regia vteretur: Diadema tamen susscipere noluit, vel satellites regio more, vt cæteri Tyranni ad sui custodiam habere. Sed facilis ad eum vnicuiq; accessus, aditusq;. Vasa præterea fictilia nomine suo in ansis græcè sic impressa, AGATHOCLIS. cuiusmodi apud Elorum anno salutis. 1555. mense Iulio vnum vidimus: quippe quòd ipse figulus, & figulo patre genitus esset, inter aurea ponebat, non alias maiorum imagines, vel triumphos, aut consulatus ostentans: quod glorioſius existimaret, regnum propria virtute, q̃ hæreditate adipisci. Firmato cum ciuibus largitionum, beneuolentiæ, ac modestiæ nexibus dominatu, quò illud ampliaret, ad arma se conuertit. Erat in portu magno ingens classis, quam Syracusani antea sibi parauerant. Qua aucta, conscriptoq; ad bellum milite instructa, finitimas vrbes repentino, & inopinato insultu aggreditur, & capit, sociasq; etiam Carthaginensium ciuitates permittente Amilcare incursionibus, direptionibus, omnibusq; iniurijs vexat. Ita, vt quod iam antea priuatus inceperat, Rex quoq; sine fide fuerit. Postea contra Messanam etiam mouet: cuius arcem paruo labore occupat. Pro cuius redemptione cum à ciuibus ex pacto argenti plura recepisset talenta; eam tamen ille reddere noluit, quin & reliquam vrbem per partem muri disiectam inuadere tentat. eoq; equestri, & pedestri milite missa; ipse cum classe noctu portum ingreditur.

Sed

Sed Messanenses perfidiam hominis simul, & conatus præsentientes, reparato q̃ celerrimè muro, ad custodiam vrbis militibus necessarijs distributis, fortiter propugnantes ab incepto hostem fœde repulerunt. Messanensi frustratus expeditione contra Mylas nauigat; oppidum obsidet, ac demum in deditionem accipit. Quo præsidijs munito Syracusas redijt. Aestate sequenti rursus contra Messanam, sed & tum frustra bellum mouet. Syracusanorum nanq; exules, quorum ingens manus erat ibi, & pro defensione vrbis, & in Tyranni odium acerrimè illi obstiterunt. Interea Carthaginensium in Sicilia ciuitates, quæ ab Agathocle rupto fœdere direptæ fuerant, apud Senatum Carthaginensem Agathoclis iniurias, & Amilcaris perfidiam proponentes, illum vt Tyrannum, & Siciliæ vastatorem, hunc verò non modò vt Syracusarum, sed sociorum etiam proditorem accusant, & ni strenuè succurrant, breui fœdum Agathoclis incendium Amilcaris culpa conflatum, & totam Siciliam simul cum ipsa Africa correpturum nuntiant. His querelis Carthaginenses ira perciti legatos ad Agathoclem mittunt: qui eum de fœderis, quod cum Amilcare inierat, violatione arguant. Illi Siciliam appulsi, pluribus vltro citroq; collatis, atq; ab Agathocle arce Messanensibus restituta, Libyam repetiere: Amilcarem verò secretò in vrnam coniectis suffragijs, quousq; Carthaginem rediret, capite damnant. Sed ipse spontanea morte præreptus Carthaginensium iudicio liberatus est. Agathocles post hæc Abacenam Siciliæ vrbem sociam profectus, supra quadraginta inuisos sibi ciues ibi interfecit. Interea Sosistratus, & cæteri Syracusanorum exules, qui Agrigentum secesserant, Agrigentinos ad reprimendam Agathoclis tyrannidem priusq̃ in immensum aucta totam Siciliam inuaderet, magnopere hortati sunt; vt contra eum q̃ primum exercitus paretur, idq; impetrarunt. Ad quod bellum Geloi, & Messanenses socij conuenere. Ducem deinde tanti exercitus, cum metu Tyrannidis suos ciues haberent suspectos, maximum Cleomenis Regis filium, qui paratam in Lacedemonia classem habebat, delegere. Is & Spartanorum inuidia, & rerum nouarum cupiditate ductus libenter Præfecturam inijt. Lacedemone itaq; paucis nauibus soluens, Adriam Italiæ vrbem ad Apolloniorum regionem primùm tenuit: quam tunc temporis à Glaucio Illyricorum Rege obsessam, pace inter Apolloniates, & Regem composita liberauit. Subinde Tarentum nauigans Tarentinos cum parata, quam habebant, classe, ad Agathoclis expugnationem socios adscripsit: cum quibus Agrigentum tandem applicuit. Eius aduentu Agrigentini magna primùm affecti sunt lætitia. Sed postea hominis vecordiam, luxumq;, ac rei militaris imperitiam, & quòd dolo Sosistratum eum redarguentem ad necem depoposcerit, Syracusani, Agrigentini simul, & Tarentini experti; spretum militiæ Præfectura priuarunt, lapidibusq; etiam impetierunt. Cæterùm ipse eorum impetu eluso noctu cæteris ignorantibus Agrigento sua classe soluens Lacedemona reuersus est. Tarentini cognito eius recessu Tarentum & ipsi redierunt. Post hæc inter Agathoclem, & Agrigentinos, Geloos, cæterosq; Siculos suadente Amilcare pax ijs legibus inita est: Vt ex Græcis Siciliæ ciuitatibus Heraclea, Selinis, & Himera Carthaginensium, sicut antea, ditionis essent: cæteræ verò vrbes ex seipsis regerentur: dummodo Syracusanos regiminis censores, moderatoresq; haberent. Pace firmata Agathocles audiens à Carthaginensibus Amilcarem ob fœdus cum eo à se initum damnatum, exercitum coegit, pedestres ad decem milia, equestres verò ad tria circiter milia, magnam quoq; armorum, ac sagittarum vim comparauit. Interea Sosistratus, & cæteri Syracusanorum exules, qui erant Agrigenti, ob pacẽ nuper factam, Agrigento Messanam, quæ sola Agathocli aduersabatur, migrant. Quo

reſcito Agathocles Paſiphilum virum militia inſignem cum claſſe inſtructa clam contra Meſſanam mittit. Paſiphilus inexpectatus Meſſanam appellēs, vrbis agros populatur, ac magnam inde hominum, rerumq; prædam abſtulit. Dehinc Meſſanēſes ad fœdus cum Agathocle componendum hortatus effecit, vt expulſis vrbe Syracuſanorum exulibus, pacem cum Agathocle fecerint: eumq; magno cum honore in vrbem ſuſceperint. Agathocles Meſſanam ingreſſus humaniſsimè primùm ciues eſt amplexus, poſtmodum vt eorum exules, qui ſub eius militia meruerant, in vrbem reciperent, hortatus eſt. Deinde Meſſanenſes omnes, & Taurominitanos, qui Tyrannidi eius impedimentum allaturi videbantur, interfecit. Sed & plebs quo magis ſibi eum aſtringerent, peregrinos omnes, quos ante ciuitate donauerant, & ei aduerſabantur, eorum vrbe expellunt. Interea Carthaginenſes numeroſam claſſem in Siciliam contra Agathoclem mittunt. Cuius fama vbi ad eum peruenit, continuò ciuitates omnes, quæ Libycis parebant, inopinato bello adortus plures vi, pleraſq; in deditionem obtinuit. Inter hæc Dinocrates Syracuſanorum exulum, quorum ingens erat multitudo, Dux Carthaginenſium aduentu, qui iam Agrigentum appulerant, fretus, Nymphodorum cum parte militum contra Centuripinos, qui nuper ad Agathoclem defecerant, emiſit, facilem eius occupandæ ſpem in ciuibus libertatis ſtudioſis, à quibus iam fidem acceperat, reponens. Ille itaq; Centoripen noctu aggreſſus, omnes in oppugnando oppido vires expendit; cui ad id coniuratorum ciuium auxilia plurimum animi addiderant. Sed dum ſatis nimis adnititur, ab excubiarum militibus ſimul, & ſocijs inter præliandum interficitur. Agathocles his cognitis confeſtim Centoripen properat, ibiq; authores conſpirationis gladio perimit. Sub hæc Carthaginenſium claſsis Agrigento Syracuſas venit; & portum magnum ingreſſa à Syracuſanis, qui omni opere muniti erant, bello laceſsita, fœde inde abire compellitur. In portus egreſſu nauem Athenienſium vnam capiunt, & nautarum manus in fruſta ſecant. Inde diuulſi cum Meſſanam vela tenderent, non longe à Catana plurium nauium ſuborta repente tempeſtate ſcopulis illiſarum naufragium patiuntur: quæ omnes à militibus Agathoclis capiuntur. Sub id ferè tempus Dinocrates Centoripe fruſtratus cum tribus peditum, & duobus equitum milibus contra Galeriam vrbem mouit. eamq; aliquandiu obſeſſam per deditionem pulſis antè Agathoclis militibus, qui ibi præſidio erant, accepit. Quo audito Agathocles Paſiphilum, & Demophilum cum exercitu quinq; milium militum ad eam recipiendam expediuit. Dinocrates, & Philonides extra vrbem in aperto campo caſtrametati ſuos in duas acies diuiſere. Vbi ab hoſtibus inuaſi fortiter ſeſe aliquantiſper, ac ferè æquo Marte defenderunt. At tandem Philonide altero exulum duce cæſo omnes eius milites fugam arripuerunt. Quo viſo Dinocrates cum & numero, & viribus inferior remanſiſſet, & ipſe fugiens ab inſequentibus hoſtibus magnam ſuorum cædem paſſus eſt. Illi verò fugatis, cæſisq; hoſtibus Galeriam nullo labore recipiunt: atq; coniurationis principes trucidant. Poſt hæc Agathocles priori victoria elatus. Carthaginenſes, qui Ecnomum in agro Geloo occupauerant, toto niſu aggreſſus turpiter inde fugauit, atq; ita maxima rerum oīum præda onuſtus Syracuſas redijt, ſpolijsq; Deorum templa ornauit. His rebus geſtis iam Agathocles & militū numero, & authoritate imperioq; maximè coaluerat. cuius æmulatione Carthaginenſes validam multarum triremiū claſſem rurſus moliuntur. quā ex primoribus vrbis ad duo, ex Libycis ad decē milia, ex ſtipendiarijs Tyrrhenis ad mille, & Balearibus fundatoribus ad totidem inſtruunt, curribus præterea bellicis, ſagittis, telis, pecunia ad bellum neceſſaria, ac commeatu omni ad dimicandum oportuno roborarunt: eiq; Amilcarem alterum, Giſconis vtpote filium militia peritum Ducem præficiunt. Is tanto cum apparatu vix è conſpectu vrbis claſſem ſubmouerat: cum repente vis

tempeſtatis

tempestatis exorta triremes plures, ac nauigia commeatu onerata disiecit: reliquas verò naues ad Siculum littus impulit, quo naufragio plurimis Carthaginensium & genere, & militia claris miserè obrutis, vrbs ipsa rumorem perlatum magno, ac publico luctu, nigrisq; saccis suo more induta excepit. Porrò Amilcar fedato mari ad Geloorum littus appulit. Vbi collectos milites, refectosq; in cõcionem accitos ad prælium cum hoste totis viribus conserendum hortatus est. Agathocles cognito hostium aduentu oppida non pauca Phœnicum præsidio munit. Geloos tamen præcipuè: ad quorum regionem ab Amilcare milites exposítos audiuerat. Deinde classem, quam paratam habebat, in magnum Syracusarum portum deduxit, quo Carthaginenses peruenturos formidabat: ipse vero cum exercitu terrestre iter ingressus in agro Geloo castrametatus est; nam in vrbem satis per se munitam ingredi superuacaneum censuit. Verùm cum paulo post Gelæ incolas ad seditionem, deditionemq; satis propensos cognouisset, cum non contemnenda militum manu vrbem ingressus quatuor ciuium milia interfecit: pecuniasq; omnes, aurum, & argentum, quod tota vrbe haberi potuit, sub capitis mulcta sibi tradi iussit. Quo facto vrbem præsidio firmauit: exercitumq; extra mœnia non longè ab hostium castris eduxit, ibiq; & ipse stationes fixit. Carthaginenses interea Ecnomum non magno spatio ab vrbe distans occupant. Agathocles è regione propugnaculum satis natura munitum & ipse habebat Phalarium appellatum. In medio vtriusq; propugnaculi fluuius interfluebat, qui exercitibus veluti terminus quidam, ac sacer limes videbatur: eo magis quòd fama per id tempus incolas per manus ducta tenebat, oraculo olim maximam hominum stragem ibi futuram, prædictam. Quod cum nec barbaros, nec Græcos lateret, etsi æquis viribus iam inuicem propè exercitus in aspectu se concernerent, à traiectu tamen fluuij simul, & prælio diu abstinuerunt. Tandem cum Libyci milites Agathoclis exercitum incursionibus prouocassent, Agathoclem in se incitarunt, qui suos ad prælium primum hortatus, atq; iuxta. fl. paratis insidijs in hostes irruit, superatisq; hostibus, maximam prædam curruum bellicorum asportauit. Iacturæ dolore inflammati Carthaginenses, græcos, qui prædam abduxerant, cum magna legionis parte improuidi insequuntur, fluuioq; traiecto in insidias incidunt, multisq; amissis turpiter in fugam retrouertuntur, quos persecuti Græci omnes hostiliter trucidarunt. Agathocles hac victoria elatus, ne victoria abuti videretur, pugnandi oportunitate haud neglecta omnem simul exercitum contra debilitatos hostes mouet. Quorum recenti magna cæde patrata angulum Ecnomi occupat. Barbari re inopinata perculsi cum retrofugere nequirent, in aggredientes & ipsi conglobati, impetu facto, græcos propellunt, atq; Ecnomum iam penè captum recuperant. Vbi consertis manibus initio belli magnis animis vtrinq;, multoq; sanguine prœliatum est. Cæterùm cum Græci ex priori impetu audentiores facti magis magisq; Ecnomo appropinquarent, pedetentimq; progrederentur, in propugnaculi partem prorepserunt. Amilcar fundatores mille eis opponit. Qui lapidum artificioso proiectu tantam Agathoclis militibus cladem, metumq; iniecere, vt illi Ecnomum deserere coacti, & insequente etiam eos cum fundatoribus Libyca manu castra deserere, & ingenti recepta strage, ita vt locus, qui inter vtrunq; interiacebat propugnaculum, græcorum cadaueribus repletus esset. ad Gelam vsq; fluuiũ, qui mille, & quingentis passibus à Phalario propugnaculo distabat, fugam capessere reliqui compellerentur. Vbi eos priori nihilo mitius oppressit malum. Erat nanq; in canicula æstas, & meridiei hora, cum fuga, & temporis calore siti contracta amentibus similes abiectis armis in amnem Gelam ad bibendum prolapsi, vitalibus aqua salsa combustis plurimi fœdissimo

mortis genere occubuerunt. Ita vt iam non vtriusq; propugnaculi modò interuallum ex cæde, sed & tota iam fluuij ripa Græcorum cadaueribus completa cerneretur. Fuit autem cæsorum numerus Carthaginensium quidem mille, Græcorum verò ad septem milia. Agathocles accepta miserabili clade, & afflictis, planeq; perditis rebus, militum reliquijs collectis, & incenso Phalario propugnaculo in Gelam vrbem se recepit. Fama deinde ab eo subdole simulata, dispersaq; ad hostes, relicta Gela, ipsum Syracusas clã petijsse: Libyci equites Gelam venere, vt amicitiæ specie recepti vrbem occupare possent. Sed dum mœnibus appropinquant, à Gelois sagittis impetiti in fœdam versi sunt fugam. Amilcar vbi frustra se circa Gelam moram trahere animaduertit; ea dimissa Siciliæ ciuitates circumpetijt, easq; astuta liberalitate, vultu blando, grauitate accommodata, humanissimisq; verbis in confœderationem allexit. in quam Camarinæi, Leontini, Catanènses, Tauromenitæ, Messenij, Abacenini, pluresq; aliæ vrbes, quibus Agathocles erat inuisus, confestim venere. Agathocles vbi res suas labi conspicit, relicto in Gelà præsidio prouidè Syracusas petijt, ibiq; muros reficit, ad minorem portum turres maximas ex lapidibus exoticis constituit, deniq; militibus, instrumentisq; bellicis, ac re frumentaria totam vrbem communit. Quo paulo pòst Amilcar tot ciuitatum fœdere, & viribus, & animo auctus, duram magni exercitus obsidionem perduxit. Verùm Agathocles vbi ad continua prælia, longamq; obsidionem imparem se videt, ingentis alioqui animi, ac feruidi, audacisq; ingenij vir in Africam bellum transferre constituit, vt hostibus domestico bello pressis, citra conflictum Sicilia eriperetur. Mirum profectò, sed oportunum facinus, vt quibus in solo suo viribus erat inferior, eorũq; vrbi Romani Imperij æmulæ, victus bellum inferret. Animos illi faciebant, hinc suarum rerum desperatio, inde Carthaginensium ignauia, reiq; militaris imperitia, pacis, & delitiarum amor, Libycorum contra eos odium, & immunita demum Pœnorum oppida. Huius, vt in eo consilij ingeniosum commentum, virilisq; audacia, ita non minus admirabile fuit silentium. Nam nulli ciuium, militum, domesticorum demum nemini, facinus animo destinatũ credidit, quousq; in Libyã applicuit. Cæterum anteq̃ Syracusis discederet, ciues suos omnes ad concionem vocatos obsidionem ad breue tempus fortiter vt ferant, hortatur, tum inuenisse se victoriæ viam professus, tum si eorum cuiq̃ prementis fortunæ conditio displiceret, liberè abeundi potestatem preconio pollicitus est. Sexcenti supra mille reperti sunt, qui vrbe relicta ad alia Siciliæ oppida eo permissu transmigrarunt. Cæteros omnes commeatu, & instrumentis ad obsidionem perferendam necessarijs instructos Antandro germano fratri viro militia præclaro vna cum vrbis, & belli (se absente) Præfectura commendauit. Ante discessum quoq; pleroſq; vrbis proceres Carthaginensiũ studiosos coniurationis reos & fortunis, & vita spoliauit, cæteros vero ciues, quibus se inuisum esse pro comperto habebat, ne vrbem se absente prodere auderent, factionis, cognationisq; diuisione facta, alios in vrbis tutelam reliquit, alios secum in Libyam conuexit, vt seditio etiam desiderata mutuo periculi metu cohiberetur. Subinde cum ingenti pecuniæ summa ad viaticum, tantumq; bellum indigeret: pupillorum bona à curatoribus exegit: quæ iureiurando pubertatis tempore omnia restituturum se promiserat. A mercatoribus quoq; sub fœnore quantum poterat, auri, argentiq; corrasit. Templa præterea omnia simul, & principes matronas auro armillis, mundoq; muliebri exuit, duplum cum victor reuerteretur, singulis reddituruſ. Magno igitur talentorum numero ea arte congesto milites quot potuit, conscripsit, vt seruos etiam ad bellum aptos libertate donatos in numerum phalangis retulerit. pedestres, equestresq; milites, arma, equorum ephippia, ac frena tantum, equos ex hoste recepturus, secum deferre iussit. Quibus rite paratis, septimo sui Imperij anno Athenis imperante Hieromnemone, Romæ verò.

Digitized by Google

verò.C.Iulio, & Qu.Aemilio Coss.Agathocles duobus adultis filijs Arregato,& Heraclide comitibus,ac magna militū manu secum assumpta classem septuaginta nauiū, quam in portu habebat, ascendit,iguaris adhuc omnibus quonam cursu iter intenderet. Quocirca varia inter Syracusanos militesq; quo veheretur, erat disceptatio:cum vulgus in Italiam,pleriq; ad ciuitates Siciliæ,quæ ad Carthaginenses defecerant,expugnandas eum proficisci opinarentur. omnes tamen temerariam eius vecordiam incusabant. Erat eo tempore ad fauces portus magni Carthaginensium classis vrbem,& portum obsidens, quæ per aliquot dies Agathoclis egressum remorata est. Demum cum naues quædam frumento onustæ Syracusis expectarentur: Carthaginenses cauti vt eas priusq; commeatum in vrbem deferrent,interciperent,cum tota classe contrà soluerunt. Quibus è portu diuulsis Agathocles cōcitato cursu libere egressus in Libyā vela dirigit.classis Punica iā in conspectū onerariarum prouecta,eas paratis tormentis vexare instituerat. At vbi Agathoclis vela Carthaginenses in alto conspexere: rati quòd ad suppetias onerarijs ferendas festinaret,illis dimissis,retroflexis rostris in Agathoclē vertuntur. Quem cum suo cursu aliò tendere vident,incredibili celeritate veluti fugientem insequuntur. Interea frumentariæ naues periculo ereptæ Syracusas ingressæ magno omuium plausu sunt exceptæ. Hostes verò Agathoclem remigio insecuti iam ad classem appropinquauerant,ipsamq; probris, & maledictis lacerabant. Sed nox superueniens,& ipsos à grauiori incepto, Agathoclemq; à captura liberauit. Sub tenebris nanq; nauigans ex hostium oculis euasit. Sequenti verò die dum rectà in Libyam pergit,Sol eclypsim passus adeo cœlum tenebris inuoluit, vt noctis, & diei nulla propè esset discretio, quod militum animos vehementer exterruit. Sed Agathocles vt eos ad spem,q; ad metum redderet procliuiores,satis arguta interpretatione ad hostium excidiū (sicuti antea Timoleō) portentum pertraxit.Cum enim naturalis syderum defectus præsentium rerum mutationem portendere consueuerit, Carthaginensium autem res florerent: suæ verò id temporis iacerent,vtrarumq; vicissitudinem affore per eclypsim dixit significari. Hac ostenti expositione suorum omnium mentibus excitatis, cum sex dies leni vento nauigassent: sub auroram diei septimi Carthaginensium classis eminus eos insequens apparuit. Qua Agathocles conspecta ad prælium se parat. Carthaginenses itaq; in postremas Agathoclis naues irruunt. Græci vero contra eos versi sagittis se defendunt. Barbari deinde culcitris, & tabulis suas puppes,quo sagittis obsisterent, fulcientes ad arcus, & fundas, in quibus eorum familiare erat studium, contra Græcos confugere. Maximis igitur conatibus; acriq; contentione prælium committitur. At Græcorum classi, quæ & numero, & viribus superior erat, plurimis Barbarorum cæsis belli fortuna fauit:atq; ita hostibus retrofugatis Agathocles feliciter tandem Libyæ littus attigit; locoq; Latomia(vbi lapidū erat excisio)appellato milites exposuit,vbi & naues in secessum vallo munitum subduxit. Ibi tum consilij sui detegendi tempus esse ratus,ad cōcilium militibus vocatis in quo discrimine res Syracusanæ essent, in memoriam reuocauit. Pro quibus seruandis vnicum fuisse remedium,vt in hostes foris arma verterent, quæ ab ijsdem ipsis domi infesta patiebantur. suas solum Domi vires ipsis suffragari,foris verò etiam auxilia hostium accedere. Nam Carthaginenses diuturnitate Imperij socios etiam suos habere æmulos,qui cum externas copias, auxiliaq; cōspexerint;confestim contra Pœnos suas vires cum græcis cōiungent. Africæ præterea oppida nec muris cincta, nec in montibus,locis natura munitis, sed in planitie sita facilem victoriam polliceri.cum vel metu excidij contra Carthaginenses cum Græcis socia arma sument,vel properam deditionem facere cōpellentur.atq; ita fore, vt ipse iam viribus Pœnis impar, breui hinc inde ex tota Africa accedentibus confœderatis superior fiat,præsertim in repentjno,inopinatoq;, &

toq;,& nunq; aliâs tentato bello,ad quod Pœnos cõcussio, & trepidatio etiã inutiles sint reddituræ.tandemq; aut omnino cessuros victoribus, aut reuocato è Sicilia suorum exercitu,domi pressos Syracusarum obsidionem relicturos. Quibus multa alia id genus, quæ ad permouendos militum animos imprimis valere solent,adiunxit. His dictis accensis corroboratisq; suorum animis, primùm milites perspectæ fidei ad sui corporis custodiam circumposuit:mox veste purpurea indutus, ac Regio diademate redimitus,Cereri, & Proserpinæ, quas olim Sicilia tutelares Deas sibi fecerat,more gentis cum omni exercitu sacra peregit. Deinde faces piceas accendi, easq; sibi,& singulis nauarchis deferri præcepit: atq; ad victoriam,& patriæ fœlicem reditum, inuocatis Cerere, & Proserpina sine longiori deliberatione in signiferam triremem, qua ipse vehebatur, ignem iniecit; eamq; combusit,quo suo exemplo vt idem cæteri omnes Nauarchi facerent imperauit:vt scirent nullam infuga, sed in sola victoria salutis spem fore constitutã. Quo dicto,mox igne iniecto triremes omnes sunt combustæ. Atq; ita demum curatis corporibus exercitum in acies diuidit:ac contra vrbem quandam, quæ magna ciuitas appellabatur,opibus,& pecore ditissimam,plurimisq; pagis ornatam instar rapidi fluminis irreuocabili impetu fertur. Milites verò vrbis opulentia conspecta per prædæ cupidinem metu propulsato ad mœnia properant, vrbem acri oppugnatione,ne momento quidem intermissa,oppugnant. oppidani initio belli tametsi rudes ad militiam,vt poterant, intus se defendebant. At Agathocles machinis admotis acrius mœnia quatit,& per muri partem,quam disiecerat; militibus immissis non sine magna hostium cæde vrbem vi capit, quam vt militibus fortitudinem adderet, diripiendam exercitui concessit. Prima hac victoria Syracusani animo elati, vrbẽ aliã non lõge inde distantẽ petunt,eamq; etiã paruo negotio capiunt.Eas vrbes, quò terrorem cæteris incuteret, Agathocles demoliri iussit. Quibus prostratis sub dio cum suo exercitu castrametatus,ordines vigili custodia tuebatur. Interea Carthaginensium classis ab Agathocle ante superata ad Latomias appulit. Vbi cum fragmenta Syracusanæ classis viderent,rati Græcos persequentium motu id fecisse non mediocriter gauisi sunt. Sed cum duas ciuitates ab eis captas,ac dirutas,& Agathoclem victorem per Libyam nullo obsistente cum exercitu grassari è diuerso persensere,gaudium cum metu commutarunt. Iamq; fama Agathoclis aduentus, duarumq; vrbium excisarum Carthaginem venit. Qua consternati Amilcarem in Sicilia cum exercitu cecidisse, & Agathoclem parta ibi victoria victorem in Africam traiecisse existimarunt. Quocirca Carthaginenses aduocata ciuium concione quid facto opus esset,cum hostis non longè à mœnibus abesset,vrbsq; milite simul, & bellicis instrumentis destitueretur,consilium capiunt. Pleriq; legatos pro pace ad Agathoclem æquis cõditionibus ferienda mittendos:alijs nullo pacto succumbendum:Sed in quo statu res essent Syracusanorum,primò perscrutandum, ac tum demum deliberandum esse,visum est. Dum hoc modo in vrbe trepidaretur, nuntius à Duce Carthaginensis classis è Syracusis missus affuit,fœlicem rerum in Sicilia gestarum progressum nuntiat, & Agathoclis astutiam refert. Quibus cognitis magna Carthaginensium in Amilcarem exarsit indignatio:eumq; accusant, quòd hostem victum in Libyam cum copijs traijcere permiserit. mox Hannonem, & Bomilcarem antiqua militaris peritiæ gloria claros, ea causa duces colligendo exercitui deligũt, quod cum priuato inter se odio flagrarent,in prodenda Agathocli Carthagine coniurare non possent. Hi itaq; duces peditum quadraginta milia, equites mille,curruum bellicorum duo milia comparant.cum quibus contra Agathoclem mouẽtes nõ longè ab eius exercitu quẽdã montis vertice occupant,ibiq; exercitu in acies diuiso, Hãnoni cornu dextrum, Bomilcari sinistrum est assignatum.Cũq; castrorum locus esset angustus,currus,& equites ante aciẽ veluti iamiã pugnaturi posuerunt.

posuerunt. Agathocles hostes ad prælium paratos videns, copias suas & ipse in acies diuidit. Dextrum cornu, & peditum duo milia Archagato dedit: sinistrum Syracusanis, qui supra tria milia erant. subinde stipendiarios Græcos ad tria milia, Samnites, Tyrrhenos, & Celtas ad tria quoq; milia suis etiam Ducibus, & Præfectis distribuit. Ipse verò cum mille catapractis in medio alarum Carthaginensibus se obiecit. Sagittarios præterea, & fundatores, qui circiter mille erant, in cornua quoq; diuisit. tyrones verò, eosq;, qui exercitum sequebantur, virgis instruit, quæ pro armis eminus ab hostibus conspicerentur. Quæ tamen omnia Syracusanos, conspecta Carthaginensium multitudine, quibus ipsi numero satis erãt impares, à timore, phibere nõ potuerunt. Ideoq; suorũ nutationi Agathocles vt occurreret, prudẽs noctuas plures, quę Græcis, p victoriæ portẽto eo quòd Minervæ sacræ sunt, præsagioq; habentur, clam in suum exercitum veluti cœlitus delapsas volantes immisit. Quarum aspectu Syracusani mirum in modum, & gaudio affecti, & abiecto metu animis erecti tanq̃ victoriam in manu certam habentes, repente in hostes impetum faciunt. Carthaginenses lacessiti currus bellicos contra Græcos primùm emittunt. Quibus Agathoclis sagittarij oppositi, sagittarum continua iaculatione adeo eos impetierunt, vt equites impetum non ferentes ad suas acies diffugerint. Quos Syracusani insecuti plures currus cepere, in quibus manicarum vigintimilia reperierũt, quas Barbari pro ligandis Græcis, quos capere sperabant, parauerant. Hannonem præterea, qui fugatis equitibus peditum subsidia adduxerat, cũ magna militũ suorũ parte confodere. Qua fortuna Carthaginenses viribus, & animo lapsos, Syracusani è contrario victores maiori nisu, viribusq; Barbaros adorti, multis trucidatis cæteros in fugam compulere. Bomilcas Carthaginensium dux alter cognita Hannonis, & suorum clade, tum quòd ad Carthaginis tyrannidem aspiraret, tum quòd similem calamitatem in se, suisq; cohortibus pertimesceret, dimicare cum Agathocle amplius noluit: sed in verticem, vbi antea castrametatus fuerat, se recepit. Ceciderunt ea pugna Syracusanorum duo ferè milia: Carthaginensium verò cum Hannone eorum Duce ad sex milia, vt Diodorus numerat, licet tria tantùm milia Trogus tradiderit. Mirum erat, ac penè incredibile, hominem vidĕre paulo antè in patria victum, profligatumq; iam cladis acceptæ pœnitus oblitum, paucis cum copijs in solo alieno contra ingentem multitudinem, veluti cœlesti numine correptum cęso Ducum altero cum victoria triumphare. Quod ipsum admirati Carthaginenses cladem suam in Deorum iram referentes, ad eos placandos se conuertunt. sacra omnibus, præsertim verò Herculi, & Saturno (templis frequentatis) solito maiora parant. Herculi siquidem quem Tyrium esse arbitrabantur, quotannis rerum omnium decimam Tyrum vsq; mittere consueuerant. Quem tamen morem cum diuitijs pollerent, successu temporis in parua quædam munera commutarant. Saturno verò prisco tempore filios pulchriores, fortioresq; sacrificare soliti erant, quibus tamen postea Gelonis lege impietatem perhorrescentis diu abstinuerunt. Quem morem licet post legislatoris mortem resumerent, non proprios, sed exteros pretio emptos, atq; ad id nutritos mactabant. Carthaginenses igitur Herculis, & Saturni iram spreta veteri religione prouocatam, hanc ipsis vindictam attulisse, atq; expiandam esse culpam, sacri liberalitate rati, Herculi simulacra plurima tota aurea ad Tyrum detulerunt, Saturno verò genere, & pulchritudine præcipuos quosq; pueros palàm ei immolarunt. Multi præterea ob priuata scelera damnati vltro se Saturno hostias obtulere. Erat Carthagine eius simulacrum æneum manibus extentis, palmisq; apertis firmatum, ac sub eo vorago ingens ignea, in quam pueri sacris addicti proiecti flamma cessante in cinerem demum resolnebantur. His sacris sæuissimis peractis Carthaginenses legatos ad Amilcarem in Siciliam cum combustæ Agathoclis classis reliquijs misere, ei, vt

perenni-

pereunti patriæ ſtatim ſuccurrat, imperantes. Amilcar acceptis imperatis nil territus ad fraudem & ipſe primùm ſe conuertit. Syracuſas enim legatos cũ combuſtæ Agathoclis claſsis veſtigijs miſit; qui ipſum cum ſuo exercitu in Libya perijſſe, eiusq; claſſem conflagraſſe enarrent, oſtenſisq; incendij ſignis ciues ad deditionem hortentur. Ciuitas ſimulatam Agathoclis cladem certò credens, ob ſuorum occubitus triſtitia, trepidationeq; repleta eſt. Sed Antander Agathoclis frater, qui vrbi præerat, animi fortitudine præcellens, expulſis magno cum dedecore Amilcaris legatis, plebem in fide, atq; conſtantia continuit, ea omnia Punicæ fraudis (ſicuti erant) commenta eſſe prædicans. Deinde ne ſeditionis fomites vltrà procederent, conſanguineos, amicoſq; Syracuſanorum exulum, qui octo ferme fuerunt milia, vrbe expulit. Amilcar, ad quem pleriq; exulum transfugerant, trepidatione Syracuſanorum per eos cognita, cum omnibus copijs ad vrbem appropinquans, primum eos ad deditionem ſuaſit, cumq; ciues in partes varias raperentur, pleriſq; deditionem faciendam, alijs certæ fidei nuntium auditæ cladis expectandum aſſerentibus, machinis aduectis vrbem expugnare ſtatuit. Sed dum hæc in Sicilia geruntur: Agathocles eo rerum ſucceſſu factus alacrior duas triremes cum Hiarcho Præfecto Syracuſas expediuit, qui fortunatiſsimum victoriæ curſum ciuibus nuntiaret. Hic itaq; quinto die è Libya cum militibus coronatis, & pæana canentibus noctu in Syracuſanum portum applicuit. Amilcaris excubiæ, vt triremes inexpectatas vident, in eas protinus irruunt, atq; ſimul pugnant. Fama duarum triremium aduentus tota vrbe ſparſa, ciues lætos audentioresq; ad portum euocauit. Syracuſani vbi ſocios cum hoſtibus dimicantes cernunt, ad ſtrenuè pugnandum magnis, editisq; vocibus ſuos hortantur. In ea pugna triremium altera parum abfuit, quin à Carthaginenſibus caperetur. Tandem fortiter triremes reſiſtendo periculo ereptæ ad littus peruenerunt. Amilcar verò veteris aſtutiæ non oblitus, vt omnem propè ciuitatem in portum ad ſpectandum confluxiſſe vidit, ratus, vt veriſimile erat, aliquam murorum vrbis partem à cuſtodibus derelictam eſſe, obſeruato proſpectu electos milites cum ſcalis ad muros deſertos miſit. Qui mœnia, & partem propugnaculi (nemine aut vidente, aut obſiſtente) facilè occuparunt. Sed cum forte fortuna eadem hora commeatus vrbis portitores eà tranſeuntes rem vidiſſent, hoſtem muros aſcendiſſe elatis clamoribus prodũt. Syracuſani ad eorum vocem magno ſtatim impetu exciti, pugna ad mœnia ſummo animorum vigore conſerta, hoſtium auxilia præuenientes multos Carthaginenſium interfecere, & pleroſq; etiam è mœnibus telis, & præcipiti impulſu deiecere. Amilcar hoc pacto reiectus omiſſa potiundæ vrbis ſpe è ſuo exercitu militum quinq; milia Carthaginem ſubſidio miſit. Dum hæc apud Syracuſas fœliciter peraguntur: Agathocles non longè a Carthagine plura oppida vi, pleraq; ſeſe vltro per odium quo Carthaginenſes proſequebantur, dedentia accepit. Subinde Tunetum oppidum, quod .15. p.m. à Carthagine diſtat, cepit. Vbi relicto militum præſidio ad maritimas ciuitates deſcendit. Quarum vnam, quæ Neapolis appellabatur, magna vi expugnauit. Sed humanitate erga ciues maxima vſus, eam illis munitam reddidit. Promontorium quoq; Thaphitis, & eius collem, cui à forma Aſpis nomen eſt, occupauit. Quem quòd natura munitiſsimus eſſet, ad ſuam diutinam habitationem (lib. 17. teſte Strabone) ſibi delegit. Deinde Adrymetum vrbem obſedit. vbi dum in ſtationibus ageret, Lilymam Libycorum Regem in fœdus, ac ſocietatem ſecũ aſciuit. Carthaginenſes Adrymeti obſidione cognita, cũ copijs, & bellicis inſtrumentis Carthagine egreſsi Tunetum pergunt, illudq; magnis viribus oppugnant. Quo cognito Agathocles ad Adrymetum parte exercitus relicta, cum reliqua cliuum quendam inter Tunetum, & Adrymetum, vnde ab Adrymetinis, & Carthaginẽſibus Tunetum oppugnãtibus videri facilè poſſet, aſcendit.

Digitized by Google

aſcendit. Vbi per noctem plura lumina, ingentesq; ignes accendit, acſi maximum ſecum ibidem exercitum haberet; quò ſic & Carthaginenſes, & Adrymetinos terreret. Carthaginēſes enim ignibus eminus conſpectis ingenti metu perculſi, dimiſſa Tuneti obſidione, & relictis etiam ibi tormentis bellicis, fœda fuga confeſtim inde diſcedentes, domum ſunt regreſsi. Adrymetini etiam eo commento ludificati eodem die deditionem fecerunt. Adrymeto capto Agathocles Tapſum aggreſſus vrbem vi cepit. Tapſiorum deinde auxilio plures finitimas vrbes adeptus eſt. Hoc rerum ordine ad interiora Libyæ loca, maxima militum manu inſtructus contendit. Interea cum militum quinq; milia, quæ Amilcar titubanti patriæ remiſerat, Carthaginem veniſſent, cognito Agathoclis diſceſſu, Carthaginenſes iuſto exercitu coaptato, rurſus ad Tunetum obſidendum ſe parant: & receptis antè quibuſdam oppidis, quæ ad hoſtem defecerant, dura obſidione illud premunt. Agathocles de his omnibus per ſuos certior factus, magnis itineribus nec noctem, nec diem quieti dando reuerſus, repētinus, ac improuiſus ad Tunetū in Carthaginenſes abſq; ordine palantes irruit. eorumq; duobus fere milibus interfectis, magnam etiam multitudinem cepit. Poſt hæc Lilymam Regem, qui interea fœdus violauerat, magno exercitu adortus ſuperat, ipſumq; cum magno Libycorum numero trucidat. Dum hæc in Libya fœlici Marte ab Agathocle geruntur; Amilcar in Sicilia cum plura Syracuſis finitima recepiſſet oppida, contractis quantū poterat, militum copijs, & Dinocrate conſtituto equitum Præfecto, ad oppugnandam vrbem magno ſtudio properabat, oraculi vaticinio, ſiue in ſomnis voce audita, vt lib. 1. de diuinatione refert Cicero, fretus, quæ eum poſtridie Syracuſis cænaturum prædixerat. Antander hoſtium aduentum prædoctus, ſpeculatoribus fidei teſſera data ſolenni, tria peditum milia, pluresq; equites noctu contra eos clam eduxit. Diuiſerat Amilcar in duas exercitum acies, in Barbaros & Græcos exules. Qui omnes vtrunq; Ducem, ſed abſq; ordine ſequebantur. Cumq; nimia feſtinatione per anguſtas vias tumultuariè procederent, & alter alterum præire ſatageret, inſolitum ſtrepitum edebant, quo Syracuſani, qui in Euryclo præſidia tuebantur, excīti in obuios irruunt, eosq; ex eminentiori, latioriq; loco q̄ facilimè repellebant, & in locorum anguſtias repreſsos precipites egerant. Carthaginenſes ijs periculis irretiti in fugam vertuntur, quæ & ipſa miſeris exitioſa fuit. Nam cum per tenebras ſe mutuo non agnoſcerent, in hoſtes ſeſe illapſos rati, cædendo anguſtias perrumpere conabantur, ſuisq; ſe ipſos gladijs mutuò perimebant. Amilcar verò conſiliorum inops (vt in arduis ferè fit) a ſuis dum dimicationi potius, q̄ fugæ fortiter ſtudet, deſeritur, Cumq; vndiq; euadendi facultas ei adimeretur, à Syracuſanis circunſeptus capitur, & arctiſsimè vinctus in vrbem ducitur, oraculo, ſiue ſomnio à ſe perperam interpretato, fidem daturus. Illuceſcente deinde per plateas ignominioſè tractus ab irruente plebe interficitur, eiusq; abſciſſa ceruice caput per compita viarum primùm omnium ludibrio traducitur, mox in Libyam ad Agathoclem mittitur, veluti fœliciſsimæ, inopinæq; victoriæ certum indicium. Carthaginenſes accepta clade, & Duce amiſſo cum Græcis dimicare amplius non ſunt auſi. Sed ne capite deſtituti facilè diſsiparentur, eos cæſo ſufficiunt, qui ſecundam poſt Annibalem in exercitu dignitatem habebant. Syracuſanorum verò exules Dinocratem in Prefectura confirmant. Interea Agrigentini cognita Carthaginenſium calamitate, & imbecilli Syracuſanorum potentia, quam commeatus inopia ſuſtinere vltra vix poterant, principatum in Sicilia ſibi vendicare pergunt. Ad id igitur exercitum ingentē comparant: cui Xenodicum ducem preficiunt, atq; ad libertatem omnes Sicilię vrbes edicto publico vindicant: vt beneficio potius, q̄ vi rerum Sicilienſium ſummam promeruiſſe, non coegiſſe ſibi viderentur. Xenodicus primùm contra Gelam mouet, vrbē auxilio, atq; tractatu quorundam ciuium noctu ingreditur; vbi

magna

magna pecuniæ vi factus opulentior, ciuibus libertatem donat: qui ea gratia deuincti cum Agrigentinis consociantur, atq; vnà cum eis per circumuicinas vrbes egressi, omnes liberas faciunt. Sed & cæteræ Siciliæ ciuitates vulgata Agrigentinorum & potētia, & officio, vltro eis pro libertate adipiscenda iunguntur. Ennęi deditionem cum fecissent, liberi quoq; sunt facti. Inde Agrigentini Erbessum oppidum, natura & arte munitum magnis viribus aggressi, multis Barbarorum cæsis, expugnatum libertati restituunt. Dum hæc Agrigentini tam fœliciſsimo, q̃ etiam celerrimo fortunæ cursu gerunt; Agathoclis milites, qui Syracusis, & in alijs erant oppidis, rerum omnium penuria, & annonæ præsertim caritate pressi, finitimos agros, ciuitatesq; populabantur. Quorum rapinas Leontini, & Camerinæi exosi Agrigentinis confœderantur, quibus socijs Xenodicus *instructus* confestim contra Agathoclis milites, ne pubescerent, mouet, atq; pernitiosam eorum rabiem, latrocinandiq; licentiam magno exercitu depressit: Inde progressus Echetlam vrbem obsedit, quam magna vi expugnatam constituta ibi Rep. à seruitute asseruit. Iamq; Xenodicus pluribus ciuitatibus à Carthaginensium, & Syracusanorum iugo ereptis, hostibus tantum incusserat metum, vt quocunq; pergeret, oppida, & munitissimas etiam vrbes sibi sine vllo ferè negotio subigeret. Interea Syracusani rei frumentariæ pressura coacti, plures onerarias ad vrbes in latere meridionali sitas pro tritico miserunt. Quibus viginti triremes præsidiarias adiunxere. Quo cognito Carthaginenses, qui & ipsi aliquot rostratas habebant, in triremes Syracusanas exeunt, atq; eas vsq; ad Iunonis templum, quod iuxta littus vrbis erat, insecuti, iectis ferreis manicis decem ex eis capiunt: reliquę verò militum subsidijs, qui ex vrbe prodierant, portum incolumes subiere. Dum hæc in Sicilia rerũ esset agitatio: in Libya Agathocles, qui mira belli facinora patrauerat, subequitans Carthaginensibus insultabat, atq; ad animi deiectionem contumelijs, ludibrijsq; plurimis ostenso eis Amilcaris capite, quod ad lanceæ cuspidem fixum ferebat, prouocabat. Qui viso Ducis capite animis concidunt, luctu replent omnia, ac templa, veluti iamiam extremam passuri cladem frequentant, & sacra offerunt. Græci contrà Pæana canebant, ouantiumq; more victoriam, quam in manu tenere se arbitrabantur, personabant. Sed dum satis nimis Agathocles se effert, fortunæ inconstantiam vindictamq; est expertus. Erat inter exercitus duces Lyciscus quidam vir animo præstans, & militia strenuus, multisq; victorijs in hoc bello insignis. Is inter cœnandum vino obrutus (vt sunt quorundam ebriorum ingenia ad contumelias rixasq; procliuia) maledictis, conuitijsq; Agathoclem incesit. Quem cum ipse tempori se accõmodans non modò patienter, sed & vt per iocum oblocutum tulisset, Archagatus eius filius, vt erat iuuenis, ac incontinentioris, ferociorisq; animi, parentis iniuriam non ferēs Lyciscum ingenuè increpando, temeritatis accusando, conuitia deniq; retorquendo acriter repressit, ac demum maledictis & ipsum aggreditur. Ille per ebrietatem etiam Archagati verbis factus insolentior, matris adulterium cum eo commissum, passimq; notum exprobrat. Archagatus improperio in furorem actus repentè in temulentum irruens, actaq; per latus lancea eum lethaliter transfixit. Necato Lyciſco exercitus ferme omnis illius studioſiſsimus in arma prouolat, atq; Archagatum ad meritam mortem deposcunt. Quem cum eis Agathocles dare recusaret; in seditionem versi milites stipendia ab eo non soluta exigunt. Quibus non receptis, ab eo desciscunt, atq; extemplo vrbem Tunetum inuadentes sibi occupant, tumultuarioq; præsidio muniunt. Carthaginenses seditione Græcorum audita per legatos mox eos ad societatem maxima mercede inuitant. Iamq; in procinctu erat, vt ad hostes transmigrarent, cum Agathocles veritus ne (quod proculdubio futurum erat) milites bello exercitatissimi ad hostes transirent, sibiq; ad extremũ omni belli mole diuulsa exitiũ struerent, tum præuidens

nihil in

nihil in conatibus ſubitis conuenientius, q̃ remedij celeritas, vt truces militum animos leniret, ſeipſum in diſcrimen iniecit, ſatius ſibi fore à ſuis, q̃ ab hoſte perimi ratus, ſagaci, & callida opitulatione rebus labantibus conſuluit. Proiecta nanq; veſte purpurea ſordidam indutus in medium militum agmen ſolus erupit. Vbi præ rei nouitate ſuſpenſis commilitonum animis, factaq; ei dicendi copia, è ſaxeo ſuggeſto fidentior, vt apparebat, ſolito, artificioſa oratione eos mira (qua vigebat) facundia primùm ad pacationem inducere conatus, omnia ſe ad eorum votum facturum, & non modò Archagato filio, ſed ſibi etiam ipſi diem dicturum pollicitus eſt. mox euaginato enſe ſemet confodere velle ſimulauit. Milites porrò hoc horrendo ſpectaculo perculſi, perfidia depoſita, tum ad Agathoclem à nece præſeruandum, clamores etiam dehortantes præmittendo, certatim accurrunt, leuitatis ipſum inſimulant, ac demum Lyciſci mortem Archagato condonant. Regiam vt ipſe veſtem reſumat, ac bellum contra hoſtes lætis animis, vt proſequatur, hortati: humana eſſe hæc omnia, & frequenter in bello accidere edicunt. Sedata hac arte militum ſeditione, Agathocles dimicandi occaſionem ex eo tumultu oblatam non omiſit. Nam cum ſciret Carthaginenſes ob fœdus initum, Græcorum militum expectatione improuiſos eſſe, quippe qui hoſtem nullum iam amplius haberent, omnem exercitum contra eos mouet. Barbari ſpe decepti vix armis ſumptis, acies & ipſi diuidunt. Quos Agathocles adortus magno facto impetu (plurimis cæſis) fudit, fugauitq;. Parta victoria ſeditionis authores, quibus Elinon Dux præerat, veriti ne Agathocles vltimo in eos ſupplicio animaduerteret, ad Carthaginenſes transfugerunt. Quo cognito Agathocles, aſſumptis peditum octò, equitum verò viginti milibus, & curribus bellicis tredecim, relicto ad Tunetum Archagato filio, ingenti cum exercitu hoſtium terga ſecutus eſt. Illi verò numero ſuperiores primùm ad Zuphonæ agros caſtrametati ſunt: mox ad propinquum montis verticem, profundis ſpecubus, difficili aſcenſu, & aquarum commoditate probe à natura munitum, aſcenderunt. Qui cum Agathoclis exercitum fluuium quendam traieciſſe vidiſſent, armati contra eos impetu feruntur, ac ex eis multos perimunt. Sed Agathoclis milites, qui corporis, & animi viribus præſtabant, acerrimè obſiſtentes tandem illos præcipiti fuga ad montis propugnaculum conuertunt, ſolum transfugis cum Elinone eorum Duce ſe ſtrenuè defendentibus. Tandem Agathocles pluribus illorum interfectis, reliquos, qui mille ferme erant, quorum pleriq; Syracuſani erant, viuos cepit. Deinde contra Pœnos, qui ad verticem profugerant, mouit. Sed cum locus ille natura inſuperabilis eſſet, parum abfuit, quin ab hoſtibus Agathocles caperetur: fortiter tamen dimicando periculum euaſit. Erant in vtroq; exercitu Nomades multi Libyæ populi, qui ex gregibus veluti paſtores viuunt. Hi cum belli diſcrimina moleſtè ferrent, militia relicta in inſidijs ad prædam ſe poſuerunt, vnde cum Agathoclem longe eſſe à ſuo exercitu animaduertiſſent, in græcos egreſſi (pluribus illorum cęſis) ſpolia etiam multa & ampla tulere. Agathocles hoc cognito, exercitum ſuum reducit, atq; multitudine equitatus ſui in hoſtes diſciſa, prædantium terga inuadit, & multa ſpolia recuperat, quæ poſtea inter milites diſtributa ſunt, nocte tamen ſuperueniente Nomadum plures cum cætera præda tutò abierunt. Poſt hæc Græcos mille transfugas, quos viuos eum cepiſſe retulimus in arce poſuit, ſupplitium de illis ſuo tempore ſumpturus, ſed illi noctu cuſtodibus cæſis, arcem ſibi occupant. Sed Agathocles ad artem conuerſus, blando ſermone ita eos pellexit, vt arcem, ac ſe ipſos ſibi

Digitized by Google

iuramento dederint: quos tamen postmodum violata fide omnes peremit. Interea cum res Carthaginensium domi forisq; in præceps laberentur, non solum tributarij, sed & Reges etiam eorum socij, fœderis iura non fide, sed rerum successu metientes, à Pœnis ad Agathoclem deficiebant. Erat eo tempore inter Libyæ Reges Ophellas Cyrenaicæ regionis Rex, qui antea cum Alexandro magno fœdus inierat, totaq; Cyrenaica prouincia magna potentia potiebatur. Est etenim Africa tertia pars orbis in. 14. regiones hoc ordine ab occasu diuisa. Nimirum in Mauritaniam Tingitanicam, Mauritaniam Cæsarienſem, Numidiam, Aphricam, Cyrenaicam, Marmaricam, Libyam, Aegytum inferiorem, Getuliam, Libyam Africæ, Aegyptum Thebaidem, Libyam interiorem, Aethiopiam Aegyptiacam, Et Aethiopiam extremam. Agathocles igitur Ophellam Cyrenaicæ regionis Regem per Orthonem Syracusanum ad belli societatem contra Carthaginenses inuitat, pactus, vt Sicilia sibi, Africa illi tota victis Carthaginensibus cedat. Non enim spe Africæ possidendæ cum tam lato & immenso pelago à Sicilia disidet, se bellum cum Pœnis gerere, sed inuitum detrectantemq; affirmabat, & vt tutò Sicilia potiri posset, & Italia vicinior esset, quam facilè, si ampliandi Imperij cupidine teneretur, subijcere posset. Atq; his Ophellam, improba imperij Africani auiditate iam multo antè æstuantem, ad confœderationem impulit. Ophellas icto q̃ primum cum Agathocle fœdere, Athenienses etiam causa Enthidionis vxoris, quam ei Milciades Athenienſis pater desponderat, cognatos, & iure coniugij affines per legatos pro auxilijs ad expeditionem contra Pœnos solicitat. Quæ Athenienses & Libyci regui, quod iure hereditario sibi deberi asserebant, & præde ingentis ex Carthagine asportandæ spe, non recusarunt. Ophellas itaq; contractis peditatus supra decem, equitatus viginti, curruum tredecim, aurigarum vndeuiginti milibus, quos omnes liberi, & vxores sequebantur, cum ingenti exercitu ad Agathoclem se conferebat. Cumq; decem & octo dierum spatio trecenta septuaginta ferè passuum milia confecisset, ad Automolas castrametatus est iuxta montem excelsum, & vndiq; præruptum, in cuius vertice vorago est immensa, qua quædam rupes acuta exurgit, sub cuius radice antrum erat ingens hedera, & similagine tectum, vbi prisci Lamiam fabulantur fuisse. Inde progressus duorum mensium itinere demum ad exercitum græcorum appropinquauit. Quod vbi Agathocles cognouit, summo cum honore illi occurrit, commeatum, & cætera necessaria subministrans. Qui viso tanti exercitus apparatu, rapaci eius sibi vendicandi libidine statim rapitur. Itaq; ad patrandum facinus blando prius alloquio Ophellam sibi conciliauit, deinde ad adoptandum Archagatum filium, eum inducere studet. Post hæc dum maior Ophellæ exercitus pars in Carthaginensis agri pro commeatu contrahendo excursionibus esset occupata, incautum improuisumq; Ophellam, proditionis insimulat, atq; cum toto suo exercitu ex inopinato impetit. Ophellas inspectato casu ab amico proditorie perculsus, animo ob atrocitatem rei, deijcitur, & licet resumptis animis parua militum manu, quam secum retinuerat, primis insultibus obstitisset, quia tamen viribus, & militum numero satis erat inferior, strenue pugnans inter dimicandum occisus est. Ophella cæso, eius exercitus q̃maximè contra Agathoclem turbatus est. Quos ipse, exaggerata proditione, quam in se Ophellas tentauerat, non multo negotio primùm placatos, mox muneribus, & pollicitationibus ad se pertraxit, & cum suis copijs iunxit. Interea Bomilcar veteris de Carthagine occupanda cupidinis flamma accensus, tempus exequendi facinoris idoneum ratus, veritusq; ne primores vrbis, ac mili-

tes in

tes in ſuam perniciem concitaret, proceres ad compeſcendos Nomadum auſus, qui omnia longè lateq; populabantur, milites verò Neapoli vrbi, quæ non longè a veteri Carthagine aberat, præſidium miſit. Deinde cum mille ſtipendiarijs militibus, in quibus imperij occupandi certam ſibi fidem firmauerat, vrbem imparatam nullamq; proditionem metuentem inuadit, omnesq; ciues quotquot per vicos obuiam habuit, trucidat. Carthaginenſes fraudis ignari, primò Syracuſanos vrbem ingreſſos ſunt arbitrati, ſed cum dolum deprehenderunt, agminatim ad forum confluxere. Ibi coniunctis viribus Bomilcarem, cæteroſq; ſeditioſos adorti, eorum plures occidunt, reliquos verò ad vrbis anguſta, munitaq; natura loca reductos, dura obſidione premunt. Vbi venia promiſſa factioſos ad deditionem capiunt. Bomilcharem verò verberibus percuſſum vltimo ſupplicio afficiunt, atq; ita à motibus ceptis, & tyrannide patriam fortiter liberant. Dum hæc in vrbe geruntur, Agathocles horum ignarus ſpolijs, quæ ceperat, & Cyrenaicis militibus, qui ad bellum minus apti ſibi videbantur, naues quaſdam inſtructas Syracuſas mittit, quarum quædam tempeſtate ſuborta iuxta Pythecuſam inſulam, quæ Iscla eſt hodie, naufragio perierunt, Cæteræ Syracuſas applicuerunt: Ipſe verò dum proſpero in Africa ſucceſſu, iam ſatis imperij, opum ſimul, & virium eſſet adeptus, regio Africæ diademate a militibus inſigniri ſe fecit, atq; ita Rex Africæ eſt ſalutatus. Poſt hæc inter Carthaginem, & Vticam medio fermè tractu ad belli vſum Hippargetem arcem, quam mare alluebat, mœnibus, & portu nobilem conſtruxit. ſubinde contra Itycæos, qui ab eo deſciuerant, contendit. Itycenſes exercitu in acies diuiſo extra mœnia magno animo illum expectarunt. Sed conſerto bello cum inferiores eſſent numero, inferiores quoq; in pugna fiunt, ſuperatiq; deditionem promiſſa vrbe faciunt. Verum qui in vrbe remanſerant, deditionem temere a periclitantibus pactam recuſantes aſsiduè tormentis bellicis ſe tuebantur, quorum pertinaciæ Agathocles deſpectu, aggere ante mœnia ſtructo Itycæos quotquot paulo antè ceperat, in obiectum vrbis poſuit, ratus quòd ciues, qui intra mœnia ſe defendebant, ne ſuos interficere cogerentur, à telorum eiectione abſtinerent, & ad gratiam potius, q̃ ad vim confugerent. Itycæi è contrà, mitius paucos è ſuis, quàm totam vrbem perimi exiſtimantes, non impigrius poſtea q̃ antea è mœnibus hoſtem repellebant, ita vt ne ſuis quidem patribus, filijs, & agnatis in lapidum, miſsiliumq; iactibus parcerent. Fruſtratus hoc commento Agathocles in extructo propugnaculo plures ex fundatoribus, & ſagittarijs ſelectos ordinauit, vrbemq; inde quatere, & ciues laceſſere iuſsit. ipſe verò cum toto exercitu mœnibus vicinior factus vrbem adoritur, eamq; magna vi (deſectis muris) cepit. Vrbe potitus ciues omnes quot quot vel in domibus, vel in templis repperit, ſpreta religione interfecit. Munitaq; præſidio Ityce, ad Hippocram vrbem palude circumſeptam exercitum duxit. eamq; è terra, & ſtagno aliquandiu laceſsitam tandem expugnauit, ac deinde plures alias fœlici marte vrbes tum maritimas, tum mediterraneas cepit. Et cum Libyam eo tempore quatuor diſcretæ nationes incolerent, vtpote Phœnices, qui Carthaginem circumhabitant, Libophœnices, qui littora tenent, Libes vetuſtiſsimi, & olim potentiſsimi, ac Nomades, qui Libyæ deſerta incolunt, omnes Agathocles, præter Nomades ſibi ſubiecit. Hi enim cum proprias vrbes non haberent, inconſtanti ſede liberè ſemper paſsim vagabantur. Profligatis Carthaginenſium rebus nihil actum in Africa Agathocles exiſtimans, ſi Syracuſæ vlterius obſiderentur, tradito Archagato filio in Libya exercitu, cum claſſe, quam tumultuariè inſtruxerat, Syracuſas nauigauit. Cuius aduentu cognito Xenodicus Agrigentinorum Dux cum decem pedi-

tum milibus, & equitibus mille contra eum mouit. Erant in Agathoclis exercitu pedites ducenti supra octo milia, equites verò mille & ducenti. Non longè igitur ab Agrigento dubio marte aliquandiu pugnatum est. Tandem Syracusani audentiores facti, Xenodicum profligant, atq; Agrigentum vsq; insequuntur. Ceciderunt in eo conflictu Xenodichei pedites mille, Syracusanorum autem nullus. Agathocles victor ex Agrigentinis agris Selinunta mouens, Heracleam vrbem, quam Xenodichus libertate donauerat, recepit. Sub inde ad latus Siciliæ aquilonare progressus Imerenses à Carthaginensium imperio socios sibi asciuit. mox Cephaledim oppugnans, amisso in oppugnatione Leptine militum duce, vi tandem oppidum cepit. Tum mediterranea ingressus noctu Centoripen venit, quam statim sibi à plerisq; sui studiosis patefactis portis, ingressus est. Sed qui in duabus arcibus præsidio erant selecti milites, in vrbis captæ auxilium erumpentes ex omni parte in Agathoclem facto impetu mille ex eius militibus cæsis ipsum fœde ab vrbe fugere coegere. Centoripe fugatus ab Apolloniatis quibusdam accitus apolloniam vrbem, quæ non longè aberat, contendit. Sed proditione patefacta proditores capti morte mulctati sunt. At Agathocles excandescens, vrbem obsidione primùm, mox machinis bellicis eam aggressus, tandem non paucis suorum interemptis expugnat. Vbi Apolloniates omnes, qui sibi infensi fuerant, trucidauit, eorumq; opes ærario adscripsit. Sub hæc Dinocrates Agrigentinos, ac plures alios ad rerum nouarum studium solicitabat. Quocirca concurrentibus ad eum Agrigentinis, ac compluribus ex alijs vrbibus peditum viginti milia, equitum verò mille & ducentos comparat. cum quibus contra Agathoclem in aciem prodit. Verum Agathocles etsi viribus esset inferior, callidè tamen dimicationem pugnando dissimulauit. Dum hæc in Sicilia geruntur, in Africa Archagatus Agathoclis filius exercitum cum Eumacho Duce ad Toccam Amplissimam superioris Libyæ vrbem misit. Qua sine vllo ferè discrimine capta Nomades etiam finitimos expugnauit. Inde Eumachus mouens Phellinem, & Meschelam maximas ciuitates & populos Asphodelodos qui eam regionem incolebant, cepit. Acranhippum postea vrbem, quæ & Acrida dicebatur, aliquandiu sibi obsistentem tandem obtinuit, & in prædam militibus dedit. Meltinem deinde vrbem adortus multis suorum trucidatis à Barbaris fœdè repulsus est. Excelso Cercopythecorum monte deinde emenso, ad eam regionem venit, vbi tres erant vrbes, quæ à Simijs, quas vesano errore ductæ incolæ pro deabus, velut Aegyptij canes, adorabant, Pythecusæ nominabantur. Horum vna solùm capta, populataq;, cæteras duas natura, & arte supra modum munitas expugnare cum nequisset, ad littoralem oram descendit. Interea Carthaginenses cum obsidione, & inopia commeatus præmerentur, vt præsenti periculo leuarentur, exercitum Duce Hannone in tres partes diuisum ad littoralia, mediterranea, & ad superiora Libyæ loca emittunt. Archagatus his acceptis, exercitum suum in tres & ipse discriminauit acies. Eschrionem enim ducem cum selectissimis militibus ad Tunetum præsidio reliquit. Partem aliam ad maritima loca educi iussit. Tertiam secum tribus ferme passuum milibus ab illis distans retinuit. Hanno igitur paratis prius insidijs Eschrionem est aggressus. Cuius peditum quatuor milibus, equitibus verò mille occisis, victor euasit. Himilco alter Carthaginensium Dux, qui vrbem tutabatur, Hannonis victoria audacior factus, præstructis insidijs cum reliqua copiarum parte extra vrbem egressus est. Quòd cum Eumachus, qui cum octo peditum milibus, & equitibus mille pro mœnibus erat, intellexisset, statim in eũ se conuertit. Quẽ Himilco dissimulata fuga vsq; ad locũ insidiarũ deduxit. Vbi repẽtè per dissiliẽtes ex insidijs milites

à tergo

à tergo, ab Himilcone verò retrouerſo, à fronte, inuaſus, circumſeptuſq;, vix ad collem propinquum aſperrimum, & aquis indigum profugere potuit. Vbi dura obſidione a Carthaginenſibus cinctus, tandem cum toto ſuo exercitu præter equites quadraginta, & pedites triginta, qui in pugna occubuerant, ab hoſtibus captus eſt. Cuius res geſta vbi Libyam peruaſit, ſociæ Græcorum vrbes continuò fœderis obliti ad Carthaginenſes cum fortuna defecerunt. Archagatus verò hac clade perculſus Tunetum redijt, & per nuntium q̃ primum Agathocli rerum mutatam viciſsitudinem, & vt ſuppetias ſibi tranſmitteret, ſignificauit. Himilco victoriæ nouitate elatus, & Atharbus vnus ex Carthaginenſibus Dux cum intellexiſſet Archagatum viribus fractum, ad Tunetum ſalutē ſibi quæſiſſe, collecto confeſtim exercitu contra eum mouent, atq; non longè à Tuneto eũ adoriuntur. Verum locorum anguſtia græcos defendente, barbari, quos expugnare non poterant, obſidione cinxerunt. Quo euenit, vt græci commeatus penuriam paterentur Carthaginenſibus littoralia omnia tenentibus. Interea Agathocles nuntio ab Archagato accepto cum res eius quoq; in Sicilia in deterius tenderent, Dinocrate exulum Duce omnes ciuitates ad libertatem prouocante, commendato militibus qui cum Leptine Duce erant Siculo bello, cum decem & ſeptem triremibus, ac decem & octo auxiliaribus nauibus, quas à Tyrrhenis impetrauerat, delectaq; militum manu in Libyam reuerti ſtatuit. Carthaginenſes præcognito Agathoclis reditu, viginti quinq; triremes armis, & militibus, pbè re refertas contra eius apparatum in Siculum fretum legant. Quibus in alto proſpectis, Agathocles claſſe ſua in duas partes diuiſa, contra Carthaginenſium naues procedit, easq; in medio ponit. Illi viſo velorum numero ingenti timore percelluntur, fugamq; accelerant. Sed ipſe fugientium terga remis aſſecutus quinq; ex eis cepit. Carthaginenſis Præfectus, qui in Prætoria erat, veritus ne in Agathoclis manus veniret, eiusq; ſæuitiam experiretur, manus in ſemet inijciens gladio ſe transfixit. Prætoria verò ipſa nauis cum reliquis celerrimo curſu Carthaginem incolumis redijt. Parta bello nauali victoria, & mari tuto ab hoſtibus reddito, Agathocles magnam frumenti copiam Syracuſas aſportari fecit, Leptinemq; miſit, vt ſummis conatibus contra Agrigentum, & cæteras inimicas vrbes egreſſus, eorum agros hoſtiliter popularetur. Xenodochus Agrigentinorum Dux ob cladem acceptam cum apud ſuos in deſpectu eſſet, clam Leptinem & ipſe ad Agrigenti populationem inuitat. cui ad id auxilium ſuum pollicetur. Igitur Leptines Agrigentum petit, omnia vaſtat, Xenodocho nullas neq; ei, neq; ſuis ſuppetias ferente. Verum cum à ſuis tandem contumelijs ob id impeteretur, ſiue pudore ſuffuſus, ſiue victoriæ cupidine accenſus incertum, repentè contra fidem datam cum ſuis militibus Leptinem adoritur. Cuius conatus Leptines paruo negotio repreſsit, ſuperatumq; ad Gelam vſq; fugauit. Ita Agathocles terra & mari in Sicilia ſuperatis hoſtibus in Libyam concepto itinere redire ſtatuit. Sed ante cum quoſdam Syracuſis ſibi haberet inuiſos, veritus ne ſe abſente aliquid proditionis in vrbe molirentur: quingentos ex eis occidit, atq; ita in Libyam cum magna, quam parauerat, claſſe reuertitur. Vbi ſtatim ſeditione militum, quibus ſtipendiorum ſolutio in patris aduentum ab Archagato fuerat reiecta, excipitur. Porrò milites ipſe ad concionem vocatos blandis verbis permulſit, ſtipendia illis non à ſe efflagitanda, ſed ab hoſte quærenda eſſe: communem victoriam, communem prædam futuram, modò dum belli reliquiæ peraguntur, paululum anniterentur, præſertim cum ſciant captam Carthaginem ſpem omnium expleturam. Hac expectatione ſedato militari tumultu ex Græcis ſex milia, ex Celtis, Sannitibus, & Tyrrhenis totidem, ex Libycis ad decem milia pedites, equites ſupra mille quingentos coegit. currus verò Libycos ſupra ſex milia inſtruxit. Subinde contra Carthaginenſes, qui in locis natura

munitis,& commeatu refertis caſtrametati erant,exercitum educit. Sed cum ob locorum anguſtiã Agathocles omnino pugnare cogeretur, Barbaros aggreditur, & initio quidem pugnæ ſtrenue dimicauit: proceſſu verò cum Carthaginenſes militum numero præſtarent,& ſitu ipſo defenderentur, fortiſsimè reſiſtendo Græcos primum retro pedem ferre compellunt:mox (quinq; Lybicorum militibus Agathoclem deſerentibus) tria hoſtium milia cedunt: reliquos verò cum ipſo Agathocle fugant. Cæterum cum parta victoria captiuorum corpora, & quidem ſpecioſiſsima ſuo more Saturno ſacrificaturi focis ignem ſubieciſſent, flamma quidem hoſtes primùm abſumpſit:ſed vento deinde elata omnia Carthaginenſium tentoria & ipſam quoq; aram,ac plurimos Barbarorum exuſsit. Ita nefarium, ac ſæuum ſacrificium offerentibus extitit ſæuiſsimum. Libyci præterea milites,qui fœdus Agathocli violauerant, cum noctu Carthaginem tenderent,a Pœnis pro hoſtibus exiſtimati inimico impetu inuaduntur, inita pugna ex ſocijs vtrinq; ad quinq; milia ceciderũt: Errore tãdẽ cognito,q; ex Libycis ſuperfuerũt, vrbem ſunt ingreſsi.Eadem nocte ignis Agathoclis tabernacula inuaſit, omniaq; paſsim exuſsit. Carthaginenſes viſis græcorum incendijs fugam capiunt. Sed Agathocles eorum tumultu audito,ratus ſe ab inſequentibus peti, in fugam & ipſe cum ſuis conuertitur,ac demum in Libycos milites incidit: vbi tumultuariè pugna nocturna incepta Græcorum ſupra quatuor milia occubuere,atq; ita vna eademq; nox vtriq; exercitui exitium, ac cladem ingentem attulit.Agathocles maiore iẽ exercitus parte amiſſa,nec viribus cũ hoſte par,conſilij inops, dũ anxiè ſecum ſuas miſerias pendit, ad tutius conſilium ſe parat. Pugnare vlterius periculoſum,Libya verò cedere,& Syracuſas redire fœdiſsimum. tot præterea milites tanti belli ſocios,quos claſſe ſecum vehere non poterat, in manibus hoſtium relinquere,impium ducebat. Tandem neceſsitate viam monſtrante, noctu Heraclidem iuniorem filium nauem clam aſcendere iuſsit. Archagatum verò tum quòd cum nouerca rem habuerat, tum quòd natura ad quiduis audendum pronus videbatur, veritus ne Syracuſis inſidias ſibi moliretur, in Libya relinquere decreuerat.Sed non latuit Archagatum patris animus;nephariũq; ratus inter hoſtes deſeri, contra quos tot fœlicia non ſine maximo ſuo periculo prælia iniſſet, correptis armis & patris,& Ducum,qui ei ad id conſenſerant, ſæuitiam vlciſci ſtatuit. Sed prius exploratores fidiſsimos deligit, per quos quid pater ageret, denuntiari ſibi imperat. Quem vbi iam in portu diſceſſum ſtruere certò per eos cognouit,inſtructis militibus,vt ſe ſequantur,hortatus,ad littus progreditur.vbi in Agathoclis Duces ad diſceſſum paratos irruens omnes perimit: mox Agathoclẽ in carcerem conijcit. Adueſperaſcente cum falſus rumor ſubortus eſſet, confertiſsimum exercitum Carthaginenſium ad capiendum Agathoclem citato curſu adueniſſe;qui eum in vinculis tenebant,ne in manus hoſtium veniret,liberum dimiſerunt. Qui tanto periculo ereptus quò ſuæ ſaluti conſuleret, relictis filijs, & exercitu,paucis cum militibus naues, cum quibus è Sicilia aduenerat, inſcedens è Libya raptim,licet hyems ad occaſum pleiadum eſſet, qui quietem potius à nauigatione ſuadere videretur ſoluit: & ſecundante vento paucis diebus Syracuſas delatus eſt.exemplum flagitij ſanè ſingulariſsimum. Rex exercitus ſui deſertor,pater filiorum proditor. Cuius fugam vt eius in Libya exercitus cognouit, non ſecus,ac ſi ab hoſtibus capti eſſent,animis corruere: querebanturq; quòd ſecundò iam ab Agathocle in medijs hoſtibus relictis ſalutis nullus vltrà locus, ac ne ſepulturæ quidem ſpes ſupereſſet. In deſperationem igitur acti Archagatum, & Heraclidem Agathoclis filios capiunt, ac trucidant. Dum Archagatus ab Arceſilao Antipatris amico occidendus teneretur,eum interrogauit: Quid ſuis liberis Agathoclem facturum arbitraretur. Reſpondiſſe fertur, ſatis ſe habere, quòd ſuperſtites Agathoclis liberis ſint. Punita itaq; patris filiornm ſanguine iniuria,

milites

milites pactione cum Carthaginenſibus facta, & ſe,& oppida à ſe antè capta receptis prius vnodeuiginti talentis tradidere. Carthaginenſes, verò deinde Præfectos Agathoclis,quos in recuperatis vrbibus præſidiarios ceperant, cruci affigũt. Græcos verò, qui eorum ſata vaſtauerant, ad ea propriis laboribus reſtituenda condemnant. Ita anno poſt Agathoclis in Libyam acceſſum quarto Carthaginẽſes cladibus liberati omnia infœlici bello amiſſa recuperant. Erant adhuc in Libya milites græci pleriq;, qui Carthaginenſibus non adheſerant. Hi clam ſumpto nauigio in Siciliam ad profugum Regem peruecti, ſoloẽtum vrbem incolendam obtinuere. Carthaginenſes poſt hæc in Libya pulſo foras hoſte ad perſequẽdas Siculi belli reliquias duces in Siciliam mittunt. Sed Agathocles non multo pòſt pace cum illis æquis conditionibus ſancita belli difficultates præuenit:ac deinde cum victus inopia premeretur,aſſumptis militibus,quos ſuperſtites in Sicilia habebat, Aegeſtam vrbem populo frequẽtem,quæ ſecum fœdere anteà iuncta cõuenerat,petijt,quo ingreſſus Aegeſtanos omnes proditionis inſimulat, maximamq; pecuniæ ſummam ab eis pendendam coegit, è quibus poſtmodum quot quot ſibi infenſos cognouit, extra ciuitatem ad Scamandrum fluuium interfici iuſsit. Diuites,qui pecunias ſoluere recuſabant,ſagittis transfodiebat. Pleroſq; diuitiarum diſsimulatores aſtragalo,quod torturæ taxillariæ genus eſt, torquebat. Stratum præterea æneum ad humani corporis menſuram fabricauit:in quo reos mẽbris omnibus impoſitos ſubiecto igne cõburebat. Mulierũ etiam diuitũ ad aurum proferendum vel talos clauis ferreis perforabat, vel mammas diſſecabat. Prægnantium capita,ventrem,ac fœtum graui lapidum pondere premebat, virgines deniq;,ac pueros in Italiam ductos Brutijs vendidit. Hac igitur ſæuitia Agathocles pecuniam ab Aegeſtanis extorquebat.Cuius tyrannide pleriq; in deſperationem adducti,vel necem ferro ſibi conſcibant,vel vltro in ignem ſeſe præcipitabant. Hac immanitate cum Aegeſtam vrbem pœnitus exinaniſſet, priori eius abolito nomine,Diceapolim deinceps,hoc eſt iuſtam ciuitatem apellari voluit,& fugitiuis aduenis eam ad habitandum diuiſit. Quibus confectis cum poſtmodum Archagati,& Heraclidis filiorum cædem per famam didiciſſet, militibus necis authoribus primum proſcriptis,eorum conſanguineos, qui Syracuſis erãt, Antandro fratri trucidandos commiſsit. Qui adeo crudeliter mandato perfunctus eſt,vt non ſolùm parentes,& cæteros omnes,idoneę ætatis,qui aliquo affinitatis gradu eos attingebãt,ſed & infantes etiam ipſos innoxios interfecerit. Quorum omnium deinde corpora ad mare in omnium conſpectu proijci voluit, cauitq; ſub capitis mulcta, ne quis vel luctu, vel aliquo pietatis officio peremptos proſequeretur. Poſt hæc veritus ne Siculi ad libertatem vindicandam inſurgerent,vrbes ſingulas opere,& militibus muniens ciues omnes proſcriptis bonis in pauperiem adegit. Quem ea occaſione cum pleriq; Syracuſanorum proceres interrogarent,cur adeo inſolenter, & ſublimiter Principatum gereret, cum nec patritius,nec nobilis,nec Princeps,nèq; principũ natalibus eſſet ortus,reſpondiſſe fertur:licet neq; patritius,neq; nobilis,neq; Princeps fuerim; is tamẽ ſum, qui volo,poſſum,debeo,& ſcio patritijs,nobilibus, atq; principibus imperitare. Interea Paſiphilus Dux rumore cladium, quas in Libya Agathocles acceperat, reſumptis contra eum animis cum Dinocrate ſocietatem inijt. Quo audito Agathocles ad fraudem ſe conuertit. Legatos itaq; ad Dinocratem mittit: per quos ſe Tyrannidem depoſiturum,& Syracuſanis libertatem reſtituturum,ac ipſum, & cæteros exules ab exilio reuocaturum,Imeramq;,& cephaledim prò habitatione ſe delecturum pollicetur. At Dinocrates monarchiæ ambitione incenſus cum pedites ſupra viginti milia,equitum verò ad tria milia haberet, & ad facinus patrandum idoneum tempus eſſe iudicaret,nec Imeram, & Cephaledim roganti cõcedere,neq; minus pacem cum eo facere voluit.Quocirca Agathocles per legatos

primùm

primùm cæteris exulibus Denocratem accuſat, quòd ille impedimentum præſtiterit quominus ipſi in patriam remitterentur. Carthaginenſibus quoq; per nuntios vrbes Phœnicum omnes, quotquot ceperat, reſtituit. qui pro beneficij remuneratione pace cum eo facta, quadringenta auri, & argenti talenta, frumenti verò medimnos centum Agathocli obtulere. Quibus munitior factus, tametſi quinq; duntaxat milia peditum, equites verò tantùm mille haberet, cõtra Denocratem, qui tum ingentem habebat exercitum, mouet, atq; non longe ab hoſtibus ad locum, qui Gorgius eo tempore dicebatur, caſtrametatus eſt. Dato igitur ſigno pugnam inijt. in cuius initio fortuna verſabilis arridere illi viſa eſt. Duo nanq; milia ex Denocratis copijs ad eum transfugerunt. Quo viſo exules, qui cum Denocrate erant, territi in fugam nullo cogente vertuntur. Quos vſq; ad quoddam biuium inſecutus, per nuntios veterem eis amicitiam commemorat, beneficia olim ab eo ipſis præſtita maxima exponit: ac demum reditum ad patriam ſpondet. Eius verbis exules allecti ad locum, qui Ambicas dicitur, venerunt: ibiq; pacem cum Agathocle fecerunt. Erant porrò numero ſeptem milia, vt Timæus tradit, licet quatuor tantùm milia alij connumerent. Quos omnes Agathocles vbi illuxit, cum ducibus, Tribunisq; ſuis rupto fœdere armis ſpoliat, ſagittisq; cõfigit. ¶ Genuinum nanq; ei fuit incerta ſemper fide viuere, & iuramenti violatorẽ eſſe. Poſt hæc cum Denocrate, & ſocijs eius pacem fecit. quem exercitus ducem Agathocles inſtituit, cui illibatæ amicitiæ ius ſemper ille ſeruauit. Dein Denocrates Gelam petens Paſiphilũ, & cæteros confœderatos ſocios, qui ibi erãt, prodidit, omnibusq; interfectis Gelam ipſam, cæterasq; vrbes, quæ ſibi parebant, vnius anni ſpatio in manus Agathoclis dedit. Quibus receptis Syracuſas prope inſulam domum inſignem, quam Lectorum ſexaginta cognomento dixerunt, omnia Siciliæ edificia, ac ſacras quoq; ædes amplitudine, ſtructura, & eminentia, ſuperantem (Diodoro in philippo referente) conſtruxite. Poſt hæc Agathocles parta prope tota Sicilia, quaſi anguſtæ inſulæ terminis clauderetur, in Italos vires ſuas experiri decreuit, Dionyſium imitatus, qui multas Italiæ ciuitates ſibi ſubegerat. Exercitum itaq; in Brutios traiecit: qui principio eius aduentus metu concuſſi ei ſe ſubijciunt. Brutiorum ſuſcepto imperio in Hippone eorum vrbe, quam Vibonam, & Valentiam poſtea appellauerunt (Strabone teſte) nobile cõdidit Emporium. Subinde contra Liparenſes nauigat. Sed acceptis ab eis auri talentis centum, pacem cum eis quoq; fecit. Cæterum cum ea homini auido ad explendam ſitim non ſufficerent: illiq; nihil auri aliud ſe habere, niſi quo Aeoli, & Vulcani templa ditauerant, reſpondiſſent: ipſe per templa Deorum graſſatus magna vi quicquid auri ibi reperit, abſtulit. Lipara deinde cum vndecim nauibus auro onuſtis diſceſsit. Dũ autẽ in medio curſus eſſet, ſuborta tempeſtate naues omnes, quæ aurum deferebant, cum ipſo auro ſubmerſæ ſunt, Agathocle ſolum cum vna triremi incolumi Syracuſas applicante. Vbi ratus ira Vulcani naufragium ſibi obueniſſe, quo eum placaret, ſponte in ignem præcipitatus viuus (vt Diodorus ſcribit) combuſtus eſt. Trogus diuerſum mortis eius genus recenſet. Refert enim quod cum à Brutijs in Siciliam reuerſus eſſet; paucis pòſt diebus repente in morbum per omnes neruos, venasq; humore tabido graſſantem, inciderit. Quo ingraueſcente inter eius filium natu minimum, & nepotem Archagato genitum contentione de Regno exorta, cum alter alteri inſidiaretur, occiſo filio, nepos regnum omne ſibi occupauit. Erat tum Agathocli Theogenia Aegyptia coniux, & paruuli liberi, quos ex illa ſuſceperat, duo. Quos ipſe vbi nullam ſibi vincendi morbi ſpem ſupereſſe, & illis poſt eius interitum, aut carceres, aut ſeruitutem inſtare videret, prouidus cum omni gaza, omniq; apparatu, regio, quo nemo ea ætate fuit ſplendidior, naui impoſitos cum ſummo & ſuo, & vxoris, & filiorum luctu in Aegyptum tranſmiſit. Quibus abſentibus ipſe miſer-

orbus,

orbus, desertus, anxiusq; annos iam quinq; & nonaginta ætatis egressus, vt Demochares, & Timeus prodiderunt, fato functus est, humilior ne vitæ eius introitus, an exitus fuerit, incertum.

DE MAMERTINIS MESSANAM OCCVPANTIBVS, ET PYRRHO SICILIAE REGE. CAPVT SECVNDVM.

DEFVNCTO Agathocle, Mamertini Barbarum genus hominum siue à Marte, siue à Mamertio oppido ita nuncupati, qui diu sub Agathocle militauerant, cum à militia, armorumq; exercitio vacui, stipendia nulla mererent, per vniuersam insulam otiosi, passimq; omnia deprædantes vagabantur. Messanam autem cum venissent, demortui Agathoclis amicitia intra mœnia recepti sunt. Verum cum vrbis splendorem, ac opulentiam mirarentur, cupidine eius potiundæ capti, consilium per coniurationem occupandi in ea incolatus perpetui clam ineunt. nec quicq̃ eorum animis (præter temporis oportunitatem) deerat. Vbi vero patrandi sceleris occasio sese obtulit, vrbem amicam, & fidei eorum creditam, nihilq; tale promeritam, violato fœdere ex composito strictis ensibus, sublatisq; in cœlum clamoribus inuadunt. Messanenses quid eis acciderit, ignari, alij aliud opinati, inermes prosiliunt, in quos fœdifragi hospites irruentes subita cæde trucidant. vxores, liberos, fortunas, agrosq; eorum, prout cuiq; medio conflictu sors obtulit, inter sese partiuntur. Ciues alij re comperta desertis penatibus, & liberis quæ euadere poterant, vrbe transfugiunt, tutius rati in belli repentino tumultu secedere. Prædones itaq; hi pulcherrimæ, opulentissimæq; vrbis compotes facti, nec virginibus, nec matronis abstinuere: sed promiscuas quasuis in libidinem suam, & necem pertrahentes multò immitius, inhonestiusq; se habebant, quàm si è media Barbarie aduenæ hostes in eas, ac iure & meritò captam vrbem, sæuirent. Quo facto non Messanenses, sed Mamertini nuncupari cœperunt: vrbemq; non solùm fortiter tutabantur, sed & eò audaciæ processerant, vt in pleraſq; Græcorum ciuitates infestis incursionibus vexarent. Interea Rhegini ob Pyrrhi Epirotarum Regis in Italiam contra Romanos aduentum terrore perculsi auxilium à Romanis postularunt, quibus Romani vnam Romanorum (si Polybio) vel campanorum (si Liuio, credimus) Legionem in præsidium misere, qua tuta diu ciuitas mansit. Sed cum diuturnior aliquanto ibi mora traheretur, Romani milites turpe Mamertinorum exemplum imitati violato fœdere ex præsidiarijs hostes deuenere: vrbemq; repente inuadẽtes, incolas partim cædunt, quosdam pellunt, eorumq; inter se fortunas diuidunt. & deniq; cũ Mamertinis & freto, & scelere iuncti, fœdus etiam copularunt. Cum Romam hæc celeri nuntio delata sunt, licet Rheginorum ærumnosam conditionem populus Romanus grauiter ferret, vltionem tamen vsq; ad finem belli, quod cum Pyrrho gerebat, prudenter dissimulauit. Quo postmodum confecto, partaq; contra Pyrrhum victoria Romani militum suorum facinus punire meminerunt. Instructum igitur exercitum contra Rhegium mittunt, vrbem obsident, ac expugnant: cæsisq; facinorosis auxiliaribus vrbem Rheginis restituunt. Eodem ferme tempore Carthaginenses cognita Agathoclis morte, & nonnullis alijs Siciliæ motibus, occasionem totius insulæ occupandæ sibi præstitam existimantes, magnis copijs in Siciliam traijciunt, ibiq; plures vrbes, quas Agathocle regnante amiserant, magna vi vel subigunt, vel ad deditionem compellunt. Siculi itaq;

Pœnorum

Pœnorum viribus circumuenti ad Pyrrhum, qui Agathoclis eorum Regis gener erat, ex cuius filia Helenum, & Alexandrum filios susceperat; quiq; tum in Italiam à Tarentinis iterata legatione reuocatus contra Romanos redierat, legatos mittunt, eumq; ad pellendum è Sicilia Carthaginenses, liberandamq; a Tyrannis insulam solicitant. Alijs Agrigentum, multis Syracusas, plerisq; Leontinum ei offerentibus. Sub idem tempus ad eundem ex Græcia legati venere, qui nuntiata Ptolemæi Cerauni à Galatis cum exercitu peremptione, pro Macedonibus auxilia ab eo magnis precibus implorabant. Quem duabus ijs legationibus auditis constitisse, atq; de fortuna conquestũ fuisse Plutarchus refert, quòd plurimarum rerum gerendarum occasiones in vnum idemq; tempus sibi congessisset. Tandem cum duobus simul officijs integrè fungi nequiret, consultò ad Siciliam petendam veluti instrumentum belli in Libyam transferendi animum adiecit. Præmisit autem eò paulo anteq̃ peruenisset, Cyneam Thessalum, qui ciuitatum studia sibi conciliaret. Erat nanq; is magni ingenij vir, & qui Demosthene diu audito ad imitationem eius maximam vim dicendi assecutus fuerat. Qui dum Pyrrhi conuictu frueretur, sæpe ab eo ad vrbium conciones, legationesq; missus, vtilem ei sæpe antè operam præstiterat, plurescq; ciuitates Pyrrho facundia, quàm ipse sibi bello acquisiuerat. Cyneas itaq; in Siciliam appulsus more suo præfatus ciuitates ad fidem Pyrrho præstandam induxit, quem subinde Pyrrhus (præsidio apud Tarentum relicto) eodem secutus est. Cuius in Siciliam aduentu non parũ Carthaginensiũ audacia cõpressa est: quippe quoniã coniunctis eius cũ Siculorũ copijs, magno animo obuiam hostibus itum est. Maior ciuitatum pars recuperata, excursiones prohibitæ, eorum, qui cum Pœnis conflictabantur, spes aucta: illis, qui exterriti erant, metus fugatus. Vbi vero Pyrrhus Syracusas totius tunc Insulę caput, ingressus est, Theone & Sostrati Syracusanorum Principum suffragijs Rex Siciliæ, sicut Epiri appellatus est. Ciuitates, quæ fidem præstiterant, illi se statim dedunt. Cæteræ vel vi, vel vltro in deditionem quoq; sunt receptæ. Deinde cum peditum triginta milibus, equitibus verò quingentis supra duo milia, & viginti nauibus, Carthaginẽses, qui Siciliam antè incursionibus perterruerant, adortus, eorum potentiam ac opes breui tota insula afflixit. Erycem postea & natura, & magnis Pœnorum præsidijs firmatam vrbem cum ingenti exercitu subita oppugnatione aggressus, ludos Herculi, si ea potiretur, vouit. Inde scalis ad mœnia admotis omnium primus muros conscendit. Plures ex resistentibus in præceps deiecit. plerosq; gladio transfixit. ipse illæsus terribili, ac truci aspectu hostem præ formidine ab armis cessare cogens, vrbem expugnat. Quam adeptus Herculi votum, spectaculumq; omnis generis ludicris insigne celebrauit. Eryce debellata Mamertinis qui totam insulam infestando nonnullas iam passim ciuitates sibi tributarias fecerant, bellum intulit. Quibus strenuè superatis, multaq; clade affectis, eorum præsidia multis in locis confregit. Hieroni, qui post eum Syracusanorum rex fuit, multa ob ingentia eius in his bellis gesta facinora premia contulit. Carthaginensibus deinde ab eo pacem petentibus hac sola conditione pacem se cum facturum, si tota Sicilia cederent, atq; vltra Libycum pelagus fines Imperij sui terminarent, respondit. Rerum successu simul, & imperij magnitudine elatus Heleno filio Agathoclis nepoti Siciliæ veluti auito, Alexandro verò Italiæ Regno destinato, ad id, cuius impulsu præcipuè in Siciliam ab initio venerat. se conuertit. Classem igitur ingentem contra Libyam instruit, mox non vt ab initio comis, mitis, ac benignus, sed mutatis moribus superbè, ac Tyrannicè, Siciliæ imperio vti cœpit. Quinimo & Theonem virum Principem per quem non modo Syracusarum vrbem, sed plures etiam alias ciuitates adeptus fuerat, interfici iussit. Idem de Sostrato proculdubio facturus, nisi fuga salutem sibi ille redemisset. Porro hac nouitate repentè ab eo alienatis animis Siculorum odia exarserunt.

Digitized by Google

ſerunt, ac plures vrbes Carthaginenſibus, permultæ Mamertinis ſe iunxerũt. Ipſe verò ijs ſeditionibus perculſus cum Siciliam, veluti nauem vi ventorum agitatam tenere nequiret, & non ſine ignominia eã relinquere cogeretur, peroportunè ad dedecus eius celandum à Tarentinis, & Samnitibus literas accepit, quibus ſe illi, cum Romanorum viribus reſiſtere amplius non poſſent, deditionem facturos ſignificabant, ni cito periclitantibus ipſe ſuccurreret. Occaſionem igitur hinc Siciliæ deſerendæ accipiens, ſubſidij ſocijs ſuis ferendi prætextu, inſula protinus abſceſſit. Trogus verò etſi in cauſa digreſſus cũ alijs ſentiat, non tamen in ſeditione ſiculorũ cum alijs conuenit. Sed iam conſerto cũ Carthaginenſibus prælio ipſum ſuperiorem factum: quia tamen feſtinus diſceſſit, pro victo fugere viſum eſſe ſcribit. Soluens autem Sicilia Pyrrhus cum claſſe, quam contra Libyam parauerat, conuerſus ad amicos: Cuiuſmodi (inquit) Palæſtram Carthaginenſibus, & Romanis relinquimus. Quod vt coniectauit, ita & euenit, vt in contextu commemorabimus. Vulgato eius diſceſſu Carthaginenſes educta claſſe, impetuq; facto aliquot eius naues ceperunt. Mamertini etiam è veſtigio terreſtri itinere, per Calabriã eum inſecuti, extremum eius agmen in locorum anguſtias coniecerunt, atq; à tergo & à lateribus adorti, duobus eius elephantis proſtratis, plures circum eos milites occiderunt. Quo viſo Pyrrhus à prima acie in prælium maximo impetu ruens, à Mamertinis vulnus graue accepit. Quo compulſus paululum ex acie dũ plaga obligaretur exceſſit, quo facto, ab hoſtibus pro cęſo habitus eſt. Erat tũc fortè ex Mamertinis vir quidã magna corporis ſtatura, qui palàm Pyrrhũ in ſingulare certamen prouocauit. Pyrrhus vt cruore adhuc reſperſus erat, dolore ſimul, & ira percitus, truci & terribili aſpectu in aciem redijt, gigantemq; repentè adortus, adeo vehementi ictu eius caput percuſsit, vt vſq; ad intimas partes ferro redacto, fruſta fiſsi corporis hinc inde ad terram defluxerint. Mamertini & Pyrrhi robur admirati, & fœda proceri viri nece perculſi, ab vlterius eum inſectando deſtiterunt. Proinde Pyrrhus Tarentum veniens, tertiò Tarentinis in agris aduerſus Curium, & Fabritium Ro. Coſſ. certamen arripuit. In quo victus, atq; fugatus, cum audiſſet ob ſuã profectionem fugę ſimilem, ad Carthaginenſes omnem ferè Siciliam defeciſſe, ſpe omni eam recipiendi ſibi ſublata, ac animo prorſus fractus in Epirum ſe recepit. Et ita non ſolùm Italiam, ſed Siciliæ quoq; Imperium tam citò amiſit, quàm facilè quæſierat.

DE HIERONE IVNIORI, ET BELLO INTER ROMANOS ET CARTHAGINENSES IN SICILIA, ET PROPTER SICILIAM GESTO, QVOD PRIMVM BELLVM PVNICVM APPELLANT. CAPVT TERTIVM.

PYRRHO Sicilia diſcedente, magnæ in ciuitatibus ſeditiones ſunt ſubortæ, magnaq; ob inſulæ Imperium inter Carthaginenſes, & Syracuſanos ſucceſſerunt prælia. Quamobrem neceſsitate vrgente Hiero à Syracuſanis vrbis Præfectus creatur, Cuius tanta fuit prudentia ſimul, & authoritas, vt non diu pòſt ciuitatum omnium conſenſu aduerſus Carthaginenſes Dux primùm, ac mox

ac mox totius Siciliæ Rex salutaretur. Huius futuram maiestatem plura significauerũt præsagia. Fuit is patre Hieroclito, qui illustrẽ generis seriem à Gelone antiquo Siciliæ Tyranno traxerat, matre verò ancilla natus. Qui iamiam editus, ne genus seruile dehonestamentum nobilis prosapiæ foret, priscorum more in syluis à patre expositus est. vbi (mirum visu) infantem ipsum apes congesto in eius os melle aliquandiu solicitè aluerunt. Aruspices, qui id genus euentus ex professo interpretabantur, regnum infanti eo casu portendi vaticinati, Hieroclitum admonuerunt, vt filium recollectum, educatumq; omni studio ad spem maiestatis futuræ institueret. Adolescenti quoq; prima vice dimicanti aquila in clipeo, noctua in hasta consedit. Quæ omnia, & manu promptum, & consilio prouidum, & Regnum illi polliceri, vates præcinerunt. Erat Hiero pulchritudine insignis. quæ cum ætate etiam succresceret, à pueritia admirabilis, in alloquio blandus, in consuetudine iustus, in militia strenuus, ac tantis simul naturæ dotibus ornatus, vt nihil regium in eo deesset, præter regnũ. Quibus moribus a Pyrrho rege dum Sicilia potiretur, plurimum dilectus multis militaribus præmijs donatus fuit. Tantum deniq; & industria, & virtute valuit, vt ob multa, ac præclara rei militaris facinora, per gradus ad regnum euectus sit. Primum nanq; cum post Pyrrhi discessum milites gregarij, & conductitij Remp. Syracusa nam frequenter seditionibus vexarent, solus Hiero ob rei bellicæ præstantiam in ipso adhuc adolescentiæ cursu, anno suæ ætatis vigesimo, à Syracusanis ad tantarum factionum rumores sedandos in Ducem deligi meruit. Qui magistratu susscepto diuersas militum seditiones extinxit. Victor, adeo clementer, moderateq; se gessit, vt vno omnium, & consentienti animo iterum Dux crearetur. Tum verò cum videret ciues quotiescunq; copias, ducesq; extra vrbem mitterent, ad res nouas inter se domi molliendas procliuiores esse, Leptinis in populo nobilitatis, & opum nomine facilè principis filiam vxorem duxit, vt haberet, quem pro se vrbi tutorem relinqueret, cum ad res pro Rep. gerendas ipsum abesse oporteret. Deinde cum animaduerteret veteranas Syracusanorum copias, quæ ex gregario, & stipendiario milite constabant, instabiles, factionumq; vt plurimũ auidas esse, delere illas constituit. Igitur Dedita opera, ac callido consilio, contra Mamertinos, qui vltra Catanam excurrerant, exercitum mouet, castrisq; iuxta Centoripen vrbem positis, ac strictis circa Cyamosorum fluuium veteranorum cohortibus, & in fronte locatis, vt primo hostium impetu oppressi facilè dissiparentur: ipse cum Syracusanis signis, quasi alia via hostes aggressurus, aliquantulum remoratus est. Missilibus primùm res gesta est: mox prælio excandescente ad gladios ventum. Mamertini in primam aciem prout primo ardore offerebatur, irruunt, veteranos circundant, crebrisq; ictibus, ac vulneribus cruentatos profligant, cæduntq;. Hiero vt ex sententia cuncta succesisse vidit, cõfestim cũ suis ipse militibus intactis Syracusas secedit, ac subinde nouis copijs, magisq; fido milite exercitum instaurans, contra Mamertinos hac victoria elatos regreditur. Ad Nyleum igitur agrum cum peruenisset, non simulata expeditione, vt antea, sed iuxta Longanis fluuij ripas serio insultu mouens cum eis conseruit. Et cum aliquandiu ancipiti marte pugnatum esset, ingenti tandem conflictu Mamertini fugantur, belliq; eorum Duces, ac optimates præter paucos, qui viui in potestatem Hieronis deuenerunt, occubuere. Parta hac victoria cum triumpho Syracusas reuersus Hiero, Rex ab omnibus acclamatur, & corona Regia redimitur. Qui tametsi titulum haberet regiæ in Sicilia dignitatis, vt & alij ante ipsum pleriq;, nõ omnes tamen ciuitates suo parentes Imperio habebat. Plurimæ quippe cũ essent liberæ, suis viuebant legibus, & annuis constitutis magistratibus à populo regebantur, plures quoq; Carthaginensium erant ditionis. Reliquæ vero, quę Syracusanorum imperio subibant, simul cum vrbe Regia, a Rege moderabantur. Hiero

itaq; &

Digitized by Google

itaq; & regio diademate, & proxima victoria nonnihil animo erectior factus, copiosiorem exercitum contra hostes coegit. At Mamertini prælio fracti Hieroni solis suis se viribus posse resistere diffisi, a Carthaginensibus, qui per id tempus plura Siciliæ oppida tenebant, auxilium petunt. Carthaginenses oblata noua Siciliæ potiundæ occasione, & quã similem nunq; anteà habuerant, suppetias mittũt, statimq; a Mamertinis vrbis Messanæ arcem accipiũt. Mamertini verò paulo pòst vel quia non satis Pœnorum viribus ob infirmitatem fidebant, vel quia inter se diuisi erant, missis legatis à Romanis etiam præsidia exquirunt, vrbemq; eis offerunt. Clarum iam per ea tempora pop. Romani erat nomen. Quippe qui quinquagesimo ferè cõditæ vrbis anno totã ad Rhegiũ vsq; perdomuerant Italiã. Romani cũ opulentissimã sibi proximam prædam offerri conspicerẽt, Italiæ limites egrediẽdi, & Siciliæ potiundæ desiderio incensi, quã capta Messana facilè suo Imperio subijcere sperabant, huic rei animum intendunt. Res itaq; hæc maturo & prudenti consilio in Senatu agitata est. At primùm, si Mamertinis violati fœderis authoribus opitularẽtur, infamię labẽ ob iniustitiã incurrere verebantur, cũ de suis ipsi militibus pari culpa in oppido Rhegio laborantibus supplicium paulo antè sumpsissent. E contra verò Carthaginensium vicinitatem magnopere formidandam esse cognoscebant. Qui cum non modò Africam, sed & pleraq; Hispaniæ loca, insulas præterea Sardoi, atq; Tyrrheni maris possiderent, capta Messana non multo negotio & Syracusas, & reliquum Siciliæ adipisci, & subinde Italiam, ac vrbem ipsam Romam aggredi q̃ facilimè potuissent. Hinc ad suppetias Mamertinis ferendas inclinare visa est sententia. Quæ cum adhuc anceps in Senatu protraheretur, ibi quidẽ diu hæsit, & penè relicta pependit. Populi tandem multitudo ampliandi imperij cupidine vtile honesto præferens, Mamertinis auxilia ferre decreuit. Igitur ex communi decreto Appio Claudio cognomento Caudisci ex Consulibus alteri, Mamertini subsidij prouincia committitur. Mamertini de Consulis aduentu certiores facti Carthaginensium Præfectum, cui arcẽ ante dediderant, simul, & præsidium à Messana propellunt. Carthaginenses graui nuntio accepto primùm exactũ Præfectũ, cuius ignauia circunseptã Messanæ arcẽ amiserant, cruci affigunt; mox contractis copijs terrestri circa vrbẽ, quà meridiẽ spectat, ad Pelorũ verò nauali exercitu dispositio, Messanã obsidẽt. Hieron vt accensos in Mamertinũ exitiũ Carthaginenses conspexit, tẽpus ad eosdẽ delendos accõmodatũ esse ratus, percusso cũ Carthaginensibus fœdere copioso cũ exercitu & ipse Syracusis mouens, Messanã profectus est. Vbi ad aliã vrbis partẽ prope montẽ Chalcidicũ, quẽ sanctũ Ritiũ hodiè appellant. 2. p. m. ab vrbe castrametatus, obsessis Mamertinis egressum ab vrbe interdicit. Interea Ap. Claudius Ro. Consul ex omnibus Neapolitanæ oræ maritimis oppidis militibus exquisitis classem instruit. Qua parata, freto monstris fabulosis infame, æstuq; violento, nullo pacto exterritus, sed ipsam illã ruentis æstus violentiam veluti pro munere amplexus, traiecit, clamq; Carthaginensiũ triremes præteruectus, Messanã applicat, quẽ Mamertini nõ sine publico gaudio in vrbem excipiunt, illiq; protinus ciuitatẽ tradunt. Consul cum terra, mariq; vrbem acriter obsessam, commeatus inopiã laborare, hostesq; Mamertinis copijs superiores offendisset, periculosissimũ bello dimicare cẽsens, legatis ad hostes pro pace missis, Messanã, si æquæ cõditiones reciperẽtur, periculo liberare tẽtat. Cæterũ cũ Hierõ, & Carthaginẽses legationẽ aspernarẽtur, Consul periculum subire cogitur. Instructos itaq; milites luculẽta oratione ad bellũ, victoriãq; primùm hortatus, cũ Hierone bello dimicare statuit. parũq; moratus, copias aduersus Syracusanos educit, acies struit, & in hostes irruit. Cui cũ Hierõ statim obuiã sese offerret, prælio cõmisso diu ancipiti mare pugnatũ est. Tandem Romani victores Hieronem in fugã vertunt, atq; vsq; in castra secuti, magnam Syracusanorum cædem edidere. Hieron vt suos fusos vidit, metuens ne Syracusæ

vrbs audita hac ſtrage in ſeditionem abiret, relictis caſtris noctu Syracuſas conceſsit. Ita Cõſul Romanus adeo exiguo negotio, tantaq; celeritate Hieronem Syracuſarum Regem vicit, vt ipſe ille ſe prius victum, quam hoſtem vidiſſe fateretur. Carthaginenſes vt victoriam penes Romanos manſiſſe acceperũt, metu perculſi extemplo obſidione ſoluta in Siciliæ vrbes ſibi ſubiectas ſeſe recipiunt. Conſul audita & Hieronis fuga, & Carthaginenſium receſſu, cum circa vrbem pacata eſſent omnia, auctus animis perſequi Syracuſanorum exercitum decreuit. Poſtri die igitur ſub auroram hoſtes aſſecutus, prælio cum eis inito plures eorum cædit, reliquos in proxima fugat oppida. Inde elatior factus per Syracuſanorum, ſociorumq; agros nemine impediente incurſiones intrepidas facit, omnia populatur, tandemq; Syracuſas delatus, ipſum Siciliæ caput obſidet, fœlicemq; victoriam per nuntios Romam renuntiat. Qua cognita maiori niſu incepto bello incumbendum eſſe Senatus Populusq; Romanus conſtituit. Igitur M. Valerium, &. C. Octacilium Coſſ. conduplicato cum exercitu in Siciliam mittunt. Eorum aduentu pleræq; ciuitates, quæ Carthaginenſibus vel ſubiectæ, vel fœderatæ, erant, ad Romanos vltro defecerunt. Hieron cum hinc Romanos numero, & viribus ſuperiores, inde vero Siculos animis lapſos cerneret, iamq; de ſeipſo ſolicitus eſſe inciperet, tutius ſibi futurum cum Romanis, q̃ cum Carthaginenſibus pacem habere, Legatos ad Conſules pro conditionibus mittit. Illi commodiſsimam bello gerendo Hieronis amicitiam arbitrati, pacem cum eo his legibus firmant, vt ipſe captiuos Romanos reſtituat. Argenti talenta centum, licet ducenta pleriq; ſcribãt, pendat, atq; ita deinceps Syracuſani ſocietatem fidam populo Romano iurent. Quę oĩa Hieron vt accepit, per quinquaginta annos certa, inuiolataq; fide ad mortẽ vſq; ſeruauit. Carthaginenſes Hieronis confœderatione deſtituti, ad Agrigentum eorum capnt & Arcem ſe conferunt, vrbem omnibus copijs, ac vi frumenti muniunt. M. Valerius, &. C. Octacilius fœdere cũ Hierone percuſſo Romã reuertũtur, ſuffectiq; ſunt poſt eos à Senatu Coſſ. L. Poſthumius, & Qu. Aemilius, & in Siciliam miſsi. Hinc primum bellum Punicum oritur. De quo inter Græcos Polybius, & Philinus, inter Latinos verò. T. Liuius latè ſcripſerunt. Conſules igitur q̃ primum Siciliam tenuere, ſuſcepto à præceſſoribus exercitu de bello gerendo cõſilium contulerunt: in quo de Agrigento inuadendo inrer eos conuenit, vt ſi hoſtis pugnã recuſaret, intra mœnia concluſus obſideretur. Quocirca ingẽti cũ exercitu in expeditionem profecti, caſtra non longè ab Agrigento. niſi. p. m. metãtur. Carthaginenſes ſupra quinquaginta hominum milia ſub Annibale duce, intra mœnia habebant. Cæterum quia longam fore obſidionem Romani arbitrabantur, atq; iam meſsis tempus, & maturæ in agris ſegetes erãt, milites relictis caſtris ad frumenti rapinam ſine ordine, ſine Duce paſsim audacius, quàm aut tempus, aut militiæ ratio poſtulabat, euagari cœperunt. Annibal rei bene gerendæ occaſionem nactus, repentè vrbe egreſſus, in Romanorum ſtationes inſtructam aciem defert, partem verò militum in vagos Romanos emittit. Clamore ſublato, foſſas implere, vallumq; reſcindere iubet. Romani ſubito caſu perculſi, quoniam ſub muleta caſtra, ſigna, præſidiaq; deſerere eis cautũ erat, loco immobiles adeo ſtrenuè obſtiterũt, vt quanq̃ Carthaginẽſes numero lõgè ſuperiores prorũerent, ipſi in caſtra nõ modò tutati, ſed & hoſtes multa cũ cæde in vrbẽ præcipites reiecerũt. Verũ tãta ſtrages ea die vtrinq; cõfecta eſt, vt vterq; & victus, & victor videretur: tantusq; vtrunq; exercitũ metus ex huius diei periculo inuaſit, vt neq; Pœni auſi ſint amplius caſtra Romanorũ inuadere, neq; Romani latius euagari. Porrò æquato vtrinq; metu aliquãdiu quieuerũt. Interea Carthaginẽſes etſi in Romanos erũpere pertimeſcerẽt, ſagittis tamẽ eminus eos impetere nõ ceſſabãt. Cõſules verò vbi milites à repẽtino incurſu aliquãtiſper refectos videre, exercitũ in duas partes diuiſerũt, alterã ad Aeſculapij tẽplũ, alterã diuerſa regione vrbis ex ea parte,

quæ

quæ Heracleam ſpectat,poſuere,atq; ita duplici vallo,& foſſa vrbem cingunt.vnà ad hoſtium eruptionem interius inhibendam: altera ne exterius obſeſsis auxilia ferrentur,præſidijſq;,ac crebris caſtellis ſuorum interualla munierunt. Non procul à Romanis caſtris Erbeſſum oppidũ erat, quod Gruttæ oppidulum, nominis etymologia fuiſſe conijcio.in id ſocij omnes commeatum, cæteraq; exercitui neceſſaria ſummo ſtudio congerebant: vnde cum res exigeret, à Romanis commodiſsimè in caſtra tranſportari poſſent. Dum quinq; fermè in hunc modum menſes ancipiti euentu vtriuſq; gentis res perſtitiſſent, fames ob ingentem multitudinem,quæ in vrbe obſidebatur, Carthaginenſes premere cœpit. Quo conſpecto Annibal ob ſuorum pericula rebus iam penè diffidens, crebros nuntios Carthaginem miſit, qui in quo ſtatu res Punicæ in Sicilia eſſent, ſenatui nuntiarent. Quibus Carthaginenſes commoti, nouum in Siciliam exercitum cum magno elephantorum numero, nauesq; plurimas ad bellum inſtructas cum Hannone altero Duce tranſmittunt. Is cum omni bellico apparatu Heracleam profectus,Erbeſſum oppidum Romanorum horreum proditione occupat. Quo recepto continuò in Romanis caſtris rei frumentariæ inopia ſucceſsit: eoq; factum eſt,vt Romani non minus obſiderentur,quàm obſiderent. Iamq; eò annonæ caritate deuenerãt,vt obſidione ſoluta inde abituri eſſent,niſi Hieron repentè neceſsitati eorum,euecto vt ſummo ſtudio,ita non magno cum diſcrimine ex Syracuſis commeatu,rebusq; alijs ad exercitum ſubleuandum idoneis, ſuccurriſſet. Poſt hæc Hanno cum ſuos,qui intra mœnia erant, paratos ad bellum per certum nuntium intellexiſſet,coactis quinquaginta elephantis,paratisq; omnibus copijs exercitum omnem ex Heraclea,Erbeſſoq; educit. Sed anteq̃ in conſpectum hoſtium veniſſet, Numidas equites ad eos laceſſendos irritandosq; præmiſit. Ipſe verò cum elephantis,ac reliquo comitatu ſequebatur. Illi ad Romanorum caſtra venientes cum hoſtium equitatum in ſe concitaſſent, ſimulata fuga, vt præceptũ fuerat,terga vertunt. Quos dum Romani audacius inſequerentur,in ſubſequentem Hannonem præcipites, ac per tumultuariè incidunt, trahunturq;. Tum repente veluti ex inſidijs proſilientia Pœnorum agmina in Romanos equites circumfunduntur:atq; ex illis multos interficiunt, reliquos vſq; ad caſtra fœdè fugant. His geſtis Hanno in collem,cui a Toro nomen erat,exercitum reuocat:atq; ibi non longius, q̃ mille & ducentis paſsibus à caſtris Romanorum caſtra locat. Verùm cum per loca paluſtria,quibus Romani ſigna fixerant,ex diuturniori excubatione exorta ſæua eos peſtilentia inuaſiſſet, in diesq; magis inualeſceret, Conſules obſidionem ſoluere meditabantur.Sed cum non minor annonæ preſſura ob ſeſſos Carthaginenſes premeret:Annibal multis noctu è ſpecula erectis ignibus, crebrisq; etiam nuntijs Hanno in rerũ anguſtias, multitudinisq; in vrbe intolerabilem famẽ,cũ iam plures impatientia ad hoſtes trãsfugerant,ſignificauit.Hanno his cognitis ratus Romanos morbo preſſos q̃ facilimè poſſe vinci, in aciem ad pugnandum copias educit.Conſules nihilo pigriores & ipſi ad prælium,parte copiarum ad reprimendũ obſeſſos ne perrũperent,relicta, reliquũ exercitus aduerſus Hannonẽ emittunt. Signo dato prælium incipit: cruentũq; aliquandiu ex vtraq; acie certamẽ fuit. Demũ Romani maiori conatu adnixi primã Carthaginenſium aciem in fugam compellunt.Vbi qui fugerant,in elephantos præcipitati,pecudes conterritas in ſuos excitant. Quæ ruentes in agmina, ordines non mediocriter, belliq; euentum turbarunt. Romani centuriones per eorum ſtragem perruentes,ſigna acrius inferunt, ad extremum Pœnos omnes terga vertere cogunt, profligatos inſequuntur, ac magnam eorum partem trucidant. Hanno cum reliquis celeri fuga ad Heracleam ſe recipit. Romani elephantis ferè omnibus, qui prælio interfuerunt, captis, caſtrisq; hoſtium expugnatis, commeatu præterea, & belli impedimentis direptis, plenaq; victoria

potiti in castra copias reduxerunt. Subsecuta nocte cum ob victoriæ lætitiam simul,& prælij laborem segnius à Romanis vigiliæ haberentur:Annibal,qui in vrbe & hostibus & fame obsidebatur,post perceptam Hannonis cladem,desperatis rebus,tempus ad suam,suorumq; salutem maximè idoneum nactus, per tenebras cum omnibus copijs,quas Agrigẽti habebat,vrbe egressus vtranq;, quam Romani fecerant, fossam palearum manipulis adæquat, atq; inde per medias hostium stationes Romanorum nemine sentiente incolumis euasit. Illucescente Romani deprehensa Carthaginensium fuga illorum vestigia insequuntur,ac plurimos postremi agminis tardius procedentes cædunt. Mox reuersi,ad vrbem capiendam se dirigunt. Vbi in portas ciuitatis impetu facto exercitum omnem intra mœnia nullo iam repugnante inducunt,vrbem locupletem,& omni præda refertam diripiunt. Septimo itaq; mense postq̃ Agrigentum obsideri cœptum est, in potestatem pop. Romani peruenit, tanto sudore militum, ac Ducum tolerantia, vt ea obsidio inter paucas,quæ vnq̃ fuerint, laboriosissima à scriptoribus referatur.Capto Agrigento,pleraq; Siciliæ mediterranea oppida sponte Romano Imperio se subiecere, Cum Romæ Agrigenti expugnatio nuntiatur, Senatus populusq; erectis animis Carthaginensium potentiam è Sicilia omnino exterminare, soliq; insula potiri tota mente decernunt. Quocirca.L.Valerium,&.T.Octacilium sequentis huius belli anni Consules nouo maioriq; militum delectu habito in Siciliam legant. Carthaginenses cognita Romanorum mente,non amplius terrestri, sed nauali bello,quo plurimum pollebant,deinceps congredi deliberant. Proinde ingentem classem instruunt,eamq; re bellica, ac magno militum numero refertam in Siciliam mittunt. Cuius aduentu plures maritimæ vrbes metu adductæ ad eos transierunt. Quibus mari prædominantibus, terra verò Romanis, quasi æquatnu erat bellum. Porrò Romani cum cognoscerent non aliter finem habiturum bellum,nisi mari quoq; se hostibus opponerent, necessitate adducti potius q̃ libidine parandam sibi classem statuere. Itaq; centum & viginti, siue sexaginta,vt pleriq; scribunt,naues intra sexagesimum diem, quàm cæsa fuerat sylua, perficiunt. Quarum centum quinqueremes fuerunt, relique triremes. In hoc nauali apparatu quinqueremium ædificatio perdifficilis fuit: quippe quòd illarũ tunc temporis nullus adhuc in Italia esset vsus. Cæterùm vna semilacera Carthaginensium quinqueremis,quæ dudum apud Messanam dum longius à classe vagaretur,a Claudio Cos,capta fuerat, exemplar eius generis faciendi præbuit. Interea verò rudis multitudo ingens ad remigium exercebatur, subsellijs in arena dispositis,Ducis sybilo brachia ad remos reducere, ac remos per arenam mouere docebantur. Iamq; confectis nauibus,C.Cornelius, &,C.Duellius Consulatum inierunt. Classi Cornelius, terrestribus copijs Duellius præficitur. Duellius in Siciliam profectus exercitu à superioribus Imperatoribus accepto, quæ ad bellum pertinebant, ministrabat. Cornelius classe ad fretum deducta cum nautas aliquandiu in aqua exercuisset,ipse cum sexdecim nauibus Messanam contendit, reliquam verò classem iuxta Italiæ oram subsequi iussit, Messanam cum venit, quæcũq; ad classis vsum iudicabat necessaria, coemit, & subinde cum eisdem sexdecim nauibus,quãdo id res poscebat,Liparã traiecit. Per id tẽpus Annibal Carthaginẽsiũ Dux Panormi cũ classe erat.Is cognito Cõsulis ad Liparã apulsu,Boodẽ Carthaginẽsẽ nobilitate,& militia præstãtẽ virũ viginti cũ nauibus ad eũ opperiẽ dũ exire iubet,Intẽpesta nocte Boodes Liparã delatus naues Romanas sua cũ classe in portu deprehẽsas inclusit.Cornelius subito malo perculsus,inops cõsilij, nec quò se verteret satis certus,ad colloquiũ a Boode euocatus,fraude Punica intercipitur.Cathenis subito oppressus,p captiuo habitus est. Ita sexdecim Romanorũ naues vnà cũ Cõsule,Boodes victoria fraudulẽta insolẽs,ad Annibalẽ Panormũ reduxit. Arrisisse hoc belli initio fortuna Carthaginensibus videbatur, sed paucis

pòst diebus quasi in alterutros ludens non dissimili clade miseros afflixit. Annibal enim captiuitate Cõsulis elatior, sed non cautior factus, cum audisset Romanam classem secus Italiæ littus peruagantẽ, & non procul à Sicilia abesse, eius structuram multitudinemq; exploraturus, quinquaginta cum nauibus ex sua classe delectis Italiam petijt. Ibi cum contrario quam Romana classis cursu ferretur, in eam ex improuiso incidit, quem Romani mox adorti subita vi nauibus ferme omnibus spoliarunt. Ipse verò interceptus planè, ac iam pro captiuo quasi habitus præter spem inter hostium manus dilapsus cum suorum paucis euasit. Romani per captiuos, quos hoc bello ceperant, cognito Cornelij Cos. aduerso casu, eum continuò redemerunt, compensataq; vtrinq; clade mœrore lætitiam permiscentes, citato cursu in Siciliam properant, ne forte desperatione ductæ ciuitates ad Carthaginenses deficerent. Agebat tum fortè Duellius Consulum alter circa littus copias. hic de Cornelij collegæ casu, & hostium classem non longè abesse certior factus, relicto Tribunis exercitu statim ad mare, quò Romana classis appulerat; descendit, omnesq; ad prælium parari iubet. Verùm cum Romanorum naues tardiores essent: ne Punicorum agilitate medio certamine eluderentur, lignea instrumenta, quæ coruos postea nautæ vocauerunt, ad hostium naues innectendas singulis quinqueremibus imponit, atq; ita ipse exploratorum indicio edoctus Carthaginensium classem ad Mylas consistere, eò ad pugnandum properat. Carthaginenses visa Romanorum classe, cum ad prædam potius, q̃ ad pugnã proficisci se putarẽt, centum triginta instructi nauibus magna etiam lætitia in altum hostibus se offerunt. Sed vt è mutuo classium conspectu coruos apud Romanos Carthaginenses vident, rei nouitate primùm quidem percelluntur, mox tamen quicquid id foret spernentes prælium ineunt, contrarijsq; proris magno impetu in classem Romanam feruntur. Romani, vt fuerant instructi, iniectis manibus ferreis, alijsq; machinis in Carthaginensium naues eas tenaciter innexas serio inaduntcomminusq; gladijs rem gerunt. Quo bello Carthaginensium naues, quæ primæ in Romanos irruerant, breui in potestatem hostium venere; & in his Prætoria septiremis, quæ Pyrrhi Epirotarum Regis fuerat. In ea cum esset Annibal, vbi victoriam penes Romanos esse, suamq; rem perditam vidit, in scapham desiliens ad suos euasit. Reliquæ Carthaginensium triremes, quæ nonnullo interuallo sequebantur, vt primas suorum naues ab hostibus captas conspexerunt, ad ludificandos eos conuersæ non à fronte, sed ex latere in Romanos feruntur. Eo etenim modo coruorum artem declinare posse censebant. Verum cum instrumenta hæc ita essent instituta, vt ex omni parte hostes alligarẽt: sexaginta aliæ Carthaginensium naues eodem nexu deceptæ sunt captæ, cæteræ in fugam versæ, præter quatuordecim, quas ipsum mare absorpsit. Capta sunt eo prælio à Romanis Carthaginensium septem milia, & tria milia cæsa. Annibal verò cum paucis velis, quæ bello superfuerant, Carthaginem redijt. Qui cum à Senatu in Sardiniam cum classe missus iterum infœliciter rem gessisset, Carthaginem reuersus cruci affixus est. Post hæc cũ Segesta vrbs vel ob id, quòd in amicitiã pop. Romani nuper venisset, à Pœnis obsideretur; Romani, qui præter spem mari imperare, & superiores esse cœpere, victoriæ cursum secuti e Mylis in Segestanã orã nauigãt. Quò delati Carthaginẽsibus fugatis obsidione vrbẽ sociã liberant. Mox progressi Mucellã vrbẽ, quæ paruo inde spatio in eadẽ Aquilonari plaga Carthaginẽsibus parebat, expugnãt. His rebus fœliciter gestis Duellius Romã reuersus primus oium nauale triũphum egit. Post Duellum. C. Sulpitius, &. A. Rutilius Coss. (teste Polybio quẽ sequimur) creãtur. Qui ĩ Siciliã pfecti Panormũ, vbi Carthaginẽses tũ suas copias habebãt, cõfestim cõtẽdũt, fixaq; antevrbẽ acie, ad pliũ hostes irritabãt. Sed cũ illi pugnã detrectarẽt, Panormo relicta ad Hippanã oppidũ, quod Pœnis suberat, se referũt; quã & breui capiũt. Mylistratũ deinde Amestratũ à Cic. & cæteris appellatũ, situ loci munitissimum

nitissimũ oppidũ milite cingũt. Quod cũ loci oportunitate diutius obsidionẽ tolerasset, non nisi magna molestia, & interiecto tempore expugnari potuit. Post hæc Camerinam petunt, quæ paulo antè a Romanis desciuerat. Ea quoq; ducto exercitu, machinisq; adhibitis à Consulibus recepta est. Capta est etiam ab eisdẽ Enna, ac alia pleraq; Carthaginensium oppida, & Lipara obsessa. Subactis tot hostium oppidis, Rutilius Consulum alter, qui classi præerat, apud Tyndarium vrbem stationem habebat. Is Carthaginiensium classem non procul à littore conspicatus, suos, vt se quàm celerrimè sequerentur, est hortatus. Ipse decem cum nauibus temere in altum euehitur. Carthaginenses vbi eas tam paruo numero longè a cætera classe abesse vident, rati serò eis auxilium a reliquis affuturum, in eas incredibili celeritate irruunt, circunsistunt, pleraſq; demergunt, parumq; abfuit, quin Prætoria caperetur. Quod reliqua Romanorum classis eminus videns hostium naues adoritur, quarum decẽ onustas capit, octo mari submergit, reliquas Liparam fugat. Hac pugna vterq; hostis victoriam sibi adscripsit. Romani ijs accensi studijs omnem belli molem in Africam transferre eo animo decernunt, vt Pœni Sicilia deinceps prorsus abstinerẽt. Eoq; cõsilio classem quinqueremiũ trecentarum & triginta parant; quarum singulis trecentos remiges, & legionarios milites centum viginti imponunt. Naues quoq; quibus equi traijcerentur, & duas sexremes; quibus. M. Attilius Regulus, & L. Manlius Consules creati, veherentur, edificant. Paratis igitur oĩbus ad profectionem necessarijs, in Messanæ portu, vbi tota classis cõuenerat, naues conscendunt. atq; inde soluentes superato Pachyno promontorio, Ecnomum venerunt; vbi pedestres copiæ classem præstolabantur, eoq; loco totam classem, quæ hominum milia supra quadraginta continebat, quadripartito Consules diuidunt. Carthaginenses de suo periculo anxij trecentarum & quinquaginta nauium & ipsi classem instruunt, in qua ex selectis tantummodo ad nauale prælium militibus supra centum hominum milia imponunt. Quorum imperio Hannonem & Amilcarem præficiunt. Hi cum scirent q̃ periculosum eis esset bellum in Africam transferri, totis viribus Romanorum eò traiectum impedire conabantur. Itaq; vt aduentum Romanorum præuenirent, Carthagine soluentes Lilybæum nauigant. Vbi cum vniuersa classe primum consederunt; postea Heracleã petunt. vnde conspicati Romanam classem, in quatuor etiam acies & ipsi copias diuisere. Cumq; iam in propinquo essent, magno, ac terribili clamore sublato Romanos inuadunt. Reclamatur à Romanis altissimè, nec minus infestè illis occurritur. Consules medium primæ aciei Pœnorum agmen magno impetu perrumpunt. Carthaginenses ab Amilcare edocti, vt Romanam dissungerent classem, ex composito cedunt. Quo facto prima, & secunda Romanorum acies auidius insecutæ, longè a reliquis separantur: reliquis duabus signius à tergo sequentibus. Amilcar vbi Romanorum classes disiunctas videt, signum è naui suis dat. quo exciti Carthaginenses repentè totis viribus in Romanos versi, primam, & secundam classem, in quibus Coss. erant, circunsistunt. Cum quibus atrocissimo prælio dubiè aliquandiu pugnatum est. Hãno, qui dextrũ Carthaginensium cornu ducebat, vbi implicitam pugnam videt, à pelago cum suis nauibus triarios, qui extremum Romanorum claudebant agmẽ, inuasit. Vbi nouo rursum certamine atrox pugna successit; atq; ibi dum triarij cum Hannone conferuntur, tertium Romanorum agmen, cui rates equitum tributæ erant, aliquantò processerat: quòd quarta Carthaginensium acies à littore statim adorta est: ita vt tres nauales pugnæ vno tempore diuersis locis commissæ sint. Et quoniam numerus nauium in singulis conflictibus erat penè par: certamen quoq; non dispar fuit. Vtrinq; fortissimè, & q̃ simillima strenuitate dimicabatur. Porrò Coss. qui initio ægrè obstiterant, postmodum animis erecti Carthaginensium naues inuadunt, quarũ quasdam capiunt, plures submergunt, reliquas fugant.

fugant. M. Attilius Regulus vbi prima classe profligatos hostes, fugatosq; conspexit. L. Manlio ad eorum reliquias persequendas relicto: ipse triarijs, qui ab Hanone circunsepti summo in discrimine versabantur, cum integris secundæ aciei nauibus succurrit. Triarij vbi suppetias sibi adesse conspiciunt, audentiores facti maiorem in modum resistunt. Attilius interea in classem Hannonis irruens incredibili animo, & corporis robore naues multas expugnat, nonnullas fractas, armamentisq; nudatas submergit. Vbi Hanno præsenti malo vndiq; circunuentus fugam arripuit, ac celeritate nauis fretus in altum euolat. Supererat interea tertia Romanorum acies, quæ circa Heracleæ littus à Carthaginensibus adeo lacessebatur, vt vix vlla amplius salutis spes relicta videretur: cum vno in tempore. M. Attilius Regulus à triarijs, & Manlius à primo congressu victores, diuerso itinere labanti succurrunt: Carthaginenses in medio positos aggrediuntur, atq; eorum naues quatuor & sexaginta capiunt, cæteras fugant. Triplici itaq; nauali prælio vno ferè temporis momento Romani à Pœnis insignem victoriam consequuntur, quibus in ea pugna naues quatuor & viginti, Carthaginensibus verò supra triginta fractæ periere. Tanta verò hominum milia occubuere, vt passim cadaueribus caua littora complerentur, dumosiq; Heracleæ scopuli colluctantibus fluctibus, occisorum sanguine, dissutisq; naufragorum artubus redundarent. Amilcar conclamatis rebus cum paucis militum, classisq; reliquijs Heracleam se recepit. Consules verò reparato exercitu, suisq; simul, & Punicis, quas in pugna ceperant, nauibus ad tempus instructis, priorìq; numero adiectis, in Libyam pergunt: atq; ad Mercurij promontorium primò appelluntur. Inde Clypeam insignem tunc ciuitatem, quæ prima à Punico littore quasi arx, & specula prominebat, aggressi; eamq; non multo pòst adepti, Carthaginem properant, agros eius populantur, suburbana ædificia incendunt, captiuorum supra triginta milia ad naues cogunt. Subinde, ad Adim vrbem cum Carthaginensibus conserto prælio duodeuiginti eorum milia trucidant, quinq; milia hominum simul, & elephantos decem & octo capiunt. Acceptæ in fidem septuaginta quatuor ciuitates. Serpentem tum ibi ad Bragadam flumen centum viginti pedum longitudinis balistis, & catapultis expugnant. Tunetum oppidum vi capiunt. Pace deinde apud Romanos frustra tentata, Carthaginenses ad Lacedemonios confugiunt, Xantippoq; Duce auxilia impetrant: cum quo conserto prælio Romanus exercitus Attilio duce vltima pernicie vincitur: cum duo tantum ex ipsis perfugerint, quingenti cum Regulo capti, triginta milia cæsa. Nec multo pòst cum recenti trecentarum nauium classe P. Aemilium, & M. Sergium Fuluium Coss. in Africam Senatus, Populusq; Romanus misit. cui prædæ, victoriæq; studio, Carthaginenses obuij facti, commissa pugna centum & quatuor naues ab Aemilio Consule demersas, triginta cum pugnatoribus captas, quindecim hominum milia cæsa perdidere. Romani verò famis necessitate inde discedere compulsi, latus Siciliæ meridionale circa Camerinam tenuerunt. Vbi aduersa maris tempestate subitò coorta, ex quatuor & sexaginta supra quadringentas nauibus, trecentas octuaginta quatuor naufragio amiserunt. Incidit ea clades in decimum annum primi belli Punici, qui quingentesimus fuit ab vrbe condita. Carthaginenses cognita Romanorum calamitate Asdrubalem cum omni veterano exercitu, nouoq; insuper delectu habito, & centum quadraginta elephantis in Siciliam miserunt, ac ex veteribus, nouisq; rostratis ducentarum nauium classem instruxere. Asdrubal emenso pelago, copijsq; omnibus, & elephãtis ad Lilybæũ expositis Romanorum socias vrbes infestabat. Romani ne concedere hostibus viderentur, infra nonagesimum diem post cæsam in syluis materiam, classem centum & viginti nauium in mare deducunt. Cum qua A. Aequilium, & C. Cornelium Coss. creatos Messanam mittunt. Ibi cum eis, & ijs quæ incolumes ex naufragio superfuerunt, & refectæ ex illisione

scopulorum

scopulorum fuerunt, nauibus, trecentarum quinqueremium tota classis fuit. Hinc Panormum profecti, quæ præcipua tunc Pœnorum ciuitas, omnisq; eorum belli præsidium erat, magna vi vrbem aggrediuntur, duobusq; e lateribus castrametati machinis, ac tormentis adhibitis fortiter oppugnando paucis diebus arcem demoliuntur: per quam milites ingressi eam vrbis regionem, quæ Neapolis dicebatur, quæq; meridiem respicit, capiunt. Quo facto reliqua pars, quam latini vrbem veterem, Palęopolim Græci, Alcassarum postmodum Sarraceni cognominarunt, metu exanimatis ciuibus deditionem fecit. Capto Panormo, firmatoq; Romanorum præsidio, Consules, qui nihil ferè aliud eo gesserant anno, è Sicilia discesserunt. Proximus dehinc annus Coss. habuit. C. Seruilium, &. C. Sempronium. Hi susceptа classe primùm in Siciliam, postea in Africam traijciunt: vbi cũ ad Lotophagorum insulam Gerborum hodie nominatam peruenissent, magnam iacturam ex inopinato acceperunt. Nam cum inscitia locorum in aridas, & arctas quasdam terræ Laminas incidissent, nonnisi iactu rerum euadere potuerunt. Inde in Siciliam relati nonnihil Panormi constiterunt. Vnde discedentes cum Italiam, Romamq; repeterent, subita, & atroci maris, ventorumq; tempestate suborta supra centum & quadraginta naues amiserunt. Hac clade pop. Romanus affectus à mari abstinendum, & septuaginta solùm nauibus ad onera deuehenda deinceps vti decreuit. Anno proximo Coss. creati sunt. L. Cecilius Metellus, &. C. Furius, quibus à Senatu terra tantum bellum gerere iniunctum est. Quo contigit Carthaginenses iterum fieri superiores, cum & mari ingentem haberent classem, & terrestribus quoq; copijs non minus, quàm Romani pollerent. Elephantorum etiam numerum non spernendum possidebant: quorum metu Romani ei Pœnis biennio æquo marte in Sicilia congredi non sunt ausi. Quocirca tandem necessitate ad parandam rursus classem coacti sunt. Interea. C. Furio Consulum altero cum exercitus parte Romam reuocato. L. Cecilio Metello Collegę, qui cũ copiarum dimidio Panormi relictus erat, præter omnium spem fortuna, rerumq; gerendarum successus arrisit. Asdrubal enim Pœnorum Dux cognito ex profugis, Consulis, & exercitus discessu, solumq; Metellum cum exigua militum manu Panormi quietem agere, e Lilybæo profectus confertissimum selectissimæ iuuentutis agmen cum centum & quadraginta elephantis in Panormitanum agrum induxit. Metellus de Carthaginensium aduentu, copijsq; sigillatim per amicos præmonitus, tum Asdrubalem summa pugnandi cupiditate flagrare cognoscẽs, simulato metu intra mœnia exercitum continebat, & fossam interea ingentis magnitudinis ante vrbem circumquaq; molitus est. Quo maiori fiducia Asdrubal confirmatus, deuastato vndiq;, atq; incenso circum agro, exercitum, tandem ad vrbem admouit. Continuit se intra mœnia Metellus, quousq; Asdrubal cũ exercitu Orethum fluuium, qui vrbem ad meridiem præterlabitur, traiecit: tum velocissimos, ac maxime expeditos milites exire, atq; hostes lacessere iubet, aliosq; etiam leues, & strenuos milites ante muros supra vallum, vbi ingentem telorum vim collocauerat, constituit, qui contra elephantos telis hac arte pugnarent, vt si iratæ belluæ contra ipsos cum impetu ferrentur, in fossas, earum iram declinantes se dimitterent, vnde rursum eosdẽ ex occulto ictibus peterẽt. Ipse vero signis militaribus stipatus ex diuersa vrbis parte, quæ leuum hostium cornu spectabat, in omnem euentum intendens constitit. His itaq; paratis, vt pugnari ceptum est, elephantorum Duces gloriæ cupidi, & qui victoriam sibi attribui desiderabant, non expectato Asdrubalis imperio elephantos in Romanos pedites concitant. Illi, vt à Metello edocti fuerant, statim fugam capessunt, infestiusq; insequẽtibus belluis in fossas se præcipites dimittunt. Elephanti cum primùm ad extremũ fossarum tumulũ peruenerunt, vno tẽpore & à militibus ex fossis, verubus, telisq;, & ab vrbana multitudine ex mœnibus sagittis multifariã feriũtur. Quocirca

ex vulneribus

ex vulneribus & ira, & sæuitia efferi cum vltra aggerem progredi non possent, necessariò terga vertunt, atq; in suos furibundo impetu perciti agmina perturbant, magnamq; suorum stragem edunt. Metellus vt primum sibi consilium ex sententia succesisse videt, ne oblatam occasionem contemneret, ex ea vrbis parte, vnde paratus euentum expectauerat, eductis repente copijs, in hostes ferarum indomito discursu perculsos irruit. Illi iam pridem ab elephantis dissipati, accedente inopinata Metelli inuasione facilè profligantur, cũ pars eorum cæditur, multi capti, plures circa fluuium periere, multi fuga sibi salutem quærunt. Fuit cæsorum captorumq; numerus viginti milia. Asdrubal cum parua exercitus parte ad Lilybœum fugiens euasit. Qui absens ob hanc in Sicilia malè rem gestam a Pœnis capite damnatur. Elephanti omnes viui in potestatem Metelli, sed decem cum suis magistris indis, cæteri sessoribus excusis circa fluuium capti, peruenerunt. Recens hæc victoria, Romanorum animos adeo erexit, vt contra Carthaginenses in Sicilia bellum nulla clade, nulliſq; expensis deserendum deinceps adducerentur. Metellus Romam regressus egregium de Pœnis triumphum cum elephantis præeuntibus egit. Erat tum huius belli annus decimus quartus, & ab vrbe condita quingentesimus & quartus. Post hanc victoriam C. Attilius, & L. Manlius nouj Consules in Siciliam maiori cum conatu, mari quidem ducentarum rostratarum nauium classe, terra verò exercitu victore conuenerunt. Qui statim hostes ob recentem hanc cladem attritos in Lilybœum compulerunt, quam duplici obsidio ne circundedere, atq; curribus, omniq; bellico opere proinde ad id comportato oppugnarunt. Erant Lilybœi ad decem propugnatorum milia præter vrbanam multitudinem, quorum Himilco dux erat, homo impiger, & militari arte insignis. Qui cum Siciliæ ciuitates omnes, præter Lilybœum, Drepanum, Erycem, & alia admodum exigua, quæ Pœnorum adhuc ditionem, imperiumq; agnoscebãt, Romanis parere, videret, totis animis, viribusq; eam Carthaginensibus vrbem tuebatur, veritus ne ea amissa, bellum in Africam iterum à Romanis transferretur. Consules igitur sedulo omnia pro victoria agunt, binis castris vtrinq; vrbẽ cingunt, fossam, & aggerem, & crebra castella in medio castrorum excitant, machinas struunt, stagna, per quæ ingressus est ad portum, stationibus comprehendunt, & ne quis ingredi, egrediue possit, curiosissimè obseruant; machinis deinde & arietibus longo labore mœnibus ipsis admotis, sex turres ab ea ipsa parte, quæ mare contuetur, euertunt. Quassata murorum parte terribilis erat obsidio, & intra vrbem summa trepidatio excitata, quam exanimatis metu vrbana multitudine, & conductis militibus, solus vnus Himilco magnitudine animi, & consilio sustinebat. Nam quacunq; parte hostes muros disijciebant, alia ipse intra vrbem mœnia, munimentaq; suffíciebat. Sicubi illi cuniculos faciebant, alijs ipse factis obuiam ibat. Eruptionibus etiam crebris tam interdiu, q̃ noctu Romanas stationes turbabat, machinas incendebat, opera demoliebatur, longumq; ita obsidentium laborem frustrabatur. Interea Galli quidam conductitij Carthaginensium milites, qui ordinem in præsidio tenebant, prodere Romanis vrbem statuunt. Qui per tenebras muris dilapsi, in castra Romanorum transfugere, ibiq; cum Consulibus composuere. Erat in Carthaginensium præsidio Alexon Achæus genere, veteranus miles probatæ fidei, qui superioribus temporibus Syracusanis vrbem tenentibus Agrigentum à proditione liberauerat. Is cum ea, quæ de proditione tractabantur, à commilitonibus fortè didicisset: statim Himilconi rem omnem aperit. Ille per Alexonem, & Annibalem internuntios, Gallorum transfugas præcibus, & præmijs vsq; adeo conuertit, vt aduentantibus mox a Romanorum castris ad constitutum facinus coniurationis principibus, non modo ad patrandam proditionem, vt simul coniurauerant, non consenserint, verum etiam telis, ac lapidibus proditores infectati procul inde fugauerint. At

quanq̃

quanq; ita ex manifesto periculo Lilybœum seruatum videretur, obsidio tamen dura in dies magis, ac magis obsessos conterebat. Inter hæc Carthaginenses de suo discrimine soliciti Regulum, quem captiuum habebant, fide ab eo accepta, vt Carthaginem rediret, Romam mittunt, vt cum Senatu vel de pace, vel de captiuis saltem commutandis ageret. Ille vbi Romam venit, Senatui persuasit, vt neq; ad fœdus, neq; ad commutationem vllam consentirent. Illud, quia breui futurum esset, vt inuiti Carthaginenses tot cladibus fracti iugum acciperent, hoc, quoniam ipsum iam senem, ac penè decrepitum, & ob id bellis gerendis ineptum cum Carthaginensibus captiuis commutari, qui viri erant fortes, ac strenui, & rei militaris scientissimi, Reip. pernitiosum foret, Regulus postq; patriæ bene consuluit, vtroq; infecto negotio Carthaginem (vt pollicitus fuerat) redijt, Quo cognito Pœni varijs tormentis ipsum, & ob id, & ad animos suorum prodendos, vexatum crucis supplicio tandem adegerunt. Post hæc Carthaginenses quo lilybitanæ obsidioni succurrerent, ex Africa Annibalem Amilcaris filium incredibili audacia adolescentem cum quinquaginta nauibus, & decem milibus peditum Lilybœum mittunt. Is Carthagine soluens, ad Egusam insulam, quæ Fauognana est hodie primùm delatus, inde secundante vento, ne Romanis quidem, qui ab vtraq; parte fauces portus obsidebant, obijcere se ausis, magno suorum clamore, & alacritate Lilybœiũ portũ est ingressus. His copijs Himilco fretus, fiduciaq; rerũ erectus, repente vltra viginti milia armatorum ex vrbe educit, quibus Consules numero superiores, qui eò intentiori solicitudine castra communierant, fortiter se opposuere. Hinc certamẽ multis simul locis cõseritur. Pœni machinas hostiũ incendere. Romani eas propellere satagebant. Illi magno impetu non solum armis, sed etiam facibus Romanos loco pellere adnitebantur, isti pertinacissimè contra omnes conatus perstabant. cunctaq; igne, ferro, & cæde miscebant. Porrò prior Himilco post varias ex omni parte strages cum nihil proficeret, receptui cecinit. Annibal, vt à pugna cessatũ est, cum suis nauibus noctu Lilybœo soluens Drepanũ ad Adherbalem nauigauit. Quo discedente, arctior obsidio vrbem a Romanis subsecuta est. Tenebat interea Carthaginensium Senatum maxima rerum Lilybitarum cognoscendarum cupido, quam cum nulla præsenti via explere possent, vir quidam, cui nomen Annibal Rhodius genere, sed animo præstantior, deducta insigni celeritate in mare triremi periculum subijt: soluensq; Carthagine Egusam insulam primo vento applicat. Nactus postridie multo prosperiorem auram, tãta velocitate Lilybœum proficiscitur, vt spectante Romana classe, quæ fauces portus obseruabat, nec impedire transitũ ausa, portum ingressus per otium etiam in quo statu suorum res ibi essent, speculatus sit. Consules tantam viri audaciam admirati, decem triremes ex tota classe delectas in ipsis portus faucibus, quæ redeuntem interciperent, ex industria collocant: sed & naues cæteræ, quæ ibi excubabant, ad vtranq; proximæ paludis partem extensis remis reditum Rhodiæ triremis præstolabantur. At ille captata recessus hora, non noctu, neq; clam, sed pleno die, & palam, apertoq; itinere per medias Romanorum triremes nauigans incredibili velocitate elapsus est. Nec euasisse cõtentus, vbi paululum hostes præterijt, conuersa prora ignauiam eis obijciebat, simul, & ad pugnam singulos prouocabat. Nec Romanæ triremes ob miram huius pernicitatem contra exire sunt ausæ. Ille igitur quasi de hostibus triumphans, Carthaginem reuersus, cuncta, vt oculis viderat, Senatui retulit. Eius exemplo cæteri postea idem facere non sunt veriti. Quo euenicbat, vt nihil eorum, quæ Lilybœi agebantur, Pœnos lateret. Ea ludificatio ad ingenium etiam Romanos prouocauit, compulitq; militari opere portus ingressum obstruere, eoq; onerarias aliquot naues sabulo onustas maris fundo graui pondere superiecto deprossere. Quæ omnia cum sæpe tentata, hinc ipsa vadi altitudo absorbendo, hinc vndarum fluxus, ac refluxus diffundendo illusisset;

illuſiſſet: tandem ex vna faucium parte agger conſtitit: in quo Romani excubantes paulo pòſt quadriremem Carthaginenſium nihilo ſegniorem priori, quæ magno impetu ex Eguſa proruperat, interceperunt. Qua ſubinde vſi aduentum Rhodiæ obſeruabant. Illa intempeſta (vti ſolebat) nocte adueniens, & innata ſagacitate præteruecta, portum ingreſſa eſt. Quam cum poſtea redeuntem è veſtigio quadri remis capta ſecuta eſſet, Rhodius deſperata fuga ab ingenio ad prælium venire compellitur. Sed cum, Romani numero, & virtute præſtantiores eſſent, paruo negotio cum ſua naui in manus hoſtium deuenit. Duabus his triremibus freti ex eo tempore Romani, & portus aditum Carthaginenſibus pœnitus prohibuerunt, & vndiq; Pœnis præſidij ſpem ademerunt. Sed ex inſperato illis patrandæ rei occaſio ſucceſſit. Nam cum vehementior ventus, & veluti procella repente orta, bellica Romanorum opera vehementiſsime concutere cœpiſſet: Pœni conſilium Græci cuiuſdam militis ex his, qui intus erant, ſecuti extra vrbem tribus in locis ignem ex aduerſo injciunt. Flamma aridæ materiæ vi ventorũ impulſa, Romanorum machinas diu iam ad Solem vſtas facilimè abſumebat. Tantaq; fuit ignis vis, vt dominante Borea nulla humana arte extingui potuerit, & baſes, quibus ſtabilitæ turres erant, cremarentur, & arietum capita liqueſcerent, & machinæ ferme oẽs conſumerentur. Quo caſu Romani deſperata operum bellicorum refectione, obſidione tantũ Carthaginenſes premere, nec prius inde diſcedere decreuerunt, q̃ vrbe potirentur. Hæc cum Romæ nuntiata eſſent: Senatus decem milia hominum in ſupplementum eorum, qui in ipſa obſidione interierant, miſit. Hi Meſſanam primò aduecti, pedeſtri deinde itinere in caſtra ad lilybœum venerunt. Interea prioribus Conſulibus Romam reuerſis, Appius Claudius Pulcher Cõſulatum inierat, & iam apud Lilybœum obſidioni, belliq; ſummæ præerat. Is ad recentem militum aduentum conſilia inſtituens, ex veteribus, nouisq; copijs inuictiſsimos quoſq; viros delegit, quibus naues ſuas cõpleuit. Cum his deinde Drepanum per noctem nihil ſentientibus hoſtibus nauigat, ex improuiſo Adherbalem aggreſſurus. Illuceſcente cum Romanam claſſem iam in limine, Drepani exitio inſtare Adherbal conſpexiſſet, etſi primum inopinato hoſtium acceſſu cõmoueretur, confeſtim tamen ad ſe reuerſus fortunam prælij omnino tentare, ac nihil non pro ſalute experiri ſtatuit. Itaq; protinus remiges ad littus cogit, mercenarios ære conuocat, eosq; pro temporis anguſtia ad præſentes miſerias propulſandas hortatur, nauesq; cõſcendere, atq; eò proras dirigere iubet, quo ducem tendere vidiſſent. Tum primus portu ipſe egreditur, & in Romanos, qui diuerſa portus regione appropinquabant, curſum deflectit, atq; in altum progreſſus pelago ſe firmat. Conſul hoſtes ad prælium paratos conſpicatus, naues ſuas referre gradũ iuſsit: ibiq; ſtructis, paratisq; omnibus, vt in propinquo fuere claſſes, ſignis vtrinq; ſublatis pugna cõmittitur, atq; Diu acriter cerratur. Producta verò diutius conflictatione, Carthaginenſes & agilitate nauium, & nautarum peritia, tum eo maximè, quòd Romani arctum littus, ipſi verò pelagus tenebant, quo longè lateq; diſcurrere poterant, ſuperiores erant. Deniq; cũ rem ſuam Conſul in deterius labi videret, nauibus aliquot in littore confractis, nonnullis etiam ſubmerſis, deſperata ad extremum victoria omnium primus fugam arripuit. Quem triginta naues, quæ ei proximæ erant, ſunt ſecutæ, reliquæ omnes tres & nonaginta cum copijs omnibus in hoſtium manus captæ peruenere. Adherbal ingenti hac victoria potitus maximum, vt par erat, nomẽ eſt adeptus Hæc vbi Romę renũtiata ſunt: Claudio reuocato, atq; à Senatu iniurijs affecto, Cõſulatuq; abdicato; confeſtim reparata claſſe, nouisq; coactis copijs. L. Iunium Cõſulem in Siliciam mittunt. Is cum ſeptuaginta roſtratis nauibus Meſſanam venit, qui ſtatim tota Sicilia contractis ad ſe cæteris Romanis triremibus, centum viginti roſtratarum claſſem effecit, præter octuaginta onerarias, quas Quæſtori ad commeatum

commeatum in castra ferendum dedit. Interea Adherbal gloriæ ambitione,& no uitate victoriæ ductus,primùm captiuos Romanorum, & naues prælio acceptas Carthaginem misit.Subinde Carthalonem Carthaginensem virum impigrum, & militia strenuum cum triginta nauibus ex Drepano ad omnia circum Siciliæ littora perlustranda cum potestate mittit, vt quascunq; Romanorum nàues offendat,capiat,atq; incendat.Carthalo nihilo gloriæ minus cupidus,q̃ Dux, noctu ex improuiso in classem Romanorum, quæ ad Lilybœum stabat, incidit, ac in eam impetum facit,cui statim ab his,qui circa classem excubabant, occurritur.Aumore exciti qui superioribus erant castris,citissimè concurrunt, atq; ita certamen ingens circa naues conflatum est.Inter hæc Himilco ex clamore hostium, nouoq; strepitu cum suos adesse cognouisset, impigrè vrbem egressus castra Romana inuadit.Ita ab vrbe simul,& portu atrox prælium excitatur: tumultuq;, & trepidatione omnia per tenebras complentur.Ea dimicatio,bellandiq; ardor à tertia fere me vigilia ad auroram vsq; processit. Sub lucem verò Carthalo suos ab incepto reuocat,paucis captis Romanorum nauibus, quas primo impetu expugnauerat: atq; ita Lilybœo profectus Heracleam petijt,vt commeatus, qui ex ea parte in castra Romanorum comportabantur,vel interciperet,vel impediret.Huic iter agẽti speculatoriæ eius naues ingentem Romanarum nauium numerum aduentare nuntiant.Ille fiducia rei nuper gestæ nihil cunctatus,contra eas pergit. Romanus Quæstor, qui cum illis nauibus venerat, postq̃ hostium classem adesse & ipse sub idem ferè tempus audiuisset,quia longè imparem se hosti censebat,in proximum littus naues subduxit. Erant in ijs locis recessus quidam, atq; anfractus, rupesq; desuper imminẽtes,è quibus Romani sagittis,ac fundarum iactu Punicorũ naues arcebant. Carthalo cum propter naturam loci frustra adniteretur, paucis hostium nauibus,quas primo impetu oppressérat,secum abductis,ad proximum fluminis ostium consedit,& ne qua hostes euaderent,obseruabat. Inter hæc Consul peractis omnibus ijs,quorum gratia Messanæ remanserat, cum reliqua classe superato Pachyno Lilybœum ignarus cladis,quæ suis acciderat,contendit. Carthalo Consulis aduentu per speculatorias percepto,statim aduersus eum properat, statuens procul à cæteris Romanorum nauibus illum adoriri. At Consul cum eminus aduentum hostis,consiliumq; præuidisset,& multitudine, & audacia hominis supra centum rostratas naues secum habentis perterritus,nec pugnare, nec retrofugere ob hostium vicinitatem ausus est. Quocirca ad loca difficilia, ac periculosa cõuersus in proximo littore stationem fecit.Id conspicatus hostis difficultatem locorum exhorrens,ab instituto Romanorum insultu destitit: sed medium quendam inter vtranq; Romanorum classem sinum nactus, consedit.ratus eo modo nec Prætori,nec Consuli aliquò abeundi facultatem fore. Cumq; in hac obseruatione per aliquot dies vtrinq; stetissent; ingens procella insurgere cœpit, quam Carthaginenses nautæ regionis, & æquoris gnari præuidentes,Carthaloni suaserunt,vt superato quam primum Pachyno naufragium euitaret. Quibus ille obsecutus,cum suis omnibus fœdæ tempestatis periculum euasit. At Romanorũ classis vi fluctuum inundantiũ in locis importuosis agitata,ita ad extremum salo succubuit, vt scopulis illisa fractaq;, nihil ex tot nauibus, quod deinceps eis vtile esse posset,sibi reliqui seruauerit. Per hunc modum Romani onerarias naues ad octuaginta,rostratas verò ad centum viginti vno simul tempore amiserunt. His maritimis cladibus alijs super alias acceptis,fractus populus Romanus, mari iterum prorsus excesit,in terra duntaxat spem retinens, Contrà verò Carthaginenses & mari dominabantur,& in terra quoq; non sine spe erant. Nec tamen tot clades Romanos inducere potuerunt, vt obsidione Lilybœi abstinerent. Quare & quotquot erant necessaria suppeditabant,& in obsidione perseuerabant. Consul post amissam apud Heracleam tanto nàufragio classem terrestri itinere in castra

ad Lilybœum,

Digitized by Google

ad Lilybœum,curę,& ſolicitudinis plenus peruenit, qui iam vitam etiã ſibi acerbam putabat,dum occaſione alicuius rei bene gerendæ acceptam ex mari ignominiam aboleret. Nec ita multi dies interceſſerunt:quibus ille Erycem per proditionem occupauit.Vbi & Erycinæ veneris templo,& oppido potitus,vno præſidio in vertice,altero ad radicem montis,qua aditus à Drepano eſt, collocato,cuſtodire vtrunq; locum properat.Carthaginenſes amiſſo Eryce Amilcarem cognomento Barcham Annibalis,qui poſtmodum ſexdecim annis in Italia cum Romanis bellum geſsit,patrem,ingentis ſpiritus, & ſingulari rei militaris ſcientia virũ cum noua claſſe,nouoq; delectu in Siciliam expediunt. Is claſſe in Italiam delatus maritimam oram populatus eſt. Erat tũ primi huius belli Punici annus decimus octauus. Ex Italia Amilcar vaſtatis Locrorum, & Brutiorum agris Siciliam petẽs cum omni claſſe in Panormitanum agrum deſcendit: locumq; ibi nactus bello gerendo aptiſsimum, in eo conſedit. Nam altè mari ſupereminet,& natura mũitus eſt, & ad tenendum exercitum tutiſsimus, portumq; habet nauium plurimarum capaciſsimum.Eſt is,locus (ni fallor) Mons quem hodie Peregrinum vocãt,duobus ferè paſſuum milibus à Panormo diſtans. Ibi Amilcar caſtris poſitis medijs ſeſe indies hoſtibus obijciens, laceſſere eos nunq; deſiſtebat. Vnde & mari ſæpe in maritimã Italiæ oram excurrẽs, omnia vſq; ad Cumas populabatur.Poſtea pedeſtri itinere ducto exercitu caſtra ante Panormum non longius à Romanis copijs,quàm octingentis paſsibus diſpoſuit. Ibiq; tres circiter annos commoratus multa,& præclara facinora geſsit.Ad extremum vrbem Erycem, per proditionẽ recepit,quo facto vtrunq; Romanorum præſidium, inter quæ media ſtabat ipſa ciuitas,duriſsimè à Carthaginenſibus opprimebantur.nam qui infra vrbem erãt, inter Drepanum, & Erycem,arctiſsimè claudebantur. Sed non minus Carthaginenſes ipſi in Erycina vrbe à duobus hoſtium præſidijs altero ſupra ad verticem, altero infra ad radices montis obſidebantur.Ita inuicem & obſeſsi, & obſidentes ſumma animorum obſtinatione perdurabant,nec aut virtute,aut militia alter alteri cedere quicq; videbatur.Cum itaq; hoc pacto fortitudinis contentione in lõgum bellum protraheretur,nec interim Amilcar frequentibus per mare excurſionibus Italiam infeſtare ceſſaret: Romani, qui iam annos ferè quinq; mari abſtinuerant, ſimul Amilcaris iniurias vlciſci, & bellum ad finem perducere cupientes, iterum ad nauale fortunam redeundum eſſe iudicarunt. Idcirco ducentarum quinqueremium inſtar eius Rhodiæ, quam circa Lilybœum ceperãt claſſem parauerunt,cui. C. Luctatium Conſulem præfecerunt. Is ſub initium veris cum omni expeditione improuiſus in Siciliam delatus primo acceſſu Drepanitarum portum, & alios circa Lilybœum circumiectos ſinus occupat. Deinde Drepanum adhibitis machinis, alijsq; bellicis operibus adoritur, & quoniam non procul claſsis Carthaginenſium inde aberat, non ſegniter, ſed aſsiduè oppugnationem perſequebatur. Pœni audito nouæ claſsis aduentu ſtatim & ipſi ſumma ope triremes comparant, ac frumento, alijsq; neceſſarijs inſtruunt, ne quid ijs, qui apud Erycem obſidebantur, deeſſet, Præfectumq; claſsi Hannonem conſtituunt. Conſul, Carthaginenſis claſsis factus certior,ad Eguſam inſulam, præliandi conſilio venit. Hanno Carthagine ſoluens vbi triduum apud Hieroneſum inſulam,ſacram à Ptolemęo, ſed Maretimum hodie dictam, conſediſſet, flante vehementi aura inde ad caſtra Amilcaris, naues exoneraturus, ac commeatum expoſiturus, properabat. Illuceſcente itaq; cum primum Pœnorum vela apparuere,quamuis procelloſum, & aduerſum eſſet mare, Conſul congredi cum Hannone ſolo conſultius fore ſtatuit, quàm ſedato mari cum eo ſimul & expedita claſſe, ac optimis militibus, & Amilcare, cuius eo tempore audacia nihil erat antiquius, in certamen deſcendere. Hanno vbi intercluſum per Romanas quinqueremes

cursum sibi videt, ad certamen instructas iam naues dirigit, atq; ibi vtrinq; confligitur. Romani primo statim congressu quod celeres, ac bello exercitas naues, copiasq; haberent, Pœnos, quibus onustæ, & ineptæ ad bellum puppes, tum remiges rudes, & militum turba collectitia, & inexercita erant, fortiter, & facilè superarunt. Naues eorum quinquaginta vel fractæ, vel submersæ, septuaginta captæ, reliquæ ad Hieronesum insulam, vnde soluerant, se ex fuga receperunt, ex militibus eorum viuis præter eos, qui inter præliandum perierant, supra hominum decem milia captiuitatem subiere. Ex Romanis duodecim naues in pugna sunt depressæ. Consul adepta victoria cum classe Lilybœum reuersus prædam, & captiuos inter suos diuidit. Porrò Carthaginenses noua, & inusitata clade consternati simul, & attriti, cum vlterius belli expensas sufferre nequirēt, de pace agere cœperunt, atq; ita Amilcari tractandæ pacis negotium commissum est. Is animaduertens optimi Ducis officium esse non modò vincendi, sed & cedendi tempora perspicere, legatos ad Consulem pro fœdere misit. Consul difficultatum conscius, quæ ex belli diuturnitate vrbem Romam premebant: pacem vltro oblatam non est aspernatus. Igitur ijs conditionibus, si populo Ro. visum fuerit, pacem componunt. Vt tota Sicilia Carthaginenses prorsus excedant: Ne posthac Hieroni Syracusanorum Regi, aut eius socijs bellum inferant: Captiuos omnes sine pretio dimittant: Transfugas reddant. Talenta argenti Euboica duo milia & ducenta annos viginti Romanis pendant. His pacis conditionibus populus Romanus per decem legatos, quos in Siciliam cum authoritate ad id misit, hæc addidit. Vt omnibus etiam insulis, quæ inter Siciliam, & Italiam interiacent, Pœni abstinerent, tempusq; pendendi argenti mille talentis additis coarctarunt. Amilcar acceptis legibus, impetrata pace ab Eryce copias eduxit, ac pedestri itinere Lilybœum cōtendit. Subinde Eryce, & Lilybœo, ac omni Sicilia Romano Consuli relicta, cum omni exercitu in Africam reuersus est. In hunc modum primo bello Punico à Romanis in Sicilia, & propter Siciliam cœpto, quarto & vigesimo anno finis est impositus, cœpitq; deinceps omnis Sicilia Romano parere imperio: vt pote Messana, Tauromenium, Catana, Agrigentum, Lilybœum, Drepanum, Eryx, Segesta, Panormus, & plura alia oppida, præter Syracusas vrbem, eiusdemq; ditionis nonnullas ciuitates, quæ Hieronem adhuc Regem agnoscebant. cui fœdus cum Romani semel ictum, vtrinq; cultum semper, inuiolatumq; stetit. Facta igitur Siciliæ omnium prima Romanorum prouincia, Senatus Aemilium Prætorem in ea constituit, atq; per Prætores deinde per multa tempora gubernata est. Cæterum etsi Carthaginenses desperatarum rerum tempore compulsi graues pacis conditiones accepissent, puduit tamen postea nobilem populum tributa soluere, quæ iubere ipse consueuerat; præclusum præterea mare, cuius Imperium tot annos antea tenuerat: ereptamq; sibi Siciliam, atq; Sardiniam æquo satis animo ferre non potuit. Hinc bellum alterum post quatuor annorum quietem exortum est, minus quidem spatio (non enim amplius q̃ duodeuiginti annos habuit) sed adeo cladium atrocitate terribilius, vt si quis conferat vtriusq; populi damna, similior victo victor extiterit. Fuerat apud Carthaginenses puer Annibal, qui nouem natus annos Amilcari patri ad aras iurauerat se, quum primum posset, dum ætas ferret Populo Ro; crudelissimum hostem fore, contraq; eum atrocissimis bellis sæuiturum. Is cum primum ad ætatis annum vigesimum peruenit, videreturq; ea esse indole, eaq; animi constantia, vt adimplere iusiurandum, ad quod pater eum adegerat, & posset, & vellet, Dux belli cum imperio à Senatu Carthaginensi decernitur. Annibal igitur eo cōsilio, tū Senatus precibus, tū patris pietate seipso validior primùm in Hispaniā traiecit: siue, vt quidā scribunt, in Hispania iā erat, quā antea totā penè subegerat. Ad huius Ducis simul, & Italiæ diuitis inuadēdæ famā tū qui sub Amilcare eius patre meruerāt, tū alij ex diuersarū gētiū hominibus penè in

numeri

numeri ad eius castra cõuenere. Sed delectis ex tot milibus illis dũtaxat, qui ad rẽ gerẽdã idonei sunt visi, coegit tandẽ exercitũ virorũ ad cẽtũ quinquaginta milia. Tum deinde violãdę pacis, belliq; inchoandi causam meditatus, Saguntum antiquam Hispaniæ vrbem, & opulentam, quæ populi Ro. socia erat, delere ante omnia visum est. Itaq; ab eius obsidione, atq; oppugnatione ceptum est, quam cum iam nouẽ mensibus, dure obsedissent, Saguntini fessi ob famẽ extremam in rabiẽ versi, immanem in medio foro excitant rogum, quo omnes cum fortunis conglobati & se, & suos desuper præcipites cum omnibus opibus, machinis, ferro, & igne consumunt. Romæ vt Sagunti excidium nuntiatum est, primum per legatos apud Carthaginenses de ijs iniurijs Romani queruntur. Cumq; nec resarcire damna, nec tributa soluere deinceps velleut, bellum eis indicunt. Annibal interea superatis Pyrenæis montibus laboriosa per alpes profectione in Italiam descendit, & ad Ticinum amnem Romanos equestri prælio fudit. rursusq; eosdẽ ad Trebiam flumen vicit. Interea circa Siciliam, insulasq; finitimas viginti quinqueremes cum mille armatis ad populandam oram Italiæ, & Aeolias insulas, ac frætum Siculum à Carthaginensibus sunt missę. Hiero cum id temporis fortè Messanæ ageret, Semproniũ Romanũ Cos. opperiens, cum eminus classem conspexisset, contrà è Messanensi portu duodecim naues emisit. Quæ nullo repugnante tres naues Pœnis ablatas Messanam deduxerunt. Ex captiuis quoq; cognitum est, eosdem quinq; & triginta quinqueremes ad veteres socios Lilybœi occupandi gratia solicitandos in Siciliam misisse, quas ventorum vi ad Egusam insulam deiectas cẽsebãt. Hæc Hiero Rex sicut Messanæ audierat, Aemilio Prætori perscripsit, vt Lilybœum firmo muniret præsidio, omniaq; bello necessaria pararet; classem Punicam propediem affuturam. Prætor statim per omnem Siciliæ oram in speculis vigiles solertissimos collocat, & ante omnia Lilybœum ad apparatum belli munit. Edixit præterea, vt socij classis, quæ decẽ dierũ cõmeatui sufficerent, cocta cibaria ad naues deferrent, & vt qui in speculis erant, vigilantes excubias facerent. Interea Carthaginenses ex industria cursum remorabantur, vt ante lucem Lilybœum inuaderent. Cęterum quia & luna pernox erat, & sublatis armamentis veniebant, præsensi sunt, ac tum è speculis confestim signo dato Lilybœo ad arma conclamatum est, atq; in naues concursum. Pars militum in muris, portarumq; stationibus, pars verò in nauibus erant. Pœni autem vt vrbẽ nonnisi bellum expectare vident, vsq; ad lucem portu abstinuerunt, dum armamenta, & classem ad pugnam aptassent. Vbi illuxit, in altum euecti sunt, & vt pugnæ spatium esset, & nauibus Romanis exitum à portu liberum darent. Romani & memoria rerum circa ea loca fœliciter gestarũ, & militũ multitudine, ac viribus freti, præliũ non modo nõ detrectauerunt, sed foras euecti cominus etiam conferre manus decreuerunt. Carthaginenses contrà etsi socijs naualibus classem satis instructã haberent, quia tamẽ militibus carebãt, eludere, atq; arte, nõ vi, rem gerere, nauiũq; potius, quàm virorum, aut armorum certamen inirè cupiebant. Quod vbi Romani aduerterũt, mora omni relicta, eludentes, re ipsa elusere. Nam multitudine militum nauibus imposita, certamen nauale ineunt, quo adeo strenue pugnarunt, vt septem Pœnorum nauibus captis, cæteras in fugã coegerint. Ex quibus mille, & septingenti intercepti sunt milites, & nautæ, & in his tres Carthaginensiũ viri proceres. Classis verò Romana incolumis, vna tantũ naui perforata, quæ & ipsa cũ reliquis in portũ redijt. Sempronius Consul a Senatu missus Messanã (hac victoria ibi nondũ cognita) venit, quẽ magnifice vittata in naui Hiero Rex factus obuiam suscepit. Subinde insulæ statum, & Carthaginensium vires illi exposuit, pollicitusq; est quo animo prioribus bellis populum Romanum iuuenis adiuuisset, eo senem adiuturum, frumenta, vestimentaq; se exercitui Consulis, socijsq; naualibus gratis præbiturum, & deniq; Lilybœi periculum ei narrauit. Consul super

his nihil cunctatus vnà cum Hierone, regiaq; classe Lilybœum proficiscuntur, ibiq; cognita victoria Prætore pro concione laudato fusas, ac captas hostium naues receperunt. Deinde Sempronius relicto Hierone, regiaq; classe, ac decreto ad maritimam Siciliæ oram tutandam Prætore, Melitam insulam, quæ à Carthaginensibus tenebatur, contendit. Aduenienti Amilcar Gisconis filius præsidij Præfectus cum duobus circiter milibus militum oppidum cum insula tradit. Inde post paucos dies Lilybœum redijt. ibiq; captiuos, præter eos, qui nobilitate erant insignes, sub corona vendidit. Paucis pòst diebus cum Hiero Rex. C. Flaminij, exercitusq; eius apud Trasimenum Lacum nõ longè à Perusio per insidias ab Annibale acceptam cladem cognouisset, adeo affectus est, vt legatos cum omni apparatu regio, nauibusq;, quibus trecenta milia modiorum tritici, & ducenta hordei imposuerat, Romã miserit, quibus & victoriam auream trecentarũ viginti librarum dono, ac pro sui erga Senatum populumq; Romanum animi testimonio dandam commisit. Illi in Senatum introducti, & luctum, fidemq; Hieronis, & munera, animumq;, vt antea semper, ita etiam in omni fortuna paratissimum publicè exposuerunt, benignèq; auditi responsum acceperunt: Virũ bonum, egregiũq; socium Hieronem esse, fidemq; eius collaudatam, & munera, & victoriã, omenq; accipere, sedemq; ei in templo Iouis ad capitolium sibi dare, ac illi eam dicare cõstituunt, vt perpetuę, ac stabilis victoriæ, & propitiæ fortunę populo Romano deinceps sit pręsagium. Deinde post cladem, quam Romani apud Cannas ignobilẽ Appuliæ vicum, sed qui ob gestę ibi rei magnitudinem emersit, ab Annibale acceperunt, non solùm multæ ciuitates Italiæ, quæ Romanis semper antea paruerant, se Annibali dediderunt: sed in Siciliam quoq; eadem inclinatio animorum peruenit. Gelo nanq; Hieronis filius contempta patris senectute ad Carthaginenses penè defecerat, & iam res nouas in Sicilia moturus videbatur: cum medio armorum eius apparatu peroportuna eius mors relicto Hieronymo filio consilium hominis interrupit. Sunt qui scribant patris consilio eum sublatum, ne pop. Romano aliquando hostis fieret: verissimus nanq; amator rerum Romanarum Hiero, & in fœderis religione tenacissimus erat, qui Octacilio Proprætori præsidium, quod Romanus populus ei ob inopiã mittere nequiuerat, solus in tãta vndiq; rerum egestate velut vnicum refugium lubens præstitit, atq; ad soluenda stipendia, quantum argenti vsus postulabat, & sex mensium frumentum elargitus est. Verum non longo pòst tempore pecunia omnis, quæ ad bellum Macedonicum decreta, ac Appio Claudio in Siciliam missa erat, Hieroni a po. Ro. fideliter est reddita. Hiero Syracusis plures publicas ædes condidit, tum sacras, tum prophanas. Nam (Diodoro teste) non procul à foro, Olympium excitauit, & iuxta theatrum sacram ædem, quæ in longum stadij spatio extendebatur, lata, atq; edita pro longitudinis ratione, & palatium ingens ad isthmum insulæ super ruinis arcis Dionysij edidit, quo postea (Cicerone authore) Romani Prætores vti solebant. Refert Xenophon cum Simonides Hieroni aliquando edixisset potiorem esse Regum, q̃ priuatam vitam, vt pote qui singulis sese expleant voluptatibus: respondisse eum in contrariam sententiam: quippe quòd Veneris, cuius in priuata vita spontaneus vsus mutuum amorem, & non coactum parit, vt Tyrannis, qui coacto, aut empto potiuntur amore, delectatio potior sit. In cibis verò Regibus nullum vnq̃ famis condimentum epulas commendet, præ patinarum multitudine: & iccirco semper acidis vescuntur: in vita verò priuata semper adest fames, & ob id maior ciborum delectatio. Addidit præterea multa incommoda, regni appetentiam, aliorum inuidiam, suspitionem, metum, angorem, & ijs similia, quibus Tyranni ferè semper hinc inde afflictantur. Vxorem habuit continentissimam, quam cum obiurgaret, quòd cum sibi os feteret, ipsa nunq̃ eum admonuisset; Existimabam (inquit) omnes ita olere. Ex ea Gelonem

Statuer. Liuius Dec. [illegible], libro secũdo.

lonem filium, qui postea ei præmortuus est, & Heradiam, ac Demaratam filias susceptit. Ex Nerei vero nuru gente regia exorta, Hieronymum nepotem, & Harmoniam neptem Gelonis filios habuit. Post hæc Hiero in morbum lethalem incidit. cumq; liberis careret, liberas voluit Syracusas relinquere, ne sub Hieronymi nepotis quindecim vix annos nati immaturo Imperio regnum Syracusanum bonis ab eo artibus partum, ac stabilitum labefactaretur. A qua sententia filiabus eum summa ope reuocantibus assensit. Hieronymum igitur ex filio nepotē quindecim ei adhibitis tutoribus succesſorem in Regno, & hæredem instituit: admonuitq; eum, ac tutores, vt fœdus cum populo Romano quinquaginta annos ab eo cultum, & ipsi illæsum seruarent. Atq; ita testatus, morbo inualescente annum agens nonagesimum, si Liuio, siue nonagesimum secūdum, si Demetrio Callisthano (Luciano referente) credimus, septuaginta cum regnasset annos diem obijt. Syracusani veluti patre amisso in orbata ciuitate regium funus magis amore ciuium, q̄ suorum cura celebrarunt.

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS, POSTERIORIS DECADIS.

LIBER QVINTVS.

DE HIERONYMO SYRACVSANORVM VLTIMO REGE, ET EIVSDEM VRBIS A M. MARCELLO EXPVGNATIONE. CAPVT PRIMVM.

HIERONYMVS Hieronis ex præmortuo Gelone filio nepos, prolato aui testamento, in regnum Syracusarum sufficitur, ac in Senatum productus vltroneo populi cōsensu Rex salutatur. Erant inter quindecim tutores, quos Hiero ei adhibuerat, Andronodorus, & Zoilus eius generi, viri principes. Quorum alter Andronodorus cæteros tutores statim summouet, tutelæq; administratione abdicat: quippe quòd ad Regni Imperium satis grandem Hieronymum esse diceret, & in se vnum omnium tutorum vires conuertit. Hieronymus imperij primo statim initio omnia ab auo diuersa ostendit, purpuram, ac diadema, & satellites armatos, quadrigasq; albis equis vectas more Dionysij Tyranni habere cœpit. cum per tot annos Hieronem, filiūq; eius Gelonē nec vestis habitu, nec alio vllo insigni à ciuibus differentes Syracusani vnq̄ vidissent. Cæterum & insolens ille, & in omne facinus præceps, cōtemptor hominum, cōtumelioſus, ab omni comitate alienus, promiscua libidine insignis, & immanis Pythonē è lupanari acceptā vxorem duxit. Quibus moribus, superbo apparatu, inhumanitate, crudeliq; Tyrannide tantus terror Syracusanos inuasit, vt pleriq; sibi ipsis mortem cōsciuerint: plurimi vero supplicia fuga præuerterint. Porrò Andronodorus, & Zoilus vt Carthaginensibus cōfœderaretur, omni ipsum studio impellebant. Obsistebat his Thraso, & ad renouandū cū Romanis fœdus, vt auus præceperat, iam penè labantē animū eius conuertere nitebatur. Interea ob enormia eius vitia, sæuitiamq; intolerabilem, à pleriſq; in caput eius coniuratur. Quorum propositum, etsi clandestinum, per Calonem tamen Hieronymi

Digitized by Google

à puero familiarem ei proditur: Theodorusq́; vnus ex coniuratis nominatur. Is comprehensus Andronodoro traditur ad torturam. Qui etsi se ipsum statim aperta confessione manifestassет, conscios tamen celauit. tandemq́; cum inter quærẽdum intolerandis laceraretur cruciatibus, victus pœnæ impatientia, a conscijs ad insontes diuertens, Thrasonem ipsum ex tutoribus fidelissimum coniurationis authorem, plerosq́; vero alios Hieronymi domesticos, prout inter dolores, gemitusq́; occurrebant, reos mentitus est. Rex vbi Thrasonem, qui & populi Romani studiosissimus erat, & Carthaginensibus, quibus ipse iam animo propensus erat, aduersabatur, consilij authorem cognouit, confestim ipsum cum cæteris, qui nominati sunt, ad supplicium pertraxit. At coniurati, quos Theodorus silentio præterierat, dum ille torqueretur, fuga salutem sibi quæsierunt. Necato Thrasone, qui Regi cum Romanis vnicum erat vinculum, primoribus alijs ad defectionem instantibus, non multo negotio Hieronymus ad Pœnos deflexus est. ijsdemq́; authoribus Hippocrates, & Epicides germani fratres Carthagine quidem nati, sed Syracusis oriundi, & Pœni materno genere, legati ad Annibalem missi, & remissi sunt. Per quos inter se mutuò iuncta est societas. Erat eo tempore Appius Claudius in Sicilia Romanorum Prætor. Hic vbi defectionis consilium ab Hieronymo resciuit, statim de reparanda cum eo societate, quæ cum Hierone auo fuerat, Legatos misit. Legati per contemptum sunt auditi, & cum ludibrio dimissi, interrogãte per iocum Hieronymo: Quæ fortuna eis pugnæ ad Cannas? Post hæc Hieronymus per legatos fœdus, quod cum Annibale inierat, cum Senatu Carthaginensi firmauit, his conditionibus: Vt Romanis Sicilia pulsis, Himera amnis Syracusani, & Carthaginensis Imperij esset finis. vt classem Pœni militibus abunde instructã contra pop. Romanum in Siciliam emitterent. Sed cum assentatores ei in aurem suggererent, vtriusq; aui iure Siciliæ totius regnum sibi deberi. omnem Siciliam per legatos à Pœnis depoposcit. Cui Carthaginenses nihil pensi habentes, modò ipsum à Romanis auerterent, facilè assenserunt. Paucis post diebus, quibus hæc vltro, citroq́; iactata sunt, Hippocratem, & Epicidem cum duobus armatorum milibus ad tentandas vrbes, quæ Romanorum præsidijs tenebantur, expediuit. Ipse verò cum quindecim peditum, equitumq́; milibus in Leontinos profectus est. Coniuratores Leontini iampridem conuenerant, & liberas ædes viæ angustæ, quà ab arce Rex in forum descendere solebat, imminentes, fortè habitabant. Ibi itaq; armis instructi Regis transitum præstolabantur. Erat inter coniuratos vnus, Regis corporis custos, Indigeminus nomine, cui cæteri partes dederant, vt cum Rex palatij portis appropinquaret, in angustijs viæ, sequens agmen (simulata causa aliqua) ne regem sequerentur, à tergo prohiberet. Igitur cum Rex ab arce de more in forum descenderet, & ad angustias peruenisset, Indigeminus partes suas peregit. simulans enim elatum pedem astricto nodo laxare velle, Regis terga sequentem satellitum turbam est moratus. Quo tum repente coniurati in prætereuntem sine armatis Hieronymum irruunt, multisq́; vulneribus priusq̃ succurri posset, lethaliter confodiunt, Cæso Rege, & clamore, tumultuq́; hinc inde audito in Indigeminum sese acriter defendentem a militibus tela conijciuntur: qui demum duobus acceptis vulneribus per mediam militum turbam dilapsus euasit. Satellites vt iacentem videre Regem, fugam & ipsi arripiunt. Percussores in forum procurrunt, & populum ad libertatem vocant. Regis verò milites eò ferocius vociferant parentandum esse Regi coniuratorum sanguine. Cæterùm facta eis à Coniuratis regiæ pecuniæ in capita distribuendæ, ac libertatis restitutæ spe, exaggeratisq́; fœdis Tyranni sceleribus, adeo repente vniuersus exercitus à vindicta est immutatus, vt Theodorum e carcere liberari, & Regis cadauer insepultum etiam iacere passus sit. Tum Theodorus, & Sosis, qui in coniuratorum ordine primarij fuerant; regijs equis celerrimo cursu Syracusas contendunt, ad

Andronodori,

Digitized by Google

Andronodori,aliorumq; regiorum,quos rei gestæ adhuc ignaros credebant, con silia præoccupanda.Verùm cum non fama modò, qua nihil in talibus est celerius, sed nuntius etiam ex Regijs seruis eos præueniſſet;ille Insulã,arcem,& alia quæq; oportuna vrbis loca præsidijs firmauerat.Ipsi verò post solis occasum obscura no cte per Hexapylon ingressi cruentas cæsi Regis exuuias, capitisq; insigne populo Syracusano ostentarunt. Transuecti per Tycham ad libertatem simul, & ad arma populum vocant, & in Acradinam conuenire iubent. Syracusanorum itaq; alij procurrunt in vias,alij in ædium vestibulis stant,pleriq; ex tectis feneſtrisq; prospectum affectant,& quid rei sit rogitant. Omnia luminibus collucent, strepituq; vario complentur.armati locis patentibus congregantur.Inermes ex Olympij Iouis templo spolia Gallorum, Illyricorumq; dono data Hieroni à populo Ro.fixaq; ab eo detrahunt,precantes Iouem,vt propitius præbeat sacra arma, pro patria,pro delubris,pro libertate sese armantibus. Principes regionum vrbis, militum stationes per loca disponunt. Firmauerat præsidijs Andronodorus horrea publica in Insula,loco saxis quadratis septo,atq; in modum arcis emunito. Milites,qui ei loco ab ipso Andronodoro in custodia constiterant,locum capiunt,statimq; Theodoro,& Sosi in Acradinam per nuntios horrea, frumentaq; omnia in Senatus potestate esse significant. Illucescente populus omnis in Acradinam ad curiã cõuenit, ibiq; ante Cõcordiæ arã Polyncus ex principibus vnus ingenij, & facundiæ præstantia insignis,plena oratione ad libertatis studium eos hortatur, & vt ad Andronodorum oratores mittantur,quo Senatui,& populo sese, & Insulam,& arcem subijciat.Missis legatis confestim Andronodorus populi timore potius, q̃ voluntate iam petita concessisset, nisi Damarata eius vxor Hieronis filia gerens regios adhuc spiritus præpediſſet, Dionysij vocem vsurpans: Oportere Tyrannum pedibus tractum, non equo sedentem Tyrannidem relinquere. Porrò id mulieris consilium tametsi illo die ab instituto eum auerterit, postridie tamen sub lucem patefactis Insulæ portis in forum Acradinæ venit. vbi cum in aram Concordiæ ascendisset; sua primùm mora ingenuè excusata,probataq; multis rationibus Hieronymi cæde, claues arcis, Regiæq; pecuniæ Syracusanorum manibus commisit.Lętior hic dies,q̃ vllus antea Syracusanis illuxit, qui & magna virorum,fœminarumq; pompa, publicisq; supplicationibus celebratus est. Nec defuit sua Andronodoro gratia: qui postridie cum Sosipatro,& Diomene,ac pleriſq; alijs Tyranni interfectoribus Prætor à populo creatus est. Pecunia omnis Regia,& quę in Leontinis,& quæ in Insula,& Acradina erat, Aeip. tradita est.Pars muri,quæ insulam à cætera vrbe firmo munimento interſæpiebat, consensu omnium deiecta, ac cætera omnia ad libertatem peroportuna sunt subsecuta. Erat iam Syracusana res in tuto:nisi Hippocrates,& Epicides audita Hieronymi morte Syracusas reuersi,simulantes,quòd paulo pòst in Italiam ad Annibalem reditu ri essent,ciuitatis statum in discrimen iterum adduxissent. Hi nanq; cum in vrbe passim hospitalitatis specie aliquandiu fuissent, nunc apud milites, nunc apud transfugas,nunc apud infimæ plebis homines falsos rumores, criminaq; in Senatum,optimatesq; differebant,à quibus pacta dominatus participatione Syracusas sub societatis reconciliandæ prætextu per speciem libertatis populo Romano clam tradendam esse mentiebantur. Quibus fabulis commota plebs, qua nihil instabilius, non solùm ad Hippocratem,& Epicidem cõfluxere,sed Andronodoro etiam spem nouandarum rerum pepererunt. Is nãq; fessus etiam vxoris vocibus noctu diuq; eum monere non desinentis,nunc occupandæ Reip.tempus esse, quando & omnia essent turbata, & Hippocrates, & Epicides militibus assueti,ei auxilio esse possent, cum Themistio, cui Harmonia Gelonis filia nupta erat,ad rem patrandam societatem inijt,ac facinus Aristoni tragædiarum authori, cui & alia committere consueuerat,incaute credidit.Conuenerant autem, vt Prætores

vrbis

vrbis omnes, ac alij cædantur, eorumq; bona exponantur. Insula in primis occupetur: ipse verò solus Syracusis præsit. Arisson consilium contra patriam occultare nefarium ducens, statim indicium ad Prætores defert. Senatus homini simplici data fide Themistium, atq; Andronodorum in curiam ingressos per insidias ad fores collocatas strictis pugionibus occidunt. Cum tumultus ob eam causam ortus esset: Arisson rem omnem ordine pandit, & Sosipater à Senatu iussus, vt de hac coniuratione apud populum verba faceret, interfectos tanq̃ reos egit, ab anteacta vita quæcunq; post Hieronis mortem sceleste, atq; impiè facta essent, contra Andronodorum, ac Themistium argumentis probat. Nam cum Hieronymus puer, ac vix pubes esset, quid suo iudicio fecisse poterat? Tutores eos fuisse, qui puerum ad omne nefas impellebant, qui aut ante illum, aut cum illo interfici debuerunt: & cum debiti essent morti, post mortem Hieronymi, noua scelera, & Tyrannidis inuasionem persuasos ab vxoribus, quarum altera Hieronis, altera Gelonis erant filiæ, molitos esse. Vix Sosipater finem dicendi fecerat, cum plebs vt illæ interficiantur, & omnis regia stirps extinguatur, conclamat. Ad quorum voces à Prætoribus percussores sunt missi, qui Damaratam, & Harmoniam interficerent. Cæsa Demarata, cum ad Harmoniam interimendam certatim impetus fieret: nutrix eius similem illi puellã humili loco natam, sed regio cultu ornatam populo obiecit: quæ mentita Harmoniam, nec inter trucidantium cultros quidem aut se, aut dominam prodidit. Cuius Harmonia admirata & animum, & fidem, superesse non sustinuit: sed ad se percussores reuocauit, & mendacium professa vltro illorum gladijs succubuit. Erat & Heraclea altera Gelonis filia Sosippo, qui Hieronymi Tyrannidem fugiens voluntarium sibi exilium consciuerat, nupta. Hæc vbi percussores adesse cognouit, cum duabus filiabus virginibus crinibus solutis, & q̃ poterat, habitu ad lanienam, & commiserationem aptissimo amicta, in sacrarium ad penates confugit. Ibi multum, atq; diu per patris Hieronis, ac Gelonis fratris manes precata, ne se cum Hieronymo (ex cuius Imperio nihil præter viri exilium haberet) interimerent: cumq; pro se nec preces, nec lachrymas valere cognosceret, vt saltem puellis parceretur, orans ab aris à percussoribus distrahitur, iugulo q; crudeliter arrepta suffocatur. In virgines deinde matris cruore respersas ab eisdem conuersum est, quæ alienata mente, ac luctu, metuq; simul veluti furore captæ, per densos gladios cum impetu, & clamore dilapsæ, vago totis sacratis ædibus discursu se proripuerunt, tandemq; multis vulneribus confectæ cum omnia replessent sanguine, exanimes corruerunt. Earum cædes adeo multitudini immanis, ac sæua apparuit, vt plebs sublato odio percita confestim Epicidẽ, & Hippocratẽ in locũ Themistij & Andronodori Prætores plebeis suffragijs crearint. Dũ hæc Syracusis gererentur: Appius Claudius Romanus Cõsul centum cum nauibus ad Murgantiam vrbem erat, opperiens quò tenderent post Hieronymi cædẽ Syracusani motus. Ad hunc iam Legati à Syracusanis missi fuerant, qui de fœdere antiquo cum Romanis renouando cum eo agerẽt. Appius legatos Syracusanos ad M. Marcellum, qui ex Italia a Senatu populoq; Ro. missus in Siciliam traiecturus in horas ferè expectabatur, misit. Qui audita conditionum non adeo iniqua propositione, ratus q̃ facilimè rem conuenire posse, nuntios & ipse Syracusas ablegauit, qui coràm cum Prætoribus fœdus renouarent. Sed cum interea Punica classis Pachynum peruenisset, & Romana cum Appio Consule in Syracusanum portum esset appulsa, Epicides, & Hippocrates ad mercenarios simul, & transfugas conuersi legatorum Marcelli Syracusas accessionem criminãtur, fœdus cum Romanis detestantur, cuius prætextu Syracusas occupare prætenderent. Quæ cum omnia aperto Romanæ classis in portum appulsu astruendo facile imperitæ multitudini persuaderent: populus satis tumultuosè primùm ad prohibendos Romanos, ne classe egrederẽtur, decurrit. Dehinc sedatis animis ad

concionem

concionem festinat. Vbi Apollinides vrbis principum vnus orationem pro tempore salutarem habuit. Qua ad pacem cum Romanis firmandam, cum nulla belli gerendi ratio cum eis esset, populum induxit, qui per legatos ad Marcellum missos publicè cum eo fœdus renouauit. Interea legati à Leontinis ad Syracusas venerunt, petentes suis finibus præsidium. Quibus Hippocrates Prætor cum quatuor transfugarum & mercenariorum milibus est missus. Hæc expeditio & mittentibus, & missis læta fuit. Transfugis quidē, quòd quam iādiu exoptauerant, nouandi res occasionē haberent, Syracusanis verò, quòd sentinam, & fecem quandam vrbis exhausissent, æquè gratum fuit. At ciues quanq̃ in præsentia veluti ægro membro corpus leuauerint, in grauiorem tamen morbum ipsa sectione mox inciderunt. Hippocrates etenim ipse nouitatis nihilo suis militibus continentior, vix Leontinos ingressus Romanæ prouinciæ fines furtiuis primùm incursionibus vastat: deinde præsidium, quod ad tuendos sociorum agros Appius miserat, adortus, magnā inter innocuos cædem fecit. Marcellus vbi hæc accepit, legatos extemplo Syracusas misit, qui pacis fidem violatam esse quererentur, nec belli causam vnq̃ defituram nuntiarent, donec Hippocrates, & Epicides non solùm Syracusis, sed tota procul Sicilia ablegarentur. Epicides legatione in se, collegamq́; suum graui percepta, profectus in Leontinos, quos aduersus Syracusanos satis concitatos sciebat, vel ob id, quòd in fœdere cum Romanis icto ipsi Syracusanæ ditionis, quod eorum libertati minimè expediebat, pronuntiati fuerunt, cum Hippocrate egit, vt Leontini palàm à Syracusanis deficerent. Syracusani per legatos nec Hippocratem, & Epicidem, nec Leontinos, ad quos secesserant, in sua amplius potestate teneri, sed iam desciuisse, Marcello nuntiant, ac ad bellū contra eos gerendū se offerunt: dummodo capta ea vrbs in ditionem eorum trāseat. Eo responso Marcellus confestim cum omnibus copijs in Leontinos proficiscitur. Appium quoq; Claudium acciuit, vt ex altera parte ipse quoq; Leontinum aggrederetur. Proinde cæsi præsidij iniuria, tantum ardorem militibus & vtriq; Romano exercitui dedit, vt primo impetu vrbem ceperint. Vbi oppidanorum nemo violatus est: sed transfugæ quicūq; in potestatē sunt redacti, virgis cæsi, & vltimo supplicio sunt affecti. Hippocrates, & Epicides vbi muros capi, portasq́; refringi viderunt, in arcem sese cum paucis recepere. Inde clam noctu Herbessum oppidum, quod Pantalica iacens est hodie, non longè distans, profugiunt. Interea Syracusani octo armatorum milia ad Marcellum, vt pacti fuerant, mittunt. His cū ad Milliam flumen, quem. S. Iuliani mea ætate appellant, essent; nuntius ab Hippocrate subornatus occurrit, qui cum capta vrbe, hæc etiam falsa subintulit, cædem promiscuam militum, atq; oppidanorum patratā, puberes, impuberesq́, omnes à Marcello trucidatos, direptam præterea ciuitatem, & bona locupletum militibus in prædam donata. Ad nuntium tantæ cladis, Syracusanorum militum, quibus Sosis, & Dionysius duces præerant, agmen constitit, perturbatisq́; animis quid agendum foret, consultabant. Deniq; consternati, ac penè ob fœuitiam Marcelli, quam veram esse fiducia incogniti delatoris effecerat, à Romanis alienati, ad Megaram vrbem, quæ prope Milliam amnem sita erat, deflexerunt, ac subinde ad Herbessum expugnādum contra Hippocratem, & Epicidem contendunt. Illi spe omni salutis amissa, ad vnicum euadendi consilium conuertuntur, milites longo vsu sibi magna ex parte assuetos, olearum cū ramis, alijsq́; supplicibus indicijs obuij orant, vt inter numerum eorum se receptos tutentur, nec Syracusanis prodant. Quibus milites bono animo vt sint, atq; omnem sibi cum illis communem fortunam futuram sunt polliciti. Interim militum signa constiterant, atq; agmen pedes firmauerat. Sosis, & Dionysius quæ moræ causa esset ignari, castra ad procedendum vrgent. Cæterùm vbi Hippocratem, & Epicidem adesse, & in agmen æscitos resciunt: ad prima signa citatis equis pergunt, eosq́; quòd cum hostibus

locuti,

locuti, ducumq; iniussu, suo agmini illos immiscuissent, acriter reprehendunt, deniq; comprehendi, & vinciri Hippocratem, & Epicidem iubent. Ad quorum vocem tantus extemplo à Cretensibus militibus contra duces clamor sublatus, & deinde ab alijs exceptus est, vt si paululum reprehensionibus institissent, actum de eis proculdubio fuisset. Iccirco salutis cupidi, incertiq; quo militum tumultus tenderet, Megaram, vnde profecti sunt, referri signa mandant, ac nuntios de præsenti rerum statu Syracusas mittunt. Non multo pòst Hippocrates, vt callido erat ingenio, fraudem his motibus addidit: literasq; Sosis, & Dionysij exercitus ducum nomine ad Marcellum confingit, easq; velut à militibus interceptas in concione in hanc sententiam recitat: Prætores Syracusani Marcello Sal. Rectè fecisti, quòd in Leontinis captis nulli pepercris, quin quoniam mercenarij milites seditionis plerunq; in vrbe, & in castris causam præbent, nec Syracusanis rebus quies vlla speranda sit, priusq; externorum agmen prorsus deleatur, nobis populoq; Syracusano gratum feceris, si eos, qui cum nostris collegis circa Megaram sunt, milites in tuam potestatem rediges, eorumq; supplicio Rempublicam nostram liberabis. Vale. His literis palàm lectis, vt sunt ad suspitionem, q̃ ad sinceritatem animi omnium inclinatiores, tantus furor militum animos incessit, vt ducibus inter tumultum metu dilapsis, in Syracusanos, qui in castris erant, irruerent. nec ab vllo temperatum foret, nisi Hippocrates, & Epicides ipsi commotæ à se rabiei obuiam issent, quos non misericordia, sed ne sibi in vrbem reditum præciderent, in furoris temperantiam coegit, qua & Syracusanos milites à cæde seruarunt, & eos maximo pignore sibi deuinxerunt. Post hæc militem vnum ex eorum numero nacti, qui in Leontinis circumsessi fuerant, subornant, eumq; Syracusas mittunt, qui multa de crudelitate, atq; auaritia Marcelli, cæterorumq; Romanorum Ducum in Leontinos exercita Syracusanis veluti à se coram spectata enarret, irasq; eorum concitet: ratus Romanos hac via in Syracusanorũ odium vẽturos. Ille Syracusas ingressus falsa pro veris disseminat, authorem nuntiumq; conuenientem se populo exhibet, vt pote qui visa, non audita affirmaret. Huic non modò apud plebem fides fuit: sed in curiam quoq; introductus Senatũ mouit. His rumoribus moti Syracusani, veriti, ne si Romani Syracusas ingrederẽtur, eadem quæ in Leontinos patrata memorabantur, & fœdiora committerent, vrbis portas Romanis clauserunt, easq; custodire cœperunt. Sub idem tempus Hippocrates, & Epicides velut ex composito cum seditioso militum agmine affuerunt, & per necessarios eorum, quos secum ducebant, in Hexapylum sunt recepti. Prætoribus non modò inuitis, sed & frustra ingeminantibus, obtestantibusq; patriam Tyrannorum satellibus proditam iri. Nam surdæ plebis animi adeo concitati erant, vt cum non minori intus vi, q̃ foris, Hexapyli portæ effringerentur, illis effractis milites quoq; omnes eodem irruperunt. Iamq; hostibus tradito Hexapilo: Acradina mox, quo Prętores, ciuesq; cõfugerãt, ab Hippocrate, & Epicide primo agminis impetu capitur. Deinde vrbis Prætores, prætor eos, qui inter tumultum fuga salutem sibi redemerant, omnes trucidantur. Et nisi nox finem fecisset, ad ciues etiam cruenta cædes, stragesq; peruasisset. Illucescente serui ad pileum sunt vocati, & carcere vi effracto omnes sunt emissi, atq; ita per confusam multitudinem Hippocrate, & Epicide in Præturam suffectis, Syracusæ vrbs, cui iam tumultuariè libertas affulserat, in antiquam seruitutem recidit. Cũ hæc Marcello, qui in Leontinis agebat, nuntiarentur: continuò cum copijs Syracusas profectus ad Iouis Olympij templum castrametatus est. Inde per legatos in vrbem Syracusanis nuntiat, se cum exercitu auxilium oppressæ ciuitati laturum adesse. Quibus Hippocrates, & Epicides, qui iam vrbe potiebantur, extra portam obuiam facti, ne vrbi appropinquarent, prohibuerunt. Cum Legati contrà non bellũ Syracusanis, sed opẽ, salutemq; à Marcello meditari respondissent,

cædemq;

Digitized by Google

cædemq; nefandam ſociorum nunq̃ Romanos inultam paſſuros. Sed ſi eis, qui ad ſe perfugerunt, tutus in patriam reditus pateret, & cædis authores dedãtur, ac libertas, legesq́; Syracuſanis reſtituantur, nihil armis opus eſſe. Si ea non fierent, quicunq; fuerint in mora, bello delendos. Ad ea Epicides inſolenter reſpondit, cum in manu Hippocratis & ſua res Syracuſanæ eſſent, ſi mandata ad ſe perferrẽt reſponſum habituros. Quod ſi Marcellus vrbem bello acceſſerit, experietur, quãtum interſit Syracuſas, & Leontinos oppugnare. Hoc reponſo legatis relictis portas vrbis clauſit. Marcellus accepto Legatorum reſponſo offenſus, vt par erat, ſtatim terra, & mari obſidere Syracuſas, ac bello laceſſere cœpit: terra ab Hexapilo, mari ab Acradina, qua orientem, ac meridiem reſpicit. Appius quidem terreſtres copias Hexapilo admouit. Marcellus claſſem ſexaginta quinqueremium omnifariam telorum, armorumq; genere inſtructiſsimam Acradinæ littori. Hoc itaq; belli apparatu Syracuſas, ſicut Leontinos proculdubio primo impetu expugnaſſent: niſi Archimedes omnia Romanorum conſilia leui momento confregiſſet. Is enim non ſolùm quicquid machinarum, ac armorum Marcellus vel à terra, vel à mari ad oppugnandam vrbem parabat, fruſtrabatur: ſed & multa etiam monſtra, ac mirabilia quædam opera ad terrendos hoſtes faciebat: quibus Marcellus ab vrbis oppugnatione, atq; ab omni armorum vſu abſtinere compulſus eſt. Siquidem in terreſtres copias extruxit à ſummo vrbis vſq; ad imum murum per inæquales ductum colles, quem omni tormentorũ genere inſtruxit, inter quæ quoddam eo ſeculo, atq; antè incognitũ machinarum genus diſpoſuerat, quo in hoſtilia caſtra varia genera miſsilium, & immenſæ magnitudinis ſaxa incredibili fragore, ac celeritate immittebat, contra quæ nullus omnino ſe tueri poterat. Quod ſi forte hoſtes ex vna vrbis parte ad aliam ſe diuertiſſent, contorquendo paulatim conferta agmina diſsipabat. Aduerſus nauale m apparatum in eas, quæ procul ſtabant, naues, è multis muri partibus grauiſsimo globorum vibrato pondere nonnullas in profundum diffractas coegebat, quæ vero propius ſtabant, ferreis manibus, quas cathena muro allegauerat, iniectis, velut forcipibus quibuſdã per proram in ſublimè raptas in mare immergebat. Alias interioribus rotatas machinis cum magna nautarum ſtrage ſcopulis illidebat. Vbi celſius interdum è mari ſuſpenſa nauis nunc huc, nunc illuc agitata horrendum præbebat ſpectaculum, quo ad erectis, prouolutisq́; euacuata viris, remiſſaq́; cathena, quæ fuerat ſuſpenſa, muris impegerat. Cum vero Marcellus ſuper octo nauibus inter ſe iũctis ingẽtem parauiſſet machinam, quam ob muſici inſtrumenti ſimilitudinem ſambucã appellabat, eamq; muro Acradinæ admouere paraſſet, Archimedes, primum, deinde alterum, mox tertium in eam decem talentorum ponderis ſaxum contorſit, quæ magnis fragoribus, & quodam tempeſtatis impetu irrumpentia, diſiectis clauis, ipſius machinę baſim diſsipauerunt. Quo præterea Syracuſani vulnere intacti tela in hoſtes ex tuto ingererent, murum à ſummo ad imum crebris cubitalibus ferme rimulis aperuit, ex quibus ſagittis, ſcorpionibusq́; modicis, occulti Romanos inceſſebant. Quod inuentum ad noſtra ætatem emanauit. His Archimedis artibus eluſus Marcellus, nauibus, & terreſtribus copijs, vt abſcederent è veſtigio imperat: ſed artem arte eluſurus, noctu muros inuadere ſtatuit, ratus Archimedis tormenta eminus tantummodo tela emictere poſſe, comminus vero cum ictus eorum interuallo careant, inefficacia fore. Archimedes tanq̃ hæc animo præuidiſſet, longè antea Hieronis impenſis curaq́; per multos annos omni tormentorum apparatu Syracuſas inſtruxerat: quorum impetus pro ſpatij magnitudine & euagari longius, & propius offendere poterat. Quocirca cum Romani clanculum muro ſucceſsiſſent, miſsilibus, lapidibusq́; vndiq́; è muro perinde atq; ad perpendiculum collabentibus, capite ſaucij obruebantur. Retrocedentes vero Romanos pro ſpatio locata iacula in vaſtũ emiſſa maximo impetu interficiebãt. Quo circa

ex occulto

ex occulto grauiſsime petiti Romani, non iam cum hominibus, ſed cum Dijs ſibi pugnare videbantur. Natura quoq;, ſitusq; vrbis magnopere obſeſſos adiuuabat. Nam moles, ſuper qua extructa eſt vrbs, ita magna ex parte edita, ac procliuis eſt, vt non ſolum immiſſa, ſed quæ etiam ſuo pondere tormenta prouoluebantur, grauiter in hoſtes cum clade inciderent. Id quoq; ad ſubeundum, difficilem arduūq; aditum, inſtabilemq; hoſtibus ingreſſum præbebat. Proinde Marcellus cum omnes ſuos conatus irritos eſſe videret, non eſſe vlterius cum Archimede pugnandum ſæpius inclamitans, ab oppugnatione deſtitit, atq; obſidione ſolum vrbem arcere decreuit. Inde igitur cum tertia exercitus parte digreſſus, ad propinqua recipienda oppida, quæ in tanto rerum motu Carthaginenſibus adhæſerant, proficiſcitur. Elorum maritimum oppidum, ac Herbeſſum per deditionem recipit. Dehinc Megaram vi cum cepiſſet, captam ad Syracuſanorum terrorem funditus diruit. Dum hæc circa Syracuſas fiunt; Himilcho Carthaginenſium Dux, qui ad Pachynum cum claſſe confederat, Legatos ab Hippocrate recepit, vt q̄ celerrimè Carthaginem peteret, maioresq; equitum, ac peditum copias inde comparatas in Siciliam adueheret, ſi ea potiri cuperet. Ille recuperandæ Siciliæ cupidine accenſus Carthaginem redijt. Vbi viginti peditum, equitum verò tribus milibus, ac duodecim elephantis coactis mox Siciliam repetens ad Heracleam apparatum omnem expoſuit, quam intra paucos dies ſimul, & Agrigentū recepit. Quo audito & cæteræ vrbes, quæ Carthaginenſium ſtudia nondum penitus intermiſerant, ad pellendos è Sicilia Romanos exardeſcunt. Sed & Syracuſani, qui durè obſidebantur, audito nouæ claſsis Punicæ aduentu, eodem deſiderio flagrantes, ita inter ſe belli munera ſunt partiti, vt Epicidem ad vrbis tutelam relinquerent, Hippocratem verò Himilconi iunctum aduerſus Marcellum mitterent. Igitur Hippocrates cum decem milibus peditum, & quingentis equitibus Syracuſis noctu egreſſus, per vacua Romanorum cuſtodijs loca tranſiens, ad Accillas vrbem, vt Himilconi ſe iungeret, venit. Feſtinauerat antè Marcellus cum ſuis copijs Agrigentum, vt ibi Himilconem, cuius iam reditum per internuntios acceperat, præueniret. Sed cum Agrigentum occupatum ab illo cognouit, ob copiarū paucitatem cum Himilcone concertare non eſt auſus, ſed compoſito agmine in caſtra redijt, atq; Hippocrati ſeſe circa Accillas munienti ſuperuenit. Ille Marcelli inopinato acceſſu perculſus, ac metu diſiectus, cum ſuo equitatu Acras vrbem cōfugit. At Marcellus repentè in peditatum eius Duce deſertum irruens, omnem exercitum fregit, occiditq; ex eis hominum ſupra octo milia. Subinde eius victoriæ omine elatus, totam ferme Siciliam percurrit, ciuitatesq; à Carthaginenſibus in Romanorum fidem redire fecit. Siculis, qui ſecum decertare ſunt auſi, profligatis. Quibus ſtrenuè geſtis Marcellus Syracuſas redijt. Himilco verò cum Hippocrate iunctus, Syracuſas & ipſe properans ad Anapim fluuium caſtra poſuit. Quo etiam tēpore Bomilcar Carthaginēſiū Dux cū quinquaginta quinq; triremibus à Senatu in Siciliam miſſus, Syracuſarum portum tenuit. Per idem ferme tempus triginta Romanorum naues in Siciliam traijcientes, legionem vnam militum Panormi prius, ſubinde ad Pachynum, expoſuerunt. vbi Appius Marcelli collega cum parte copiarum erat. Qui legione noua accepta Syracuſas ſtatim nauigat. Himilco & ipſe ne fruſtra aſsidens tempus tereret, quo Cartgaginenſium partes tuentibus adderet animos, caſtra ab Anapi fl. mouens, Murgantiam petijt. Quam prodito à Murgantinis, interfectoq; Romano præſidio, recepit. Vbi magnam frumenti vim, ac omnis generis commeatum à Romanis conuectum reperit. Ad Murgantiæ defectionem erecti ſunt & aliarum ciuitatum inconſtantes animi: ita vt paſsim Romanorum præſidia aut arcibus excuterentur, aut à ciuibus prodita opprimerētur. Erat eo tempore in Enna vrbe L. Pindarius vir acer Romani præſidij Præfectus. Is cum tot proditionibus, defectionibusq; ciuitatum, ac cladibus

Romanorum

Romanorum præſidiorum admonitus, cum Ennenſes etiam ad inconſtantiã inclinatos cerneret, plus in ſe, q̃ in ciuium fide reponẽs, ne, qua deciperetur, inſtructa cuſtodijs, & vigilijs, ac parata omnia habebat, nec ab armis, aut loco ſuo milites abire permittebat. Cæterum cum Ennenſes Principes viri cum Himilcone clã de proditione pepigiſſent, viderentq; nullum ſibi locum ad præſtanda pacta relictum, omnemq; ad fraudem viam præcluſam, apertè, ac palàm rem aggredi ſtatuunt. Itaq; ſibi portarum vrbis claues reſtitui depoſcunt: quando vt liberi in ſocietatem Romanis, non vt ſerui in cuſtodiam traditi eſſent, alioquin libertatem vi ſe repetituros. Pinarius ad ea prudenter reſpondit: ſe præſidij præfecturã, clauesq; portarum, & arcis cuſtodiam à Marcello Conſule accepiſſe: eaſq; nec ſuo, nec Ennenſium arbitrio habere, ſed eius, qui commiſiſſet. Ad Marcellum, qui non procul inde erat, legatos mitterent, penes quem omne ius, ac arbitrium erat, ſibi verò, cæterisq; Romanis capitale eſſe præſidio decedere. Cumq; Ennẽſes ad Marcellum miſſuros ſe negarent, & Pinarius cum lenitate, bonisq; verbis nihil agere cerneret, ad vim, fraudemq; illis intendendam ſe conuertit. Quocirca vt ſpatium ad rem patrandam haberet, reſponſum in ſequentem diem ad frequens populi concilium remiſit: quò intelligeret, publicum ne, an paucorum id votum eſſet. Quod cum ei Ennenſes non detrectaſſent, ipſe cum ſuis militibus in arcem ſe recepit, eoſq; in quo vitæ diſcrimine conſtituti eſſent, edocet. Futurum illuceſcente ni ipſi ciuium conſilia ferro, ac vi preuerterent, vt a Siculis non aliter, q̃ cætera Romanorum præſidia vnà ſecum occupentur. Proinde ad arma parati ſignũ ad egregium, arduumq; facinus pro ſe, ſuiq; Ducis ſalute patrandum expectarent. Milites & Pinarij verbis, & ſuo periculo accenſi ad depulſandam à ſe ſeditioſorum rabiem accinguntur. Sub lucem ad obſidenda itinera, claudendosq; Ennenſibus exitus, ſuper, circaq; theatrum turmatim conſiſtunt. Congregata deinde Ennenſium ad concionem multitudine: Pinarius ad theatrum conſcendit, vbi quæ pridie reſponderunt, in publico repetit. Plebs paulatim primò, mox apertis vocibus, ac ferociter claues ſibi reddi expoſcit, quod ſi differatur: ad vim ſe conuerſuros minãtur. Pinarius vbi ne ab ipſo quidem minarum euentu rem procul abeſſe videt, dato (vt conuenerat) ſigno, ſuos ſtrictis armis ad illorum cædem immiſit. Tum Milites clamoribus repente ſublatis, alij ſupernè in aduerſam concionẽ, alij ad exitus theatri conferti obſiſtunt. Inde denſis gladijs ad ciuiũ occiſionẽ proruũt, atq; ita Ennenſes vndiq; incluſi, alij ſuper alios procũbũt, ſaucijs integri, viui mortuis accumulantur, truncisq; cadaueribus aceruos exaggerãt, ſi qui verò dilapſi ſunt, paſsim per vrbẽ exangues occubuerũt, eoq; modo tota vrbs cædibus, ac ſanguine referta, Ennenſiũ cruore, Pinarijq; ſtrenuo opere in Romanorum fide ſeruata eſt. Marcellus vbi rẽ audiuit, factũ probauit, prædamq; militibus conceſsit. Ea clades ipſo ꝓpè die totã Siciliã peruaſit. Quã cædẽ nefandã Siculi, qui antè dubij in fide fuerant, vti nõ hominũ tantũ, ſed Deorũ Cereris, & Proſerpinæ ſedẽ, fœdusq; violatũ execrati, præſumpta contra Romanos indignatione, ad Pœnos defecerunt. Hippocrates, & Himilco, qui ab Ennenſibus ad Romani præſidij delendũ conſiliũ acciti fuerant, audito miſerorũ interitu ille Murgantiã, hic Agrigentũ ſeſe recepit. Marcellus verò retro in Leontinos redijt: frumentaq;, & cõmeatus alios in caſtra cõuexit. Subinde Appio collega Romã ad Conſulatũ petendũ miſſo, Quintũ Criſpinũ in eius locũ claſsi, caſtrisq; præfecit. Hyeme verò imminente ad Leõtiã locũ quinq;. p. m. ab Hexapilo diſsitũ, hybernacula ædificauit, cõmuniuitq;. Poſt hæc initio veris cũ Syracuſas nec viribus ob ſitũ, nec fame, quam liberi propè à Carthagine commeatus alebant, domandam iri cerneret, ne quid inexpertũ relinqueret; per transfugas Syracuſanos nobilitate præcipuos, quos in caſtris habebat, vrbis defectionẽ tentat. Proinde per hos colloquijs ciuiũ aĩos probare, fidẽq; dare, ſi tradita foret vrbs liberos Syracuſanos oẽs, ac ſuis legibus vſuros ꝓmittit;

Cæterum cum aperta loquendi facultas deeſſet, quia multorum animi ſuſpecti curam in omnium actiones, oculosq́; , nequid proditionis admitteretur, conuerterant : tandem exulum ſeruus vnus pro transfuga in vrbem intromiſſus, paucos tentat. Illi huius inſtinctu flexi in piſcatoria quadam naui ſub retibus ad caſtra conuecti, cum transfugis colloquuntur. Eodem pacto alij, & alij admiſsi, octoginta conſilij participes fiunt, omniaq́; ad vrbis proditionem neceſſaria componunt. Erat Artalis Syracuſanus homo prædiues. Is cum forte fortuna Syracuſanorum cladeſtinum tractatum cognouiſſet, indignatus rem ſibi creditam non fuiſſe, eam ad Epicidem defert, coniuratoresq́; indicat. Epicides proditores captos diuerſis prius cruciatibus confectos ad lanienam tradidit. Marcellus hac via eluſus aliam nanciſcitur. Agebatur fortè inter Marcellum, & Epicidem de Damaſippo Spartano redimendo, qui ad Philippum Macedoniæ Regem ex Syracuſis legatus pro auxilijs implorandis naui miſſus, in Marcelli claſſem inciderat, captusq́; in eius poteſtatem venerat. Quem cum Epicides cuperet redimere, & Marcellus ei annueret, quòd tum Aetolorum, quorum ſocij Spartani erant, Romani amicitiam affectabant; eius rei gratia inter Romanos, & Syracuſanos frequentiora colloquia fieri fuit neceſſe. Ad quæ medius, oportunusq́; vtriſq; locus portus Trogilorum propter turrim Galeagram delectus eſt. Eò cũ ſæpius Romani cum Syracuſanis tractaturi acceſsiſſent: vnus eorum iuxta turrim murum contemplatus, eius altitudinem coniectura permenſus eſt; qui vel mediocribus ſcalis ſuperabilis, atq; aſcenſu peraccommodus videbatur; quod ſtatim Marcello indicat. Sed cum locus, vel ob id, quod accuratius cuſtodiebatur, temere adiri non poſſet: occaſionem quæri placuit. Erat adhuc Syracuſis ſeruus ille transfuga coniurationis prioris internuntius. Is Dianæ feſtum per triduum in vrbe multa ciuium, atq; ipſius Epicidis licentia vino in plebem per capita diſtributo, celebrari ſignificauerat. Is vbi ſacrum id adeſſe accepit, oportunitatẽ ſibi oblatam nequaq̃ omiſit. Ipſo itaq; Dianæ die epulatis, vinoq́; ſatiatis oppidanis, primo noctis tempore, quo durior defatigatos, ebrioſq; ferè ſomnus occupat: ſcalas, quas ad id in occulto parari fecerat, proferri iuſsit, & mille ferme milites armatos per ſilentium in muros deduxit. Qui intrepidè cuſtodes primùm in turribus vino, ſomnoq́; ſopitos, complures in cubilibus interfecerunt, atq; ita ad Hexapilon peruenerunt, vbi ex compoſito tuba ſignum datur, quo Marcellus ſtatim cum maiori militum agmine ſecutus affuit. Prope Hexapilon poſticus erat, eo ſubita vi refracto, vndiq; non iam furtim, ſed apertè milites Romani ingreſsi ad Epipolas frequentem cuſtodijs locum perrexere. Syracuſani cuſtodes, vbi Romanorum ad Epipolas aſcenſum conſpexere, & tubarum cantum, clamoremq́; tenentium muros audiuere, metu dilapſi alij aliò diffugiunt. Inter hæc multitudo pauere cœpit, cuius magna pars & metu, & mero grauata quid in vaſtæ magnitudinis vrbe mali eſſet, ignorabat. Illuceſcente Marcellus cũ omnibus copijs vrbẽ ingreſſus ciues extitat, atq; ad arma capienda, opemq́; , ſi quã poſſent, iam captæ propè vrbi ferendã, vocat. Epicides ſtatim ab inſula, citato agmine affuit, ratus primũ paucos Romanorũ cuſtodũ ignauia in vrbẽ paulatim excurriſſe, ſed vbi Epipolas, & cætera circùm loca hoſtilibus armis teneri vidit, hoſtibus nonnihil miſsiliũ iactu laceſsitis, retro in Acradinã abijt, veritus ne inter tumultũ inteſtina aliqua fraude à tutioribus locis excluſus, Acradinæ, atq; inſulæ clauſas inueniret portas. Marcellus deinde mœnia ingreſſus, vbi ex ſuperioribus illis locis, Hexapylo nimirũ, & Epipolis (quibus vrbs ipſa oĩs Tycha, Acradina, Neapolis, & Naſon pulcherrimo, ac patentiſsimo proſpectu ſubijcitur) vrbẽ oĩum ferè illa tẽpeſtate magnificentiſsimã, ac opulentiſsimã captã, ſibiq; ſubiectam, ac mox ruituram vidit, caſum eius lugubrem miſeratus fletum cohibere non potuit, tum tantæ victoriæ gaudio, tum eiuſce vrbis veteri fama, ac potentia, qua Athenienſibus terra, mariq;

deuictis

deuictis, Atticas classes, duosq; eorũ clarissimos Duces numerosq; exercitus deleuerat, quæq; bella cum Carthaginensibus ingẽti cum victoria gesserat. Offerebant, sese etiam ei tot Reges Gelo, Thrasibulus, duo Dionysij, Pyrrhus, Agathocles eorũq; potentia, atq; recentissima Hieronis Regis, totq; eius erga populum Romanum beneficiorum memoria. Quæ omnia vti commiserationem victori ingerebant, ita priusq̃ belli signa Acradinæ admoueret, effecere, vt Syracusanos, qui inter Romanorum præsidia erant, præmiserit, qui alloquio leni pellicerẽt ciues ad dedendam sibi vrbem. Sed cum per transfugas Romanorum, qui Acradinæ portas, murosq; custodiebant, quibus nulla per conditiones veniæ spes erat, qui à Marcello fuerant missi, nec ad muros, nec ad alloquium aditum reperirent, Marcellus vbi irritum vidit inceptum, ad arcẽ Euryolum, qui tumulus est in extrema vrbis parte, imminens viæ, qua in agros itur, ac per commodus ad excipiendos commeatus, ex mediterraneis Siciliæ locis signa referri iussit. Præerat Euryolo Philodemus Argiuus ab Epicide præfectus, ad quem Sosim vnum ex interfectoribus Hieronymi ad deditionẽ hortandũ Marcellus misit. Philodemus vafri vir ingenij, ad deliberandum tempus à Sosi sumpsit eo animo, vt Romanus exercitus ab Hippocrate, & Himilcone, qui cũ castris ad Euryolum propediem expectabãtur, his inducijs cõcluderetur: Marcellus eius, quę re vera erat, vafriciei suspitione motus, inter Neapolim, & Tycham pro mœnibus castra metatus est. Ad quẽ mox legati ab alijs vrbis partibus cum infulis, & velamentis venerũt precãtes, vt ab incendijs, & cæde abstineretur, quod & impetrarunt, nisi quòd inuitus penè, ac coactus, bona tantùm, ac prædã militibus concessit: ingenua verò, aut libera corpora constuprari, aut occidi, aut deniq; attingi vetuit: nec Syracusanorum quempiã in seruitutem redigi omniũ ex sententia edicto publico statuit. Atq; ita castris præsidio munitis, milites in Tychã, & Neapolim irruũt, refractisq; foribus vrbẽ omni terrore, ac tumultu perstrepẽtẽ ingressi à cæde quidẽ abstinuere, sed quicquid bonorũ diuturna, atq; antiqua fœlicitate congestũ fuerat, momento tẽporis diripuere. Inter hæc & Philodemus omni auxilij spe frustratus fide accepta vt incolumis ad Epicidẽ rediret, arcem Romanis tradidit. Bomilcar etiam Punicæ classis Dux, qui in portu Syracusano cum classe diu stationes tenuerat, relictis socijs, ac quinquaginta quinq; nauibus, noctu cum triginta quinq; triremibus in fugæ modum, magna tẽpestatis vi superata, Carthaginẽ profectus est, Senatumq; in quo statu res esset Syracusana edocuit, quem ipsum (accepto nuntio) Carthaginenses continuò centum cum nauibus Syracusas remisere, quem multis donis Epicides ex Hieronis gaza prosecutus est. Marcellus interea Tycha, Neapoli, & Euryolo firmissimo præsidio munitis, Acradinam ternis castris per idonea loca dispositis circunsedit: ratus ad inopiam rerum oĩum ciues reducturũ. Cumq; aliquot diebus vtrinq; stationes quieuissent: Hippocrates, & Epicides vno simul tẽpore pluribus vijs hostes sunt aggressi. Hippocrates castris ad magnum portum cõmunitis, signoq; ijs dato, qui Acradinam tuebantur, castra Romanorum vetera, quibus Crispinus præerat, adortus est. Epicides eruptionem in Marcelli stationes fecit. Bomilcar etiam cũ Punica classe littori, quod inter vrbem, & Romana castra erat, applicata, ne Crispino quid præsidij a Marcello summitti posset, impedijt. Vtrobiq; prosperè est à Romanis dimicatũ. Nam Crispinus Hippocratem non solum repulit, sed & trepidè fugientem insecutus est. Marcellus verò Epicidem primò in vrbem compulit. Deinde nequid in posterum à repentinis Syracusanorum incursionibus Romani offendi possent, satis pronidè munitiones extruxit. Dum eo statu esset bellum, autumni tempore, pestis sæua tam extra, q̃ intra vrbem subsecuta est. Quæ paulatim p vtraq; castra repẽdo, deinde in tãtã pernicie peruasit, vt cũ multis diu fletibus deplorata vtrobiq; quotidiana fierẽt funera. Postremo cõ suetudine mali tãta feritas aĩos subintrauit, vt nõ modo nullis lachrymis, iustisq;

mortuos prosequerẽtur, sed ne efferrẽtur, aut sepelirentur quidẽ. Quo euenit, vt mortui ægros, ægri incolumes & metu, & tabe, ac demum pestifero odore lethaliter conficerent. Pleriq; morbi horrore sine societate hostium stationes ingressi ferro mortem quærere, q̃ luis contagione fœtidè interire maluerunt. Fuit tamen ea intemperies Pœnis perniciosior, quòd illi sub dio excubabant, qui ad vnum penè omnes contacti cum ipsis Ducibus occubuere. Ex Carthaginensium verò exercitu Siculi vt primùm ex infecto cœlo morbos prouiderũt in suas quisq; vrbes in propinquum pro salute transmigrarunt. Quo Marcellus veritus ne sui aut deficerent, aut perirent omnes: castra in vrbem transtulit. Vbi & vmbra, & tecto refoti leniorem sensere valetudinem. Interea Bomilcar iterum cum classe Carthaginem profectus sociorum fortunam Senatui exposuit: Romanos Syracusis inclusos facilè capi posse, si Carthaginenses paululum adniterentur. Qua spe motus populus eundem denuo cum centum & triginta triremibus instructissimis, & septuaginta onerarijs cum commeatu, cæteroq; belli apparatu in Siciliam remisit. Sed cum Euro ab ortu sæuiente Pachynum superare nequiret, moramq; ob id ibi trahere cogeretur: fama eius aduentus ad Romanos, Syracusanosq; delata, Romanis quidem metum incussit, Syracusanis veri gaudium attulit. Epicides veritus ne Bolmicar Africam vento impellente repeteret, Polycleto, Philistione, ac Epicide, cui Sydori cognomentum erat, mercenariorum Ducibus in Acradina, & Insula relictis, ipse ad Bomilcarem nauigat: eumq; extemplo vt fortunam naualis prælij experiri vellet, perpulit, à qua non quòd esset, aut viribus aut numero nauium inferior, sed quod venti prosperiores Romanæ, q̃ suæ classi afflarent, abhorrebat. Marcellus porrò nihil cunctatus classem suam q̃ q̃ numero nauium imparem contra Punicam ad Pachynum mittit. Bomilcar cadente Euro, quo facilius Pachynum superaret, vehementioriq; impetu in Romanam classem ferretur, in altum mouit. Quo viso Romani ex sua etiam statione soluentes aduersus eum cursum dirigunt. At ille tanta animorum promptitudine conterritus fugam arripuit, Siciliamq; præteruectus Tarentum petijt, onerarijs in Africam remissis. Tũ Epicides vt Carthaginensium classem aufugisse vidit, omni spe destitutus Syracusas iam ex magna parte captas redire noluit. Sed Agrigentum nauigat: vbi præsto lari magis rerum euentum, quàm aliquid moliri statuit. His per internuntios cognitis, Siculi qui Acradinam, & Insulam sub Præfectis ab Epicide relictis tutabantur, explorata prius Syracusanorum, qui obsidebantur, voluntate, legatos de conditionibus dedendæ vrbis ad Marcellum mittunt. Quibus cum responsum fuisset, si vrbem saluam esse cuperent, tres Epicidis præfectos interficerent: statim Syracusani vnà cum Siculis impetu facto Polycleto, Philistione, & Epicide trucidatis Prætores nouos creant, ex quibus legatos pro pace ad Marcellum mittunt. Hi coram illo Hieronis in populum Romanum studium, & beneuolentiam primùm testati, excusataq; Hieronymi stultitia, Hippocratis, & Epicidis fraudem, per quam à Romana societate per vim potius abstracti, q̃ animo alienati fuissent, ordine exponunt. Deniq; satis, superq; eũ habiturũ, si quicquid gloriæ Syracusani terra mariq; adepti essent, sui triũphi titulo ascriberet, pponentes, orabãt supplices, vt miseræ deinceps ciuitati parceret, quæ ab eo seruata, & in familiæ clientelã recepta, multo maiori laudi sibi futura esset, q̃ si excideretur. Benignè proculdubio à Marcello audita fuisset legatio; nisi in vrbe seditio recens exorta impedimẽtũ præbuisset. Trãsfugę nanq; Romani, qui in vrbe erant, veriti ne à Syracusanis Marcello proderentur, mercenarios primùm milites ad suum metum coniunxere, factaq; conspiratione iunctis viribus, quas mortis pauor terribiliores fecerat, in ciuitatem proruentes Prætores primum, mox Syracusanos quoscunq; fors obtulit, cædũt, eorũq; bona populãtur. Quibus interfectis, & direpta vrbe, ne sine ducibus imbecilliores essent, sex Præfectos instituũt; tres, qui Acradinæ, totidemq;

qui

qui Insulæ præsint. Erat ex tribus Acradinæ præfectis Mericus Hispanus genere vnus. Is contribulis cuiusdam Romanorum militis ad eum dedita opera missi pollicitationibus pellectus, Acradinam Marcello traditurum per germanum suum spondet, & vt à proditionis suspicione commilitonum animos auerteret, prohibuit de cętero vltro citroq; legatos commeare, ac custodias attętius seruari iussit, & præfectis (collegarũ assensu) oportuna in Acradina, & Insula loca diuisit. Cũq; sibi ab Arethusa fonte ad ostium vsq; magni portus vrbs tuenda contigisset, confestim vt id Marcellus sciret operam dedit. Ille nocte intempesta nauim onerariam vnam cum quadriremibus armatis remuleo ad Insulam trahi, atq; in regionem portæ Arethusæ proximam milites exponi iubet, ac publico edicto cauit, vt Archimedes inter capiendam vrbem seruaretur. His paratis, illucescente Marcellus cum omnibus copijs mœnia Acradinæ tanta vi aggreditur, vt non solùm eos, qui Acradinam tenebant, contra se conuerteret, sed ab Insula quoq; armatorum agmina ad obsistendum concurrerent, relictis stationibus suis ad vim Romanorum arcendam. In hoc rerum tumultu Romanæ iam instructæ naues ad Arethusam armatos exponunt. Hi ex improuiso semiplenas Insulæ stationes per apertam eis à Merico portam ingressi insultant, nec nimio labore insulam trepidatione, ac fuga custodum desertam, capiunt. Mericus initio certaminis Romanis se miscuit, ac residuum Insulæ illis tradidit. Marcellus vt captam Insulam, nec aliud q̃ Acradinam sibi vincendã superesse cognouit, receptui cecinit. ne gaza regia, cuius maior fama, q̃ res erat, diriperetur. Porrò suppresso eo pacto militum impetu, Syracusani, qui Acradinam habebant, liberi metu, portis apertis legatos ad Marcellum mittunt, qui salutem sibi, liberisq; solùm deposcerent. Acradina capta, Marcellus Quæstorem cum præsidio in Insulam ad regias opes recipiendas emittit, quæ acceptæ in ærarium transiere, ac tum vrbem, qua parte intacta adhuc erat, militibus diripiendam concessit. Ita Syracusæ tertio propè anno, q̃ obsideri cæperant, captæ direptæq; sunt. In quibus tantum prædæ, quantum vix capta postmodum Carthagine, repertum memoratur. Præcipuè autem in tanta hominum clade Marcellum Archimedis casus affecit. Is enim intentus formis, liniamentisq;, quas in tanto captæ vrbis, ac diripientium militum discursu, tumultuq; in puluere descripserat, non palantes Romanos, non captam vrbem animaduertens, dum à milite captus, vt ad Marcellum se sequeretur, mandata recusaret, donec rem inceptam adhibita demonstratione perficeret, ab ignaro milite in iram conuerso confossus cecidit. Pleriq; eum tradunt cum Romanum militem suspenso in suam necem gladio conspiceret, orasse, ne se interficeret, priusq̃ rem inuestigatam absoluisset. Sunt præterea, qui scribunt ei ad Marcellum ferenti sphæras, angulosq;, atq; alia quædam mathematica instrumenta, quibus solis magnitudinem ad aspectum accommodare solebat, Romanos milites occurrisse, qui aurum vase eum portare arbitrati statim ipsum ibidem necauere. Id non ægerrimè modò Marcellum tulisse veteres prodiderunt, sed etiam interfectorem perinde fuisse execratum, ac si in Deorum aliquem sacrilegas manus intulisset: cæsiq; sepulturæ curam habuisse, illiusq; propinquos, ac necessarios honoribus cumulasse, sphæra cylindro ambita eius sepulchro, vti suis vltima voluntate præceperat, cum quæstione imposita. Ex continenti firmamento ad contentum quænam esset excessus proportio. Captis Syracusis legationes omnium ferè ciuitatum ad Marcellum conuenere, quæ omnes leges à Romanis acceperunt, ac tum demum Romani, qui nullum clementiæ, aut vrbanitatis prorsus exemplum in eũ vsq; diem de se Siculis, exterisq; gentibus præbuerant, Græcis declararunt, quantũ iustitia, & æquitate vigerẽt. Marcellus enim tota Sicilia potitus ciuitates ferè singulas pluribus donarijs, ac beneficijs decorauit, quibus deuincti Siculi i omni fere vrbe equestrẽ benemerẽti principi i foro statuã

erexerunt. In ea Syracusarum parte, quæ Insula est, quæq; ætate mea sola incolitur, Marcellus deinceps neminem Syracusanum habitare voluit: tum quòd eius loci talis situs sit, vt vel pauci eum defendere possint. vnde Romanos exercitus sæpe antè excluserãt, deuicerantq;. tum quòd commodissimus ibi nauibus ex alto mari aditus sit. Remanserant Marcello non paruæ reliquiæ belli. Siquidem Epicides, & Hanno Carthaginensium Duces, & Mutines genere Afer in locum Hippocratis demortui suffectus vir impiger, & qui sub Annibale militarem artem didicerat, circa Agrigentum cum copijs erant. Hi audita Syracusarum expugnatione, communi consilio Mutini collegæ, milites Numidæ auxiliares vt darentur, quibus contra Romanos egrederetur, decreuerunt. Is copijs assumptis Romanorum agros adeo excursionibus, populationibusq; vexauit, vt Carthaginensium socios vel hoc vno modo in fide retinuerit: ita vt nõ in alio illorum spes, q̃ in hoc vno consisteret. Post hæc coniunctis viribus tres Duces Agrigento egressi ad Gelam amnem castra posuerunt. Quod vbi Marcellus percepit, in eos iusto exercitu stipatus proficiscitur, ac quatuor. p. m. longè ab eis consedit, prestolaturus ibi quid hostes vel agerent, vel pararent. Mutines de Marcelli aduentu certior factus, continuo traiecto. fl. stationibus ingenti cum terrore, ac tumultu inuectus, postridie prælio propè iusto intra munimenta Romanos compulit. Interea trecenti Numidæ exorta seditione è castris Heracleam diuerterunt. Mutines ea nouitate repressus, ad mitigandos, reuocandosq; suos Heracleam contendit; monens interim Epicidem, & Hannonem ne se absente cum Romanis dimicarẽt. Verum Hanno, & Epicides Mutinis consilium aspernati, ad gloriam, quàm ad obedientiam paratiores, cum copijs Gelam transgressi in aciem contra Marcellum exierunt. Marcellus indignum arbitratus terra mariq; actis Carthaginensibus cedere, arma extemplo parari, & signa efferri iubet. Dum Romani ad bellum se instruunt: decem Numidarum equites ex Pœnorum agmine tumultuario cursu clã ad Marcellum conuolant: seditionem trecentorum commilitonum, eorumq; ad Heracleam, simul & Mutinis ad eos reuocandos accessum annuntiant, atq; Numidas omnes, & duos copiarum duces gloriæ Mutinis obtrectantes in bello futuro quieturos Marcello promiserunt, ac subinde ad exercitum secretò redeunt, gens fallax, & quæ fidem aliãs antè seruare nescijt, eam iam in sui perniciem præstitit. Marcellus eo nuntio accepto sine cunctatione hostes parato cum milite adortus paruo labore superat. Nam ad primum certaminis clamorem, impetumq;, Numidæ, qui in cornibus erant, in concursu, vt Marcello promiserant, à cædendis hostibus abstinuerunt. Quo viso Carthaginenses in terga compelluntur, Numidæ & ipsi, vt proditionem velarent, fugæ parumper comites, tandem, cum milites omnes Agrigentum trepidi petijssent: ipsi celeris conscij metu quoq; futuræ obsidionis adducti, in proximas ciuitates passim dilabũtur. In hac vltima Marcelli in Sicilia pugna multa Carthaginensium milia sunt cæsa, pleraq; capta, capti quoq; & octo elephanti, cum quibus deinde Marcellus victor Syracusas regressus est. Post hæc cum Engion vrbs totis adhuc animis ad Carthaginenses inclinaretur: Nicias in ciuitate vir princeps, & Romanorum studiosus, vt ciues suos ab instituto deflecteret, palàm pro suggesto intrepida voce Pœnorum vecordiam increpabat. Quo commoti Engiates cum authoritas hominis simul, & potentia, eum à cæde defenderet, vinctum saltem Carthaginensibus tradere decreuerant. Ille cognita coniuratione, cum clausos sibi omnes vrbis exitus, nec euadendi viam videret, clandestinam circa se primùm custodiam disposuit: mox palam in Materas Deas veluti importunus, ac mente captus obloqui, & pleraq; aduersus earum fœdo errore creditam diuinitatem, efferre cœpit. Cumq; ad eum comprehendendũ aduersarij se parassent, corpus repente lymphato similis ad terram demisit. vbi paululum immoratus, magno omnium stupore, caput postea attollens, voce sub

tremula,

tremula, grauiq; circumagitans, acutum paulatim sonum protendit, quo horrorem toti etiam circum populo incussit. Deinde abiecto amictu, & tunica interula consciſa, seminudus ad theatri fores furibundus exiens, Materarumq; numine correptum se inclamitans, cursu festinabat. Engiates Dearum ira id fieri arbitrati religionis ergò ipsum neq; attingere, neq; remorari audebant. Ita Nicias lymphatum mentitus, liberq; extra vrbis portas euasit, vbi nullo deinceps furoris clamore, vel insanientis impetu est vsus. Coniux Niciæ artis conscia, assumptis filijs primùm in Dearum templum supplex, subinde virum errantẽ quæsitum exire simulans, nemine obstante tutò & ipsa ex vrbe discessit. Deniq; loco, qui inter eos conuenerat, à viro expectata vnà Syracusas ad Marcellum sunt profecti, à quo magnis honoribus excepti agri quoq; plurimum accepere. Marcellus postea capto Engio cum Ciues omnes prius vinciri, deinde ad vltimum supplicium educi iussisset, Nicias patriam miseratus suis ipse lachrymis, à Marcellò ciuibus, & in primis aduersarijs veniam impetrauit. Marcellus tanta victoria fœlix ciuitates penè omnes maximis beneficijs extulit, illisq; leges dedit, & Catanæ gymnasium artium liberalium celeberrimum condidit. Porrò confecto magna ex parte Siculo bello, totaq; iam Insula subacta, Sicilia excessurus, plurima, eaq; pulcherrima ex Syracusis signa detraxit, quæ ad sui triumphi spectaculum, & ad Romanæ vrbis ornamentum, quæ nihil antea aut lasciuum, aut luxuriosum vel habuerat, vel nouerat, secum Romam comportauit. Quo effectum est, vt inde primùm Romani mirari Græcarum arcium opera cœperint, quibus, ad portam Capenam dedicata à M. Marcello templa, excellentissimè decorata postea visebantur, & ad Pantheon hucusq; capita columnarum Syracusis euecta cernuntur. Statuas præterea, ac tabulas complures ex istorum numero in Samothraciã ad Deos, quos Cabiros appellabant, delatas, ex Marcelli statua ibi in æde Palladis erecta per apertam inscriptionẽ constabat. Quamobrem non defuerunt, qui in Marcello religionem desiderarent: eo maximè, quòd non homines tantum, sed Deos etiam perinde, ac captiuos spoliasset, & in triumphum egisset. Cui accesit & alia culpa, quòd assuetũ bello, rebusq; rusticis populũ Ro. minimè lautũ, luxu magis, ac otio refersisset. Parum abfuit, quin aduersantibus inimicis triumphus ei negaretur: tum ob eas, quas diximus, causas, tum quia nõnulla adhuc in Sicilia populo Ro. acquirenda restabant. In Albano tamen monte triumphum eo, quo decuit, ordine, ac celebritate obtinuit. Vnde postridie ouans vrbem ingressus est, multamq; præ se prædam in vrbem conuexit. Præcedebant cum simulacro captarum Syracusarum catapultæ, baliſtæq;, & omnia alia instrumenta belli, & pacis diuturnæ, regiæq; opulentiæ insignia, argenti, æriſq; affabre cælata vasa, & pretiosæ vestes, ac multa nobilia signa, quibus inter primas Græciæ vrbes Syracusæ ornatæ fuerant. Punicæ quoq; victoriæ signum octo ducti elephãti, ad quæ non indigniori accessere spectaculo cum coronis aureis præeuntes Sosis Syracusanus, & Mericus Hispanus benè in ea victoria de populo Ro. meriti. His duobus ciuitas data, & quingenta iugera agri, solidi in agro Syracusano, vel Regio, vel hostium populi Romani, & ædes eis, Syracusis, cuius vellent eorum, in quos belli iure animaduersum esset, deligere concessum est: Merico verò, Hispanisq;, qui cum eo transierant, vrbẽ, agrosq; in Sicilia ex his, qui à populo Romano defeciſſent, vbi eis visum est, largiti sunt. Indigemino, per quem ad transitionem Mericus est illectus, in eisdem finibus quadringenta iugera agri decreta. Marcellus autem cum quarto à Senatu Consul creatus esset, & Sicilia prouincia, & classis administratio rursus ei obueniſſet: ex Syracusanis quidam, qui ab eius aduersarijs persuasi Romam ierant, de eo querebantur, quòd vrbem, templa, & priuatos contra fœdera, ac societatis iura depilasset: proinde si eò iterum cum imperio redijsset: se non modò suam quemq; patriam, sed Siciliam totam relicturos affirmabant, quippe quòd aut

obrui

Digitized by Google

obrui Aetnæ ignibus, aut freto mergi satius Siciliæ foret, quàm sacrilego rursus Marcello dedi. Auditis & illorum querelis, & Marcelli defensione: tametsi Marcel lo sententia adiudicaretur, actoresq; merito condemnarentur: permutationem tamen prouinciarum fieri placuit: & Marcello Italia, Sicilia Leuino est demanda-ta. Cum deinde Marcellus ex Syracusanorum manubijs Gloriæ, atq; Virtutis tem plum Romæ dedicare vellet, à Pontificibus est inhibitus, negantibus duos Deos vnam ædem habere posse, quare alteram tantùm sub virtutis nomine priori coniunctam, qua illi patebat aditus, condidit. Statutum quoq; perpetuò Syracusis est, vt quoties aut ipse, aut quispiam ex eius posteris in Siciliam traijceret, obuiã ciues coronati procederent, ac sacrum diem illum celebrarent. Clarissima eius progenies ad Marcellum vsq; Cæsaris Augusti nepotem propagata est. Quem Octauia Cæsaris soror ex. C. Marcello suscepit. Post decessum Marcelli ex Sicilia Punica classis cum octo peditum, & tribus equitum Numidarum milibus vicinas Syracusis vrbes adorta: ad se Murgentiam, Hyblam, Manellam, & ignobiliores quasdã alias vrbes, pertraxit. Postmodũ vero Præfecto Mutine pœni vagi per totã Siciliam sociorum populi Romani agros vrebant. Romanorum exercitus, tum quòd cum victore, cui militiæ, malorumq; participes fuerant, ad triumphi etiam partem vocati non fuissent, tum quòd in oppidis hybernare interdicto prohiberentur, adeo exacerbati erant, vt non solum ad hostes reprimendos segniores essent, sed magis eis etiã author, q̃ animus ad seditionem deesset. Hos tamen motus aliquandiu. M. Cornelius Prætor, militum animos nunc consolando, nunc castigando compescuit, ciuitatesq; omnes, quæ defecerant, ad deditionem redegit, atq; ex his Murgantiam Hispanis, quibus vrbs, agerq; ex Senatusconsulto debebatur, attribuit. Posthæc Leuinus Consul, cui Sicilia Prouincia à Senatu delegata successit, iam magna parte anni circumacta, in Siciliam à veteribus, nouisq; socijs, satis expectatus venit: atq; res Syracusanorum inconditas composuit. Sed cũ Agrigentini omnem in Mutine cum Numidis spem repositam haberent, quòd per totam Siciliam solus ferè ex socijs Romanorum ingentiores ageret prædas & ab hostibus nullo pacto prohiberi posset, Hanno præclaras eius res gestas inuidens, adeo in eum exarsit odio, vt Præfecturam Mutini ereptam, filio suo contulerit, ratus cum ea, authoritatem Mutinis inter Numidas filium excesturum. Sed longè illi aliter euenit. Siquidem muneris priuatio veterem erga Mutinem beneuolentiam maiorem in modum auxit, qua confisus Mutines repulsam iniquiori ferens animo adeo à re Punica alienatus est, vt confestim occultos ad Leuinum de tradendo ei Agrigento nuntios miserit. Per hos itaq; data fide, compositoq; rei gerendæ modo, portam vrbis, quæ ducit ad mare, pulsis inde, cæsisq; custodibus, à Numidis occupari facit, per quam Leuinum Cõsulem cum toto Romanorum exercitu in vrbem introduxit. Cumq; in medium forum ingresso Romanorum agmine, magnus Agrigentinorum tumultus emanasset. Hanno nihil minus, q̃ de proditione suspicatus, ad comprimendam castrensem, quam arbitrabatur, seditionem processit. Sed vbi multitudo ei maior, q̃ Numidarum, eminus est visa, & Romanorum clamor satis sibi ex consuetudine percognitus ad aures peruenisset, anteq̃ ad teli ictum veniret, fugam capessit, atq; per oppositam vrbis portam cũ Epicide, & paucis emissus, ad mare peruenit. vbi nactus peroportunè paruum nauigium relicta Romanis Sicilia, de qua per tot annos acerrimè certatũ erat, in Africam traiecit. Authores tamẽ habeo, qui de Hannone capto simul, & cæteris tum Siculis, tum Pœnis viris nobilitate clarissimis Leuinum Romam reuersum triumphasse scribunt. Cæteri vero Pœnorum, Siculorumq; milites, quorum ingens erat turba, metu perculsi, intentatoq; certamine cum cæsi in fugam intra vrbem ruerent, clausisq; meatibus exire prohiberentur, circa vrbis portas omnes sunt cæsi. Vrbe recepta, Leuinus Consul eos, qui capita rerum Agrigenti erant,

erant, virgis primùm cædi, mox securi percuti iussit. Reliquos verò, prædamq; omnẽ vendidit, pecuniamq; inde collectam Romam in ærarium misit. Agrigentinæ cladis fama cum Siciliam inuasisset: omnia repente ad Romanos inclinauit. Prodita breui tempore viginti oppida, sex vi capta, quadraginta deditione voluntaria in fidem Romanorum venerunt. Quarum vrbium Principibus Consul pro cuiusq; merito præmia, pœnasue exoluit. Siculos deinde positis armis ad agros colendos coegit, vt Sicilia non incolis modò suæ fertilitatis fructum penderet, sed Romæ quoq;, ac Italiæ annonam præberet, prout sæpe præstiterat. Supererant adhuc in Sicilia quatuor hominum milia ex omni colluuione mixti, exules, obærati, qui cum in ciuitatibus, quibus erant adstricti, suis legibus vixissent, postq; eos ex varijs causis aut morum, aut fortunæ similitudo coniunxerat, in Agathyria vrbe per latrocinia, ac pleraq; alia facinora vitam ducebant. Hos Leuinus nequaq; in Sicilia relinquere statuit, ne nouandis rebus, & rapto viuere assueti, in sylam iam pacatam aliquando ad seditiones renouarent. Eos igitur Rheginis nona pace coalescente ad populandum Brutium agrum transmisit. Ita Sicilia, omni parte superatis hostibus, in ditionem populi Ro. deuenit, erat tum annus à condito mundo. 4990. & ab vrbe condita circiter. 550.

DE BELLO SERVILI, ET ALIIS MOTIBVS, QVI IN SICILIA IMPERANTE POPVLO ROMANO SVNT EXORTI. CAPVT SECVNDVM.

VBACTA Sicilia, prima Romani imperij prouinciarum facta est, quam vel eo nomine Resp. Romana ab initio semper magnifecit: eãq; principio per Prætores regi, postea committi Præsidibus, demum a Cõsularibus administrari voluit. Messana, & Tauromínium fœderatæ erãt cum Romanis ciuitates: liberæ verò, atq; immunes Centuripe, Alesa, Segesta, Aletienses, & Panormus. Inter quas Centuripini, & Segestani Latinitatis etiam iura obtinebant. Erat enim ciuile Romanorum institutum, vt qui ius Latij haberent, alios sumere magistratus, aut Præsides non tenerentur, nisi Romanos ciues. Colonias plures, S.P.Q.R. in Siciliam misit: Panormum, Syracusas, Tauromínium. Aliquot pòst annis cum tertio bello Punico Scipio Carthaginem funditus deleuisset, spolia, ac ornamenta, quæ de Siciliæ ciuitatum excidijs Carthago collegerat, conuocatis Siculis iubet omnia conquiri, & quæ cuiusq; vrbis propria fuerant, benignè restituit. Sub id ferme tempus maxima, eaq; barbara, & effera seruorum in Sicilia ex diuersis nationibus multitudo, tum primùm conditionis suæ seruitutis pertæsa, libertatem dominorum cæde per occasionem sibi vendicare statuit. Igitur cum salubri nullo regerentur consilio, sumptis armis insolescere apud heros, ac iactare cæperunt: venisse iam tempus, quo serui cum dominis vitæ conditionem, vt naturæ ordo poscebat, æquarent: quippe quòd natura, quæ vitæ hominum non nouerca, sed genitrix est, liberos eos omnes, paresq;, non seruos ediderit deinde summa etiam procacitate libertatem, alimenta, & corporis amictum non modò poscere, sed rapto quoq; accipere, ac mox nobilibus, dominisq; excidium comminari, nisi facultates communes facerent, ceperunt. Nouitas primùm hæc in Triocala vrbe sub Calatabellotha oppido olim sita exordium sumpsit, mox ad reliqua quoq; Siciliæ oppida repentino cursu exemplo huiuscemodi promanauit. Demophilus in Sicilia eo tempore vir erat opibus, & nobilitate insignis, sed veneris impatiens. Is cum princeps esset, superbia elatus quadrigis albis

albis per vrbes vehebatur, pluribus seruis & robore, & pulchritudine præstantibus, magna quoq; militum manu circunseptus. Verum cum insolentius plerunq;, ac sæpe de more in seruos debaccharetur: illi conuersa audendi in furorem patientia obloquendo primùm, mox contumelijs, ac denique telis dominum aggressi, eum, vnà cum liberis, vxore, cæterisq; domesticis interficiunt. Horum exemplo reliqui Siciliæ serui in æmulationem facinoris animo erecti, ad arma conuenere. Quorum Dux Eunus seruus Syrus genere fuit. Is etenim fanatico furore simulato dum Syriæ Deæ sacra celebrat, ad libertatem vi armata vendicandam conseruos quasi numine hortatus, vocat. Quod vt diuino imperio crederetur ab eo fieri: in ore abdita nuce sulphure, & igne plena leniter inspirans, inter verba flammam effundebat. Quo veluti miraculo duo primùm seruorum milia ex obuijs ad se allexit. Mox ei accessit & Cleon eadem fortuna in Sicilia seruus. Hi vi armorum susceptâ, & quasi iure belli fractis ergastulis, ad septuaginta suæ sortis milia contraxerunt. Conglobato itaq; agmine nihil supplicij metuentes vicos, oppida, & vrbes inuadentes, per omne cruciatuum genus dominos, nobiles, & plebeios quotquot obuios habebant, sine commiseratione cædebant. Cui incepto vt successus accederet ferocior, & ne sine auspicijs esset exercitus, Regem sibi Eunum deligunt, virum fortem, intrepidum, & ad quoduis scelus paratissimum, nec militiæ ignarum, & super hæc dominorum hostem acerrimum. Is quo latius terrorem spargeret, & q̃ effusissimè grassaretur, nobiles, quos capiebat, crudelissimo supplicio enecabat: matronas ingenuas, ac virgines vniuerso seruili exercitui prostituebat, atq; cuncta in prædã socijs exhibebat. Siculi vbi ita sese opprimi vident, equitatum omnem, peditatumq; contrà emittunt, quibus illi q̃ ocyssimè superatis, in Romani quoq; populi dedecus, Prætorum Manlij Lẽtuli, & Pisonis Hispei castra vi capiunt, atq; ipsos Prætores bello profugos insectantur, magnaq; iam præliando in Romanorum, Siculorumq; exercitum facta strage, captos probris, ac contumelijs primò afficiunt, mox cruentissimis affixos palis necant, adeoq; serui superiores fuerunt, vt nulla fuerit in Sicilia vrbs, quæ seruorum in se crudelitatem non & senserit, & perhorruerit, Messana vrbe excepta, quæ seruos liberaliter habuit, atq; in pace, fideq; continuit. His cladibus acceptis, Romani Pisonem Consulem mittunt. Is aciem ingentem contra seruos instruxit, sed non prius solerti vir ingenio pugnandum sibi cum efferata insolentium hominum colluuie iudicauit, q̃ eorum animos pertentaret, experireturq; an persuasionibus propositâ quoq; eis venia, a furore flecti possent. Quos vbi ad peiora indies dilabi, ac iam Aetnam, Tauromenium, & pleraq; alia situ etiam munitiora oppida occupata pertinacissimè præsidijs tueri conspicit, contra Mamertium oppidum, quod ab ipsis tenebatur, castris motis, magna vi illud expugnat, vbi octo seruorum milia inter pugnandum interfecit: quos autem viuos habere potuit, patibulo suffixit. Rutilius, siue, vt alij scribunt, Attilius, qui Pisoni successerat, Tauromenium, & Aetnã firmissima seruorum præsidia recepit, atq; ibi supra viginti seruorum milia interfecta sunt. Tandem. M. Perpenna Imperator apud Ennam eos profligatos in vrbem inclusit, & adeo dura, ac longa obsidione pressit, vt cum ne ab humanis quidẽ carnibus vorãdis abstinuissent, fame demũ plurimi cõsumpti sint. Quos aũt vi uos cepit, compedibus religatos ad cruces adegit. Fuit Perpenna de hac victoria ouatione contentus, ne triumphi dignitatem seruili inscriptione fœdaret. Vix seruilis hic motus ita finem habuit; cum aliud non minus atrox agrestium in Sicilia subortum est bellum. Erat etenim ibi Athenius pastor, Drepani ortus, siue, vt alij scribũt, incola, genere verò Cilix, vir ad omne facinus promptus. Is cum varijs de causis dominum interfeciſſet, excitato tumultu, capita factionum, quæ affatim eo tempore tota insula, veluti in cæteris Græcorum oppidis flagrabant, sibi confœderauit, quorum ductu famulos ex ergastulis ad libertatem inuitatos, vagos præterea

terea multos, quos ad seditionem paratos repperit, sub signis ordinat. Deinde Regis sibi vendicat nomen, vestem purpuream, & argenteum baculum, Regiumq; diadema sibi assumit, atq; non minorem, q̃ antè Eunus conflat exercitũ, acriusq; multo, tanq̃ illius vindex, vicis, castellis, & oppidis direptis in dominos, ac seruos etiam, qui eum sequi noluerant, infestius, q̃ in transfugas sæuiebat. Ad hæc Prætoris ab eo exercitus cæsi sunt, capta Seruilij castra, capta & Luculli. Sed Aquilius Perpennæ vsus exemplo intercluſos agrestes commeatibus ad extrema compulit, communitasq; armis eorum copias fame facilè deleuit. Nam cũ inclusi, omni fugæ via erepta, suppliciorum metu deditionem facere noluissent, ne famis necessitate in manus Romanorum peruenirent, proprijs sibi manibus exitium conscisuere. Athenius verò eorum Dux captus à Romanis inter rixantiũ manus discerptus est, atq; ita vtrunq; seruorum bellum finem habuit. Anno deinde ab vrbe condita. 662. dum Romæ primum ciuile bellum inter Marium, & Syllam inceptum, postmodum per factiones diffusum esset: Perpenna, qui Marij partes sectabatur, Siciliam occupauit, eamq; in Marij fidem armis, & militibus contra Syllanam factionem muniuit. Carbo præterea triplici Consulatu vir insignis, ingenti cum classe illuc identidem cum plerisq; fugitiuis, præclarisq; viris, qui Syllanam proscriptionem præuenerant, profectus est. Ad hos igitur motus in Sicilia comprimendos cum magno belli apparatu. C. Pompeius missus est. Perpenna vbi Pompeij aduentum resciit, quam primum Sicilia cesſit. Pompeius verò ciuitates afflictas ad se recepit: eisq; omnibus peperceit. Cumq; in Messauenses, velut hostium hospites sæuire decreuisset, atq; illi iure dicendi à Senatu eis concesso proposito audiri velle postulassent: Non desinitis (inquit Pompeius) iniqua recensere succinati gladijs? Carbonem Marij præfectum ibi cum cepisset, virgas in medium forum palàm produxit, eumq; coràm stantem ipse Tribunitio subsellio sublimis damnauit, deinde procul abductum interfici iussit. Q. quoq; Valerium virum philosophum, inprimisq; eruditum coram se adductum dicta causa mox ibidem satellitibus ad capitis mulctam tradidit. Quosdam præterea alios in Sicilia Syllanæ factionis hostes viros gloria, & nobilitate claros cõprehendit, infestosq; capitis supplicio affecit. Plures, quos licuit, latere passus omisit. Nonnullos etiam non sine præsidio suo abire voluit. Thermas Himeram vrbem, quæ cum Mario senserat, cum punire statuisset, Sthenius eius ciuitatis vir Princeps in iudicium pro ciuibus progressus noluit, vt noxio dimisso innocuos Pompeius plecteret: rogatusq; quos noxæ accusaret: Ego (inquit Sthenius) is sum, qui facinus commisi, Himereosq; omnes ad sequendas Marij partes coegi. De me supplicium sumito. Porrò Pompeius insignem viri fortitudinem admiratus, ei simul, & Himerensibus veniam præbuit. His peractis cum suos milites insolenter per Siciliam excurrere cognouisset, gladium eis obsignatum tradidit, quę qui illæsum conseruarunt, præmijs est prosecutus, facinorosos verò pœnis attriuit. Post hæc cum Pompeius prouincia cesſisset, Numium Siciliæ præfecit, & noui ita multo pòst anno circiter ab vrbe condita. 679. Sicilia immani. C. Verris Prætura, eiusq; furtis vexata fuit. Subinde anno ab eadem vrbe condita. 681. P. Cornelio solo Consule cum Metellus insulæ Prætor creatus, fœdissimè Siciliam a Pergamenone Archipyrata nefarijs prædis, & cædibus eam dilacerante, atq; pulsa Romana classe Syracusanum portum obtinente, inuenisset, afflictum repente cum nauali, terrestriq; prælio, ac cõminutum Sicilia eum decedere compulit. Anno postmodum ab vrbe condita ferme. 700. post mortem Iulij Cæsaris, eiusq; percussorum Bruti, & Cassij, in Sicilia bellum successit, quod Romani scriptores Siculum appellant. Enimuero cum Remp. diuiso imperio Rò. Octauius Cæsar. M. Antonius, & Lepidus ita inter se distraxissent, vt Cæsar Hispanias, Gallias, Italiamq;: Antonius Asiam, Pontum, & Orientem: Lepidus Africam teneret:

Sextus

Sextus Pompeius inter Cn.Pompeij filios ætate minimus,cum in proscriptorum numerum se relatum conspiceret:ex Epiro proscriptis,fugitiuis,& ijs, qui superfuerant ex factione Bruti,& Cassij ad eum concurrentibus,ingentem,& formidabilem coegit exercitum,cum quo Sardiniam præripiens,Siciliam occupauit: vbi Messanam primùm, mox reliquas ciuitates adortus, postremò & Syracusas ipsas vastauit, vnde conuersus in latrocinia omnem oram Italiæ superi, inferiq; maris cædibus & rapinis ita affecit, vt cõmeatibus impeditis Romã fame crudelissima afflixerit.Cui tãdem ab Octauio,& Antonio obuiam itum est, inter quos cum eo pax hac lege cõuenit,vt Siciliam Sex.Pompeius haberet.Quam adeptus, cum fœderis conditiones,quas acceperat,non præstaret, sed fugitiuis in Sicilia receptis, rursu mare prædationibus infestum reddidisset,Octauius necessario bello contra eum suscepto,Statilium Taurum cum Mena Sex. Pompeij liberto, qui ad ipsum Octauium nuper cum septuaginta nauium classe defecerat,misit, vt Menecratum Pompeianæ classis præfectum,omnia in mari Siculo infesta facientem, tantisper comprimeret, dum ipse cætera belli vsui necessaria in vrbe pararet: moxq; cum maxima & ipse classe in Siciliam traijceret. Ita præmissus Taurus paruit quidem fideliter cum Mena Liberto Octauij imperio.Sed nisi Octauius in tempore affuisset,durum ipsis,populoq; Romano exitium cessisset.Nam cũ Sex.Pompeius classem eorum adortus,magna ex parte oppressisset, statim cum numerosissimo apparatu superueniens Octauius in Pompeium irruit. Commisso igitur atrocissimo, ac cruentissimo nauali prælio non longè a freto Siculo, licet initio vtrinq; acerrimè,& dubio Marte pugnatum esset: victoria tandem penes Octauium fuit. Qui victum Sex.Pompeium ad vrbem Messanam fœdè fugauit.Ille porrò à Messanensibus, & cæteris propinquis ciuitatibus impetratis auxilijs instaurata classe, Octauium,qui Tauromenium victor traiecerat,aggredi audet:commissaq; rursus nauali pugna adeo eum afflixit, vt ad Italiam victus aufugeret. Vbi cum ampliorem sine mora classem,nec priore minorem recollegisset exercitum, redijt in Siciliam:atq; inde.M.Agrippam in Pompeium, eiusq; naues emisit. Dubio certamine inter Mylas,& Liparam aliquandiu vtrinq; dimicatum est. Sed ad extremũ Sex.Pompeius victus cum paucis fugit,extincto prætoriæ nauis lumine,annulisq; in mare deiectis, veritus ne per ea signa hostis insequeretur, cum paucis clam in Asiam profugit. Vbi in fidem.M.Antonij receptus,cum violato fœdere bellum contra eum moliretur,à Titio,& Phormo Antonianis Ducibus iterum victus, captusq; est,ac post paululum Myleti à Titio occisus. Sub idem tempus Lepidus reuersus ex Africa auxilium Octauio contra Pompeium laturus in Siciliam venit. Qui Pompeij clade cognita,cum viginti haberet legiones,factus insolentior Octauio inuito occupare sibi Siciliam pergit. Messanam itaq; opulentam tunc vrbem inuadit,eamq; militibus in prædam concedit:in qua lucrum mirabile deprehenderunt. Quo Octauius intellecto Messanam confestim petit, vt amicè Lepidum increparet, afflictæq; ciuitati consuleret. Sed ille venientem ad se Octauium semel,atq; iterum contempsit,telisq; appeti iussit. Quæ Octauius collecta in leuum brachium lacerna,repellendo vitauit, mox ad suos, qui in agro Tauromenitano castra habebant,regressus,instructo exercitu aduersus Lepidum Messanam rediit, & pugna commissa pleraq; hostis legiones (paucis interfectis) ad se deficere cõpulit.Quocirca Lepidus tandem depositio paludamento, assumptaq; arrata, supplex Octauio factus,vita,& bonis impetratis,perpetui exilii mulctam subiit. Atq; ita Octauius misso Tauro totam Siciliam armis variè afflictam, ac penè cõsternatam in fidem recepit. Quatuor & quinquaginta tunc militum legiones ei in Sicilia erant.Quarum aliquot in præsidium prouinciæ relictis, ipse cum cæteris Romam deductus, ouans vrbem ingressus est. Cui ob meritum Senatus decreuit, vt Tribunitia potestate imperpetuum frueretur. Cumq; postea Octauius mutata

Reip.

Digitized by Google

Reip. fortuna, totius orbis susceptо Imperio Augustus esset cognominatus, Centoripem, & Catanam, quæ ad Sex. Pompeij destructionem plurimum contulerant, solicitè refecit. Missa deinde Romana colonia Syracusas à Pompeio vastatas restituit: non omnem, sed eam duntaxat partem, quæ insula nominatur, quæq; hodie sola colitur. Nam reliquas vrbis partes restaurare, sicut præ sui magnitudine non oportuit, ita quoq; & maximè arduum fuisset. Cæterum dum externa pace sub Augusto Sicilia fruitur: Seleurus Siculus, qui se Aetnæ filium prædicabat, quamplurimis ex montis accolis in seditionis partem accitis, iustum propè exercitum instruxit, quo cum tota Sicilia, sed diutius circa Catanam, & montem Aetnam prædator discursasset, vicos, oppida, ac vrbes etiam vastans: Prætor magno comparato exercitu contra eum mouit, quem tandem prælio victum cœpit, atq; Romam misit, vbi in gladiatorũ foro publico certamine bestiarum morsibus laniatus est. Post quem sæpenumero Sicilia à bubulcis & agrestibus his viris in vnum consociatis huiusmodi maxima rerum discrimina ætate etiam nostra est passa.

DE GOTHIS SICILIAM OCCVPANTIBVS, ET POSTMODVM EXPVLSIS. CAPVT TERTIVM.

ROMANVM Imperium, per arma omnium in orbe maximum, dum ingenti consensu, virtuteq; summum attigisset culmen: subinde ceu senio per discordiam, ignauiamq; confectum declinauit. Porrò capto à Persis maximo cũ totius Imperij dedecore Valeriano, vniuersa septentrionis barbaries in Romani imperij suppressionem conspirauit. Quæ licet magna vi aliquoties retusa fuerit, euicit tamen, vt dum Romani Principes vel inertia torperent, vel Principatus ambitione confligerent: Persæ Asiam, Gothi, & Hunni Thraciam, atq; Pannoniam, Vesegothi Hispaniam, & Sueui Gallias, & Gothi tandem Italiam, & Siciliam sibi occuparint. Sed libet huius rei seriem paulo altius repetere. Anno Archadij orientalis, & Honorij Occidentalis Imperatorum tertio, Cum Hunni Pannoniæ Regem Attilam Honorij Imperatoris generum creassent: eo duce toto septentrione potiti orbis imperio etiam inhiabant. Imperante subinde Theodosio iuniore Gensericus Vandalorum Rex Carthagine occupata Siciliam etiam, atq; vrbem Romam inuasit, afflixitq;, nec multo pòst Attilas cum Hunnorum immenso exercitu Europam excursionibus, Italiamq; vexandam suscipit. Quo tempore (qui annus salutis tum erat circiter. 450.) Venetiæ vrbs necessitate vrgente medijs in aquis habitari cepta est. Valentinianus verò tertius, qui Theodosio successit in imperio, cum permagnas externarum gentium copias aduersus Attilæ terrorem comparasset, Etij ductu rem fœliciter gessit. Sed cum Etium interemisset, ipse à suis in homicidij vindictam confossus perijt, anno imperij, & ætatis. 30. Cæso Valentiniano, & post ignobiles aliquot Imperatores, Augustulo Orestis filio occidenti, & Zenone Isaurico Orienti imperantibus, Odoacer inter Italos Orestis armiger Gothorum, aliorumq; barbarorum, quos Valentinianus in Italiam adduxerat, auxilio, Italiæ Principatum, & Tyrannidem annos. 14. abrogato Augustulo sibi vendicauerat. Per id quoq; tempus Gothi, qui sub Theodorico Veronensi Duce Thra-

Digitized by Google

ciam Zenonis permissu incolebant, aduersus Romanos arma susceperant. Erant Gothi non vnius populi appellatione coacti, sed Teutones ex Godlandia insula, qui Liuoniæ, & Lituaniæ partem occuparunt, quæ cum Godlandis ex aduerso per mare sitæ sint, non absurdè inde Gothos, Cimmerios, & Getas aliqui appellant. Zeno igitur vtrisq; motibus prudenter consulens Theodorico suasit, vt in Italiã transiens ab Odoacro occupatore sibi, Gothisq; eam sibi assereret. His munitus Theodoricus Italiam ingressus primùm non procul ab Aquilegia Odoacri duces fœdè profligauit: mox apud Rauennam ipsum pluries victum triennio obsedit. Odoacer dura obsidione pressus, desperatisq; rebus Theodoricum tandem Dominij consortem sibi asciuit, à quo ille non multo pòst ad cænam inuitatus, inter epulandum occubuit. Ita Theodoricus Odoacro interfecto consultori etiam Zenoni rebellis Italiam adipiscitur. Quam cum cæteriori dominio annis pluribus tenuisset, quo regni Italici fines ampliaret, Siciliam magna classe adortus, eam tandem cum circumiacentibus insulis suo adiecit imperio. Qui postmodum cũ insula præsidijs munita, Panormum arcem sibi constituisset, anno regni sui. 37. apud Rauẽnam absq; legitima virili prole decessit. Cui Athalaricus ex filia Amalasuenta nepos puer cum matre in regnum successit. Interea mortuo Zenone Anastasius primum, mox Iustinus, & post hunc Iustinianus imperium sunt adepti. Hic imperij initio per Bellisarium genere Græcum virum strenuum, & impigrum, orientem Persarum Regibus lacessitum, & ab Hunnis, & Sarracenis turbatum (hostibus deuictis) pacatum reddidit. Quod vbi Amalasuenta cognouit, puero Atalarico metuens Iustiniani amicitiam sibi conciliauit. Post hæc Bellisarius Imperatoris iussu Vandalos, qui Africam nonagintaquinq; annos proscriptione tenuerãt, eiecturus, à Methone cum classe soluens Zacynthum venit. Subinde leni vento diebus sexdecim in Siciliam delatus littoralia Aetnæ montis attigit. Vnde Procopium, quem apud se tum velut oneris Imperatorij adiutorem habebat, clam scisciatum mittit, an hostes insidias contra eius classem vel in Sicilia, vel in Africa parassent. Ipse verò interea cum classe Caucanæ portum Pachyno succedentem nauigat. Procopius cum Syracusas aduenisset, amicè à Gothis, qui tunc Sicilia potiebantur, receptus est, & ab Amalasuenta, omnibus ferme Iustiniani rebus ob fœdus cum eo initum fauente, commeatum quantum classi suæ sufficeret, pretio redimendum obtinuit, ibiq; præter spem Syracusanum quendam offendit amicum, eorum, quæ maritimæ expeditioni necessaria erant, præfectum, à quo nullas Vandalorum neq; in Sicilia, neq; in Africa paratas esse insidias edocetur. De Africa verò se per seruum suum, qui tertia iam antè die Carthagine redierat, instructum dixit Gilimatem Vandalorum tunc Regem nihil hostile metuere: sed relicta Carthagine, locisq; maritimis, apud Hermionem mediterraneam vrbem à littore quatuor dierum itinere distantem, abesse. His Procopius acceptis, amici seruũ dextera apprehendẽs, per Arethusę littus deãbulabat, à quo cũ oĩa accuratissimè scisciando, explorãdoq; cognouisset, & ad locũ portus magni, vbi nauim reliquerat, cũ eo pueniſſet, paratã statim nauim secũ vt ascẽderet, induxit, ac velis datis Cauconẽ appulit. Bellisarius viso seruo, ab eo corã singula cognoscere studet, & Inde soluẽs Gaulõ, & Melitã insulas nauigat, ac de mũ Africã: vbi paruo labore expugnata Carthagine, & Gilimere Vãdalorũ Rege capto, eius gẽtẽ deleuit. Parta victoria milites quosdã ĩ Siciliã misit, qui Lilybœũ, quod Vandalorũ adhuc erat præsidiũ, caperent. At cum Gothi cognita Gilimeris captura illud præoccupassent, Romani Lilybœo sunt frustrati. Verum non multo post Athalaricus cum decem annos rerum potitus esset, decimo octauo ætatis anno fato functus est. Tum Amalasuenta Theodatum consobrinum connubio sibi iunxit, & in Regni consortiũ adsciuit. At ille non diu pòst beneficij immemor,

& perfidus,

Digitized by Google

& perfidus, quò ſolus regnaret, in Vulſini lacus inſulam vxorem in exilium egit. Vbi eam per emiſſarios ad internecionem etiam coegit. Theodati hæc in Reginam perfidia, adeo Gothorum plerosq; duces turbauit, vt vix ſe à ſeditione cõtinerent. Quæ cum Iuſtinianus cognouiſſet, tempus idoneum ratus Italiæ ſimul, & Siciliæ liberandæ, mentem, animumq; ad has partes conuertit. Inuitabat inſuper eum proſperitas imperij: quòd paulo antè & de Perſis Duce Beliſſario iam bello victis triumphum egerat, & à Vandalis ſubactis Africam abſtulerat. Nec ferendum amplius ſibi exiſtimabat, vt contra decus Imperij Italiam, & Siciliam à Barbaris occupari pateretur. His itaq; de cauſis per legatos à Theodato reſtitui ſibi Italiam, & Siciliam poſtulat: offerens in eorum compenſationem dignitates alias, quæ ad æquitatem ſufficerent: quòd ſi non annueret, bello ſe eas repetiturum minatus eſt. At cum Theodatus legatis auditis poſtulata recuſaſſet, non vltrà cunctandum ratus, Belliſarium in Siciliam cum exercitu mittere decreuit. Inter hæc Gothi creſcente in Regem ſuum ſeditione militari, Vitigini ſibi Regem creant, & cum eo Theodatum occidunt. Ita turbatis Gothorum rebus, Belliſarius cum claſſe, in cuius tamen apparatu non in Siciliã, ſed in Africã profectio ſimulabatur, in Siciliam nauigauit. Habebat autem peditum delectorum copias ſatis magnas: quibus præerant Conſtantinus, Beſſas, & Herodianus, equitibus verò etiam numero ſatis validis Valentinus, Innocentius, & Magnus, quibus omnibus ipſe facienda in bello imperabat. Proinde ſecutus Iuſtiniani imperium cum ſe Carthaginem petere confingeret, Siciliã in tranſitu applicuit, neq; ibi quicq̃ hoſtile ab initio molitus eſt, ſed quaſi reficiendorum militum cauſa in eis locis alia, atq; alia diſſimulans. tanq̃ inde exercitum in Africam traiecturus tempus terebat. Subinde oportunitatem nactus Catanã vrbem ex inopinato adortus, ſuperatis Gothis qui ibi præſidio erant, occupat. Mox copias oſtentans non alienam perſonam gerebat: ſed apertè ad Siciliam ſe à Gothorum ſeruitute liberandã veniſſe fatebatur. Deinde non multos poſt dies Syracuſas petijt, quas paruo labore dedentibus ſe ciuibus cepit, quas ſecutæ plurimæ ciuitates certatim quodammodo in eius poteſtatem venere. Accedebat ad hæc, quòd Gothi cum nullos per Siciliam belli apparatus feciſſent, ſubita Belliſarij inuaſione, ac ciuitatum deditione attoniti fuga potius, q̃ defenſione ſalutem metiebantur. Panormus vrbs ſola, cui Sindericus Gothorum Dux cum validiſsima militum manu præſidio præerat, obſidionem non ſolùm expectauit: ſed & hoſtes velut contemnens per ludibrium miſsis nuntijs deceſſum imperabat. Belliſarius verò & ſuis, & fortunæ viribus confiſus, mari eam adoriri ſtatuit. Cumq; portus tunc temporis vſq; ad mœnia veteris vrbis pateret, & quibuſdam in locis mœnia adeo depreſſa eſſent, vt à nauium malis ſuperarentur, claſſem intra portum confeſtim deferri iuſsit. Vbi iactis ancoris, & nauibus in tuto firmatis, nauiculas quaſdam ſagittarijs implet: ſublatasq; vſq; ad mali faſtigia ſuſpendit, vnde ex eminenti Gothi ſagittis vndiq; icti, & inſtanti periculo in ſegnem, imbellemq; formidinem acti, ſine mora Belliſario vrbem dediderunt, anno. 18. poſtq̃ Siciliam ſibi occupauerant. Recepta Panormo Belliſarius Syracuſas, quæ Siciliæ adhuc metropolis erat, reuerſus ludos magnificos edidit, atq; numiſmata in multitudinem diſperſit. Sed cum à Iuſtiniano, ad quem præceps huius victoriæ fama peruenerat, vt in Italiam tranſiret & Neapolim, & vrbem Romam imperio reſtitueret, vocatus eſſet, dimiſſo Syracuſis, & Panormi militum præſidio cum reliquis copijs Meſſanam venit: traiectoq; freto Rhegium petijt. Inde per Brutios & Lucanos pedeſtri itinere Neapolim vſq; exercitum duxit: claſſem verò per littus nauigare fecit. Cumq; non longè ab vrbe conſiſteret, eam vallo cinxit, paucisq; diebus in obſidione tritis, per aquæductum noctu vrbem inuaſit, vbi tam Gothis, qui aderant, quàm Romanis bellantibus trucidatis, Neapolim pleno

iure recepit, atq; inde paulo pòſt vrbem Romam magnis copijs aggreſſus, ea facilè potitus eſt, ita, vt intra pauci temporis ſpatium Iuſtinianus duce Belliſario Perſiam, Africam, Siciliam, Neapolim, & Romam receperit. Poſt hęc Gothi, interfectis intra bienniũ duobus Regibus, Totilam regali ſanguine clarũ, quippe cuius pater Ildouadi regis frater germanus fuerat, in imperium elegerunt. Hic exercitu comparato Romã venit, eaq; vi capta Romanos proceres aliquot, quòd ad Gręcos defeciſſent, atrociſsimè obiurgatos interfecit, vrbẽ ipſam, eiusq; palatia, ac mœnia partim diruit, partim incendit, atq; inde ſelecto cum exercitu Siciliam petijt, ſed vbi ad fretũ peruenit, anteq̃ in Siciliã traijceret, Rhegij præſidiũ pertentat, cui tum præerant Teremundus & Imereus, à Belliſario ibi conſtituti, qui Gothis depulſis partes ſuas fortiter defenderunt. Sed Totilas cum neceſſaria cognouiſſet obſeſsis deeſſe, dimiſſa ibi ad cuſtodiam exercitus parte, ipſe tranſmiſsis in Siciliam copijs, Meſſanam adortus eſt. Cui mox Domentiolus, qui eius vrbis, & Romanorũ militum Præfectũ agebat, extra muros occurrens certamine inito hoſte nihilo apparuit inferior. Sed cũ intra vrbẽ deinde ſe ſe recepiſſet, ibiq; intẽtus cuſtodiæ quieſceret: Gothi nemine extra vrbẽ deinceps obuiam prodeunte, Siciliã ferè oẽm populantur, cumq; minora quædã oppida vi, quædã pactione in poteſtatem redegiſſent: tandem Totilas magno cum exercitu Syracuſas petit, eamq; terra, & mari obſidet. Inter hæc cũ Teremundus, & Imereus, & cæteri Romani in Rhegio circumſeſsi, rerũ intolerabili inopia premerentur, hoſti ſe ſimul, & oppidũ tradiderũt. Quæ omnia cũ Iuſtinianus accepiſſet, contractis mox claſse, & exercitu non contemnendis, Liberiũ Ducẽ vniuerſis præfecit, & q̃ celerrimè iuſsit, vt in Siciliã nauigaret, eamq; iã periclitantẽ obnixè ſeruaret. Verùm paulo pòſt Liberio, vt effœtæ ætatis viro, reiq; bellicæ imperito reuocato, Artabanẽ & claſsi, & cohortibus à Liberio recipiẽdis ſuffectum in Siciliam tranſmiſit. Liberius interea de reuocatione nondum certior factus Syracuſas applicuit à Gothis tum fortè obſeſſas, impetuq; in Barbaros facto, Gothis, qui in portu ſtationẽ habebant, ingreſſum prohibere nequaq̃ valentibus, in portũ deſcendit, vnde cum vniuerſo exercitu quamprimũ vrbem eſt ingreſſus. Artabanes interea paucis cum copijs Siciliam verſus nauigabat. Verum vbi Calabriæ appropinquauit, ſubita tempeſtate plures ex eius nauibus in littus impegere, pleræq; in hoſtium manus venere, reliquæ remenſo curſu Peloponneſum, vnde profectæ fuerant, redierunt, ea verò, qua ipſe vehebatur, malo ex tempeſtate diffracto, fluctibus lata Miletum applicuit, atq; hoc pacto ex inſperato incolumis euaſit. Liberius interim qui Syracuſas ingreſſus fuerat, cũ neq; in Gothos obſidentes quibus impar ad decertandũ videbatur, irrueret, neq; cõmeatũ haberet, veritus rerũ neceſſariarũ defectũ, quẽ exercitus ingens in vrbe obſeſſa breui minabatur, è Syracuſis cũ ijs, quos ductabat, abire conſtituit: ſubitoq; receſſu hoſtẽ fruſtratus paucis diebus cũ ſua claſſe Panormũ ſe contulit. Totilas verò, Gothiq; pluribus Siciliæ locis depopulatis, atq; equorũ, pecorũ, armentorumq; omnis generis ingenti numero abacto, & frumento ex inſula tranſuecto, & maioris pretij rebus in naues impoſitis, Sicilia deſtituta, celeri Italiam nauigatione, nouo Romanorum ibidem apparatu perurgente, repetunt, quatuor ex Ducibus ſuis Præfectis, & quibuſdam Gothis militibus in inſulæ præſidijs relictis. Poſt hæc Liberius per Imperatorem reuocatus, Bizantium redijt. Artabanes verò è Melita in Siciliam properans, vbi Romanas copias, claſſemq; ab eo ſuſcepit, principio ſuæ prouinciæ potentior per Siciliã factus, Syracuſas pulſis Gothis ab obſidione liberat, Gothosq; qui in præſidijs Siciliæ ſe tuebantur, ſtatim obſidet, quorum plures, qui extra oppida ad dimicandum exierant, ſuperat, cæteroſq; omnes ad deditionem compellit, atq; ita properè inſulam Gothorum faucibus eripit, & Iuſtiniano reſtituit.

F. THO.

Digitized by Google

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS, POSTERIORIS DECADIS.

LIBER SEXTVS.

DE SICILIAE A SARRACENIS INVASIONE, ET OCCVPATIONE.

CAPVT PRIMVM.

CONSTANTIO imperante,& Vitelliano huius nominis primo Romanæ ſedis antiſtite ſedente anno ſalutis ferè. 650. Sarraceni quinquageſimo regni ſui anno ab Alexandria ſoluentes Rhodum Romani tum imperij inſulam venerunt, eaq; capta Coloſſum fama celeberrimum demoliti nongentos ære camelos onerarunt, & per Aegæum mare delati pari clade Cycladas affligunt. Profecti inde in Siciliam primò littoralem oram populantur, peruagati deinde in mediterranea ferro, & igni omnia fœdarunt. Sed quoniam de Sarracenis eorunq; oppidis pluries deinceps verba ſum facturus, non alienũ ab inſtituto ſed iucundiſsimum fore ſum arbitratus, ſi eorum initijs, atq; progreſſu recenſitis, quo pacto eorum Africæ regna quæ contra Siciliam ſunt ſita, coaluerint deſcripſero. Sũt Sarraceni ijdem, qui Hiſmaelitæ, diuerſa tamen ratione appellati, Sarraceni à Sarra vxore Abrahæ, Hiſmaelitæ verò ab Hiſmaele filio eiuſdem viri ex Agar ancilla ſuſcepto, à quà & Agarenorum eis cognomentum etiam acceſsit. Quæ nomina perdiu vniuſcuiuſq; authoris poſteri retinuere, donec paulatim ampliatis finibus in ampliorem appellationem omnes conſentientes, ſine confuſione Sarraceni nuncupari voluere, tametſi opinio hæc nobilitatis falſa eſſe videatur: quippe quòd ex Sarra natus eſt Iſaac, à quo Iacob, atq; ex hoc Iudas: vnde Iudæorum, & non Sarracenorum deductũ eſt nomen. Sed quẽadmodũ alijs in multis, ita & hac in re Sarracenos errare nõ iniquo animo patiamur. Eius gentis nomen vix notũ reperitur vetuſtis vel Græcis, vel Latinis rerũ ſcriptoribus, ſed per eccleſiaſtica monumenta ad noſtras manus peruenit. Tenuerant Sarraceni primùm (teſte Ptole.) tres regiones, vnã in Arabiæ fœlicis locis mediterraneis nõ procul à regione Sabęa: alterã ad Aegypti partes, quæ ab arcto quidẽ Idumæa, ab ortu verò Petræa Arabiæ dirimitur. Tertiam in orientali Syriæ plaga ſub Alſadamo mõte non procul à Traconitidis Arabibus, & à regione Batanęorũ. Fines deinde ſuos paulatim egreſsi cũ Arabibus atq; alijs circum finitimis populis cõfuſi mire cõcreuere, ſuũq; nomẽ multis poſtea gẽtibus indiderũt. Ex ra pro ſemper id hominũ genus vixit, quippe qui ex proprijs exceſſerãt ſedibus, quò inuaderẽt, ſibiq; occuparẽt alienas. Verũ anno ſal. circiter. 600. ſub Heraclio Romanorũ Principe ſimulatq; Maomethus in Arabia fœlice ex eorũ gente exortus eſt: Sarraceni eius ſuperſtitionibus illecti, eũ ſequi cæperũt. At ille etſi Regio titulo nõ ſit vſus, rerũ tamẽ proſperitate elatus, vt legislator, & author ſalutis, ac vates & propheta ſuppremus haberi voluit, Duceſq; ſuos magna cũ militũ manu frequẽter ad Chriſtianorũ vrbes vicinas inuadẽdas miſit, atq; ita ventũ eſt ad arma, quibus eius ſuperſtitioſa religio, & violentũ imperiũ maxime coaluere. Eo nanq; impulſore inuaſerunt, & in ſuam poteſtatem redegerunt vicinos Chriſtianos Perſas, Syros, Aſſyrios, & Aegyptios. Ex Perſide in Mediam & Parthiam, & Carmaniam. Ex hac in Gedroſiam. Et ex ea in Indiam. Ex Syria in Ciliciam, & ad Cæteras minoris Aſiæ Prouintias, indeq; in Sarmatiam, atq; ad alias multas ad

Digitized by Google

Aquilonem sitas Regiones. Ex Aegypto non solum meridiem versus ad multas Aethiopum terras, sed versus occidentem etiam ductantes exercitus, per Africam, quę vna est trium orbis terrę partium, quantum patet in longitudine, Christi nomine abolito, huiusmodi ordine imperium propagauerunt. Nam & viuente Maometho, eoq; apud Meccam felicis Arabiæ vrbem defuncto, & succedente Calipha, inuasis vastatisq;, ac suæ ditioni subactis compluribus Asiæ vsq; ad Nilum regionibus, ex varijs victorijs superbiores, audacioresq;, & ad rapinas violentiamq; q̃ ad æquitatem promptiores facti, ipsum quoq; Nilum trãsmiserunt. Mox totam perdomuerunt Aegyptum, Aegyptiamq; Alexandriam, & quicquid est Libyæ vsq; Cyrenẽ. Vbi constituta apud Damascum Regni sede, quinq; annis eorum Duces quieuerunt, distributis locis, vbi copiæ interim commorarentur, Ordinatis intra id tempus Arabiæ, Aegypti, ac Libyæ, Cyrenarumq; rebus, iuncto cum eis Aegyptiorum exercitu, ex Arabia Deserta Regnante Hutmeno filio Hafel tertio Pontifice vlterius progressi occidentem versus, missis cum Duce Hucobo Hibnu Nafic viro strenuo octuaginta Arabum milibus, in Africam transeunt, ferro atq; igne obuia quæq; vastantes. At cũ ad nemus quoddam. 36. p.m. a mari mediterraneo, & a Carthagine. 120. distãs, Hucobus veniisset, prẽda onustus, ibi castrametatus est, atq; vrbem condidit, quam a re ipsa, Caruenum appellauit, quod latine exercitus ꝓpugnaculũ sonat, eãq; muris lateritijs cinxit. Vnde Sarraceni fœliciſsimo victoriæ cursu progressi, multas sustulerunt vrbes. Et postmodũ Carthaginem adorti, eam paruo negotio ceperunt, ac funditus diruerunt. Nam & si tertio Punico bello Carthago a Scipione Iuniori deleta fuerit, secundo tamẽ supra centesimum postea anno (Suetonio referente) ab Augusto aliquanto tamen q̃ fuerat, demissior, refecta est. Quæ cum deinde perseuerasset annos ferme octoginta supra sexcentos a Sarracenis eo tempore excisa est. Cuius ingentes hoc tempore aquæductus, ac plura alia monumenta cernuntur. Quam eo stare vlterius non sunt passi, quod in fatis esse vates eorum vaticinarentur, vt ex ea vrbe olim consurgerent, qui Maomethanum euerterent imperium. Deleta Carthagine Hucobus cũ exercitu (paucis eius militibus Tunetum exile sanè, etsi vetustissimum oppidum. 15. p.m. a Carthagine diffugiens, & lacui maritimo imminẽs, incolentibus) Caruenum est reuersus. Is, Mortuo Hutmeno Pontifice, a Muchauia illius successore, Carueni Gubernator, ac exercitus Dux confirmatus fuit. At post modum Qualidas, qui successit in Pontificatu, propagandi imperij cupidine ductus, Museum virum militia præstantem, magnis cum copijs Caruenum misit. Qui occidentem versus mouens, vsq; ad Atlanticum Oceanũ victricibus armis cuncta populando excucurrit, & mox retroflexus, subacta Mauritania, adiunctoq; secum Taurico, viro strenuo, traiecto freto Herculeo Bethicam, quam Granatam hodie appellant, subiecit, vbi Rodoricum Gothorum Regem sibi cum exercitu satis iusto occurrentem acie vicit, profligatisq; Gothis castellæ Regnum ingressus, Toletum expugnauit, & relicta ibi exercitus parte, immensa præda ditatus Caruenum est reuersus. Quo cognito Qualidas, auri cupidus Museum ad se cum præda euocat. Cui Hescianus Pontificis Germanus frater, qui ad Pontificatum inhiabat, auri fratre appetentior occurrens, illud ne Qualidæ iamiam morituro deferret, frustra hortatus est. Pontifex Thesauro accepto vix triduum vixit, Cui cum Hescianus successisset, statim abrogato Museo, Ierusalem Carueni, & copiarum Ducem instituit. Huic filius, & illi Nepos, & pronepos sibi per manus in Carueni principatu, quousq; Qualidæ propago est extincta, successerũt. Tũ Laglebus Damasci Pontificatu & Carueno cũ sua stirpe per annos. 170. potitus est. Quo tempore Mahdi, pulso vltimo Laglebi successore, & occupato sibi Sarracenorum pontificatu, & Carueno, vrbem ad eius oram, ad peninsulam curui littoris in sui mutuimẽ Mahdiam a se dictam, quam Africam hodie appellant, cõdidit, eamq;

crassis

craſsis, ac munitiſsimis mœnibus, quæ ad ætatem vſq; meam viſebantur cinxit. Sed ad Sarracenos principes redeo Qui elati maioribus ob tantos ſucceſſus animis, poſt Qualidæ mortem claſsibus in cæteras Hiſpanias traijcientes, omniaq; armis & multitudine infeſta facientes, ad extremum tam nobiles & ampliſsimas regiones cum adiacentibus inſulis ſuo adiecere imperio. Superatis præterea Pyreneis mõtibus quaſdam Galliarum partes in poteſtatem redegerunt. Interiecto deinde tempore traiecerunt etiam in Italiam, primumq; oram Liguſticam excurrentes Genuam petierunt, ſubitaq; vi vrbem adorti, ea direpta atq; ingenti onuſti præda, inde deſceſſere. Nec multo pòſt inuaſerunt Romanum agrum, & omnia igne & ferro vaſtauerunt. Aliquot poſt annis tam claris elati victorijs ipſam vrbem Romã adoriũtur, factoq;, agmine ingreſsi, eam totam intra biduũ diripuere, Per idem ferme tempus Sardiniam quoq;, & Siciliam, vt paulo infra memorabimus eorum domino ſubiecerunt. Oram deinde fere totam ſuperi atq; inferi maris plurimum perdiuq; infeſtauerunt. Diu quoq; poſſederunt Lucaniam, & quicquid vrbium atq; oppidorum ſitum eſt ad mare, à Lucania ipſa vſq; ad Gargani montis loca, quæ mari Adriatico imminent. Nec prætermiſerunt oram Dalmatiæ, Illirici, Epiri, Peloponeſi. Ingreſsi ſunt etiam Helleſponti fauces, & quicquid eſt in ora tum Europæ, tum Aſiæ, ad Thracium vſq; Boſphorum infeſtum fecerunt. Cycladas quoq;, Cyprum, & Cretam inſulas magna vi inuaſerunt. Tam formidabile enim erat per ea tempora Arabum & Sarracenorum nomen, vt vel ingenti multitudini, vel armis, vel perditæ audatiæ, & animis huiuſcemodi nationis, neq; Itali, neq; Græci, neq; Hiſpani, neq; Afri, neq; alia quæuis natio obſiſtere auderet, ſed deſperata prorſus victoria ſtatim eis cederent, Imperij ſedem mortuo Maometho Sarraceni Damaſcum vrbem delegerunt. Succeſsit Maometho Caliphas. Cui Accalis, & huic Alis. Qui cum vltra modum ſuperſtitioſus videretur, nouum ei Ducem Calipham nomine ſubrogarunt, à quo Caliphatum principatum appellauerunt. Quo defuncto Maomethus alter, qui imperauit annos octo, ſuffectus eſt. Poſt quem Alis alter. Cui Abraamus. Et ne ſim longior in texenda Principum ſerie, qui Sarracenis in Aegypto, Sultani Chaldeo poſtea nomine, quod Regem ſiue Ducem nobis ſignificat: imperauerunt, proditum eſt eorum literis, ab hoc Abraamo, qui octauus a Maometho dominatus eſt, vſq; ad Gazelem vltimum Sultanorum ducem, qui apud Damaſcum à Solymano Decimo Turcarum Rege, anno ſalutis. 1520. Syria atq; omni imperio ſubactus, acieq; victus interfectus eſt, fuiſſe centum & triginta tres principes, qui per octingentos ferme & quadraginta annos, ordine ſuccedentes regnauerunt, & à Maomethi ortu vſq; ad annum ſalutis. 1557. annos fluxiſſe. 965. Sed ad Africam redeo, ob cuius Mediterranei maris oram Siciliæ oppoſitam, vnde & nobis tot clades aduenerunt, & vtinam finem habuerint, deſcribendam, hunc laborem aſſumpſi. Sarraceni, proceſſu æui Africã, quæ Barbaria hodie dicitur in quatuor Regna diuiſe rũt. Quorũ primũ, Regnũ Marocci, vltra fretũ Herculeũ ſitum, eſt. Alterũ Feſſæ. Tertium Teleſinum. Quartum vero Tunetenſium eſt. Primum Regnum in ſeptem regiones eſt diuiſum ampliſsimas, quæ ſunt. Hea, Sus, Guzula, Marocci regio, Ducala, Hazcora, & Tedle. Nomen habet a Marocco maxima vrbe, ab Atlante monte. 14. p. m. diſtante. Sarracenorum etenim moris eſt, vt Reges, & Regna denominentur ab vrbe, quæ eſt Regni Metropolis. Hãc vrbem Ioſeph filius Tesfin Regis Lõtunę cõdidit, qui primus oĩum ĩ ea factus eſt rex. Cui Hali filius ſucceſsit. Huic Abraamus eius filius. Quo Regno pulſo, Elmael regnauit. Et Hoc decedente, Abdul Mumen. Cui Ioſeph filius. Poſt quem Iacob Almanſor, qui a Meſſa vrbe, quæ in regione Sus ſita eſt, vſq; ad Tripolim in longitudinẽ, nonaginta dietũ itineris, in latitudinẽ vero ad meridiem quindecim, eius filius dominatus eſt. Potitus quoq; in Hiſpanijs eſt, Bethicæ, Portugalliæ & Valentiæ regnis. Quo defuncto

Maomethus

Maomethus Enasir eius filius succesit, qui a Christianis victus Valentiam, & Murciam amisit. Decedens liberos decem reliquit, qui cupiditate regnandi, sese mutuo interfecerunt. Extinta hac familia, Regno potita est Marin propago, quæ multos regnauit annos. Musmudi populi iuxta Atlantem ad partem eius occidentalem, & meridionalem, ac etiam Mauritaniæ montes, & cæteras huius regni regiones habitant. Alterum Regnum est Fessæ: quod ipsum quoq; septem habet regiones, nempe Temezenem, Fessæ regionem, Azagarum, Elabathum, Serrifi, quæ & hac ætate Regni titulum habet. Et Garethum, & Elcanzam. Hoc regnum incipit à flumine Omirabili, qua in occidentem vergit, terminaturq; ad fl. Muluiam orientem versus. Nomen habet à Fessa vrbe metropoli ab amne præterlabente nomen adepta, quæ post Maomethi ortum anno octuagesimo quinto supra centesimum à quodam seditioso, regnante Aaron eorum Pontifice, condita est. Tertium Telesinum regiones habet tres, Montes, Tenez, & Elgezer, incipitq; ab occasu ad fluuium Muluiam, & terminatur ad ortum ad fluuium Maiorem, & Za. & ad meridiem ad desertum Numidiæ, ad Aquilonem verò ad mare mediterraneum. Hoc regnum latinis Cæsarea est, Romanorum olim prouincia. Nomen habet à Telesina vrbe metropoli: cuius originem annales Maomethani non referunt. Habet ad oram mediterranei maris vrbes Oranum, & Gezeir, quam Hispani Alger, veteres verò Mezganam appellant, opponitur autem Balearibus insulis, quibus est vicina. Vnde & nomen Sarracenicũ ei prouenit: Gezeir etenim Sarracenicè insulas latinis sonat. Quartum regnum Tunetense est, quod quatuor habuit regiones, nimirũ Bugiã, Constantinã, Tripolim, & magnã Numidiæ partem, quam Sarraceni Ezzab vocant. Nomen habet à Tuneto vrbe, quæ hoc ordine coaluit. Deleta Carthagine Arabum pleriq;, qui sub Hucobo meruerant, labore fessi ad Tunetum eo tẽpore paruum oppidulum erectis tugurijs incolendũ cũ se contulissent, à Duce postea hortati Tuneto relicto, cum eo Caruenum sunt reuersi. At verò cum Caruenum post trecentos quinquaginta annos ab Arabum exercitu oppugnaretur: principes eius ciuitatis viri ad Bugiam vrbem salutem sibi quæsierunt: plures verò ex eis Tunetum habitarunt: in quo veluti principes dominati sunt. At cum postmodum Abdul Mumen Rex Marocci cum magno Musmudorum numero Mahdiã, quæ & Africa est vrbs, à Rogerio Siciliæ Rege prius occupatã, Guilelmi primi Siciliæ Regis tẽpore per deditionẽ recepisset, in regressu Tunetũ veniens pulsis principibus nullo labore oppidũ recepit, quod deinceps sub imperio ipsius Abdul Mumen Regis Marocci fuit, & eo mortuo sub Ioseph eius filio, ac deinde sub Iacob Almansore Marocci etiam Rege, qui Gubernatores, quos Xecos Sarraceni appellant, Tunetum mittebant. Interea Arabes, qui antè ab Abdul Mumen pulsi fuerant, reuersi Tunetum obsident. Quo Iacob Almansor cognito classem viginti onerariarum militibus instructam cum Habdul Vahidi duce strenuo eò misit. Habdul vbi Tunetum cum classe appulit, Arabes eiecit: atq; vrbem ab eisdem ferme populatam restituit, atq; ab vniuersa regione tributa compositis rebus exegit. Huic succesit Zecherias filius, qui patre ingenio, & facundia superior Arcem, & Templum erexit, & Tripolim vsq;, atq; eo longius, meridiem versus tributa exigendo excurrit. Interea mortuo Iacob Almansore cum ei Maomethus filius succesisset, & huic Ioseph germanus frater, qui postea à militibus Regis Telesini cæsus fuit: ob eamq; causam Marocci Regnũ diminutum esset: Abrahamus Zecheriæ filius, qui patri defuncto in Tunetensi Principatu succesit, Regi Marocci subijci amplius noluit, quinimo audentior factus magno exercitu cõparato Telesini vrbem Regiam aggressus expugnauit, ac sibi tributariam fecit: & cũ Marin, qui Marocco vrbem tũ obsidebat, fœdus pepigit, Tunetumq; reuersus, totius Africæ Rex ab omnibus salutatus, Regio Diademate est insignitus, ac Mulei nomine, quod Regem latinè sonat, appellatus. Quo regnante

vrbs

vrbs ipſa maxima ſuſcepit incrementa. Huic ſucceſsit Mulei Belabes. Cui Mulei Bufares. Poſt quem Manſtaſar regnauit; poſtq; hunc Ottomenus, cui Ieſaies. Quo defuncto Abedel Mumen, & deinde Zecherias ſecundus, ac poſt eum Maomethus ſecundus: cui Mulei Aſſen in Regno ſucceſsit. Is cum regno ab Ariadeno Barbaruſſa Othomanicæ claſsis Præfecto, ac Alger Principe pulſus eſſet, in ſedem rurſus à CAROLO QVINTO CAESARE anno ſalutis. 1535. eſt reſtitutus. Sed paulo pòſt cum annos regnaſſet decem & octo, ab Ameth filio oculis, & regno orbatus eſt. Quo caſu Mulei Abdimelech eius germanus frater menſe vno rerum potitus eſt. Quo mortuo Maomethus Abdimelech filius menſes quatuor præfuit. Sed hoc à Patruo regno pulſo, Ameth ipſe, qui patrẽ uiſu priuauerat, regnũ adipiſcitur, quod adhuc tenet. Poſt horum autem quatuor regnorum inclinationem, plura in Barbaria, & alia minora Regna à Tyrannis nomen ex vrbibus ſortita, vt Hipponæ, Fecis, Bugiæ, Tripolis, Biſertæ, Conſtantinæ, & pleraq; alia, ad oram Siciliæ oppoſitã ſuo ordine ſita, euecta ſunt, vnde & nobis maximæ clades prouenere. Sed his ſatis ſuperq; memoratis, tribusq; alijs Africæ partibus, nempe Numidia, Libya, ac Terra Nigrorũ merito omiſsis, ad inſtitutũ meũ, vnde nimis exceſsi, redeo. Sarraceni igitur Cõſtantio imperãte Siciliæ non modò littoralia, ſed mediterranea etiam occupantes, cuncta fœdo vaſtarunt incendio. Qua clade Conſtantius cognita Olympium Ducem, qui eo tempore in Italia eius erat Exarchus, contra eos miſit. Olympius nauali prælio cum Sarracenis congreſſus, adeo cruentam eſt victoriam adeptus, vt propior victo, q̃ victori hoſtibus abactis, inſulam ſit ingreſſus, atq; mox laborioſa pugna defatigatus paucis diebus poſtq̃ ægrotare cœpit, defunctus ſit. Pulſis Sicilia Sarracenis, ac Olympio mortuo, Conſtantius exercitum comparauit, quo Italiam à Longobardorum ſeruitute vindicare poſſet. Proinde anteq̃ Bizantio diſcederet, Conſtantino filio in imperij ſocietatem aſcito, ſecundo vento in Italiam delatus, plurima Appuliæ oppida diripuit, direptaq; ferro, & igne vaſtauit, ac diruit. Poſtea Neapolim, ac deinde Romam petijt. Cui venienti via Appia ad ſextum lapidem Vitellianus Ro. Pontifex cum clero, & magna parte populi obuiam prodijt. At Cõſtantius vrbem ingreſſus, quinq; diebus auguſtiſsima vrbis templa accuratiſsimè inuiſendo, ac omnem eorum apparatum tacitis luminibus luſtrando conſumptis, ad eam ſpoliandam conuertitur: vbi quicquid antiqui operis ex ære, & marmore fuit, & quicquid oculos delectare potuit, ſublatum, aut vi reuulſum ad naues deferri iuſsit, vt plus ornamentorum vnus ſeptem dierum ſpatio vrbi detraxerit, quàm per ducentos & quinquaginta octo annos Barbari diripuerint. Vrbe deinde hoc pacto deformata, Pantheonis verticem argento, quo templum erat coopertum, ſublato, plumbo veſtiuit, ac duodecimo die poſt quam Romam venerat, illinc digreſſus, Neapolim primùm, deinde Siciliam tranſijt, ſubſtititq; Syracuſis eo animo, vt Conſtantinopolim inde traijceret, atq; ea omnia Romana ornamenta ſimul & ingentem Siculorũ prædam illuc aſportaret. Syracuſis cum ſextum annum ageret, & auarè, nec maiorum more, aut iuris forma, ſed Tyrannicè ex Siciliæ vrbibus tributa exigeret, multi non ſolùm fortunis, ſed etiam vxoribus, & liberis ſunt ſpoliati: qui obærati a parentum complexibus diuellebantur. Vnde in odium ciuium meritò traductus, dũ molliter & libidinosè in Balneis Daphnes lauaretur, ſaponeq; Gallico delineretur, ab Andrea Troyli filio, cæterisq; ſuis domeſticis feruenti ſitula in verticem eius iniecta excerebratus occubuit, anno ſalutis ferè. 670. Eo interfecto, & ſepulturæ ibidem tradito, exercitus Mezentium genere Armenium, qui diu ſub Conſtantio militauerat, & mortis quoq; eius author fuerat, ſuffecit, Imperatoremq; ſalutauit. At Conſtantinus filiorũ Conſtantij natu maximus, qui Bizantij eo abſente Imperium adminiſtrabat, morte patris audita confeſtim ad opprimendum Mezentium in Siciliam magna claſſe venit. Vbi non diu moratus ſua humanitate

non

non tantùm copiarum, quæ illic tunc erant, verùm etiam omnium ciuitatum animos in sui amorem conuertit. Deinde sexto vix ab occupato Imperio mense, Mezentium, qui ad conciliandos sibi militum animos impigrior fuerat, cum superuenientibus ex Africa, & Italia copijs adortus interficit. Occiso Mezentio, & omnibus paternæ cædis conscijs, Augusti nomen apud omnes promeruit. Postmodum compositis Siciliæ, & Italiæ ciuitatum rebus, Cõstantinopolim cum Romanis ornamentis redijt. Vbi quia imberbis in Siciliam profectus, barbatus redijsset, Pagonatus est appellatus. Interea Sarraceni, qui Aegyptum incolebant, cognita Constantij morte classem occultè comparant, Thraciam, & Græciam inuasuri. Sed cum ibi omnia pacata comperissent, consultò in Siciliam Constantij, & Mezentij adhuc motibus agitatam nauigant. Syracusas igitur perpetuo cursu delati subita vi, nulloq; præsidio munitam vrbem capiunt, cædem maximam edunt, Syracusanam, omnemq; etiam Constantij gazam in naues imponũt, atq; ita opima præda onusti Alexandriam, vnde discesserant, repetunt. Nam in Sicilia tutò esse ob Italiæ propinquitatem, & Aegypti distantiam non confidebant. Subinde Imperante Leone Isauro Sicilia Sergij Præfecti opera à Leone desciuit, quam non multo negotio ipse ad officium retraxit. Verùm non magno pòst interiecto tempore Carolus Magnus Leonem tertium Pontificem Romanũ à populo, & Principibus Romæ pulsum cum in vrbem restituisset, & à Pontifice ipso Imperij diademate cum assensu, atq; applausu populi Ro. donatus esset, atq; ita occidenti summi imperij dignitas, quæ trecentis & triginta antè annis fuerat amissa, & iam nimia vetustate obliterata, velut postliminio restitueretur, pacem ab Irene Imperatrice Constantinopolitana ante præscriptam cum Nicephoro cognomento Thoxia Constantinopolitano Imperatore renouat. Cui diuiso in duas partes imperio, Sicilia omnis cum Calabria, & Appulia, reliqua verò Italia Carolo cessit, ad annum salutis vsq; circiter octingentesimum. Quo ferè tempore Sarraceni quatuor tum primum Principes, quos Admiratos vocabant, habere cœperunt. Quorum vnus Aegyptum, & Africam occupauit. Duo Hispanias inter se partiti sunt, quarto Palestinæ, ac Syriæ loca obuenere. Post mortem Nicephori Sicilia Stauratio, & eo decedente Michaeli Curopalato, ac deinde Leoni Armenio Constantinopolitanis Principibus paruit. Quibus Michael, cui ob linguæ vitium Balbi cognomen obtigit, successit anno sal. ferme. 812. Hoc imperante Sarraceni, qui Africam tenebant, nouarum rerum auidi confertissima classe contra Siciliam mouent: primumq; littoralia omnia vastant, atq; incendunt. Panormum vrbem occupant, atq; inde mediterranea etiam complura oppida populationibus quotidie agitabãt. Qua de re dũ ab incolis vltro citroq; missis Legatis Principes Christiani inter se de suppetijs cõsultant: Bonifacius Corsicæ Comes ingentis vir ingenij Siculorum damnis obuiaturus, cum Fratre Bertario, & auxilijs quorundam Ethruriæ Comitum, vltro educta classe in Africam traiecit: eo animo, quo olim Agathocles, & Scipio Libyam peruasere, vt videlicet dum ipse hostes domi lacesseret, illi relicta Insula, labanti patriæ succurrere cogerentur, ne dũ alienis inhiant, sua deseruisse viderentur. In Africam itaq; delatus, Vticæ, ac Carthaginis agros primùm rapinis, & incendijs percurrit. Ad cuius facti nuntium cũ Sarracenos innumeros ad obsistendum obuios haberet, eos impetu ferocissimo fudit, fugauitq;. Cumq; illi quater bellum reparassent, quater inter Carthaginem, & Vticam cum eis congressus, tantam hostium edidit stragem, vt eorũ Rex suos, qui Siciliam occupauerant, ad ferendam Africæ laboranti opem reuocare compulsus sit. Eoq; modo Sarraceni, Panormo, & tota ferè insula deserta domum rediere. Bonifacius verò cum classe victrici, & ingenti præda onustus, consilij sui euẽtu lætus, victor in Corsicam redijt. Michael Imperator recepta Panormo, & Sarracenis passim omnibus insula pulsis, Siciliam magno militũ, quibus Euphemiũ

genere

genere Græcum, virum & militia, & nobilitate insignem præfecit, præsidio muniuit. Rerum vero administrationi alium quendam prudentia, iustitia, alijsq; egregijs virtutibus decoratum cuius nomen scriptores Græci non exprimunt, Exarchum constituit. Anno vero proximè sequenti sedatis domi motibus, & quiete subitò ab armis parta, Sarraceni rursus cum numerosa classe Ducem Sabbam cõtra Siciliam expediunt, eamq; multa circùm obsidione cingunt. Michael nuntio noui tumultus audito confestim & ipse classem contrà parat: cui Theodosium Præfectum dedit. Hic copijs, quas è Græcia adduxerat, non adeo confisus ad Venetos se cõtulit, a quibus sexaginta alias triremes impetrauit. Quibus auctus, erectiori etiam ob copiarum fiduciam animo, in Siciliam nauigat. Sabba cum primùm Theodosij classem Adriatico mari emensо in sinum Tarentinum flectere cognouit, siue metu ductus, siue quia rebus suis conducibilius id iudicauit, à Sicilia soluens ad Crotoniatarum littora celeri cursu classem duxit: ibiq; ad certamen tandem vel inuiti duces concurrere. Vbi fractæ sunt eo prælio & fugatæ Christianorum copiæ, Venetorum vero naues ferè omnes vel mersæ, vel captæ. Theodosius, suis etiam, quas è Constantinopoli adduxerat, triremibus amissis, vix salutem fuga sibi soli repperit. Sabba tam celebri elatus victoria in Dalmatiam propinquã exercitum duxit. Austense oppidum vi captum diripit. Naues Venetorum plures mercibus onustas è Syria reduces forte fortuna ibi inuentas intercipit, hominesq; omnes in eis repertos ad vnum trucidat. Posthęc Anconam vi expugnat, spoliat, & incendit. Atq; inde tot victorijs clarus, prædisq; ditatus neglecta Sicilia in Africam reuersus est. Sed non hic ideo Sicularum calamitatum finis fuit. Eodem nanq; Michaele imperante eadem illa Sarracenorum colluuies grauiori longè, ac deliberatiori vi Siciliam aggressi, eã totã sibi armorum sæuitia subiugarũt. Quã postea triginta ferme supra ducẽtos annos cũ magno nostrorũ dedecore tenuerunt. Quæ quibus initijs, quoue ordine gesta sint, hortatur locus, vt explosо prius falsо tantæ rei gestæ rumore recensеamus. Fabulosa planè, ac ridicula quædam opinio multis antè seculis continuata Siculos habuit, Georgium Maniacem Constantinopolitani Cæsaris in Sicilia Præfectum per proditionem à fide abductum, Insulã sibi occupasse, & in ea omnium primũ Barones, ac Comites creasse, cuius vtperfidiam Cæsar vlciscеretur, se mortuum mentitus, vxorem, vt ad nouas nuptias Maniacẽ inuitaret, effinxerit, vnde Maniaces imperij potius, q̃ vxoris cupidine allectus, Constantinopolim concesserit, filium interim in Sicilia Præsidem hac instructum cautela relinquens, vt si fraus subesset, Sarracenis, qui sunt in Africa insulam statim dederet, atq; ita Maniacem apud Constantinopolim captum proditionis pœnas luisse, filium verò, vt imperatum sibi fuerat, confestim ascitis magno numero ex Africa Sarracenis Siciliæ imperium eis tradidisse. Hæc opinio adeo vulgata apud Siculos, in omnium animis ita altè radices egit, vt si quis eam conuellere conetur, Aethiopem prius dealbaturus sit, q̃ eos à sententia abducat, præsertim quòd eam antiquissimis annalium monumentis & capitulorum Regni authoritate confirmatam habeant, quæ non imperitos tantùm, sed & me ipsum diu hoc errore suspensum tenuere, donec veritatis perueſtigatione intentior, apud Egnatium primò inueni Sarracenos Michaele Balbo imperante Siciliam inuasisse: Georgium verò Maniacem post multos à Michaele annos sub Constantino Monomacho, floruisse, atq; Sarracenos è Sicilia pepulisse, primum inueni, Cuius sententię cum diligentius inhærerem, quòd solus hic contra Siculorum opinionem dissentire videretur, auxit meam dubitationem plurimum, quod Scriptorum tam Græcorum q̃ Latinorum, qui Cæsarum vitas memoriæ prodiderunt, nullus repperiretur, qui hanc de Maniace, Imperatore, & Imperatrice a Siculis relatam historiam referret. In ea igitur hæsitatione diu versatus, cum anno salutis. 1552. apud Neetum essem, eam Ioanni Deodato Erigentini Domino totius antiquitatis

quitatis ſtudioſo aperui. Is non modo mihi adhæſit, ſed adiecit, Antonium Minturnum, Græcæ,& Latinæ eruditionis præſtantia inſignem, Meſſanæ ſibi librum Græcæ ex Saluatoris cœnobio tranſcriptum oſtendiſſe, cuius author de geſtis Maniacis vberrime diſſerebat. Hæc vbi accepi, incredili affectus ſum lætitia, quod haberem vnde veritatem inueſtigare poſſem. Meſſanam itaq; petij, & cum fruſtra in bibliotheca Saluatoris librum inueſtigaſſem, Ioannis Vegæ Siciliæ Proregis, aliorunq; procerum epiſtolis, à Minturno, qui tum Neapoli cum Duce Montis Leonis agebat, libri exemplum incaſſum etiam popoſci. Demum cum diutius ingens illud deſiderium meum ſufferre non poſſem, ad induſtriam me conuerti, qua tandem Minturnus quicquid ille author de occupata a Sarracenis Sicilia, & Maniacis rebus geſtis in eo volumine congeſſerat, e Græco in linguam Italicam mihi vertit, tranſmiſitq;. Quod ad manus meas cum delatum eſt, ſtatim vidi & legi, & quidem ſimul omnia, adeo cupide, vt prius ad calcem vſq; illud perlegerim q̃ repoſuerim. Vbi & quæ Egnatius paucis de Maniace attigit, & Siciliam non duce Maniacis filio à Sarracenis occupatam fuiſſe, author ille (cui Ioannes Curapalatus eſt nomen) pluribus memorat. At cum de ipſo fonte hiſtoriam cuperem, rurſus Minturnum rogo, vt totum volumen græce mihi tranſcribatur, ſed votis meis cum ille non reſpondiſſet, mira tũ anxietas animo meo inſedit. Interea anno ſalutis. 1551. cum Ad propugnacula vrbis Meſſanæ exſtruenda Saluatoris Cœnobium deletum eſſet, & Sacerdotes illius intra mœnia cum ſacra ſupellectili ad ædem Miſericordiæ ſe recepiſſent, Fratri Bartolo Myli priori dominicano ſcripſi, vt diligenter inſpecta Saluatoris bibliotheca, ſi græcum codicem, aliquid de Sicilia tractantem, reperiret, me certiorem redderet. At ille inter vaſa ipſa ſacra ingens volumen græce ſcriptum, ac formis rerum geſtarũ auroq; ornatũ, quadringentorum aureorum pretij, in quo plura de Sicilia memorabantur, reperit. Quod cum ego accepiſſem, etſi neq; libri authorem, neq; res geſtas, quæ in eo ferrẽtur, pro comperto haberem, quaſi diuinarem, reſcripſi, vt reperto Græco librario, totum mihi volumen, (quodcunq; illud eſſet) exſcriberetur. Quo ſex menſium ſpatio exarato, & ſcriptori pretio perſoluto, ac demum ad me delato, perſpectoq; huiuſcemodi illius titulo. Compendium hiſtoriarium a Morte Nicephori imperatoris, vſq; ad imperium Iſacij Cõmenij conſcriptum a Ioanne Curopalato, filio Magni Druſgarij villæ Ciliciæ, ſtatim cognoui eum ipſum eſſe librum, quem deſiderabam, vnde & Minturnus opuſculũ, quod mihi trãſmiſerat & Egnatus ſuam epitomen excerpſerat. Quod adeo meũ impleuit animum, vt in eius lectione multorum dierum operam collocarim, vbi & Siciliæ a Sarracenis occupationem, & Maniacis veras res geſtas, ac Siculorum fabuloſam de illo opinionem liquido cognoui. Fuit autem Ioannes Curopalatus Druſgarius, Ville Ciliciæ, quæ dignitas eſt. Floruit autem ætate Pſelli philoſophi, & Iſacij commenij. Habet igitur Sicilia ſuæ occupationis à Sarracenis, & Maniacis veram ſuo ordine hiſtoriam, Græcis iam pridem cõmendatam literis, noſtrisq; hominibus hucuſq; incognitam, ſed poſtliminio mea induſtria, ac labore reſtitutã, quę eſt huiuſmodi. Euphemius, quẽ Michael in Siciliã poſt pulſos inde Sarracenos cũ magna militum manu (vt præmeminimus) Præfectũ miſerat, rerũ ſucceſſu, quæ plerunq; mortaliũ mentes ab honeſto, veroq; diuertunt, ad libidinem procliuior, virginem quandã non ignobilis proſapiæ ſacris dicatam effictim deperibat. Quam cum ad libitum habere nequiret, è periſtilio rapere decreuit. Animos illi ad ſacrilegum facinus Michaelis exemplum faciebat: qui veſtalem & ipſe virginem Bizantij ex æde ſacra raptam ad ſtuprum ſibi pertraxerat. Quocirca carere ſe culpa exiſtimabat, quòd Imperatoris æmulatione commiſiſſet. Itaq; aſſumpto proteruo, audaciq; ſuorum militum ſatellitio ſacrum inuadit, ac contemptis legibus puellam reluctantem ad obſcœnos voluptatum ſuarum ignes explendos extraxit. Erant huic virgini

germani

Digitized by Google

germani fratres duo. Hi visa ante oculos tam detestanda suæ stirpi illata iniuria non tacitis gemitibus, sed editis vocibus bacchantibus similes in fori conspectu, Hexarchi fidem, ac ius, populiq; auxilia implorant, vt violatam pudicitiã, publicã iniuriam, ac Dei opt. Max. contemptum vlciscantur. Quorum querelæ tametsi Hexarchi, ac plebis animos ex se ad vindictam satis procliues iustitiæ accessione, quæ quæstionem manifestam condemnabat, magis accenderẽt: tanta tamen erat Euphemij potentia, vt neq; Hexarchus ius dicere, neq; populus irruere in eum auderet. Germani ea impunitate desperati, Cõstantinopolim aduolant, Michaeli sceleris immanitatem proponunt, legum conculcatarum pœnas à nocente deposcunt. Michael etsi pari impietate fœdatus esset, ad seueritatem tamen, fœdæq; æmulationis vltionem propensior, acerrimo, funestoq; supplicio stuprum vindicandum Siciliæ Hexarcho committit, nimirum vt Euphemius in vincula coactus primùm naribus præcisis tota vrbe traducatur, mox sic compositus, ac deformis fœda etiam morte plectatur. Reus vbi pro facilis veniæ spe excandescentem Michaelis in se animum, exitiumq; decretum, nec vllam euadendi supplicij viam, nisi in solis armis sibi repositam per amicorum literas cognouit, contra Cæsarem iniquæ proditionis cornua erigere, & Siciliam sibi occupare, hostemq; tollere, q̃ vltorem experiri maluit. Itaq; militibus, quorum animos beneuolentia sibi multo antè deuinxerat, ad concionem vocatis, Michaelis Cæsaris, Præsidisq; contra eos insidias confingit, quibus in odium pertractis, Tyrannum vt occupent, ac publicam libertatem communibus armis vendicent, hortatur. Nec verò difficilem se ad seditionem milites præbuere, sed repentino in Hexarchum impetu feruntur. At ille vbi se ab exercitu concluſum vidit, periculo sese, quod vitare non poterat, per medios hostium globos ferro secessum molitus, erumpens aufugit, salutemq; extra Siciliam quæsiuit. Fugato Hexarcho Euphemius protinus ab exercitu Imperator salutatur: Siciliamq; paucis tantùm vrbibus contradicentibus sibi occupat. Cæterùm cum vires ad bellum, quod sibi à Michaele, (vt par erat credere) parabatur, sustinendum non sufficerent, Scythamarcharum consilio à Sarracenis, qui Siciliæ proximi Caruenum vrbem eo tempore præpotentem incolebant, quando Tunes tunc paruũ oppidum non dum Regni titulum habebat, auxilia petere statuit. Regnabat eo tempore in Carueno vrbe Abraamus Halbi, cuius origo, vt Annales Sarracenorũ produnt, ad Elagleb per. 170. quibus eius propago in Carueno regnauerat annos, refertur. Ad hunc igitur Euphemius nuntios ad petenda belli subsidia hac lege misit, vt ipse Græcorum, qui Romæi eo tempore nuncupabantur, Imperator, Sarracenus verò totius insulæ Rex esset. Placuit Abraamo Euphemij legatio. Quo circa nihil cunctatus, classem ingentem quadraginta Sarracenorum milibus instructam, cum Halcamo Sarraceno viro militia strenuo, in Siciliam misit. Is è Susa maritimo Caruen Emporio soluens, prospero vento Siciliam non longè a Mazara post triduũ applicuit. Vbi cũ sine hostiũ obstaculo armatos ad littus exposuisset, classem combussit, vt Sarraceni sublata spe in Africã redeundi, strenuè, fortiterq; pro se, suisq; contra Siculos pugnarent. Selinuntem igitur, quã Sarracenice Biled el Bargoth, quod terrã pulicorũ latine sonat, (sed qua causa incertũ) appellarunt, primum omnium adorti, non multo labore expugnarunt, ac oppidanos, captos, quo metum cæteris Siculis incuterent, æneis vasibus igni suppositis coxerunt. Cuius immanitatis fama adeo Siculi sunt deterriti, vt ad deditionem faciendam vltro plures ciuitates mortis metu præuenire hostem festinantes confluxerint. Subinde Halcamus ijs initijs fœliciter gestis, vt haberet, quo se a Siculis aliquando tueri posset, locum natura munitissimum ad sui munimentũ deligens in mõte excelso, ac vndiq; pciso (cui Bonifato nomẽ est) oppidũ, & arcẽ (vt Annales

Maomethani, & Ioannes Leonis in ſua Africa teſtantur) condidit, ſuo illi indito nomine, quod adhuc Alcamus appellatum extat. Verum cum paulo poſt, Siculi reſumptis viribus Alcamum ducem, & oppidum dure obſiderent, Abraamus Caruen Rex Ingentem Sarracenorum exercitum coegit, cui Aſed Benforat, virum ſtrenuum ducem præfecit, atq; in Siciliam ad ſuis auxiliandum miſit. Qui Siciliam traijciens, Alcamum petijt, quod non ſolum ab obſidione liberauit, ſed cæteras inſulæ vrbes fœlici victoriæ curſu adeptus eſt. Euphemius interea Græcorum Imperator ab omnibus (præter paucas) vrbibus ſalutatur. Porrò affuit illi non multo poſt grauis vltio. Nam cum Imperatoria inſignitus inſula terreſtri itinere magnam Siciliæ partem tranſcurreret, Syracuſas, quæ vrbs cum aliquot paucis in fide adhuc Michaelis ſe continebat, venit. Vbi exercitu non procul ſimul & milite, quo ad tutelam ſui corporis vtebatur, dimiſsis, cum ciuibus ſumma adeo familiaritate colloquium affectauit, ac ſi nihil vnq̃ Siciliæ, aut Siculis nocuiſſe videretur: inſidiarumq́; ac fraudulenti conſilij metu prorſus ſolutus, vrbis ingreſſum, ac Imperialis tituli confirmationem tantummodo expetijt. Erant eo tempore Syracuſis germani fratres duo militia, & nobilitate inſignes, cum quibus antea etiam neceſsitudinem habuerat. Hi occaſionem velut cœlitus datam amplexi, ſacrilegium, ſeditionem, ac Chriſtianæ religionis, Michaelisq́; iniurias, tanq̃ commune probrum vlciſci, ipſumq́; flagitioſiſsimum hominem de medio tollere conſtituunt. Firmato itaq; inter ſe mutuo conſilio, cum ab eo poſtridie & ipſi cum alijs familiarius ad colloquium exciti, hominis cupiditatem, precesq́; ſceleribus indignas, atq; perfidas pollicitationes diſsimulantius excepiſſent, petentisq́; ſtudium collaudaſſent: Euphemium, qui eorum promiſsis, ac fictis acclamationibus plus ſatis confidens in eorum complexus corruerat, inter ipſa blandientis verba eius cæſarie apprehenſa ſtricto ferro confoderunt, ac ſubinde exanimem, cruoremq́; manantem obtruncant, caputq́; in vrbem propè regreſsi palo fixum per vicos traducunt: corporis reliquijs inter equorum calcantium pedes deſertis. Ita Syracuſana virtus de Sacrilego tandem pœnas ſumpſit, cuius ceruicem poſtea Conſtantinopolim ad Michaelem Balbum in patratæ vltionis ſignum tranſmiſere. Interfecto Euphemio Sarraceni coactis viribus Siciliam omnem præter Syracuſas, & Taurominium, quę nec ad deditionem induci, nec vi ita facilè expugnari poterant, ſibi facilè ſubiecere. Sergius Romanus Pont. famam tantæ cladis miſeratus Ludouicum ſecundum occidentis Imperatorem ad Sarracenis in Sicilia occurrendum hortatur. Ille vel quòd gentis efferæ vires expaueſceret, vel quòd parum orienti faueret, in Michaelem, cuius Sicilia erat ditionis, omne expeditionis onus reiecit. Michael interea à Venetis amicis auxiliares copias ad Siciliam repetendam petijt. Iuſtinianus Venetorum Dux Michaeli gratificaturus cum Senatu egit, vt claſsis valida pro eius ſuppetijs ſtrueretur, quæ poſtq̃ cum Theophilo Balbi filio in Siciliam appuliſſet: Sarracenis in Sicilia mirum in modum prævalentibus, Veneti temere congredi recuſauere, atq; ita re infecta, imo intentata, Venetias vna rediere. Defuncto poſt octauum ſui Imperij annum Michaele, Theophilus filius in Imperium ſuffectus, cum annos duodecim rebus præfuiſſet, bisq́; cum Sarracenis Aſiæ prouincias vaſtantibus congreſſus, bis ab eis in prælio victus, caſtrisq́; exutus fuiſſet, Siciliam vlterius repetere nequijt: ſed paulo poſt, & ipſe viuere deſijt. Quin & Michaele eius filio infante, quem Michelottum appellabant, ſub tutela Theodoræ matris, & Principum virorum relicto Imperio ſuccedente, Tutores animum ad Sarracenos Græcia, & Sicilia expellendos fruſtra applicuerunt. Michelottus cum. 14. annos regnaſſet, quorum tres cũ Theodora matre, quam monaſterio poſtea incluſit, abſoluerat, Baſilium Macedonem conſortem Imperij aſciuit, à quo mox occiſus eſt.

Baſilius

Basilius verò cæsi Michaelotti in Imperio successor, quo Sarracenos Sicilia, & Græcia abigeret, fœdus cum Rege Francorum, & Romanorum Pontifice iniit, classem ingentem instruxit, cui Nicetam patritium cognomento Orisam virum genere, & militia præclarum præfecit. Is cum pluries iam antea cum Sarracenis, qui ex Creta excurrentes Peloponnesum, vicinasq; insulas populationibus vexabant, dimicando superior extitisset, eos etiam, qui Barum Appuliæ vrbem tenebant, strenue superauit, atq; vrbem ab eis recepit. Insuper & Sarracenorũ Pręfectũ, quem Sultanum appellabant, ardentissimo cursu insecutus cepit, eumq; cathenis vinctum Regi Francorum misit. Qui cum singulari prudentia esset præditus, à Rege benignè exceptus, inter acerbissimos rerum casus clementissimam eius humanitatem expertus est. Verum etsi tantis apud Regem honoribus esset exceptus, seruitutem abhorrens, fraude Punica præparatam fuga libertatem sibi quæsiuit. Basilius post hæc Nasarem bello clarum contra Sarracenos, qui Græciam populabantur, magna classe instrúctum destinauit. Is cum hostes victos, fugatosq; Peloponneso expulisset, in Italiam contra eosdem venit. Vbi cum Procopio Protobestiario, & Leone Apostypa terrestrium Basilij copiarum Ducibus, iunctis viribus classem Sarracenorum, quæ tum ex Africa eò traiecerat, vicit, fugauitq;, & plura Calabriæ, & Appuliæ oppida, multasq; arces hostium præsidijs munitas recepit, partaq; victoria Constantinopolim repetijt. Quo discedente cum Procopius, & Leo contra Sarracenos fortiter pugnarent, & Leo, qui dextro classis cornu præerat, victor euasisset, Procopio, qui sinistrum ductabat, succumbenti ob veteris inuidiæ, ac pristini odij memoriam, cum posset, non succurrit. Quo circa licet ille strenuè se defenderet, tandem occubuit. At cum Leo sui sceleris immanitatem, nouo aliquo egregio facinore apud Basilium abolere vellet, Tarentum vrbem à Sarracenis occupatam magna vi cepit, diripuitq;. Non tamen Basilius ea fortuna adduci potuit, quin tanti criminis debitas pœnas victori irrogaret, eoq; non solùm eum Præfectura priuauit, sed & in exilium perpetuum misit. Post hæc Sarraceni cum res Italiæ, & Siciliæ Basilio subiectas immunitas, expugnatuq; faciles cernerent, nec vllam Basilius classem paratam haberet, classem ipsi ingentem in Africa extructam militibusq; completam contra Syracusas vrbem mittunt: ignominiosum sibi fore arbitrati, si ad reliquam iam ferè Siciliam à se conquisitam Syracusas vrbem eo tempore Regiam non adiungerent. Itaq; eorum classis littori Syracusano appulsa militem omnem in terram exponit, qui agros omnes incursando, populando, incendendoq; vix tutum in ipsa vrbe incolatum fecerat. Basilius per suum ibi Ducem de hostium classe certior factus, naues & ipse contrà parat, omniq; commeatu instructas Adriano viro patritio committit in Siciliam ad Syracusas tutandas deuehendam. Sed Adrianus Constantinopoli soluens Peloponnesum prospero vento ad Hieracis portum applicuit. Vbi cum quieto mari posset remis in Siciliam traijcere, auram secundam expectans, diutius moratus est. Interea Sarraceni terra, & mari Syracusas primùm obsident, deinde vrbem inuadentes summa vi oppugnant. Syracusani contrà acerrimè pro se nitebantur, hostemq; à mœnibus propulsabant, Sarraceni pro præda, pro Imperio, Syracusani pro vita, pro libertate, pro religione certabant, omnis ætas, omnis ordo, sacri, prophaniq;, fœminæ, pueri, senes tela ministrabant, lapides, ignes, sulphur, oleum incendiarium, picem liquefactam in Sarracenos mœnia subeuntes præcipitabant. Vbi Hocobus Sarracenorum Præfectus strenuè pugnans cum multos Christianorum interemisset, tormento ipse traiectus occubuit. Cuius Sarraceni morte in furorẽ potius, q̃ terrorem versi, nube telorũ iniecta Syracusanos paulatim loco submouẽt. Subinde in suprema muri euadẽtes, cũ

loco ſuperiores eſſent, ſaxa ibi magno aggere aceruatim inuenta, in Syracuſanos ſubeuntes proijciebant. At illi vulnerum obliti, & ne mortis quidem memores, adeo in tela ruebant, vt cum neq; muri, neq; ſuperſtantes Sarraceni armati arcere eos valerent, gladijs comminus ad bellum deuenerint. Cumq; Sarraceni numero, & viribus ſuperiores eſſent, ſtrictis pugionibus temerariè incurrentes transfodiunt, plures in ſubter patentia mœnia deijciunt, totoq; reuulſo agmine tandem vrbis portam infringunt, in vrbem irrumpunt, ſtragemq; ingentem per domos, & vicos non ſine miſerabili mulierum, puerorumq; incolarum vndiq; ploratu, edunt. Ipſi verò ſpe prædæ, & victoria alacres, cum immenſo ſtrepitu armorum, cantu, vlulatuq; patrio, eo ferocius in obuiorum Chriſtianorum corpora ſæuiebant, quo ciuium fletus audiebant. Mox è claſſe portum ingreſſa, milites accedentes quod reliquum erat vrbis, miſere direptum, populatumq;, demum ferro, & igni conſumunt. Ita præclara, atq; inſignis illa ciuitas multos per annos Barbaris dominata corruit, & in Sarracenorum Imperium Adriani ignauia ceſsit. Capta vrbe Sarraceni collectis ſuorum cadaueribus Hocobo magnificè parentarunt, atq; cœnotaphio illi inſigni dicato vrbem ſibi munierunt. Captæ vrbis eodem ferme die tantæ cladis ad Adrianum, dum ſatis nimis in Hieracis portu præter diligentis Ducis officium temerariè ſibi indulgeret, miro hoc modo notitiam permanaſſe Græcorum monumentis traditur. Eſt locus in Peloponneſo Hieraci portui vicinus Elos grecè, quod Palus eſt latinè, dictus, vbi & claſsis Adriani in ſtatione ſtabat. Ibi eius regionis paſtores nullo nuntio accepto, pridie Syracuſas vrbem à Sarracenis captam, ac dirutam palàm prodiderant. Quos cum Adrianus vnde id reſciſſent, interrogaſſet, atq; à Dæmonibus in ea palude habitantibus ſe cognouiſſe reſpondiſſent: cum paſtoribus ipſe ad paludem acceſsit: coramq; quod relationi non crediderat, proprijs auribus per paſtores rurſus percontatum ex Dæmonum reſponſo accepit. Nec diu pòſt Græcorum nonnulli, qui fuga cladem euaſerant, nauigio Peloponneſum appulſi rem omnem, diemq; cum prodito à Dæmonibus indicio confirmauerunt. Quo perculſus ſtatim inde vt venerat, Bizantium regreſſus, verituſq; Baſilij iram, ad templum maximum, veluti ad aſylum profugit. Vnde extractum, & flagellis cæſum, in exilium Baſilius tandem eum relegauit. Sarraceni captis, incenſiſq; Syracuſis iam tota Sicilia, præter Tauromininm potiti, liberè per inſulam diſcurſantes quicquid vrbium, oppidorum, locorũq; in Sicilia repererunt, incendijs, præter Panormũ fœdarũt. Ea nanq; vrbs quòd delitijs affluat, ab eis in Regiam eſt delecta. Ex quo tempore præclaris & intra, & extra mœnia ædificijs, quorum quædam ſpectatu digna adhuc extant, regijsq; opibus aucta, fuit deinceps tota Sicilia populi frequentia, & Regum præſentia non ſolùm maxima, ſed Princeps, & regia. Inde poſtmodum Sarraceni & terra, & mari excurrentes non modo Siciliam omnem, ſed & Calabriam, Appuliamq; ad Peloponneſum vſq; deprædantes populabantur. Porrò Baſilius eorum inſolentiam reprimere ſtudens magnam militum manum ex Macedonia, & Thracia delectam, Duce Stephano Mazentio contra eos emiſit. At Stephanus otio deditus, & voluptati, traiectoq; in Venerem ſtudio, cum nihil ſtrenuè eo bello peregiſſet, Præfectura priuatus eſt. Cuius loco Nicephorus Phocas genere nobilis, & bello clarus Nicephori Imperatoris auus à Baſilio ſuffectus ſpecioſiſsima ſibi contra Sarracenos victoriarum monumenta, ac titulos peperit. Nam cum primùm eos ſuperatos Italia depuliſſet, Manteam, Tropeam, Sanctam Seuerinam, ac plura alia oppida vi militari ab eis recepit. Et cum pluries foris eos bello profligaſſet, ac domuiſſet, in Sicilia velut relegatos eos viuere, eiusq; terminos ſine diſcrimine non exire, compulit. Huic ab Appulis, quod non à Sarracenis modo, ſed ab

exteris

exteris etiam conductitijs militibus, qui in seditionem acti, multos in Appulia vi captos in seruitutem redegerant, secunq; ad Ifiridem euehere decreuerant, eos liberauerat, tantum magnificentiæ tributum est, vt ei templo extructo diuinos etiam honores persoluerint. Perseuerauit in Italia hæc eo authore cum Sarracenis quies, vsq; ad Constantinum Leonis filium & Basilij nepotem cognomento Porphyrogenetum. Defuncto Basilio cum Leo eius filius in imperium patri succesisset: Sarraceni in Sicilia magna vi Tauromínium aggressi dura aliquandiu obsidione cinctum, maxima demum ciuium strage, ac calamitate, capiunt. Leone decedente, & Constantino eius filio septenni, quòd per ætatem tantæ rerum moli non videretur idoneus, sub tutoribus cum Zoe matre imperante, Sarraceni ingenti classe soluentes, Italiam iterum nullo obsistente, igne, & ferro fœdissimè vastarunt. Quod vbi Constantinopoli nuntiatum est, cum iam tum in Bulgares bellum renouatum esset, cognoscentes non posse se vno tempore orientalibus simul, & occidentalibus Sarracenis obsistere, cum Sicilienſibus pacē inire statuerunt. Præerat eo tempore in Calabria Constantini nomine Eustathius ex aulicis Imperij vnus, vir impiger animo, & ad res componendas maximè idoneus. Huic negotium pacis cum Sarracenis committitur. Quam ille iurisiurandi firmitate, ac annuo vigintiduorum milium aureorum tributo Sarracenis a Constantino persoluendo facilè impetrauit. Pace composita Ioannem Mazalonem virum domi nobilem Constantini tutores Calabriæ præfecerunt. Qui cum auarè, ac crudeliter prouinciam susceptam administraret, à Calabris occisus est. Quo interempto, Calabri Landulfum Longonbardorum ducem, & principem non armis modo, sed & liberalitate, clementiaq; conspicuum, qui tunc temporis Capua, Beneuento, & pluribus alijs Sannitibus, ac Appulis vrbibus præerat, sibi dominum (spreto Constantini pueri Imperatoris imperio) elegere. Interea Lecapenus nomine, & origine Romanus, licet sordido loco natus, Leonis olim classis Præfectus vnus tutorum Constantini, data puero Helena filia in vxorem, & Zoe matre per arma, dolumq; electa, imperij socius à Constantino per vim asciscitur. Igitur imperij initio contractis viribus, & frequenti copiarum robore terra, & mari comparato amissæ Calabriæ iniuriam non in Landulphum modò, verùm in omnes Longobardos vlciſci statuit, prius tamen prudētia vsus, Cosmam Thessalonicum virum patritium, & titulis etiam apud Landulphum celebrem ad eum mittit, qui ad Calabriæ restitutionem, & fœdus secum ineundum Principem hortetur, ni hostiles vires in suam perniciem experiri velit. Landulphus etsi primùm nonnihil rem detrectare videretur, paulo post Cosmæ consilijs acquiescens, & Calabriā restituit, & pacē cū Constantino, & Romano habuit. Post hæc Simeon Bulgarorum Princeps, qui pluries ex Constantinopolitanis victoriam retulerat, fœdus per nuntios cum Fatlo Sarracenorum Africæ Principe contra Imperium oriē tale tentat, vt classem Fatlus ingentem contra Constantinopolim instruat: dum ipse terrestri exercitu per Thraciam Græciam peruaderet: atq; ita terra, & mari vrbem durissimè obsiderent, qua capta, diuisiq; inter se spolijs, imperium penes Sarracenum esset, & ipse ad propria victor remearet. His conditionibus illectus Fatlus assensum præbuit, fœdus cum Simeone inijt, quod vt firmaretur, plures ex nobilibus Sarracenis cum Bulgaris nuntijs domum redeuntibus, ad Simeonem mittit. Hi verò dum mare Siculum eo animo traijciunt, à Græcis, qui littoralem Calabriæ oram custodiebant, intercepti Constantinopolim ad Romanum Imperatorem mittuntur. Romanus, vt ætate, ita & prudentia, & maturitate senex veritus ne si fœdus inter Bulgaros, & Sarracenos iniretur, ipse in maximas difficultates prolaberetur, beneficijs, ac muneribus in pace Sarracenos secum continere decreuit. Quocirca in carcerem coniectis Bulgarorum legatis, Sarracenos regio more donatos ad Fatlum

Digitized by Google

eorum Principem, & præclara quoq; munera eidem per ſuos oratores ferenda remiſit, imponens vt ſuo nomine reuerſi Principi dicerent: Imperatorum hunc eſſe morem hoſtibus dona mittere, excuſarēt proinde Romanum ob non penſum hactenus tributum. Cuius ratio non à voluntate, ſed à rerum turbinibus, qui ipſum circundederant, prouenerat. Hæc omnia vbi Fatlus accepit, adeo erga Romanum grati fuit animi, vt & dimidium debiti tributi ei in perpetuum remitteret, & nihil in Conſtantinopolim deinceps acerbius tentauerit. Ita pacato Sarraceno, res inter Græcos, & Sarracenos in Italia diu quieuerunt. Cumq; poſtea in Calabria Crinitus Chaldus rebus ab Imperatore præfectus Sarracenos in Sicilia, & Africa per nimiam annonæ caritatem inedia affligeret: auaritiam hominis, cupiditatemq; abhorrens Romanus, & Præfectura, & re quoq; omni pecuniaria ipſum priuauit. Porrò eo temporum vitio cum plurimi Carthaginenſes Sarraceni fame ſuperati vltro in ſeruitutem apud Græcos tranſiſſent: quos Africæ Principes veriti ne Chriſtiani ob importunitatem, vitæ neceſſaria eis denegarent, non modo non repetiſſent, ſed neq; tributi rationem exigerent, vbertate tandem terræ reddita, & vltroneos ſeruos, & tributa Sarraceni repetere cœperunt. Quæ cum petentibus non redderentur, primam violandi fœderis occaſionem præbuit. Quocirca Sarraceni è Sicilia quotidie mouentes, multam Calabriæ partem emēſi infeſtis armis depopulabantur, rurſuſq; poſt editas latè ſtrages, vaſtatosq; hoſtiliter agros, præda onuſti domum recurrebant. Porrò Conſtantinus, qui iam Romano ob impietatem in exilium pulſo, ipſe ſummam Imperij ſolus adminiſtrabat, ſoceri veſtigia non imitatus non tam de pace renouanda, q̄ de vindicta fuit ſolicitus. Eoq; Malacenum patricium virum impigrum cum maximis copijs pedeſtribus, & cum claſſe Macrum Ioannem Præfectos in Calabriam miſit, vt cum exercitu Paſcalis Calabriæ Ducis iuncti, bellum Sarracenis, Carthaginenſibus, & Siculis inferrent. At enimuero hi ita iuncti, tot damnis ſuos affecerunt, quot hoſtes Sarraceni nunq̄ intuliſſent. Interea Fatlo defuncto, Bulchar Sarracenus Rex, quem Admiratum appellant, in Sicilia ſucceſsit, is vbi græcorum apparatum cognouit, contractis ſuorum copijs ad bellum, & victoriam adeo efficaciter eos eſt hortatus, vt conſerto bello ſuperiores Sarraceni, Græcis omnibus profligatis eorumq; ducibus in extremum vitæ diſcrimen adductis, Calabriam mox, & Appuliam ingreſsi, omnem eam Italiæ oram à ſtrictioribus Calabrorum, & Hidruntinorum promontorijs in ampliorem terram inter ſuperum, ac inferum maria ſem per ſe extendentem, vſq; ad Garganum montem ceperint. Vnde Italiam multis poſtea temporibus miris calamitatibus afflixerunt. Quod vbi Conſtantinus animaduertit, ne vlterius ea rabies ſerperet, miſſo Ioanne Aſicreto cognomento Pilato pacem, fœderaq; à Sarracenorum Rege petijt. Cui ille libenter annuit, aſſerens Sarracenos victorijs non adeo extolli, quin victores, pacem etiam cum victis amplecterentur. Initum igitur ad certum tempus, firmatumq; eſt fœdus. Quo elapſo denuo nouis Sarraceni excurſionibus Calabriam aggreſsi cuncta immitius ſolito deprædabantur. At Conſtantinus reſumptis viribus terra & mari contra eos in aciem mittit. Claſsis Præfectos Carbeam, & Moroleonem viros ſtrenuos, belloq; expertos, exercitui vero Marianum Argum virum patritium præfecit. Hi cum Hidruntum applicuiſſent, paratis omnibus, quæ ad bellum neceſſaria videbantur, in Siciliam nauigauerunt. Quod vbi Sarraceni, qui in Calabria erant, reſciuerunt, tātę claſsis formidine perculſi ſolutis ordinibus e Rhegio Meſſanam & ipſi traiecerunt. Vnde Panormum verſus deſtinato curſu nauigantes repentina maris procella abacti, omnes propè fluctibus ſunt abſorpti. Quo naufragio conſternati, pacem cum Græcis inſtauraruntquæ vſq; ad Nicephorum Phocam Imperatorem durauit. Mortuo Conſtantino Porphyrogeneto, imperiū orientale tenuit Romanus eius filius. Qui cum non ita multo pòſt viuere etiam

& ipſe

Digitized by Google

& ipſe deſijt,relictis Baſilio, & Conſtantino liberis. Quo defuncto, ob filiorum impubertatem Nicephorus phocas,phocæ Nicephori: cuius in Sicilia contra Sarracenos res egregie geſtas ſupra memorauimus nepos, imperio ſucceſsit.Is principatu ſuſcepto cum dedecus eſſe maieſtati imperatoriæ barbaris tributum & vectigal pendere,duceret,claſſem ingentem in Siciliam contra Sarracenos inſulam occupantes inſtruxit,cui Manicellum patritium Leonis fratris ex pellice nepotē præfecit. Qui cum, & ætatis & experientiæ defectu ad præfecturam eſſet ineptus, præterq̃ quod pluribus vitijs obnoxius,ducum,qui ſibi conſultores dati fuerant, conſilia non admitteret,adeo rem infœliciter geſsit, vt à Sarracenis locis aſperis & anguſtis concluſus, omnibus cum copijs victus, & profligatus fuerit, capto in eo bello Niceta Patritio claſsis Drungario & Eunucho, & in Africam in captiuitatem miſſo.Nicephoro Phoca poſt hæc interfecto, Baſilius Romani primogenitus iam adultus imperare cœpit. Quo rerum potiente Meles Barenſis vir primarius, & Princeps,in Italia contra eum bellum mouit. Cuius conatus repreſſurus Imperator ingentem exercitum ſub Baſilij Sanij, & Contoleonis Cephalonij ductu, ſtatim contrà emiſit.Sed eos Meles breui adeo preſsit,concluſitq̃, vt edita maxima ſtrage, hoſtium plurimos ceperit, cæteris fœdè in fugam prolapſis. Nec multo pòſt Baſilius & alium vndiq; coactum exercitum, cui Oreſtem Protoſpatarum Eunuchorum ſuorum fidiſsimum præfecit, in Siciliam contra Sarracenos ire contendit.Sed morte præreptus poſt ſeptuageſimum, & alterum vitæ annum belli huius exitum non vidit. Huic cum Conſtantinus frater in Imperium ſucceſsiſſet,& Oreſtes cum claſſe Siciliam applicuiſſet, à Sarracenis,qui fama nouæ expeditionis ſatis ſe munierant,per inanes inducias deluſus cum magna ſuorum cæde ob ſui ignauiam, & militū ex alui doloribus imbecillitatem,ſuperatus fuit.Nec hæc calamitas quicq̃ Conſtantini animo ademit, quin reſumptis armis, accitoq; nouo ex Græcia & Macedonia exercitu, Italiam repeteret. Nihil tamen laude dignum geſtum eſt,quod Oreſti obſcuriſsimo, & Barbaro homini rem totam tradidiſſet. Poſt hæc Zoe Conſtantini filia Agyropylo nupſit, qui decedenti poſt tertium Imperij ſui annum ſocero,in adminiſtrationem cum vxore ſucceſsit. Qui principio Imperij Oreſte veluti ad Præfecturam inepto abrogato, Niceporum Carantenum in Græcia ſuffecit.Is cum ſub idem tempus Sarraceni ex Africa, & Sicilia cum claſſe decem Sarracenorum milibus inſtructa ſoluentes,Inſulas Cycladas,ac littoralia Græcorum omnia vaſtarent, lætis auſpicijs contra excurſores belli periculum ſubit, ac hoſtes ſuperat. E quorum numero quingentis ex nobilioribus captis,& in vinculis ad Romanum Imperatorem remiſsis, cæteros in fugam vertit.Cumq; recepta ea clade Sarraceni nihil a feritate deſiſterent, rurſus Græciam ingreſsi,cuncta rapinis,& incendio fœdarunt. Nicephorus ſuperioris animi non immemor, eos adortus magna ſtrage edita ſexcentos ex eis captos ad Imperatorem iterum miſit. Romanus poſt hæc nouum exercitum terra mariq; comparatum in Italiam miſit.Cuius copijs terreſtribus Leonem Opum,maritimis verò Ioannem Baſilij Imperatoris olim Camerarium contra Sarracenos præfecit.De quibus nihil memorabile proditum eſt. Romano deinde Zoes vxoris inſidijs intra balneas aquis immerſo, Michael Paphlago ſecundus Zoes vir, in Imperium ſucceſsit. Quo imperante Sarraceni ex Africa, & Sicilia ſolita inconſtantia,prĕliorumq; veluti prurigine ſoluentes,in Græciā vſq; nauigarunt. Vbi cū Cycladas inſulas,& Thraciæ littoralia prædando, vaſtandoq; turpiter percurriſſent,tandem à Græcis, qui præſidio ibi erāt,copias educentibus ſuperati,captiq; ſunt,quorum ſexcenti ad Michaelem miſsi,cæteri viui palis infixi periere. Porro Michael victoria vti neſciēs, ad quietem,q̃ ad res turbulentas pronior,Georgium priuatum virum gerendis rebus ſatis idoneum in Siciliam ad Apolafarum Maomethum Sarracenorum ibidem Admiratum pro pace firmanda miſit. Accepit

benignè

benignè Sarracenus pacis conditiones, pro quibus filium suum cum Georgio Constantinopolim ad Imperatorem obsidem misit. A quo & ipse vnus ex palatij Magistris est constitutus. Quæ dignitas eo tempore post Cæsarem summus erat honor. Atq; ita inter Siculos Sarracenos, & Græcos aliquandiu res quieuerunt.

DE GEORGIO MANIACE, ET EIVS IN SICILIA CONTRA SARRACENOS REBVS EGREGIE GESTIS. CAPVT SECVNDVM.

A POLOFARVS Siciliæ Rex dum externa pace fruitur, à domestica fraternaq; seditione nihil tale metuens inuaditur. Erat enim illi germanus frater Apochaps nomine inter Sarracenos & calliditate, & sæuitia facile princeps, qui cum nimia ambitione æstuaret, fratri Imperium adimere per scelus adoritur. Ex improuiso igitur a Germano bello petitus, & longa vndiq; pressura cinctus, tandem præter suam, omniumq; opinionē superatur. Apolofarus a fratre victus, confestim à Michaele Imperatore suppetias petit. Michael oblatā sibi Siciliæ imperio restituendæ occasionem non omittens, Georgium Maniacem ingenti cum exercitu in Italiam, & Siciliam Ducem misit, classem quoq; cum eo militibus instructissimam, Cui Stephanum virum patritium, & eius sororium præfectum deligit. Fuit Georgius Maniaces Gudelij Maniacis viri patritij filius Constantinopolitanus genere, Protospatharius, & Imperatorij palatij magister, manu, & cōsilio prōptus, & militia strenuus. Is dum Italiam, nauigat, in eaq; moram traheret, vt Sarracenorū in Sicilia res quo tenderent, videret: Apochaps magno cum exercitu contra Apolofarum mouit, quo prælio strenue Rege pugnante victus fugatusq; est. Superatus Apochaps ad Africę Principem statim confugit, cum eo fœdus pepigit, auxilia petit, dimidium insulæ se illi cessurum, si Sicilia potiretur, spopondit. Accita igitur Sarracenorum numerosissima manu Apocaps bellum initio varium, & anceps, sed mox fœliciſsimum contra Apolopharum gesit. Nam pulso fratre, victor Sicilia potitur. Cæterum Apolopharus per Leonem Opum, Imperatorij exercitus in Appulia Ducem cum ingenti Græcorum, & Italorum multitudine adiutus, assumpto etiam Sarracenorum, qui sibi adhærebant, non spernendo numero, in Siciliam reuersus, fœlicibus auspicijs cum germano bellum redintegrauit, atq; illo cum omnibus Africæ Sarracenis cæcto, regnum sibi recuperauit. Demum cum rursus Apocaps res nouas moliretur, amicorum interuentu reconciliatis animis fratres in amicitiam, pacēq; cōcurrūt, iūctisq; animis cōtra Græcos, quorū copiæ & classes in Appulia instructissimæ erāt, quasq; suspectas habebāt, simul se parāt. Maniaces, his cognitis ad cōprimēdā fratrū Sarracenorū potentiā se instruit, ac pluribus Italiæ Principibus, Landulpho præsertim (cuius supra meminimus) Capuæ, & Longobardorum Principe, ac Guaimaro Salernitano, & Guilelmo Ferrabacho, & Roberto Guiscardo, & Cæteris Normannis fratribus, qui per ea tempora in Italia bello erant clarissimi, in fœdus accitis, Sarracenos in Sicilia superare, atq; insulam Imperatori restituere pergit, vt in gestis Normannorum legimus. Sed quoniam in Normannorum (quibus quòd in solo patrio sumus, quòd liberi viuimus, quod Christiani Siculi omnes hodie sunt, ingenuè acceptum ferimus) mentionem incidimus, de eorum primordijs scitu quædam dignissima, ac ad reliquum historiæ contextum necessaria, præmittere duxi. Quorum initia etsi à diuersis variè efferantur, illorum tamen hæc potior sententia est, quam ex priuilegijs ipsorum

Ducum

Ducum, quę adhuc integra apud nos extant, acceptam, ſequimur. Qui ſeptentrionalē olim cardinem ſpectabant, in vniuerſum ea tempeſtate Normanni vocabantur, quorum lingua Nort ſeptentrio, Man, vir eſt, quaſi ſeptentrionalis homo. Quicunq; itaq; ex vaſti illius Oceani ora, ac incomperte magnitudinis inſulis peninſulisq; exoriebantur, Normanni appellabantur. Ex his, qui Neuſtriam Galliæ partem, citeriori Britanniæ, in qua Armoricæ ciuitates a Cæſare deſcribuntur, conterminam, poſtremi tenuerunt, vna quædam fuit natio, Daniſq; finitima & ſocia, Idolorum cultrix. Scriptores, qui Gothorum proſapiam vſq; ad Noa referunt, licet Normannos Magogen Iapheti filium nulla veterum authoritate ducti parentem habuiſſe tradant, eos tamen nos ex Gothorum feritate ortos proculdubio accepimus. Hi igitur pyraticam diu ex inſtituto exercuerunt, qua cum vires apud finitimos ſibi peperiſſent, Cherconeſum Cimbricam ad Oceanum Germanicum ſitam, hodie peritis Daniam, vulgò Daciam appellatam, proceſſu æui occuparunt. Cumq; abundante multitudine arcto patriæ limite omnes tenerentur, morem ſeruarunt, vt liberorum natu maximo domi remanente, cæteros puberes ad nouas ſibi alieni cœli regiones, opesq; arte, & ingenio petendas extrà mitterent. Hoc modo Lutrocus Danorum Rex nondum Chriſto renatus Biergoſtam filium ſecūdogenitum delecta cum militū manu, quibus Rollon pręerat, anno ſalutis circiter. 880. ad ſedes extra ſuos fines acquirendas miſit. Hi claſſe ex Dania per Oceani oram in Aquitaniā delati per Sequanæ fluuij oſtiū Neuſtriā nullo militari præſidio munitā adepti ſunt. Subinde nūc Ligerim, nūc Sequanā fluuios ſubeuntes, plures annos per Galliam ferro, & igne vſq; ad ſacra loca ſæuientes, vniuerſam prouinciam depopulabantur. Carolus cognomento ſimplex ſextus & vigeſimus Francorum tunc temporis Rex, cum plus æquo eiuſce gentis opes, viresq; inualuiſſe videret, fœduscū Rollone eo pacto tranſegit, vt Gilla eius filia, quam pleriq; Egidiam appellant, vxore ducta Chriſti lauacro ablutus Neuſtriam occupatam dotis nomine à Carolo acciperet. Atq; ita Rollo, initiāte quidem Francone Rhotomagenſium Præſule, patre verò ſacræ ablutionis Roberto Regis Oddonis fratre, à quo mutato priori nomine Robertus appellatus eſt, Chriſti legem profeſſus, Gillam vxorem, ac Neuſtriam regionem, quam à ſuæ gentis nomine Nortmanniam dixit, dotalem recepit. Currebat tum annus ſalutis. 912. Huius progenies longè deinde per numeroſam ſobolem manu firmiſsima propagata loca, & populos diuerſarum regionum tenuit. Ex Gilla etenim Rollo Guillelmū filiū genuit, ex quo deinde Richardus, multis contra Lothariū Frācorū Regē prælijs ſicuti æquè, ita & feliciter geſtis illuſtris, procreatus eſt. Qui tādem Guilelmo, & Riccardo filijs relictis, deceſsit. Porrò Guilelmo, pditoriè ab Arnulfo Flandrenſium Principe per Alſum ſatellitem interfecto: Richardus Normannia potitus, ex puella plebeia, quam perditè primùm amatam poſtmodum in vxorem duxit, Richardum, Robertum, & Guillelmum filios, totidemq; filias ſuſcepit. Quorum natu maximus Richardus patri defuncto ſuffectus eſt. Huic verò ſine prole demortuo Robertus frater ſucceſsit. Poſt hunc Robertus minimus fratrum, qui Angliam Haroldo Regi quem occiderat, ademit, eamq; ſanctioribus legibus reſtituit, quibus Angli hucuſq; vtuntur. Ex Roberto, qui quartus fuit à Rollone, Tancredus Normanns oppidi Altæ villæ ad plagā, quam Conſtantiam indigenæ vocant, Comes exoritur. Is ex duabus vxoribus duodecim ſuſcepit liberos. Ex prima, cui Moriella nomen erat, Sarnum, Gothfredum, Drogonem, Tancredum, Malogerium, Alberedum, Gothfredum ſecūdum, & Frumentinum. Ex altera, quæ Freſenda dicebatur, Guillelmum, cui ob corporis robur Ferabach cognomen fuit, Robertum, cui quod oberrando terrarum multum, ac imperium victor obiuerit, ſiue (vt pleriq; cenſent) quòd aſtutiſsimus fuerit, Normannorum lingua Guiſcardi cognomentum obuenit, Vmfredum, & Rogerium. Huic quòd

ſtatura

ſtatura corporis ſimul,& ferocia militari præſtabat, corporeum cognomen Boſſus erat. Hanc Guillelmi Ferrabach,Roberti Guiſcardi, & Rogerij geneſim nobis confirmant pleraq; eorum temporum ab ipſis illis Principibus literis conteſtata monumenta. Siquidem Rogerius Sicilię Comes in priuilegio,quo monaſterium.D.Michaelis Troynēſis erexit,& dotauit, Robertum Guiſcardum fratrem ſuum natu maiorem bis nominat, & in alio rurſum ex Freſenda, & Tancredo ſe genitū teſtatur.Poſtremò quoq; Rogerius Rex filius in diplomate anno ſal. 1142. & vterq; Guillelmus Reges in inſcriptionibus Panormi adhuc incorruptis identidem referunt,vnde pleriſq; ſcriptoribus,qui Guiſcardum Francum, & non Tancredi filium,neq; Rogerij germanum fratrem tradidere, non parum fidei derogatur. Sed ad Tancredum eorum parētem redeo.Is cum tenues admodum ceu ſus in Nortmania poſsideret, ſibi, filijsq; opimiorē fortunam, opesq; ampliores ſub alieno cœlo quærere conſtituit. Proinde circa Ludouici Francorum Regis,ac Sergij quarti Ro.Pont.tempora in Italiam,quam tum Berengarius, Hunnisq; vexatam tenebant,vnà cum liberis venit. Vbi Ciſalpinam Galliam ingreſsi ſub ſtipendio nationum,quæ eo tempore eas regiones occupauerant,militarunt.Erant nanq; in his fratribus, totoq; eorum comitatu ea ferme maieſtas, corporis proceritas,virium,ac ſapientię magnitudo,vt qui eos ignorabat,non ex vno parente, ſed ex toto terrarum orbe ſelectos,nec ad militandum, ſed & ad regnandum genitos iudicaret.Gens audax,belliqoſa,& in rebus gerendis ſagax, & qua ſuo tempore nulla alia in Europa vel militia fuit fœlicior. Nullus equidem vnq; fuit hoſtis,quem ferociter bello non appetierint, aut laceſsiti magna cum laude non repulerint. Neq; aliqua fuit regio armis ab eis impetita, qua non celeri victoriæ curſu ſint potiti.Gens demum non ſolum fortitudine,verum & pietate quoq; inſignis.Nam cum hi tum ſeptem Italiæ regiones, tum Siciliam in regna contraxerint,Chriſtianæ fidei columina,Chriſtianorum tutores acerrimi fuerunt, fundatores templorum,cænobiorumq; illuſtrium,quæ ad memoriam vſq; noſtram mira viſuntur. Horum itaq; fama Pandulfus Longobardorum Dux, qui aduerſus Guaimarum Salerni dominum bellum moliebatur,pellectus, eos ingenti promiſſo ſtipendio auxiliares accerſiuit. Quorum cum vtilem ſibi operam diu expertus hebetioris vir ingenij ingratum ſe nimis erga eos præſtitiſſet, militiæ tempore, quo conuenerant,expleto,ad Guaimarum tranſierunt. Quorum virtute,ac multis præclare geſtis,pluribus victorijs celeber Guaimarus eſt redditus.Interea Lōgobardi aliquot milites in eodem exercitu primores, Nortmanorum geſtis non ſine admiratione conſpectis, inuidia demum exarſerunt, quoq; odioſos eos redderent, apud Guaimarum in captatam Salernitani Principatus ſuſpicionem innoxios adducunt.Ceſſantibus poſt hæc Italiæ motibus, & pace inter Capuanū, & Salernitanum firmata,Tancredus Normannicæ ſobolis parens,deceſsit, Guillelmumq; Ferrabaccum.12.fratrum natu maximum teſtamento cæteris præfecit. Dum in hoc ſtatu principum,& Italiæ res eſſent: Georgius Maniaces, quem Molochum Blondus appellat,Guillelmum Ferrabach,cęteroſq; Nortmannos fratres necnon Capuanum,& Salernitanum Principes, vt Siculorum annales referunt, & Græcorum monumēta teſtantur, ad ſecum eijciendos è Sicilia Sarracenos hac formula induxit,vt communibus auſpicijs quatuor exercitus compararent, inſtruerentq;,partaq; victoria præda omnis communi etiam inter eos,& æqua portione diuideretur.Paratis itaq; omnibus,quæ erant ad tantę molis bellum neceſſaria,ſalutis anno circiter. 1004. vnica expeditione contra Sarracenos in Siciliā pariter traijciunt.Fretum emenſi Meſſanam intrepidè inuadunt, eamq; licet primùm acriter ſe defendentem paruo mox negotio ad deditionem compellunt. Inde veloci victoriæ ſucceſſu Sarracenis partim cæſis, partim fugatis Syracuſas proficiſcūtur.Præerat eo tempore in ea vrbe Archadius Sarracenus magni animi vir. Is

Digitized by Google

vir. Is quotidie leuioribus prælijs non longè ab vrbe in noſtros irrumpens ſæpe victor, rurſus ſe in vrbem recipiebat. Quod cum crebrius fieret, neq; quisq̃ ex noſtris contra tendere auderet: Guillelmus Ferrabacchus in indignationem prouocatus cum parte copiarum in eum progreſſus, ita demum ſub vrbis mœnia hoſtem compreſsit, vt eo, pluribusq; alijs, qui cum eo in aciem exierant, interfectis, cæteri ægrè in vrbem fugiendo proruerint. Hac clade, & morte Ducis Sarraceni animo conciſi prudenti inter ſe habito conſilio deditionem faciunt. Maniaces captis Syracuſis motis caſtris mirabili fœlicitate Siciliam victor obibat. Cui Apolofarus, & Apocaps germani fratres cum quinquaginta auxiliarium Pœnorum milibus, pluribusq; alijs Sicilienſibus cohortibus contrà occurrunt. Vbi conferto bello Sarraceni adeo magna cum ſtrage ſuperantur, vt amnis vicinus, ſcriptorum inertia nobis incognitus humano ſanguine exundauerit. Hac victoria Maniaces elatus paucis diebus tredecim Siciliæ vrbes cepit. At enimuero Maniaces vti bellica re fortunatus, ita in victoriæ vſu, manubiarũq; diſtributione infœlix, dum auaritiæ nimis ſtudet, in ſociorum odium incurrit. Nam proſperum belli euentum ſibi ſoli adſcribens prædam omnem nõ ex æquo, vt ex pacto quidem conuenerat, ſed Græcis quidem largè, Normannis verò, at cæteris ſocijs parcè partitus eſt. Oppida verò, quæ adeptus fuerat, Præfectis ab Imperatore cum nouo copiarum ductu miſsis tradidit gubernanda. Hinc res Chriſtianorum, quæ fœliciter hucuſq;, & planè ex ſententia ſucceſſerant, labaſcere cœperunt. Orta nanq; eſt pro hac iniuſta rerum diſtributione inter Guillelmum, reliquosq; proceres, & Maniacem non vulgaris contentio. Quam cum Arduinus miles genere Italus, licet Francus a pleriſq; referatur, ſedare conatus apertè Maniacis factum improbaret, non iniurijs modò, ſed & verberibus ab eo impetitur. Guilelmus & id, & alia omnia ægerrimo perinde, vt debebat, ferens animo, in vio lati fœderis vltionem Appuliam inuadere, eamq; ſibi, & ſuis occupare decreuit. Sed ne, (cognito eius animo) Græcorum, quorum ingens in Sicilia erat multitudo, ferro opprimeretur, diſsimulare per tempus, & per oportunitatem hominis perfidiam vlturus, vultu, verbisq; animi lenitatem fingere conſtituit. Poſtq̃ verò turbati animi ſuſpicio omnis abfuit, ad patrandum facinus huiuſcemodi conſilium ſubinuenit. Hyems inſtabat, cum victorem exercitum hybernare neceſſe erat. Quod cum in Sicilia facere, quæ ob belli diuturnitatem, & Sarracenorum incendia, rerum omnium vbertate exhauſta propè erat, minimè commodum videretur, quam facilimè à Maniace impetrauit, vt in Appulia ſibi, cæterisq; ſocijs hybernare liceret. Hyeme itaq; aduentante proceres Calabriam traijcientes, Capuam vnus, Salernum alter ſuas copias traduxit. Guilelmus autem cum fratribus, & multis Nortmãnorum milibus, qui eo tempore ab expeditione Hieroſolymitana redierant, longum in Appuliam iter ingreſſus, cum eam non modo bellis domeſticis laborantem, ſed & armis quoq;, & latrocinijs Sarracenorum vexatam immunitamq; offendiſſet, plura fœlicibus auſpicijs oppida expugnata Imperatori eripuit, ac tandem Melphim vrbem arduo, & natura communito loco ſitam circunſedit, eamq; mox ab improuiſis Melphitanis per deditionem accepit, ac deinde opere, & præſidio muniuit. Maniaces inopinati facti nuntio perculſus è Sicilia cum copijs eò occurrẽs caſtra ad Melphiæ vrbis portas metatus eſt. Vbi tum Guilelmus nihil cunctatus quaſſatos ex itinere, & nulla militari coercitos diſciplina Græcos, immunitis quoq; adhuc caſtris, ex improuiſo adortus, prælio commiſſo ita afflixit, vt Maniaces fractis ſui exercitus viribus omnibus amiſsis in Sicil iam retro perfugerit. Cæterùm dũ hæc à Nortmãnis in Appulia gerũtur, duobus poſt occupatam à Maniace Siciliam annis Sarraceni, qui reliquum Sicilię tenebant, reſumptis viribus ex Africa maximum exercitum comparauerunt, & caſtra non longè a Troyna, quam Draginam Curopulatus appellat, poſuerunt, in

cuius

cuius planicie decliuiori, nihil nisi occasionem contra Maniacem mouendi præstolabantur. His cognitis Maniaces copias recolligit, & paucis milites ad victoriã hortatus curatis corporibus Sarracenos adoriri deliberat. Verùm anteq̃ pugnam aggrederetur Stephano Imperatoris fororio classis Præfecto iubet, vt littoralia attentius obseruaret: ne Sarracenorum Princeps fortè victus, fugæ consilio in Africam remearet. Quibus paratis militem ad arma vocat, prælium pro re Christiana cum hostibus confert, atq; in eos irruens quinquaginta eorum milibus cæsis fœliciſsimam victoriam nactus est. Inter quæ Sarracenorum Dux profligatus clam ad littus euasit, & paruo assumpto nauigio à Stephani speculatoribus inobseruatus in Africam incolumis reuersus est. Quo percepto Maniaces adeo furore in Stephanum exarsit, vt ad iniurias, grauia etiã, contumelioſaq́; ei verbera impegerit. In memoriam vero ingentis victoriæ vrbem Maniaces ibi condidit: cui, & loco sui nomen indidit, quod ad ætatem vsq; meam perseuerat. Stephanus verò iniuriæ indignitate permotus Ioanni Imperatoris germano fratri, qui eo tempore rem omnem administrabat, per certum nũtium Maniacem contra Imperatorem in Sicilia defectionem moliri, & insulam sibi occupare falsò perscripsit, effecitq́; vt permotus Imperator cõfestim Maniacem è Sicilia reuocauerit. Qui insula discedens Agathæ, Luciæ, aliorumq́; Diuorum quorundam corpora secum Constantinopolim Imperatori dono detulit, vrbemq́; sanctiſsimis reliquijs ornauit. Verùm nihil hæc ei profuerunt, quominus perduellionis reus & officio deijceretur, & tetro carceri ad multos menses inclusus nullum non calamitatis genus iniustè senserit. Maniace abdicato, Siciliæ magistratus penes Stephanum mansit, cui ab Imperatore Basilius cognomento Pediaditus Eunuchus collega ascitus est. Hi cum per ignauiam, & auaritiam prouinciam acceptam administrarent, breui Sicilia à Sarracenis superati insulæ dominium perdiderunt. Maniaces etenim cum potitus est insula, Syracusis arcem munitiſsimam, sui nomine hucusq; insignem, erexit, vrbesq; etiam alias, ac oppida arcibus & præsidijs muniuit. Quo circa Sarraceni Siciliẽses, qui in insula remanserant, neq; contra se erigere, neq; aliquid noui moliri audebant. At Stephanus, & Basilius Maniaci absimiles per auaritiã, & socordiam res administrantes, contemptui habebantur. Hinc Sarraceni audentiores facti, exercitu ex Africa accito, contra Græcos insurgunt, omnia vastant, vrbes capiunt, arces expugnant, diruunt, ac tota demum Sicilia receptis omnibus vrbibus (præter Messanam) potiuntur. Præerat nanq; Messanæ tum Catacalonus Protospatharius cognomento Cacaumenus, qui pręter ciues ad quadringentos equites Armenos, & quingentos pedites disciplinę militaris peritos, & cum glorię studio periculorum etiam contemptores, habebat. Hic cùm à Sarracenis, qui subacta Sicilia ingentibus ad confirmandum Imperium copijs ex Africa adductis dura obsidione pręmeretur, simulato ex industria metu, Messanę vrbis portas clausit, neminemq́; egredi per tres dies permisit. Vnde Sarraceni in ducis contemptum per agros Messanenses vagi, dispalatiq́; latrocinantes magis, q̃ belligerantes cuncta vastabant, ac vino, & veneri, & cantibus indulgentes, maiorem noctis partem comessationibus extrahebant, ac si postridie vrbem capturi essent. Interea Messanensis Dux aliâ atq; aliâ fingẽs, die quarto, quo hostes Mesopentecosten celebrantes ad temulentiam q̃ ad bellum procliuiores iudicabat, cum suis militibus ad victoriam hortatis, & sacris Christi initiatis ex vrbis portis erumpens in vino sopitum Sarracenorum agmen prandij hora repente irruit, donec in castra Apolopharis Siciliæ Regis nihil tale metuentis peruadens, in statione ipsum ferro occidit, atq; castris dissipatis supra triginta Sarracenorum milia interficit, ceteris Panormum eorum Asylum profugientibus, vrbemq́; Messanam ab obsidione liberat. Verùm etsi Messanenses ingenti hac victoria hostes profligauerint, insulę tamen Imperiũ

penes

penes Sarracenos remansit. Sicilia rursus amissa Stephanus & Basilius in Appuliam desperata Imperatoris venia, pro salute confugerunt. Interea mortuo Michaele Paphlagone Imperatore, Zoe vidua Michaelem alterum, cui à parentum qui apud Paphlagonas naues pice oblinebant, sordida conditione, Calaphates cognomẽtum accessit, in filium adoptauit, & hæredem regni esse voluit. Sed cum ille fascibus susceptis ingratus simul, atq; impius, matrem suæ maiestatis autorem in Insulam relegasset, à conspirante ob facinoris indignitatem populo captus, oculorumq; vsu priuatus, cum menses quatuor, & totidem dies regnasset; perpetuo exilio, restituta ad Imperium Zoe, mulctatus est. Post hæc Zoe cum res imperij administraret, & Nortmani qui eam Italiæ partem, quæ non longe à Capua, Neapoli, & Beneuento abest, imperio subiectam, crudeliter vexarent, suis finibus eos arcere cupiẽs, Maniacem, cuius iam inde virtutem exploratam habebat, è carcere eductum contra eos misit. Qui licet paruis copijs instructus, magnæ tamen industriæ, ac spiritus ingentis vir, hostes paruo negotio repressit, & q̃ facilimè quietem toti illi prouinciæ restituit, imperijq; res composuit. Interea Zoe à domesticis persuasa, Constantinum Monomachum sibi tertium maritum, ac Imperatorem pronunciat. Erat huic Romanus sclerus q̃ familiarissimus, & plurimũ gratus, vel ob id, quod eius sororem egregia alioqui forma adolescentulam efflictim Imperator deperibat, & quasi loco vxoris habebat. Maniaci tamen infensissimus hostis ex eo tempore, quo ille olim in oriente Imperij rebus præsidebat. Qua simultate cum Romanus pluries Maniacem antea frustra occidere tentasset, oblata fauoris Imperialis occasio, non modò eam non repressérat, sed & excitarat, adeo vt cum iam exercitui domestico ab Imperatore præfectus esset, palam probris, ac damnis Maniacem absentem Romanus lacesseret, eiusq; agros, ac oppida vastaret, popularetur, diriperet, vt ne ab vxore quidem illius abstineret. Nec tantis vltionibus quietus, cognitis hic quæ de eo egregiè strenueq; contra Nortmannos in Italia gesta ferebantur, addita etiam ad odium inuidia, falsis in dies apud Constantinum in eum occasionibus, tandem effecit, vt præfectura priuatus, & in eius locum Pardo Protosparthario Constantinopolitano Imperatoris domestico suffecto, Constantinopolim veluti reus publici criminis ab Imperatore accersitus sit. Sed Maniaces exinde reputans animo quæ ob Siciliam à Sarracenis captam nuper Constantinopoli perpessus fuerat, veritus ne in potestatem hostis redactus peiora iam pateretur, in indignationem, desperationemq; actus, obedire contempsit, exercitum cui præerat, beneuolentia sibi deuinxit, defectionem cum illis in Constantinum parat, in Pardum insurgit, quem cum toto suo exercitu superatum ad extremum interficit, ac à militibus Imperator acclamatur, fascibus, & corona imperij decoratus, subinde cum classe ex Italia in Epirum, & Bulgariam transit, vbi cunctis rebus commotis ab omnibus Imperator salutatur. Quibus cognitis Constantinus ab ira ad consiliũ, mentemq; reuersus, per certum nuntium ad officium ipsum retrahere conatur, rebellionis impunitate ei, & militibus pacta, munera etiam, si reuertatur, pollicitus. At ille cum in promissis fidem non haberet, incredibili celeritate Epirum ad se pertraxit. Quocirca visa hominis contumacia Constantinus Stephanum Sebastaphorum virum militia strenuum, & victoria contra Damocraniam nuper habita insignem, iusto cum exercitu contra Maniacem misit. Is Constantinopoli mouens in Marmario ad Epirum loco, cui Ostrobo nomen erat, cum Maniace bellum conseruit, vbi vna pugna sed ea infœliciſsima inter præliandũ Maniaces in pectore letali vulnere ictus, ex equo statim, plapsus in suo sanguine occubuit. Cuius caput Stephani milites accurrẽtes à corpore abscidérũt. Quo cęso, eius milites cõfestim depositis armis ad Stephani pedes deuoluti i deditionẽ venerũt. Stephanus parta

victoria Cõstantinopolim petens ante triumphum præcuntibus magno numero super asiuis captis militibus, & hostis capite palo infixo vrbem ingressus, per celebriores vias triumphantis more circumductus est. Et Maniacis quidem hic finis fuit. Iamq; ad Normannos reuertor. Dum hæc ad Epirum geruntur, & Appulia planè immunita à Græcis ob Maniacis motus remansisset, Nortmanni fratres dominandi cupidi reliquam quoq; Appuliæ partem modico labore (Græcis omnibus exactis) adipiscuntur. Hoc pacto Appulia à Græcis ad Normannos translata, Guilelmus Ferrabachus fratrum omnium consensu Comitatus titulo in ea insignitus est. Eo verò paulo pòst fine liberis defuncto, & honorificè parentato, Drogo frater rerum potitus est. Hunc paulo post Mel ab Imperatore copiarum Ductor nouiter missus primo impetu penè expulit. At Drogo impigrè instaurato exercitu, Græcis altero prælio victis, prouinciam mordicus recuperat. Qua recepta Vmfredum fratrem in parte Appuliæ ad continendos in fide Appulos, & Robertum Guiscardum fratrem alium in Calabria contra Cõsentinos præficit. Verum dum dominij ampliationi nimis studet, dum Appuliæ vrbes munit, Longobardorum, & Appulorum insidijs, ad Montolium oppidum, circumuentus à Visone genere Appulo proditione occiditur. Quo tempore & Nortmanni plures per diuersa Appuliæ loca eadem proditione miserè trucidati interiere. Drogone mortuo, Vmfredus frater in Appulia succesit, qui statim principatus initio fratris necem vlturus in coniuratores mouit, eosq; omnes vi captos in extremum tandem supplicium pertraxit. Cumq; septem annos rebus præfuisset, multis victorijs clarus decesit. Huic Gotfredus frater in Principatu Leone Ro. Pont. huius nominis nono sedente suffectus est. Is Beneuentum vrbem Romano Pontifici subiectam insana ampliandi Imperij cupidine motus inuadere, ac sibi subijcere constituit. Cuius consilij certior factus Henricus secundus Romanorum Imperator Alemannos suos, quos apud Vercellas præsidio Italiæ reliquerat, Pontifici ad Nortmannos turbandos auxiliares adiunxit. Normanni hostium aduentu præuiso q̃ celerrimè Beneuentum præoccupant, capiuntq;. Cumq; Pont. ipse ab Appulis contra Gotfredum accitus in Appuliam veniset, apud Ciuitam Appuliæ oppidum commisso cum hostibus prælio superatur, captusq; cum pluribus Cardinalibus in victorum potestatem transit. Illi vero, vt Principes Christianos decuit, maxima erga summum Romanæ sedis antistitem vsi reuerentia, eum, comitesq; eius omnes ad vrbem vsq; Romam, vnde venerat, à clero Beneuentano deduci curauerunt. Quo beneficio deuinctus Pontifex sua authoritate Normannis, quæcunq; in Italia tunc temporis obtinebant, libere possidere permisit. Post hæc Gotfredus fato functus Bagelardũ filiũ (vti Blondo placet) siue ex Vmfredo fratre nepotẽ (vt Siculorum annales referunt) in Principatu hæredem reliquit. Id Robertus Guiscardus, quod a fraterno ordine imperiũ desciuisset, iniquo ferens animo Bagelardũ principatu armis deijcit, sibiq; Appuliæ, & Calabriæ Comitatũ vẽdicauit. Nec multo post tempore Troiam etiam Appuliæ vrbem, quæ Ro. Pont. adhuc suberat, inuasit, suoq; dominio adiecit, quo facto diris Põtificijs execratur. Interea Guaimaro Salernitano Principe per seditionem a Melphitanis interfecto, Aberardaq; Roberti coniuge defuncta, ex qua Boẽmundum filium susceperat, Sengregaitam, Gisulphi in Salernitanum Principatum suffecti, sororem vxorem duxit, ex qua postea Rogerium filium suscepit. Erat eo tempore Romanæ ecclesiæ Pont. Nicolaus huius nominis secundus, qui cum à plerisq; Romanis Proceribus seditionibus præmeretur, Robertum Guiscardum, fratresq; eius, vt sibi suppetias ferrent, ad Aquilam vrbẽ accersiuit. Robertus confestim Aquilam petit, Pontificẽ adorat pactoq;

pactoq; eo pacis fœdere Beneuentum, & Troiam, cæteraq;, quæ Pontificij iuris erant, ecclesiæ restituit. Qui ab execratione, & diris à Pontifice solutus, Appuliæ, oppidorumq; omnium, quæ in Italia possidebat, Dux etiam confirmatur, atq; Romanæ Ecclesiæ præfectus, nō modo ad Romanos ꝓceres superandos, sed & ad Sarracenos Sicilia pellēdos instituitur. His paratis Robertus ante S. Germanū oppidū magna vi ꝓceres Romāos adortus nō multo labore oēs subactos in Romani fidē Pontificis iurare coegit. Quibus victorijs nō modo Græcis, Appulis, & Sarracenis, sed & Romanis quoq; formidabilis est redditus. His gestis Robertus ad suos reuertitur, & Gotfredum eius fratrem, Appuliæ præficit: ipse verò in Calabriam ducens exercitum oppidum. S. Marci præsidijs muniuit, & progressus castra secus. fl. Mocatum ad aquas calidas metatus est. Bisinianum oppidum, Petrumq; virum ibi Principem, quem ingenti pecuniarum summa mulctauit, Cossentiam præterea, Martiranum, ac vicina quædam alia oppida sibi subegit. Postmodum Scyllacæum petens instructa classe per Ionij maris littora Rhegium venit. Quam cum frustra per triduum obsedisset, inde castra mouens dum in Appuliam reuertitur, inter eundum Leucastrum vrbem, Maiam, & Cannalem deditione recepit. Rogeriū postea fratrum natu minimū, qui tunc vigesimū primū ætatis annum compleuerat, in valle Salinarum, agrisq; adiacentibus castris præficit. Is etsi adolescentiam adhuc ageret, disciplinæ tamen militaris scientissimus, totam eam regionem, Vibonam quoq;, & circumadiacentia pleraq; alia oppida auspicatissimis militiæ primitijs subigens, Nortmanico imperio adiecit, & Nicephorum oppidum tutissimo præsidio communiuit. Cuius initijs laudatis Robertus ad Rhegium vrbem obsidendam eum secum eduxit. Quam cum aliquandiu oppugnassent, per deditionē tādem accepere, duobus tantùm viris in vrbe præcipuis, quòd Imperatoris essent studiosi, liberè dimissis. Hi verò Rhegio pulsi Scyllacæū inuadentes sibi occuparunt, munieruntq;. Quo cognito Rogerius copijs instructus Rhegio recedens vndecim non longè inde sine vi cepit oppida, ac mox Scyllacæum aggressus cum frustra illud oppugnasset: castrum tādem pro mœnibus ad obsidionis commoditatem erexit. Rhegini duo illi Principes viri dura obsidione pressi desperantes noctu fugam capessunt, nauiq; Constantinopolim ad Imperatorem contendunt. Quibus abactis Scyllacenses libertatem nacti vocato Rogerio, sese vrbemq; dedunt. Ita omni Calabria in Normannorum potestatem redacta Robertus Guiscardus. Rogerio fratri, cui dimidium totius Calabriæ dare spoponderat, Meliti & Scyllacæi Comitatū tradidit. Sed dum hæc in Calabria gerūtur: in Sicilia Sarraceni resumptis viribus Messanam, quam solam sub Imperatoris ditione mansisse diximus, auxiliaribus copijs ex Africa, Mauritaniaq; accersitis adorti tandem captam, pluribus ciuibus palo affixis, igni, & ferro miserè fœdarunt. Ita rursus tota Sicilia in Sarracenorum potestatem redacta est.

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS, POSTERIORIS DECADIS.

LIBER SEPTIMVS.

DE ROGERIO NORTMANNO SICILIAE COMITE, ET SARRACENORVM EXPVLSIONE. CAPVT PRIMVM.

MESSANA à Sarracenis recepta, non multo pòst vrbis præfecti Christianos quosdam domi nobiles, quorum fides ad Nortmannos procliuior in suspicionem venerat, ne ipsi aut alij quicq̃ noui molirentur, furca suspenderunt. Quod indignissimè ferentes Messanenses aliquot, inter quos Ansaldum de Pactis, Nicolaum Camulium, & Iacobum Saccanum Messanenses ducta per manus fama recensent, accepto Roberti, & Rogerij, cæterorumq́; Nortmannorum in Calabriam aduentu Heroica fortitudine moti simulata Drepanum nauigatione Rhegium traijciunt, mox Melitum ad Robertum, Guiscardum, & Rogerium Bossum fratrem peruenere, eosq; propositis causæ honestate, officij ratione, & vecordibus inertissimisq; hostium ingenijs ad Messanam recipiendam hortantur, ac merito tandem exauditi sunt. Fide pacti sacramento composita, manus ad cœlum tendunt, deumq́; vnanimes simul & pactionis Præsidem, & perfidiæ vltorem efflagitant. His ita ex animo inceptis, Messanam Heroici viri reuertuntur, ac cũ pluribus proceribus rem secretò communicant. Interea in Sicilia inter Bectumenum Sarracenum, qui Catanæ tum dominus, Regis ibi Admiratus nominabatur, & Bemmenelerum ex Sarracenis virum principem inteſtinæ ex zelotypia oriuntur discordiæ, quibus in dies coalescentibus Benmeneleru s à Bettumeno tandem oppressus occubuit. Patrocinabatur Benmeneleri causæ Belchanes, vt Siculorum annales referunt, quem Bescauectum aliqui appellant, in Sicilia pro Sarracenorum Sultano Præses. Cuius iudicium simul, & Sultani iram Bettumenus veritus cum audisset, quæ in Appulia, & Calabria Robertus, & Rogerius Nortmanni egregia gesserant facinora, Siciliam illis prodere secum constituit, quo patratæ cædis supplicium euaderet. Rhegium igitur traijcit, occultusq́; Rogerium adit, quem vt coram conspexit, ad terram prosiliens, acclinis primum sese iampridem magna admiratione virtutis eius, ac rerum gestarum captum præfatur, mox Siciliam Christianorum imperio deberi enarrat, expugnari paruo negotio posse ostendit, ciuitates, & oppida immunita, Sarracenos nulla militari disciplina instructos. Siciliæ Præsidem virum inertem, ac vecordem. Sultanum longa intercapedine absentem, atq; omnia præter bellum metuere. Maximam Christianorum multitudinem, quæ in Sicilia passim degebat, cum primùm eorum signa apparuerint, nec sibi, nec eorum comitibus defuturam. Demùm suam, suorumq́; opem, ac operam offert, modò sua sibi iura illæsa seruentur. Post hæc cum hæsitantem Rogerium conspiceret: sumptis in manus Mahometicæ legis sacris, ac ipsa contingens, prout genti mos est, inauditis, vltimisq́; execrationibus, ac diris adiurat, obtestaturq́; sese ex animo locutum. Eius præterea vultus, oculi, ac ardens loquẽdi modus nõ minorẽ fidẽ, q̃ iusiurãdũ præseferebãt. Postremò Regni situ, amœnitate, vbertate, ac cõmoditate

Rogerio,

Digitized by Google

Rogerio, qui nunq; antè regionem viderat, propositis effecit, vt ad insulam inuadendam Rogerius impelleretur. At Robertus, qui Meliti per id tempus agebat, cũ hæc à Rogerio per certum nuntium didicisset, reclamauit fraudem Punicam subesse, ac dolos instrui, nec Bettumeno facilè credendum, sed in tempus aliud rem maturandam, ne punicis insidijs circumuenti, simul omnes ad victimam ducerẽtur. Sub hoc ipsum ferme tempus Messanenses plures, qui iam inter sese coniurauerant, cum eadem, quæ Bettumenus ad germanos fratres sæpius Melitum detulissent, rogantes ne tam claro, quàm pio facinori deessent, facilè illos flexerunt. Normanni itaq; gloriæ, atq; auri satis cupidi sublato metu, atq; in spem adducti, ad facinus, bellumq; in Sicilia contra Sarracenos suscipiendum consentiũt, sed speculandam ante omnia Messanæ vrbis regionem censent. Rogerius itaq; militibus, equitibusq; Nortmannis, Longobardis, Italisq; ad iustum numerum instructus Bettumeno Duce ad Messanensia littora, agrosq; explorandos ex Rhegio prædatorijs cum nauibus transfretat, & ad locum inter Tyndaridem, & Mylas, cui à Furno nomen est, militem omnem sine hostium obstaculo in terram exponit, atq; inde pedetentim progressus, Messanæ agros, vrbemq; speculando peruasit. Præerat tum Messanæ Benmeneleri, quem Bettumenus interfecerat, germanus frater. Is Rogerij, atq; Bettumeni accepto traiectu, ratus & germani mortem vlciscendi simul, & egregij patrandi facinoris tempus adesse, cum delecta Sarracenorum manu se ad prælium parat, atq; vrbe egressus Nortmannis in agro Mylensi occurrit. Rogerius vt Sarracenos ad bellum ordinatos conspexit, conuocatis militibus, quorum numerus ad duo milia ascendebat, iubet, vt curent corpora, deinde è castris exiens ad reprimendum hostium impetum accenditur. Vbi mox collatis viribus in hostilem aciem maiori conatu adnisus, loco statim mouet, motos turbat, turbatos dissipat, ac terga vertere compellit, profligatq;. Quos insecutus magnam Sarracenorum partem, ducemq; ipsum trucidat, cæteris in vrbem fugatis. Hoc vno leui, primoq; Normannorum prælio ita Sarracenorum res perculsæ sunt, vt & qui ex clade pauci euaserant, exangues in vrbem relaberentur, & ciuitas ipsa metu consternata, non solum ducem perdidisse, sed ipsi cum eo omnes occubuisse viderentur. Hac victoria Rogerius animo elatus illucescente die nihil cunctatus præeunte Bettumeno, & Messanẽsibus Christianis Ramettam oppidum quod.rẽ.p.m.à Messana recedit, proficiscitur, agros circumquaq; perlustrat, regionem populatur, villarum ædificia incendit, ac præda omnis generis onustus ad freti littus, cui Carollo erat nomẽ, reuertitur, eamq; ad aquas dulces ratibus impositam Rhegium transmittit. Mirum erat Nortmannos liberè, ac impune Messanensium agros excurrere, ac populari. Adeo nanq; Sarracenos eius gentis nomen simul & ab illis in Appulia, & Calabria rerum gestarum admiratio tenebat, vt sicut prius illorum aduentum plurimum verebantur, ita postmodum præsentia consternati cum illis maximè cæso priori dimicatione Duce congredi perhorruerint. At cum Rogerius secundo Messanensium fines inuadens hostes ad bellum lacessere non desineret, illi irritati equitum, ac peditum coacta manu erumpere in eos statuunt. Quo per transfugas intellecto Rogerius Serlonem ex fratre nepotem adolescentem viribus corporis, & animi pariter magnitudine insignem aliquibus cum militibus proximis latebris occultat. Ipse verò eminus cum cæteris copijs ad littus fugam simulat. Sarraceni verò eos metu perculsos, & fugam, non stratagema parare arbitrati, in fugientes quàm tumultuariè mouent. Quos dum Rogerius retrouersus non modò firmiter sustinet, sed & acriter propellit, Serlo ex insidijs confestim egressus Sarracenos à tergo nil tale expectantes adoritur, ac belli ardore incensus in confertissimos hostes irruit. Sarraceni inter duas Nortmannorum acies ex improuiso circunsepti, quà se verterent, quibus primùm obsisterent,

ignari,à tergo,& à fronte,perfringuntur,cæduntur q; ferè omnes.Hæc vbi Messanæ nuntiata est clades,mœror,& luctus ciuitatem impleuit,atq; eò acrior, quo sibi certam expugnationem parari præuidebant. His belli initijs fœliciter actis Rogerius per nuntium Roberto fratri quæ ab eo in Sicilia gesta, quæ naturæ locorum, qui Sarracenorum animi, quæ vires significat: atq; vt militum copias numero maiores ad oppugnandam Messanam extemplo instructas transmittat, nihil enim sibi hactenus feciſſe videbatur,nisi vrbem ipsam debellasset,non ignarus tot ante se gentium,quæ Siciliam occupauerant, exemplis, si eum locum, qui ex Italia venientibus in insulam veluti porta patet, recepisset, totam se Siciliam q̃ facilimè subacturum. Robertus nuntio accepto de fortunæ principijs hilaris confestim milites Nortmannos,ac Longobardos quoscunq; secum habebat,Rogerio mittit.Is priori adhuc victoria elatus ad curuum littus, quod Brachium. S. Rainerij hodie vocant,intrepide castrametatur, ac Messanam obsidet. Sed tanta erat Sarracenorum,qui aduenerant,in vrbe multitudo, tantaq; nostrorum paucitas,vt irriti omnes Nortmannorum conatus futuri præuiderentur. Quamobrè Rogerius veritus ne à Sarracenis ob paucitatem militum contemni inciperet, & existimatione lapsus totam contra se insulam incitaret, desperata pro tunc expugnatione,maturato consilio obsidionem soluit, & Rhegium reuertitur, vt comparato ibidem iusto exercitu Messanam æquis viribus aggrederetur.Belchanes, quem Bescauectum aliqui appellant, per id tempus Siciliæ præsidebat.Is cognito Nortmãnorum belli apparatu classem,quam instructam Panormi tenebat, Messanam mittit, atq; hostium inde traiectũ impedit. Ipse verò terrestri itinere cum equitatu Messanam venit,ac cuncta,quæ ad obsidionem perferendam idonea cẽsebantur,parat,saxa in muros conuehit,per propugnacula milites distribuit, & qui primi insultus hostium repellere gestiunt,decernit.Interea Rogerius contractis ex Longobardis,& Italis magnis copiarum molibus,parte exercitus Roberto relicta,quę,si necessitas poscceret,statim ad suppettias succurreret,ipse cum omni veterano exercitu,nouoq; insuper delectu habito classem,ascendit,noctu fretum prospere traijcit, Sarracenorum classem præteruehit, Messanæ littora contra Rhegium supra vrbem ad duo.p.m.à Chuppo hodie cognominata attigit, copias omnes,machinas,ac cæterum apparatum belli in terram exponit, vrbemq;,qua meridiem respicit,incredibili totius ciuitatis metu maximo animo obsidet. Facillimam nanq;, ac penè certam vrbis expugnationem ei promittebant, fiducia, quã in Deo primùm habebat, cuius iniurias vendicabat, armorũ eius toties inuicta fœlicitas,& hostes ipsi bis ab eo paulo antè victi, quorũ cũ victore neq; aĩum, neq; vires non modò superiores, sed ne pares quidem experimento didicerat, Porrò Sarracenorum procerum simul,& plebis,tametsi grauter clades ex duobus leuibus prælijs acceptæ fregissent animos, Belchanis tamen, & classis aduentu erectiores,magna celeritate ad designata vrbis mœnia procurrunt, obstinatisq; ad mortem vsq; animis obsidionem ferre statuunt. Igitur Rogerius pro tempore,& loco ordinatis rebus mœnia cum exercitu circuit, suis imperat,quas quisq; pro se partes curet. Deinde dato signo oppugnare vrbem incipit. Nortmanni pro ingenio quisq; pars eminus glande,aut lapidibus pugnat,pars modò murum suffodit,modò scalis ascensum tentat, contra Sarraceni in proximos saxa voluũt, sudes præterea, picem sulphure,& tæda ardenti mixtam,emittunt, clamoribus quoq; inauditis (quod familiare est Sarracenis) nostros terrere satagebant. Veruntamen neq; hostium multitudo,neq; telorum vis, neq; clamor Nortmannos ab incepto arcebant, imò acrius missilibus, catapultis, aljsq; ferreis machinis hortante,ac ad certam victoriam editis vocibus Rogerio suorum animos extollente, vim inferebant. Atq; ita vtrinq; aliquandiu pari virtute, pariq; ardore dimicatum est.Tandẽ cũ Nortmanni nec noctu,nec interdiu vim remitterent:sed-

mœnibus

Digitized by Google

mœnibus continuò quaſſandis nullum hoſtibus reſpirandi ſpatium darent, Sarraceni labore feſsi imbecilliores fiunt, mœnia deſerunt, ac deſperatis rebus in vrbem ſeſe recipiunt. Nortmauni vbi muros hoſte deſtitutos vident, ardentius inſiſtunt, turres, ac propugnacula quatiunt, diſsipant, tormentis diſijciunt, vrbem obſtaculis anulſis aperiunt, ingrediuntur, capiunt. Per vicos ſubinde, ac domos excurrunt. Sarracenos promiſcue quotquot paſsim obuios habent, gladio perimunt, paucis exceptis, qui cum Belchane fuga ad ſuorum claſſem in portu ſtantem ſalutem ſibi quęſiuerunt. At Rogerius vbi captam vidit vrbem, & in ſuorum poteſtatem redactam, aperta voce: Satis (inquit) o milites ſæuitum eſt, à gladio deinceps abſtinendum. Humanus nanq; ſanguis effunditur. At milites ſtatim gladijs depoſitis, à ſanguine ad prædam conuertuntur. Dum Meſſana diripitur, Sarracenus quidam genere nobilis cum germana ſorore fugam arripiens cum illa tardius inſequeretur, ne in manus Nortmannorum incideret, violata lege gladio eam transfodit. Meſſana expugnata Sarracenica claſsis cum Belchane portu ſoluens, recto curſu Panormum, vnde venerat, regreditur. Ita Meſſana anno ſalutis. 1060. prima ante alias à Rogerio ſuperatis Sarracenis expugnata, Chriſtianis eſt reſtituta. Rogerius victoria vti lætè, ita moderatè vſus, ędes primùm Mahumeticæ ſuperſtitionis ſpoliauit, ſubuertitq;: arcem præterea, propugnacula, munimentaq; erexit, atq; præſidio muniuit. Poſthæc, ne miles otio torpeſceret, victoriam ſequens, Meſſana egreſſus cum victore exercitu ſimulatq; nouis copijs, quas illi ex Rhegio Robertus tranſmiſerat, Duce Bettumeno Rametam cõtendit. Rametenſes, qui Sarraceni erant, audita Meſſanæ expugnatione metu potius, q̃ ſtudio, & Bettumeni ſuaſu confeſtim deditionem fecerunt. Rametta potiti cum vicina prouincia, quam planitiem Mylarum hodie appellant, oppida omnia ſine impedimento, aut repulſa in fidem accipiunt. Poſt hæc regionem nemorum, quam vallem nuncupant, fœlici ſucceſſu adepti, Maniacium oppidum ad Aetnæ montis radices à Georgio Maniace (vt diximus) cõditum, quod à Chriſtianis adhuc habitabatur, deueniunt. Maniacenſes audito Nortmannorũ aduentu læti venientibus occurrunt, & oppidum tradunt. Centoripen deinde aggreſsi magna vi, atq; noſtrorum ſtrage à Sarracenis repulſi, ad vallem Paternionis Cẽturipinis obſidendis peridoneam caſtrametati ſunt. Poſt hæc. S. Felicem, vbi ſpecus ingentes Sarraceni incolebant, profecti magna Sarracenorũ cæde edita capiunt. Subinde Ennam petunt, & ad locum, cui eo tempore Papardani erat nomen, ſtationes locant. Erant in exercitu Rogerij vltra Sicilienſes equites, & pedites, Nortmanni, Longobardi, & Itali non pauci. Belchanes Sarracenorum Præſes animo agitans quibus maximè conſilijs, atq; artibus acceptas clades vlciſceretur, ac ne prorſus victum ſe oſtenderet, totius Siciliæ ciuitates ei ſubiectas ad communes hoſtes cõmunibus viribus impetendos legationibus fatigat, & ad gerendum contra Nortmannos apertè bellum concitat. Hoc modo quindecim Sarracenorum milium cõparato exercitu, ad hunc locum Chriſtianos repreſſurus aduenit, caſtra in cõſpectu Normannorum poſuit. Suorum animos contempta paucorum Chriſtianorũ acie acuebat, victoriam certã, & in manu ſitã oſtentabat. Qua animaduerſione incenſi Sarraceni ſine metu periculorum, bellum deſiderabant. Nec eius ſegnis opera in ordinandis militibus fuit, in tres acies exercitum diuidit, omnia circuit, ſingulos veteris Sarracenorum gloriæ, ac Imperij memores vt ſint, hortatur, cũ paucis etiam, & aduenis congrediendum eſſe admonet. Robertus Guiſcardus, qui iã Rhegio in Siciliam cum copijs traiecerat, & Rogerius frater maiorem in Deo, q̃ in armis fiduciam habentes, paucis verbis, ſuos admonẽt, ſe cum eis pugnare, quibus toties ſuperiores fuerant. Quo facto milites in duas acies diuidunt. Quorum alteri Robertus, alteri Rogerius præerat, ac deinde exercitum pauliſper conſiſtere iubent, vt ea mora oculis conſueſcant Sarracenorum turbam ſuſtinere. Tum demum

demum ſigno dato prælium ingentibus animis vtrinq; conſeritur, & principio quidem anceps: ſed mox Sarraceni irruentibus in eos Normannis, terga vertunt. Quos illi inſecuti ingentem hoſtium ſtragem edunt. Cæſa nanq; ſunt ex Sarracenis ad decem propè milia, cæteri autem cum Belchane fuſi, in Ennam vſq; fugati ſunt. Noſtri deinde cum ingenti rerum omnium arrepta præda, ad caſtra reuertuntur, facili, atq; incruenta potiti victoria, quæ fuit anno ſalutis. 1061. Verùm nihil actum eo prælio exiſtimantes, niſi Ennam quoq; caperent, poſtridie vrbem obſident. Quæ cum in monte vndiq; præciſo eſſet ſita, & expugnatu difficilis, Robertus, & Rogerius ad Calataxibettam montem vrbi valle media ad. 2. vix. m. p. prominentem, tentoria figunt. Cunq; locus tanti exercitus minimè eſſet capax, mutato conſilio ad vallem aquarum fontibus irriguam deſcendentes caſtra locauerũt. Sed dum Enna obſidetur, Rogerius otij impatiens trecẽtis cum equitibus Agrigentum vſq; regiones exploraturus excurrit. Agros incurſionibus & depredationibus longè lateq; populatus demum ingenti præda onuſtus ad ſuos redijt. Cumq; Ennæ obſidio in longum protraheretur, in vertice Calataſibettæ montis, arcem obſidioni peraccommodam conſtruxerunt. Sed cum Belchanes, & Sarraceni naturali vrbis ſitu confiſi obſidentes contemnerent, & per vallem nemorũ egreſsi captas ciuitates vexarent, iamq; etiam hyems ingrueret, veriti Nortmanni ne Meſſana vrbs, ab hoſtibus impeteretur: ſoluta obſidione Robertus, & Rogerius Meſſanam reuertuntur, copias reducunt, vrbẽq; mœnibus, & propugnaculis craſsioribus ambiunt, munitioremq; reddunt. Quo peracto de modo adminiſtrandi bellum inter ſe conſultant. Placuit Bettamenum Catanam mittere, qui militum ſelecta manu Sarracenos ea parte laceſſeret, oppidisq; expugnandis intenderet, ipſi verò interea ad Appuliam, & Calabriam per hyberna tempora, reuiſendam ſecederent. Profecti igitur eo conſilio in Italiam Nortmanni fratres cũ Bettumenus in Catanenſi regione Sarracenos intra mœnia crebris præliationibus continuiſſet, menſe Decembri Rogerius Comes ſelectis cum equitibus è Calabria reuerſus in Siciliam traijcit, vbi mediterranea ingreſſus obuia quæq; vexat, ac hoſtiliter agros circumquaq; populatur. Cui Chriſtiani Sicilienſes, qui Sarracenis ſuberant, læti occurrentes & oppida, & ſeipſos certatim quodammodo obtulerunt. Poſt hæc Troynam obſidere pergit. Sed Troynenſes, qui Græci erant, vt Nortmannos conſpexerunt, omni effuſa ciuitate cum ſignis Chriſtianis, cruce, thuribulis, atq; accenſo thure ante portã vrbis, intra mœnia eos introducũt, precati vt propitio Deo vrbem ingrediãtur, atq; ita in arcẽ victorem Rogerium deduxerunt. 8. Cal. Ianuarias, isq; dies deinde, qui & partus virginis eſt, feſtus Troynenſibus, ſolito celebrior, magisq; ſolennis eſt habitus. Hãc vrbem Rogerius muro, & præſidio firmans, cum ad bellum, & ad reliqua peragenda ſatis eſſet accommoda, conſtituta in ea ſede Epiſcopali, Robertoq; conſanguineo ſuo conſtituto ibidem Antiſtite, pro arce ſibi delegit. Troyna capta Rogerius in Calabriam reuerſus Eremburgam Roberti Sancte Fimię Comitis germanam ſororem vxorem duxit, & celebratis apud Melitum nuptijs in Siciliam redijt. Vbi ſtatim aſſumpto ſecum Bettumeno Sarraceno, ſelectoq; militum comitatu Petraliam natura munitum oppidum obſedit. Oppidani, qui mixtim Chriſtiani cum Sarracenis erant, firmato inter ſe communi conſilio deditionem fecerunt. Inde Rõgerius munito arte oppido, Troynã regreſſus eſt. Vbi præſidio relicto, & Bettumeno Siciliæ Præfide Cõſtituto, Melitum Calabriæ ad vxorem viſendam petijt, ex qua Gothfredũ, & Iordanũ filios poſtea ſuſcepit. Interea Bettumenus coacto exercitu plura Sarracenorum oppida expugnat, pleraq; per deditionem accipit. Subinde oppidum Cutelionem, quod ſui iuris cum eſſet, ab eo deſciuerat, dura obſidione cingit. Oppidani, qui Sarraceni erant, ad fraudem conuerſi Nichel Sarracenum vafri virum ingenij mittunt, per quem ſubdolam deditionem pollicentur. Bettumenus dum

in pateuti

in patenti castrorum loco ad colloquium à Nichele euocatur, vt mandata, quæ habebat, ei exponeret, sagitta ab arce emissa confossus interijt. Nortmanni, qui Troynæ, & Petralię præsidio erant, accepta Bettumeni morte in metum adducti desertis oppidis, Messanam, quo tutiores essent, celeri cursu petunt. Dum hæc in Sicilia geruntur: magna inter Robertum Guiscardum, & Rogerium fratrem ob imperium iniquè diuisum discordia in Calabria oritur. Nam cum Robertus Calabriæ dimidium, & omnem Siciliam Rogerio promisisset, Calabriam quidem ille parum iustè partitus est. Rogerius ea iniuria lacessitus in Robertum exercitum parat, sed prius Robertum per legatos ad æquitatem flectere conatur. Robertum respondisse ferunt. Nullum regnum posse sub duobus socijs regi. Proinde contentus sit Melito, & Squillacio, & aliud sibi polliceatur Imperium, armis acquirẽdum. Siciliam id esse, cuius iam partem adeptus erat. Cæterum Calabriam omnem, & Appuliam sibi iure omni cedere, nec ei partem deberi. Ita in viscera sua germani fratres omissis Sarracenis arma conuertunt. Fiunt ex vno populo, duo corpora, & in duos exercitus contrarios Nortmanni diuiduntur. Robertus suarum ciuitatum auxilia ad se contrahebat. Rogerius suis militibus, & rebus prospere in Sicilia gestis elatus, proprijs viribus confidebat; hunc iniuria, illum rerum cupido, atq; æmulatio regnorum ad cædem fraternam stimulabat. Primum itaq; Robertus contra Melitum, vbi Rogerius se munierat, cum copijs mouet, oppidũ oppugnat, & obsidet. Cumq; difficilior esset obsidio, duas arces contra Melitum erigit. In hac oppugnatione Arnaldus Comitissæ germanus frater occubuit. Sed cum Rogerius subsidentium plurimos occidisset, nec expugnationis spem hosti vllam ostenderet, Robertus obsidionem fœdè soluere cogitur. Rogerius vicissim selectis cum militibus Geracium Roberti oppidum petit, obsidet, oppugnat, ac paruo negotio in deditionem accipit. Robertus Geracio capto eò cum exercitu properat: recipiendoq; oppido & vi, & arte incumbit. Erat in eo Basilius probatæ fidei Roberti domesticus. Ad quem Robertus rusticum mentitus clam ciuibus Geracium ingreditur, eumq;, vt deditionem cum ciuibus pertractet hortatur. Veniam oppidanis patratæ iam rebellionis spondet, bellum se cum Rogerio, non cum Geracensibus, quos vt filios semper habuisset, suscepisse præfatur. Dum hæc Robertus pertentat, eius in oppidum ingressus continuò rescitur. Magna trepidatio ciues inuasit, publicã omnes, ac priuatam fortunam deplorant, vrbem interitui proximam miserantur. Robertus cum se detectum cognouit, è Basilij laribus fuga dilapsus in ædiculam quandam se recipit. Interea Geracenses ad domum Basilij armati concurrunt, vitam eius quærunt. Sed Basilius ne in ciuium manus deueniret, in seipsum manus iniecit, vxor vero eius à plebe capta palo affigitur. Mox Geracenses vicinas domos peruagati Robertum indagant, quem tandẽ toto corpore præ sudore madidum in ædicula repertum capiunt. Plebs in partes rapiebatur varias, pleriq; vt moreretur conclamabant, pleriq; libertate donandũ asserebant. Tandem plurimorũ sententijs carceri addicitur. Interea Duces Rogerij exercitus, de Roberti captura per certum nuntium Rogerium certiorem faciunt. Qui pietate motus, odio deposito quàm celerrime Geracium peruenit, furentis populi iram compescuit, & fratrem vinculis exemit. Robertus tanto beneficio à Rogerio donatus, victum se fratri confessus, æquam Calabriæ partem (vt conuenerat) tradidit, ac diuisum cum eo Calabriæ imperium deinceps habuit. Ita compositis germanorum fratrum rebus, Rogerius munitis Calabriæ oppidis, ad reprimendos in Sicilia Sarracenorum ausus, qui ob Bettumeni mortem iam cornua erexerant, cum Ennemburga vxore ad Troynam regressum parat. Interea Nortmanni, & qui Troynæ præerant, & qui præsidio relicti fuerant, adeo superbè, ac petulanter abſente Rogerio imperabant, vt cum non in virgines modo, sed etiam in matronarũ turbã passim dissolutissimæ libidinis flagitia porrexissent

Rogerius

Digitized by Google

Rogerius cum vxore Troynam appulsus non læta fronte, vt solebat, à Troynensibus exceptus sit. At ille lenitis græcorum animis, ac facinorosis in crucem adactis, tum vrbe etiam præsidio nouo munita, & vxore in arce relicta ad inuadenda, expugnandaq; propinqua Sarracenorum oppida proficiscitur. Nicosiam igitur Sarracenorum oppidum primum obsidet, cuius obsidio dum in lõgum protrahitur, Troynẽses seditionem redintegrant, in Nortmannos milites vxorum suarum violatores irruunt, & arcem, quo illi sese receperant, adoriuntur. Sed Normanni furenti populo obsistunt: & licet numero pauci, virtute tamen superiores fiunt. Interea Sarraceni, qui vicina oppida adhuc tenebant, auditis his motibus in Troynensium auxilium, milites ad quinq; milia mittunt. Verùm Rogerius rumore accepto omissa Nicosiæ obsidione, q̃ celerrimè Troynam ad sedandas res nouas petit. Atq; ita Troyna in duas partes dirimitur, quarum alteram Rogerius cum arce, alteram verò Græci cum Sarracenis tenebant. Sed Nortmanni intus obsessi annonæ commeatusq; inopia inferiores, Græcis vini frumenti, cæterarumq; rerum abundantia, quæ omnia Sarraceni abunde illis suppeditabant, abundantibus, vltimam experiri fortunam, & paratis, instructisq; militibus toto impetu Græcos adoriri statuũt. Nec segnius Græci, & Sarraceni ad bellum & ipsi se parant. Igitur durum vtrinq; bellum conseritur. Sed tanta Græcorum, Sarracenorumq; animos ferocia, ex recenti vxorum violata pudicitia inuaserat, vt vix impetum Normanni, tametsi tot victorijs elati, sustinerent. Rogerius ibi dum suis inter confertissimos hostes succurrit, vndiq; ab illis circũdatur. Qui vbi se obrui à circumfusa multitudine persensit, muri obice posteriora tutatus, hostes facilius eousq; sustinuit, donec ad periculũ eius, clamoremq; in ipsa congressione equus sibi ab hoste vulneratus, & occisus in terram laberetur. Vbi subito casu dilapsus à Græcis, & Sarracenis circunseptus, cum iam pro captiuo haud dubiè haberetur, inter ipsas captantium manus, adeo eius animi magnitudo præfulsit, vt non modò elapsus euaserit, sed pluribus ex ijs, qui eum tentabant, occisis, superior extiterit, & ad arcem incolumis redierit. Cumq; quatuor deinde menses hæc seditio duraſſet, coacta tandem militum selectorum manu Rogerius Grecorum aggeres, & propugnacula perrupit, cæsisq; hostium pluribus, & plerisq; captis, cæteris vero in fugam versis reliquam vrbis partem ad votum pertraxit. Inter hostes captus est Parennio factionis caput. In quem cum facinoris socijs continuò sæuissimo supplicio animaduersum est. Sedatis hoc modo secundis Troynensium motibus, & munita vrbe, & arce, Rogerius in Calabriam se cõtulit. Vbi dum paulo diutius rebus domesticis inhæret, Sarraceni, qui in Enna erant, magna Arabum ex Libya accita manu, Normannos Sicilia pellere statuunt. Quo cognito Rogerius citato gradu Troynam redijt, vnde statim Serlonem triginta cum equitibus ad Sarracenorum res iuxta Ennam explorãdas misit. Hostium aduentu præcognito Sarraceni ex insidijs, quas paratas habebant, egressi, emissarios omnes, præter Serlonem duobus cum socijs, qui fuga occupationem præuerterant, interfecere. Quocirca Rogerius iusto militum numero comitatus, in obseruatas insidias irruens, illorumq; maxima cæde facta, victor Troynam reuersus est. Vbi manubijs refertus, iterũ Sarracenorum agros populando vsq; ad Calatagironum, Ennam, & Buteram excurrens, rerum, ac animalium ingenti capta præda ad vrbem reuersus est. Post hæc anno salutis. 1063. Sarraceni, & Arabes equitum, vt pleriq; scribunt, cum triginta milibus, peditum verò præ multitudine incerto numero, atq; omni belli apparatu contra Normannos non longè à Cirami oppido egrediuntur. At Serlo Rogerij iussu triginta cum equitibus Ciramim venit: oppidum munit. Sarraceni vbi Christianos numero longè inferiores vident, audentiores facti Ciramim aggrediuntur. At Serlo, cuius supra ætatem, ac naturam virtus eo bello fuit admirabilis, cum paucis contrà egreditur, atq; in Sarracenos irruens

plures

Digitized by Google

plures illorum occidit, ac tam parua manu tot hostium milia, mirabilius ne vicerit, an aggredi sit ausus, incertum est. Rogerius Serlonis victoria audita cum numeroso suo equitatu è Troyna Ciramim & ipse venit, vbi à Vercello Baliolo Normanno equite hortatus Sarracenos insequi deliberat. Quocirca curatis prius corporibus, exercituq; in duas acies diuiso, quarum alteram Serlo, alteram verò ipse ductabat, Sarracenos adoritur, suosq; ad hostium cædem, certamq; Deo authore victoriam magnis vocibus extimulans, primus omnium pugnam capessit, laborantibus succurrit, vbi maius erat periculum, vltro se offert, hos exhortans, illos monens, bonisq; artibus ad pugnam singulos incendens. At Sarraceni vndiq; belli formidine circumstrepente, inter duas Normannorum acies concluſi, Serlonis aciem præterеuntes, Rogerium multitudine militum, ac pompa belli, & industria impetebant. At Rogerius nihilo segnior hostibus obstitit, sed contra nititur, periculosissima quæq; agreditur: & vbi confertissimos hostes acerrimè pugnare conspexisset, eo se ingerebat. Dum hæc geruntur, tum (mirum visu) inter equites ipsos Normannos Diuus quidam supra humanum modum speciosus, formisq; in equo albo, in albo amiculo insigne rubræ crucis insutum deferens, ac maximo lumine circumamictus apparuit, cuius præsentia totus exercitus roborabatur. In insigni præterea, quod in hastæ Rogerij cuspide præferebatur, pluimea crux insignita visa est. Rogerius visione disparēte aduenisse Diuum Georgium, Deumq; ipsum auspicem suis affirmabat. Proinde milites, vt tantum antesignanum sequantur, socios se illi adiungant, victoriam è cœlo par tam accipiant, magnis hortatibus admonebat. His vocibus incensi Normanni certatim in Sarracenos prosiliunt, præsentiam diuini numinis & ipsi statim sentiunt, ac hostes dissipant, cædunt, cæteros fugant. Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit: siquidem Christiani vagos, passimq; sine ordine fugientes veluti insectati, adeo sæue trucidabant, vt nemo ex tanto Barbarorum exercitu, qui paulo antè virium suarum fiducia Deum etiam contemnere non verebantur, vel ad memoriam tantæ cladis viuus superfuerit. Hæc tam pia, quàm vera cōiectatio animum subit: Rogerium cœlesti magis, q̄ humana ope victoriam adeptum: quippe quòd Normanni numero longè inferiores non propria vi, sed diuina freti tot Sarracenorum milibus bellum inferre non detrectauerunt. Authores habeo, qui memoriæ prodiderunt, ab huius victoriæ die Rogerium in scuto, & insignibus suis hanc inscriptionem deinceps gestasse, Dextera domini fecit virtutem: dextera domini exaltauit me. Quæ verba in omnibus eius diplomatis in hūc vsq; diem legūtur. Quibus & successores eius Normanni Siciliæ Reges velut hæreditario iure sunt etiam vsi. Parta igitur tam insigni victoria, & immensa auri, argenti, vestium, animalium, & rerum omnium præda capta, Rogerius quatuor camelos Sarracenorum spolijs onustos Alexandro secundo huius nominis Romano Pontifici Romam in tantæ victoriæ indicium transmisit. His rebus fœliciter gestis Troynam reuersus triumphantis more à Christianis excipitur. Post hæc Pisani, quorum nomen cum omni Italiæ, tum Genuensibus præsertim, multisq; quamremotissimis regionibus iam tum terrori fuerat, quippe qui amplissimum in Ethruria Principatum tenentes post Sardiniam, Corsicamq; subactam Sultano Aegypti bellum intulerunt, & (quod gloria dignissimum est) Hierusalem quoq; ipsam vrbem sanctam, magnamq; Palæstinæ, ac Syriæ partem pulsis Sarracenis armis prædomuerāt, à Sarracenis Panormitanis in Ethruriæ littoribus infestati, septem triremes militibus instructas ad Rogerium, dum Troynæ ageret, mittunt, eum ad Panormum regiam Sarracenorum expugnandam, non qdem prædæ, sed iniuriarum vindicandarum studio inuitant. Rogerius quia grauiora sibi bella imminebant, veritus, ne dum Panormum oppugnaret, quæ in Sicilia adeptus fuerat oppida, amitteret, in tempus commodius rem differendam respondit. Pisani

hoc

hoc responso non contenti, ex Mylis, vbi tum reliquam classem in stationibus habebant, recto cursu Panormum applicant, vrbemq; aggressi ferream cathenā, qua portus fauces claudebantur, vi tormentorum perfringunt: portum ingrediūtur, stationemq; irrumpentes quinq; naues mercibus onustas, quæ in ancoris ibi stabant, capiunt, atq; secum Pisas asportant, ex cuius prædæ pretio maximum Pisarum templum erexerunt, vt ipsorum, & Siculorum annales referunt. Erat tum annus salutis ferme. 1063. Post hæc Rogerius Golisanum, Cephaledim, ac Brucatum oppida petijt, eorumq; agris vastatis & ingenti rerum omnium capta præda, Troynam reuersus, non multo inde pòst discedens Appuliam contendit. Vbi cum Roberto paucis diebus commoratus non contemnenda militum manu inde abducta in Siciliam redijt, ac Agrigentum profectus, vastata, incensaq; eius regione, ingēti præda ditatus, Troynam repetit. Quo Sarraceni cognito Ceramensem cladem vlturi parata cum mille militum acie Normannos præda onustos repente inuadunt, qui relicta præda leui fuga salutem redemerunt. Rogerius audita suorum fuga redintegrata acie, Sarracenos adoritur, plures eorum cædit, multos capit, ac recuperata pręda, Gualtherio Simulo viro impigro, ac bellica arte insigni cum paucis alijs in ea pugna desideratis, victor ad suos redijt. Post hæc Robertus Guiscardus magna cum militum manu ex Appulia Siciliā Rogerio auxilio venit, fratriq; associatus cum totam ferme Siciliam sine vllo hostium occursu peragrassent, Panormum incredibili trium mensium obsidione cinxere. Sed cū in longum obsidio protraheretur, statione soluta, agros, in quibus opulenta Regum, & Sarracenorum ciuium palatia ad delitias extructa visebantur, in circuitu excurrunt, populantur, incendunt, in quibus etiam oppidum Burganum nomine magna vi expugnant, ac oppidanis omnibus in Calabriam per Agrigentum transmissis, funditus delent. Petraliam postea petentes, cuncta Sarracenorum oppida circumiacentia varijs vexationibus infestant, subinde Roberto ibi relicto, Panormum eodem itinere Rogerius cum copijs reuertitur. Cuius regressu prægnito Sarraceni, qui in vrbe erant, aut vincendum sibi, aut moriendum certò statuentes, maxima, atq; ea ferè innumera suorū multitudine coacta in agro, qui hucusq; Sarracenice Bayharia dicitur, loco iuxta littus maris Misilimir etiam Sarracenorum lingua hodie appellato sex ab vrbe ad orientem. p.m. recedenti, Normannis in occursum prodiere. Rogerius iam cum exercitu loco vicinus, vt hostium numerum à longè conspexit, primum quidem territus constitit, ac auxiliares Roberti milites expectare sibi videbatur. Sed mox rupta mora, resumptisq; animis ad Deum, à quo sibi tot victoriæ prouenerant, spem omnem dirigens, suos ad victoriā hortatur, ac dato militibus pugnæ signo Sarracenos principio multitudine quidem superiores inuadit. Quos, quia inconcussa Normannorum virtus, ac ferox audacia terrebat, signa confestim, ac ordinem deserere incipientes Normanni mi serabiliter cędunt, tantamq; Barbarorum stragem faciunt, vt vix nuntius quidem è tot milibus euaserit. Erat tum salutis annus. 1068. Tantæ cladis fama Panormū delata, tota vrbs in mœrorem vertitur, quippe quòd de se nihil mitius deinceps expectaret. Verùm cum interea Barus, & Tranæ vrbes in Appulia adhuc ab Imperatore Constantinopolitano detentæ contra Nortmannos plura molirentur, delata in tempus aliud Panormi obsidione, Robertus, & Rogerius in Appuliam coacti, petunt, atq; vtranq; ciuitatem magnis viribus inuadunt, & ad extremum capiunt. Quo tempore cum etiam multæ Græcorum in Calabria seditiones oriren tur, ad eas prorsus sedādas quinq; annos Robertus & Rogerius contriuere. Quibus exactis, compositisq; Appuliæ, & Calabriæ rebus, cum magno equitatus, pedi tatusq; numero instructi in Siciliam ad Panormum expugnandam reuertuntur: Nihil enim sibi tota insula tutum iudicabant, si Panormo non potirentur. Classe igitur vrbem appulsi, vt obsidio eò esset durior, quo diuturnior, trans flumen

[redacted]thum,

Digitized by Google

Orethum, vbi hodie ædis est. D. Ioanni cognomẽto à Leprosis sacra, hospitijs extructis castra locant. Deinde tribus locis vrbem oppugnant. Et Rogerius quidem à meridie, Robertus verò ab occasu, classis verò à portu eam agreditur. At Sarraceni acriter obsistebant, telis, lapidibusq; e mœnibus iactis obsidentes infestabant, quin & conuitijs eos compellebant, atq; in contemptum ludibriũq; portas vrbis apertas habere non verebantur. Cumq; Normanni milites hostium cum multitudine, tum noua audacia non mediocriter terrerentur, Robertus, & Rogerius eos ad prælium hortantur, ac meminisse iubent, cum eisdem eos nunc pugnare, quos pluries ipsi pauci superauerant, neq; superiores obsidione hostes factos, sed iferiores. His itaq; alijsq; verbis milites a Ducibus hortati, animis erigũ tur, atq; magno impetu vrbem adoriuntur. Inter hæc Normannus quidam ignoti nominis eques ingentis spiritus vir, magnum, ac memoratu dignissimum facinus gessit. Cũ etenim portã vrbis apertam in ignominiã nostrorum teneri videret, contemptum cõtẽptu superare pergens, citato equi cursu vrbis portã magno ingreditur impetu, custodem lancea transfodit, & subinde cum cæteri Sarraceni portam vt eum interciperent, clausissent, calcaribus ipse admotis toto Sarracenorum agmine circumseptus per mediam vrbem, per ignotas sibi vias, ac per medios hostes ad apertam etiam portam ciuitatis alteram ad suos illæsus euasit. Post hæc Rogerius magno nisu à meridiè machinis adhibitis, & sub idem ferme tẽpus Robertus ad occidentem vrbem oppugnant: vbi è duobus locis quassatis muro rum partibus, terribilis admodum contigit dimicatio in diuersa ruentibus militibus inclusis, & exanimata metu vrbana multitudine. Cæterùm qui vrbi intus præerant, diu obsidionem magnitudine animi, & consilio sustinebant tum intra mœnia ruinas aut reficiendo, aut noua munimenta sufficiendo, tum aduersus cuniculos alijs contrà effossionibus Christianorum laborem frustrando. Huc accedebat, quòd eruptionibus etiam crebris, & interdiu, & noctu machinis intendebant, opera turbabant, aut disijciebant. quo factum est, vt nihil aut vis, aut industria Normannos videretur adiuuare, nisi ad artem res conuerterent. Erant in arce, quam Palatium hodie appellant, Christiani milites, qui cum, fidelem operam per multa tempora Sarracenis præstitissent, tandem religionis amore vt à ceruicibus seruitutis iugum excuterent, de prodenda Normannis vrbe consilium ineunt, traductisq; in suã sententiam cõmilitonibus, principes ipsi clam in castra Normannorũ profecti cũ Roberto Guiscardo paciscuntur: vt q̃ primũ ad signum constitutũ, portæ, & mœnibus arci proximis, milites Nortmanni duces admouissent, ipsi portas aperirent. His ordinatis ad arcem reuersi carcerum interfectis custodibus captiuos Christianos, qui plurimi erant, educunt, ijsq; arma ex publico capere iussis, opportuna simul arcis loca occupant, apertoq; clamore ad libertatẽ suã ꝓfessione dignã ꝓuocant. Quos cũ Sarraceni, qui in arce præerãt, magna vi arcere frustra adniterẽtur, tãdẽ cõterriti incolumes abire ꝓmittũtur, atq; Christiani milites recepta arce sese in sua iura vẽdicãt, & Normãnis ex alto signũ (vt cõuentũ fuerat) exhibẽt. Normãni ex edito signo vt captã arcẽ cognoscũt, ad murũ ꝓpinquũ exercitũ admouent, quibus statim arcis occupatores in auxiliũ exeũtes portã vrbis ferreã quæ occidẽtẽ spectat refringũt. Normãni vrbẽ ea porta ingressi, loca multa, ac vicos exteriores, excurrũt. Quibus cũ Sarraceni, q̃ cõtra Rogeriũ se tuebãtur, relicta ea parte, turmatim armati occurrissent, atq; Normãnos vnà cũ Roberto fortiter ꝓpellerẽt, Rogerius audiẽs angustã quandã portã, quę hucusq; ab eo facto porta Victorię appellatur, cõfusa statione negligẽtius custodiri, eò totis viribus cõtẽdit, qua occupata in vrbẽ irruit, suosq; eo aditu intra mœnia deduxit. Vnde equites extẽplo peditesq; ingressi ĩ viarũ angustijs Sarracenos oẽs quot quot obuios habebãt, miserè trucidãtes, Roberto laborãti oportunũ auxiliũ prębuere. Vbi cũ diu magnis animis, multisq; cladibus, ac varijs fluctuationibus dimicatũ esset, præliũ nox superueniẽs diremit. Ea nocte vigiliæ vtrinq; in armis actæ,

Digitized by Google

Normānis in ea vrbis parte, vicisq;, quos ceperant, Sarracenis verò in vrbe veteri, quo se receperant. Porrò Sarraceni cū captam vrbis partem, & arcē, quæ præcipuæ ei ad præsidium antè erat, sine vlla auxiliorū spe conspicerent, certamq; direptionē, cædemq; ante oculos præuiderent, prima luce concione habita deditionē facere statuunt. Proinde missis ad Robertum, & Rogerium legatis de concordia tractant, ciuitatem totam, & in ea Sarracenos oēs, modò eos sub Mahometi cultu viuere permitterent, tributū annuū ob id soluturos, pollicētur. Normanni fratres probatis conditionibus, Sarracenis tanq; æqua pro se, nec indecora postulātibus, cuncta quæ ad salutem eorum oīum pertinerent, promiserunt. Nec promissis fides defuit: concepti fœderis mox factę sunt tabulæ, per quas cunctis Saracenis, qui aut in fidem Christianorū coire, aut in sua lege perseuerare vellent, libertas etiam per precones, & interpretes vulgata, concessa est, atq; ita plaudente passim populo, Christumq; viuere conclamante, vrbem Panormum Robertus, & Rogerius triūphantes anno sal. 1071. mense Iulio ingrediuntur. Recepta vrbe, non modò diripiendas militibus ciuium diuitias non permisere, sed & libera, ac inuiolata Sarracenorum corpora, sub Imperio suo tantummodo, intra vrbem esse iusserunt. In rei monumentū, ac victoriæ signum templū maximum Deipare virgini, cui id iam olim extructū, licet à Sarracenis postea profanatū, fuerat, solēni purgatione præmissa restituunt. Mox Archiepiscopū Panormitanū Græcū genere, cui Nicodemo erat nomen, qui solo titulo egenus in ædiculā S. Cyriacę, quę Sancta Dominica latine dicitur hodie, nō longè à Monte regali vrbe secesserat, in sua sede reponunt. Fuit res spectaculo digna, & contēplatione sortis humanæ, ac rerū varietate miranda. Igitur in pristinū Christianitatis statum cū summa celebritate oīa rediere. Tēpla, fana, ac ædes Christo, & Diuis excitata, supplicationes Deo decretæ, publicè, priuatimq; gratulationes cū effusa lætitia factæ. Quibus meritis quantū Roberto, & Rogerio Panormus, & Sicilia ipsa tota debeat, nec literis explicari, nec vlla oratione exprimi potest. His rite patratis, vrbē Robertus, & Rogerius firmis mœnibus, ac præsidijs, duplici arce, altera ad mare, à quo adhuc cognomen habet, altera ad occidentē, ædeq; sacra musiuo, ac vermiculato opere ab Hierusalem cognominata erectis, mirificè exornarunt. Robertus autem vrbis pulchritudine allectus eam sibi sedem habitandam, regendamq; à fratre depoposcit, reliquam verò Siciliam omnem Rogerio liberaliter concessit, cuius & Comes effectus est. Dum hæc Panormi geruntur, Serlo, qui ad arcendos Sarracenorum in mediterraneis incursus in Ceramo oppido morabatur, Sarracenis, qui Ennæ præerant, ob eximiam eius in re militari peritiam, satis erat inuisus. Idcirco Sarracenus quidam Brachinus nomine, vafræ indolis, ac dubiæ fidei vir, dissimulato cum Serlone fœdere, insidias illi, vitæq; discrimen parauit. Extra vrbem nanq;, quo ille venatū exire solebat, plurimos Sarracenos clam suæ factionis insidiatores collocauit, ac subinde Serloni literas per fraudem dat, ne eo itinere incedat, vbi septē numero Sarraceni mortem illi moliebantur. Serlo his auditis, ratus amicè sibi Sarracenū epistolā mississe, paucis hostibus contemptis, ex industria ad venandum egreditur. Vbi dum contra septem Sarracenos non procul conspectos se parat, ex insidijs equites septingenti cum duobus peditum milibus duce Brachino erumpentes, à tergo in Serlonem deceptum irruunt, qui dum fugam meditatur, cum paucis socijs inter confertissimos hostes à telis impetitus occiso equo ad terram inter Nicosiam, & Argyram dilapsus cecidit. Inde ad rupem maguæ asperitatis vicinam, quæ in medio ferme est itineris, per petræ cautes rependo in cacumen cum suis euasit. Vnde cum obuolutis saxis, glebis, stipitibusq; nunc hos, nunc illos Sarracenos ab ascendendo diu deterruisset, perditis desperatione socijs, cum nullā euadendi spem videret, in vltionē mortis fortiter pugnando tādem telis confossus occubuit. Sarraceni eius, ac occisorū omniū capita ceruicibus abscissa in lanceis per agros primùm, deinde per Eunæ

vrbis

vrbis vias in victoriæ ſignum, & noſtrorum ludibrium traduxerunt. Caſus rupi Serlonis nomen, quod adhuc retinet, dedit. Robertus, & Rogerius vbi Serlonis mortem primùm cognouerunt, mitigato poſt aliquod tempus dolore, ad eam vlciſcendam ſe parant. Sed Robertus multis in Appulia, & Calabria rebus arduis euocatus, relicto in Sicilia Rogerio ipſe receſſit. Rogerius dum Robertus Calabriam petit, arces duas erexit, ad cauam Paternionis vnam, ex qua Catanam vrbem, quæ, poſt mortem Bettumeni ad Sarracenos defecerat, obſideret, alteram in Mazara vrbe, cuius commoditate adiacentem regionem infeſtaret. Interea Robertus Calabriam veniens contra Giſulfum eius ſororium Sygelaycæ vxoris germanum fratrem, & Salerni Principem mouet, ac tandem cum Richardo aduerſæ vrbis Principe, & cum Amalphitanis, Salernum dura adeo & terra, & mari obſidione cingit, vt commeatu omni deficiente feles, & ſorices edere obſeſſos coegerit. Abegelardus & Hermanus Roberti, & Rogerij ex fratre Vmfredo nepotes, qui ob Appuliam à Guiſcardo ſibi ereptam (vt præmeminimus) in auxilium Giſulphi aduenerant, Salernum ingrediuntur, ac ſtrenuè primùm, fortiterq; vrbem aduerſus Robertum tuentur. Sed Robertus neutiq; Salerno diſcedens, durius premebat, demũ ſeptimo obſidionis menſe in deditionem Salernum accepit, vrbem muniuit, & eccleſiam S. Matthæi ædificauit. Tãdẽ Abegelardus & Hermanus germanus eius frater Cõſtãtinopolim ad Imperatorẽ Roberto relicta tota Appulia, & Calabria cõtedunt, vbi paulo poſt dies ſuos clauſerũt. Ita igitur Robertus Guiſcardus multis in locis rem ſuam auxit: deinde in Siciliã reuerſus arcem, quam in monte Caltaxibetto ad Ennã obſidendã cũ Rogerio erexerat, omni cõmeatu, ac militum præſidio, vt Serlonis mortẽ contra Brachinum, cunctoſq; Ennenſes vlciſceretur, muniuit. Interea dum ea obſidetur, Sarraceni è Tuneto magna claſſe inſtructa, ſoluentes littoralibus Siciliæ locis infeſtatis, Calabriã inuaſere. Vbi. 28. die Iunij Nicotrũ vrbẽ noctu ex improuiſo inuaſam capiũt, ac ingenti virorũ, mulierũ, & oĩum rerũ abducta prẽda incendunt, & Tunetũ, vnde venerũt, redeũt. Ea deinde direptione elati anno ſal. 1075. rurſus è Tuneto mouentes in Siciliã veniunt, ac Mazarã vrbẽ aggreſsi paruo negotio eã capiunt, arce tamẽ, quã anno tertio Rogerius erexerat, ipſiq; octo tũ diebus oppugnauerant, inexpugnata. Qui arci præerant, per nuntiũ Rogeriũ Ennæ obſidioni intentũ ſignificatis Mazaræ rebus ad ſubſidiũ euocant. Is nuntio accepto confeſtim militibus inſtructus Mazarã aduolat, arcẽq; noctu per poſticũ ingreditur. Illuceſcẽte verò cũ ſuis clã arce egreſſus in Sarracenos tota vrbe ſine vlla repentini caſus ſuſpicione irruit, cædit, capit, paucis fuſis, & ad claſſem fugatis, atq; ita Mazarã vrbem ſtrenuè recipit: Sarracenisq; fœdè Tunetũ, vnde venerant, infœliciter fugatis, munit. Poſt hæc Rogerius relicto in Sicilia Hugone Gozecta ſuo genero Præſide, viro, militia præclariſsimo, genere Normanno, Calabriam petit. Huic, qui Catanæ agebat, in mandatis dedit, ne ea vrbe cõtra Sarracenos egrederetur, veritus ne, qd' tãdẽ euenit, accideret. Ille enim vix Rogerio diſcedente Iordanũ eius filiũ, quẽ Troynæ pater Præfectũ reliquerat, ad ſe Catanã ad ſtrenuũ quoddã facinus peragendũ pellexit. Quo cum ille iuiſſet: Benameth quidam, qui eo tempore Sarracenorũ reliquijs in Sicilia præerat, Syracuſis vbi habitabat, coacta magna ſuorum manu, Catanã quoq; cõtendit, vbi cũ nõ procul ab vrbe inſidias paraſſet, vt incautos opprimeret, ſubin de equites fermè triginta ad Catanenſes irritandos vſq; ad vrbis mœnia emiſit. Quo viſo Hugo, & Iordanus cum militibus egreſsi Sarracenis occurrunt, cum hoſtes p/o ſtratagematis conſilio terga verterent, atq; illi ad locum vſq; inſidiarum fugam ſimulatam inſequerentur, Benameth cũ reliqua ſuorum multitudine, ac Sarracenis cæteris, ex latebris erumpentes in noſtros nil tale opinantes exiliunt, fitq; cruenta pugna, in qua Hugo ipſe cum plurimis occubuit, cęteris ad arcem Paternionis fugatis, ac Iordano ſolo Catanam incolumi reuerſo, vnde Benameth

victor, spolijs onustus, Syracusas retro se retulit. Huius cladis Rogerius fama acce-
pta, rebus Calabrię quàcelerrimè expeditis, in Siciliam redit: iustoq; exercitu cō-
parato contra Benameth mouet, atq; inter eundū Zoticā Sarracenorū oppidum,
quod Iudica hodie dicitur, qua transitus ei patebat, magna vi impetitū breui ex-
pugnat, Sarracenisq; omnibus præter mulieres, quas Calabriam venū misit, cæsis,
funditus anno sal. 1076. delet. Inde Hugonis mortem adhuc vlturus, Neetū vsq;
agros omnes ferro, & igni depopulatur. Segetes etiam, quæ tum maturæ erant,
absumebat. Interea Iordanus filius cum selecta militum manu Drepanū nauiga-
uit, vbi cum paucis in locum insidijs idoneum ingressus, Sarracenos Drepano
exituros præstolabatur. Prima luce Sarraceni oppido tumultuariè ad pascua cū ar
mentis ibāt. Quos Iordanus eminus ab vrbe cōspectos ex latibulis exiliens ador-
tus, prædā ingētē capit. Quo Sarraceni q in vrbe erāt cognito, exercitu coacto pa
lantem insequuntur. Sed ille intrepidè retrouersus Sarracenos aggreditur. Ingēs
igitur prælium conseritur, quo cū vtrinq; initio accerrimè pugnatū esset, Sarrace
nos paulo pòst inferiores vsq; ad vrbis portā multa eorum strage edita compulit,
Inde præda recepta, nauiq; imposita properato cursu vrbem obsidet, oppugnat,
tādēq; ad deditionē cogit. Capto Drepāo, Rogerius superuenit, vrbē ingreditur,
atq; arce, & propugnaculis collapsam munit. Post hæc per eam prouinciam duo-
decim Sarracenorū oppidula capit, subigit, prædam militibus distribuit, ac demū
Biccarum oppidū fecesit. Vbi paucis diebus cōmoratus ad Castrū nouū Sarrace-
norū oppidum à molitore quodam adiutus, atq; ab ijs, qui in tutela oppidum te-
nebāt, inuitatus venit, illudq; oppugnat. Quo intellecto Bettunes oppidi domi-
nus collecta supellectile veritus ne in manus Normannorū veniret, noctu dimissa
sede fugam arripuit. Sarraceni quoq; domino destituti deditionem fecerūt. Atq;
ita Rogerius Castro nouo potitus, arcē præsidio muniuit. Per idem ferme tēpus
cum Rogerius ad maris littus non longè à Catana duas erexisset arces, quæ paruo
à se inuicem disidebant spatio, vnde ex vna ad alteram via muro, macerieq; clau-
sa Rogerius, cum necessitas postulabat, incedere consueuerat, tum fortè ex more
ambularet, Sarraceni, qui Scalluni appellabantur, re comperta, in myrteto, quod
inter arces frequens erat, insidias ei parauerunt, è quibus eggressi repentino
impetu incautum confecissent, nisi Enisco rdus eques genere Brito occurrens sua
morte Principem liberasset. At Rogerius assumpta militū manu insidiatores ab
Aetna monte Troynam vsq; insecutus, omnes propè interfecit. Atq; inde Acim
oppidū anno sal. 1079. adortus dedentibus se Sarracenis facilè in potestatē suā
redegit. Cæterū cū Robertus Guiscardus anno sal. 1081. mense Maio in Michae-
lis Constantinopolitani gratiam, qui ad eum venerat, in Græciam nauigasset:
Rogerius ab eo Appuliæ, & Calabriæ Præfecturā suscepit. Is è Sicilia discessurus
Catanæ vrbi Bettumenū Sarracenū Præfectū reliquit. Qui cum à Benauiro Sarra-
ceno Syracusarū, & Neeti Principe muneribus corruptus cōmissam suæ fidei vrbē
per proditionē tradidisset, Iordanus, cui absente Patre Siciliæ onus impendebat,
assumptis secū Roberto Suediuallo, & Helia Clotonensi Sarracenis in Christi fide
iuratis ad ꝓditā ciuitatē repetendā ꝓfectus, Beneuirū, ac Bettumenū cū magno
equitū, peditūq; exercitu obuios post cruentū bellū, ingentēq; Sarracenorū stra-
gē superior factus intra vrbis mœnia fugauit. Qui diu obsessi, veriti ne in manus
Christianorū redacti ꝓditionis pœnas darēt, relicta Iordano Catana, ꝑ posterio-
res vrbis latebras egressi Syracusas ꝓfecti sunt. Vbi Bettumenus impietatis suppli
ciū à Benauiro ipso occisus luit. Rogerius post hæc in Siciliā reuersus Messanā ve-
nit, quā nouis mœnibus, & ꝓpugnaculis ad maris ꝑsertim littus à fundamētis ere
ctis ornauit. Arcem præterea ad verticem curui littoris, excitauit, ædemq; sa-
cram Seruatori dicatam cum cœnobio ordinis S. Basilij illi adiuncto erexit, quod
& Rogerius Rex postmodum ditauit. Subinde templum Diuo Nicolao in vrbe

condidit,

Digitized by Google

condidit, cleroq; ornatum, Ecclesię Troynensi subiecit, licet paulo post translata illuc Sede Episcopali, Robertum Episcopum illi dicauerit. Dum hæc in Sicilia a Rogerio geruntur, Robertus Guiscardus, cum ad eum Tarenti agentem Michael Dioclizius Constantinopolitanus Imperator, a Nicephoro Buccamaro ab Imperio deiectus, rusticum mentitus supplex venisset, vt sibi ad Imperium repetendum esset auxilio, mandato Gregorij septimi Romani Pōtificis, ad quem quoq; ille ad Ceperanum, vt Imperio restitueretur, accesserat, firmatis legibus, & rebus Italiæ Rogerio fratri Siciliæ Comiti comendatis vt diximus, cum Boemundo filio natu maiori, viro militia strenuo, atq; Michaele ipso, magno classe instructus ex Hidrunto mense Maio contra Dirachiū, vrbem bello per necessariam, traicit, & terra & mari obsidet. Nicephorus cognita Dirachij obsidione, cum Venetis fœdus init, atq; classe contra Guiscardum educta, magno illato acceptoq; incōmodo, Robertum fugat, Boemundo filio terrestrem oppugnationem non omittente. Guiscardus aduersa hac pugna animo minime fractus, in Italiam ad reparandam Classem reddijt. Nicephorus parta victoria, Alexium cognomento Megam, militum Magistrum, Andrianopolim ad iustum exercitum contra Boemūdum cogendum mittit. Alexius, Imperij potiundi, ea motuum occasione, animo erigitur, exercitum ingentem comparat, milites profusissimis stipendijs, ac militiæ etiam Sacramento sibi astringit, veteranas præterea copias, quæ Nicephoro militare Solebant, stipendijs fraudat, idq; in Imperatoris auaritiam, & mandatum reijcit, vt milites ob id in furorem acti, in Nicephorum insurgerent. Post hæc vt eos ad sui amorem pertraheret, equis, vestibus, & supellectili argentea, & aurea, quam suam ipsius esse illis constabat, donatos consolabatur. Quibus artibus tandem effecit, vt veterani primum, ac deinde cæteri milites subsequuti, in auari, crudelisq; Nicephori pernitiem coniurarent, atq; ipsum Alexium, non vltra Magistrum militum, sed Imperatorem editis vocibus appellarēt, explicatisq; signis, ac facto agmine, vrbē Constantinopolim contenderent. Nicephorus nūtio inexpectatæ seditionis recepto, arma raptim capit, portas vrbis, simul & mœnia fido præsidio munit. Sed Arxion Alemanus Prætorianæ cohortis magister, largitionibus ab Alexio corruptus, vrbis portam, quā Burgarorum vocabāt, noctu hostibus aperuit, atq; Alexium cum exercitu in die Dominicæ Cœnæ in vrbē victorē introduxit. Capta vrbe, & hostilē in modū per triduū direpta, Nicephorus ab Alexio captus, id solū obtinuit, vt monasticā vitam professus, salute donaretur. Alexius vrbe potitus, in die Pascatis imperiali Diademate Coronatur, & vt ꝓditionis scelus apud ciues obtegeret, Michaelocum Michaelis Diolizij filiū plæbi acceptissimū, consortē imperij sibi asciuit, atq; exercitus ad Dirachium seruandum ductorem constituit. Dū hæc apud Constantinopolim geruntur, Robertus Guiscardus, dimisso in Italia Michaele Dioclizio, cū reparata classe, Dirachium reuersus maritimā obsidionem, Boemundus filius terrestrem dure continuabāt. Quo audito Alexius, statim cū Michaelocto cōtra ꝓgreditur, cōmissoq; prelio, Guiscardus, interfecto cū pluribus Michaelocto, & cū cæteris fugato Alexio, p̄clarā victoriā cū Boemūdo filio adeptus est. Fuisse in Alexij exercitu milites supra septuaginta milia, pauciores vero cū Roberto, & Boemūdo, scriptores memoriæ ꝓdiderūt, & idcirco victoria insignior. Dirachini videntes penes Normanos victoriā stetisse, deditionē statim & ipsi fecerūt. Capto Dirachio, Robertus & Boemundus fœlici victoriæ cursu tota pene Dalmatia nullo labore sibi potiuntur. Interea dū hæc apud Dalmatas gerūtur, Henricus Alemanię Imperator, Gregorio septimo Romano Pontifici infensissimus, cū Guiberto suo, quem Antipapā elegerat, Romā venit, Leoninā vrbem, Gregorio se in Molē Hadriani recipiente, cœpit, atq; apud. D. Petri Aedē residens, oīa eius edificia demolitus est. Quo euenit, vt hinc Hērico, inde fame sæuiēte, Romani maximis Calamitatibus

affecti, vrbem ferme omnem deseruerint. Gregorius tãta Clade oppressus, Guiscardum ex Dalmatis accersit. Robertus Pontificis nuntio accepto, rebus Dalmatiæ Boemundo filio Præfecto, ad Henricum Roma pellendum, & Gregorium in sua sede restituendum proficiscitur. Cuius aduentu territus Henricus, tumultuarie in die Pascatis a Guiberto Antipapa Corona Imperiali, quam sibi Gregorius toties denegauerat, donatus, statim Guiberto secum abducto, Romanisq; Gregorij hostibus vrbe comendata, Senas longis itineribus profugit, ita vt eadem die, & hora Senas ipse, & Robertus vrbis Romæ portas attigerit, & frustra obsistentibus sibi Romanis, in vrbem per portam Flaminiam irrumpens ingreditur, atq; obuia quæq; ad Triumphalem vsq; Domiciani Arcum incendit. Romani, qui Pontifici aduersabantur exterriti, in Capitolium se recipiunt, muniũt, & strenue, se defendunt. Guiscardus Lateranum sibi occupat, vt haberet, vnde Romanos obsidere posset. Hinc crebro cruentissima vtrinq; commissa sunt prælia, quibus ea pars vrbis ab exercitu Guiscardi ignibus est absumpta, quæ Lateranum, & capitolium interiacet. Subinde Guiscardus Capitoliũ magna vi expugnat, capit, & simul cum vrbe tota misere diripit. Vrbe direpta, & Fortunis ciuium militibus in prædam concessis, ad Molem Hadriani vbi Pontifex a Romanis dura obsidione præmebatur, profectus, Pontificem Carcere liberat, secũq;, cũ Romæ tutus nõ esset, Salernũ, quod sui iuris erat, pducit. Robertus superatis Romanis, Fugatoq; Henrico, ac liberato Gregorio Pontifice, Dalmatiam reuersus est, vbi rursus bello nauali contra Alexium pugnat, superat, & fugat. Robertus Parta hac victoria, & Græciæ Principatu sibi adscripto, ad Casiopeum insulæ Corcyræ Promontorium nauigat, vt Constantinopolim inde contra Alexium contenderet. Vbi dum ageret, anno ætatis suæ. 62. salutis vero. 1083. mense Iulio, morbo corripitur, Boemundo Filio maiori, Principatu Græciæ relicto, & Rogerio minori, Apuliæ, ac vrbis Panormitanę vna cum Sicalgaita matre Duce constituto, sui desiderio, interijt, Princeps, qui præter id, quod opes gentis suæ, in Sicilia. Italia & Græcia, mire auxit, duos Cæsares, Henricũ Germanum terrestri prælio, & Alexium Græcum maritimo deuicit. Interea dum hæc in Græcia a Guiscardis geruntur, & Rogerius Siciliæ Comes Roberti nomine in Apulia præfectura vteretur, in Sicilia Iordanus Rogerij Comitis filius Aulicorum assentationibus inductus rebellionem in patrem parat, Regnum inuadit, & Mistretta, & Sancto Marco oppidis captis, Troynam, vbi gaza patris erat, adortus, ab oppidanis strenuè obsistentibus, fœdè fugatus est. Quibus cognitis, Rogerius confestim ex Appulia, vbi adhuc erat, Siciliam reuertitur, vbi dissimulato in filium, ne ad Sarracenos deficeret, aliquandiu odio, paterno affectu ipsum ad se conciliat. Subinde sedata seditione, duodecim viros, qui ei desciti onem persuaserant, oculis priuat: ipsumq; ad locum supplicij adductum, primorum tandem precibus in gratiam recipit. Sub hæc, cum Cosentium vrbs Calabriæ a Rogerio Duce desciuisset, Comes Cosentinis debellatis, vrbem illi ad deditionem coegit, in cuius beneficij gratiam, Panormi dimidium, Comes à nepote recépit. Dum hæc Comes gerit, Benauir Sarracenus ingenti classe Nicotrum Calabriæ oppidum statim capit, spoliatumq; funditus delet. Subinde Rhegium nauigat, vbi egressi classe Sarraceni omnem littoralem oram populantes, Aedes Diuis Nicolao, & Gregorio sacras diruerunt: & Squillacium iter facientes, Diuæ Mariæ templum non longè ab oppido situm, solo æquarunt, ac virgines moniales omnes constupratas, in captiuitatem Syracusas secum adduxerunt. Rogerius his cognitis, classem & ipse parat, terrestriq; exercitui Iordanum præficit, Philippumq; Georgij patritij filium Græce, & Sarracenicæ linguæ peritum

ritum cum ſpeculatoria naui ad portum Syracuſarum explorandum mittit. Quo explorato, à portu Meſſanenſi ipſe ſoluit, Tauromenium nauigat, atq; inde Logninam, & Ieſebalep portũ, qui Auguſtæ eſt hodie, vbi Iordanus filius patris aduentũ p̃ſtolabatur. Ibi paratis ad bellũ neceſſarijs, Iordanus terreſtri, Comes verò maritimo curſu eadẽ hora cõtra Syracuſas mouẽt. Claſsis vt portũ attigit, cõtinuo Benauirũ cũ ſua claſſe, obuiã habuit, Qui triremẽ Rogerij ſtatim adoritur. Sed inter p̃liandũ Lupini Normãni equitis ſagitta traiectus, Rogerijq; etiã magno impetu cõſternatus, inter duas triremes cũ in natatu ſolo ſalutẽ ſperaret, dilapſus in mare ſubmerſus interijt. Morte Benauiri cognita, Sarracenorũ claſsis fugam arripit, quã magna celeritate Rogerius aſſecutus, diſsipat, ingẽtiq; ſtrage miſerã afficit. Mox Iordano ſignũ dat, vt à terra vrbẽ agreditur. Sed vtranq; hãc obſidionẽ, oppugnationẽq; Sarraceni ſtrenuè ꝓpugnãdo à mẽſe Maio ad Octobrẽ vſq; fortiter ſuſtinuere. Cũq; & laboribus feſsi, & Annonę etiã inopia p̃merẽtur, Benauiri vxor cũ filio, & primoribus aliquot noctu Syracuſis egreſsi, Neetũ ꝓfugere. Reliq; multis Chriſtiãis, quos captiuos habebãt, p̃ libertatẽ donatã ſibi cõciliatis, deditionẽ fecerũt. Captis Syracuſis Rogerius cõtra Tamictũ Sarracenũ virũ Principẽ, q; Agrigẽto, & Ennæ vrbibus imperitabat, vim belli experiri deliberat. Anno igitur ſal. 1086. Cal. Aprilis magno cũ exercitu Agrigẽtũ obſidet, tandẽq;. 6. Cal. Aug. per deditionẽ & vrbẽ, & vxorẽ Tamicti, eiusq; filios accepit. Potitus Agrigento, arce, & vrbe præſidijs munit, vxorẽ verò Tamicti pudicè tractauit, vt ea benignitate maritũ ad ſe pelliceret. Subinde maximo fœliciſsimoq; victoriæ curſu Platani, Miſſar, Suter, Rayhalbifar, Mocluſe, Rayhalmut, Nar, Caltanixet, Licata, Reminiſce, Sarracenorum oppidulis, arcibuſq; expugnatis, Ennam vrbem, quo Tamictus ſe receperat, totis viribus dura oppugnatione cinxit. Tamictus obſidionẽ ſufferre nequiens, cum domeſticis fuga ſalutẽ ſibi quærit. Sed a Normannis cognitus, capitur. Ennenſes cognito Tamicti captura, deditionem & ipſi fecerunt. Rogerius Enna capta, & arce militibus munita, Tamictum ſacris Chriſtianis initiauit, ac Melitum Calabriæ cum ſua familia incolẽdum ei dedit, vbi vſq; ad obitum probatæ ſemper fidei vixit. His fœliciter geſtis omni iam Sicilia (præter Neetum & Buteram) potitus, ſacris aliquãdiu templis, Epiſcopatibus, atq; abbatijs in pleriſq; ciuitatibus deo dicãdis operam dedit. Agrigenti quidem cathedrale templum ditiſsimè locupletatum fundauit, erexitq;. Cui Gerlandum Allobrogenſem genere, virum pium primum Epiſcopum præfecit, Catanæ Angerium, Syracuſis Stephanum, Meſſanæ Robertum ex Troyna tranſlatum, Mazaræ Stephanum Rhotomagenſem, atq; alios alibi pro cõditione locorum, aut virorum Abbates, Epiſcoposq; cõſtituit. Anno deinde ſalutis. 1089. ad Buteræ expugnationem ſe compoſuit. Vbi dum occupatur, Vrbanus Romanus Pont. huius nominis ſecundus fama tot Rogerij geſtorum excitus, Sicilã traiectus, Troynam ad eũ viſendum venit. Cuius aduẽtu percepto, Rogerius ſoluta confeſtim obſidione, ei obuiam occurrit: eumq; adorat, cui cum plura inter ſe de Græcorum cum Latinis vnione, & præſertim de Alexio Imperatore, qui ex profeſſo Latini nominis hoſtem agebat, ad fœdus attrahendo tractaſſent, diſcedenti plurima obtulit munera, ac poſtmodum Buterã reuerſus breui Buterenſes ad deditionem coegit. Quos omnes Rogerius, ne aliquid in poſterum noui molirentur, in Calabriam relegauit. Sub idem fermè tẽpus Eremburga priori Rogerij vxore defuncta, ex qua Gotfredum, & Iordanũ filios ſuſceperat, Adelaſiam Bonifacij Marchionis filiam vxorem duxit, quæ Simonem, & Rogeriũ, qui poſtea Rex fuit, liberos ſibi peperit. Anno deinde. 1090. Rogerius Mylatij ageret, Neetini viribus impares, cum æquare amplius reſiſtendo Normannorum magnitudinẽ nequirent, per legatos ſeſe ipſos in Rogerij fidem dediderunt. Sed Rogerius Neetum Iordano filio tradidit, qui ſtatim patria

Digitized by Google

iussu,ad verticem vrbis arcem erexit,quę adhuc munitissima supereſt.Rogerius totius iam Siciliæ monarcha,vlterioris imperij ſtudio ad Melitam insulam, quæ Sarracenis adhuc parebat,diripiendam ſe parat.Proinde ingenti in portu Riſcalābro ædificata classe,eaq; militibus,& omni cōmeatu ꝓbe referta, ſub Iordano administratione Siciliæ,imperioq; relicto, Melitam nauigat, milites in terram ad portum paucis obſiſtentibus,quos continuò fugauit,exponit, ac poſtridie vrbem ipſam,quæ in medio ſita eſt,adeptus,totā insulam,à Gaito Sarraceno Principe,reſtitutis ante Chriſtianis,quos ille captiuos habebat,libertate & rerum,& religionis impetrata,in fidē quoq; accepit.Capta Melita, & arce munita, Gozū insulam cum eadem classe adortus,vaſtatis prius agris,oppidum etiam per dedi tionem eiſdem conditionibus in poteſtatem redegit, atq; ita victor in Siciliam reuerſus eſt.Interea Gothfredo Rogerij Comitis maximo filio iam præmortuo, Iordanus, qui Syracusas administrabat, morbo & ipſe correptus anno ſalutis. 1093. mortem obiuit,ac in æde D.Nicolai tumulatus eſt. Quo Rogerius pater profectus,filio iuſta perſoluit.Erat nō longè à Syracuſis oppidum Pentargen appellatum,quod Iordano ſuberat,cuius incolæ audita Principis morte, libertate conclamata,à Comite deſciſcunt.Rogerius nihil cunctatus Pentargiam cū exercitu confeſtim profectus,oppidum obſidet,ac magna vi impetitum,tandem expugnat,deſcitionisq; authoribus furca ſuſpenſis,reliquiſq; ciuibus ī diuerſa tormenta afflictis,totum delet.Cuius adhuc ſuper littus ſparſis ruinis,turris recens Targiæ cognomine,veſtigium retinet.Poſt hæc Comes anno ſal. 1095. Conradum Henrici Germani Cæſaris filium,& Alemannum Vngariæ Regem ſibi Generos aſciuit.Eodem ferme tempore cum à Iordano Sororis filio, Capuæ, Neapolis,& Auerſæ Principe,Capua rebellaſſet,ipſe magno cū exercitu contra Capuā venit,eamq; obſedit.Verum nondiu pòſt Capuani dura nimis obſidione preſsi, ipſius Rogerij Comitis conſilio,ſe Iordano dediderunt.Recepta Capua,Comes Salernum ſe contulit. Quo cum & Vrbanus Rom.Pont.congratulatum veniſſet, & Robertum Epiſcopum Troynenſem Legatum in Sicilia inconſulto Rogerio inſtituiſſet,Comite id ægreferente,eundem abrogauit,Rogeriumq;, ac Simonē filium,ſiue alterum eius hæredem Legatos in Sicilia hoc priuilegio inſtituit, quo Siculi Reges Monarchica poteſtate hucuſq; vtuntur,cuius verba ſunt hæc.

Vrbanus Epiſcopus Seruus ſeruorum dei, chariſsimo filio Rogerio Comiti Calabriæ,& Siciliæ ſalutem,& Apoſtolicam benedictionem. Quia propter prudentiam tuam, ſupernæ maieſtatis dignatio,te multis triumphis, & honoribus exaltauit,& probitas tua in ſarracenorum finibus eccleſiam dei plurimum dilatauit,& Sanctæ ſedi Apoſtolicę deuotam ſe multimodis ſemper exhibuit:Nos in ſpecialem,atq; chariſsimum filium eiuſdem vniuerſalis matris eccleſię te aſſumpſimus. Idcirco de tuę probitatis ſinceritate plurimum confidentes,ſicut verbis promiſimus,ita literarum authoritate firmamus,quod omni vitæ tuæ tempore, vel filij tui Simonis,aut alterius,qui legitimus tui hæres extiterit, nullū in terra poteſtatis veſtræ præter voluntatem,aut conſilium veſtrum, Legatum Romanæ eccleſiæ ſtatuemus.Quinimo quæ per Legatum acturi ſumus, per veſtram induſtriā, Legati vice, cohiberi volumus,quādo ad vos ex latere noſtro mitteremus ad ſalutem ſanctarū eccleſiarum,quæ ſub veſtra poteſtate conſiſtunt,& ad honorem beati Petri, ſanctæq; eius ſedis Apoſtolicæ, cui deuote hactenus obediſti, quāq; in neceſsitatibus ſuis ſtrenuè & fideliter adiuuiſti. Si vero celebrabitur Concilium,& ibi mandauero quatenus Epiſcopos, & Abbates tuæ terræ mihi mittas, quot, & quos volueris mihi mittas, alios vero ad ſeruitiū eccleſiarum tuarum retineas.Omnipotens deus,actus tuos in beneplacito ſuo dirigat, & te à peccatis abſolutum,in vitam æternam perducat.Datum Salerni per manus Ioānis ſanctæ Romanæ eccleſię Diaconi Cardinalis,tertio nonas Iulij inditiōis ſeptimæ.

Digitized by Google

timę, Anno pōtificatus noſtri vndecimo, hucuſq; Vrbanus. Poſthęc Rogerius, Re Chriſtiana, maximis ſuis laboribus, & ſacris bellis aucta, in q̄bus ante pręliū, rei diuinæ, placādiſq; ſupis incūbebat, In certamine, cohortādis excitādiſq;, & cōſilio, & exemplo militibus, In victoria, ſupplicationibus, Gratijſq; Deo optimo Maximo agendis, Poſt triumphos, purificandis, ſacrādiſq; Aedibus, quas Sarraceni omni nefario ſcelere profanauerant, ac Templis, Cœnobijs, & Eccleſijs Cathedralibus erigendis, ditandiſq;, quibus huc vſq; Sicilia paſsim decoratur, dū ſibi nulla in re ſancta parcit, maximo ſui deſiderio, ac Simone, & Rogerio liberis, relictis, e vita exceſsit Meliti Calabrię, Anno ſal. 1101. menſe Iulio, ſeptuageſimo ætatis anno, & in Aede ſacra quā ibidē Diuę Trinitati magnifice cōſtruxerat, & liberaliter dotauerat, humatus eſt. Quē oēs Duces, Normanni, Frāci, Lombardi, Appuli, Calabri, & Siculi, non ſecus, ac publicum parentem luxere, nullo non genere honoris funeri eius adhibito, vt merito ad reliquos titulos, Epitheton hoc ei acceſſerit. Rogerius, Comes Calabriæ, & Siciliæ, Chriſtianorum adiutor.

DE SIMONE SICILIAE COMITE.

CAPVT SECVNDVM.

ROgerio Siciliæ Comite defuncto, Simon ex Adelaſia ſecunda eius vxore filius maior natu Siciliæ, & Calabriæ Principatui ſuccedit. Qui poſt graues ab Appulis ſeditiones perpeſſas, tandem nulla relicta prole, breui rerū potitus, exceſsit.

DE ROGERIO SICILIAE REGE.

CAPVT TERTIVM.

SIMONE decedente, Rogerius Germanus eius frater, quem falſo aliqui Rogerij Boſsi Primi Siciliæ Comitis ex fratre Nepotem aſſerunt, in principatu Siciliæ ſuffectus eſt, anno ſal. 1102. & Romæ Paſcali ſecūdo huius nominis Pontifice ſedente. Is a primis adoleſcentię temporibus, fœliciſsimis naturæ incrementis, ſummam virilis ætatis maturitatem ſortitus, omni voluptatis ſtudio poſthabito, continua armorum meditatione flagrabat, ſuorumq; natalium æmulatione, omne vitæ tempus ſpectatis militiæ operibus exegit, Initio ſui principatus Gratiam Pontificis primū ſibi conciliauit, per oratores illi debitis obedientiæ votis vltro præſtitis, ac auri Siculi vntijs mille, copijſq; militum ad iuſtum numerum, vt contra Gibertum Antipapam, ſe tueri, ac Eccleſiæ dei propelabenti conſulere poſſet, dono tranſmiſsis. Deinde ad maiora animos erigens, Antiochiæ, Appuliæ, Calabriæ, & Hieroſolymæ Regna affectare cœpit. Cuius rei occaſionem, ex Affinium Rogerij, & Boemundi, Roberti Guiſcardi filiorum cōtentione, ac Adelaſiæ matris geſtis commodam accepit. Quod, q̄ breuiſsime potero, paulo altius auſpicatus, enarrabo. Roberto Guiſcardo ſumma gloria defuncto, Boemundus e Rogerius duo eius filij, de opibus paternis ambigebant, quod e diuerſis matribus eſſent, ille ex Aberarda, hic ex Sicalgaita, nec contennenda pars diuitiarū, benefitio, doteq; poſterioris vxoris, ad patrem deuenerat. Rogerius minor dictitabat ſe Apuliæ Ducem teſtamento patris, Boemundus maior ægreferens in Italia patrē nullam hereditatis partem ſibi reliquiſſe, claſſem ſuā, quam defuncto genitore in Græcia paratam habebat, contra Hidruntum Apuliæ vrbem, & Rogerium Guiſcardum Germanum eius fratrem eduxit, atq; cum eo pro Ducatu Apuliæ bello non longe a Beneuento commiſſo dimicans, cū victus fuiſſet,

Digitized by Google

fuiſſet,interuenientibus Vrbano Pontifice,qui tum regnabat, & Rogerio Boſſo Siciliæ Comite eorum patruo,Tarento vrbe,& Apuliæ parte Boemundo conceſſa, Rogerius Ducatus Apuliæ titulum ſibi retinuit. Sed paulo poſt Boemundus receptis a fratre ciuitatibus oppidiſq; parum contentus, Rogerio Guiſcardo in Sicilia contra Sarracenos in vrbe Panormo,quæ ſui iuris erat,deficientes bellum gerente,Melphim quoq; vrbem furto ſibi occupat. Quo audito, Rogerius Dux, ſedato Panormo, e Sicilia reuerſus,cum viginti Sarracenorum milibus prætio conductis Boemūdum fratrē Melphi obſidet, atq; acriter oppugnat. Dū hæc ad Melphim inter Guiſcardos fratres geruntur.Bellum Sacrum, & ingens a Principibus Chriſtianis Suadente Pontifice Romano,& ad id apud Claromontem Galliæ vrbem Synodum celebrante,ad repetendam Hieroſolymam, paratur,cōcurrentibus vndiq; ad tam pium opus Proceribus Gallis,Germanis,Vngaris,Italis, Græcis.Quo bello decreto,Boemundus Guiſcardus,Cupiditate gloriæ incenſus, relicta Melphi,cū viginti Lucanorum,Brutiorum,Apulorum,& Siculorum equitum milibus, inſignia ſacræ militiæ ſuſcipiens,ad Sacrum bellū ,pficiſcitur.Cuius animi præſtantia motus Rogerius Dux frater eius poſitis armis, omnē Apuliam cum eo comunem eſſe voluit,ac Tancredum ſororis filiū, militia ſtrenuum belli Sacri Comitem ſibi tradidit.Chriſtiani igitur Principes in Aſiam ad Sacrū Bellum contendunt, atq; loco appulſi, magnis viribus, Niceam Sarracenorum vrbem adoriuntur,ſed deficiente commeatu ab hoſtibus magna clade accepta opprimuntur.At Boemundus Guiſcardus, cum Alexio Imperatore nomine totius exercitus his legibus pacem firmat,vt Alexius commeatum omnem militibus præberet,& vt omnes vrbes(præter Hieroſolymā)quæ e manu Sarracenorū reciperentur,Alexio parerent. His conditionibus firmato cum Alexio fœdere, noſtri tranſmiſſo Boſphoro,Niceam vrbem rurſus aggreſsi,per deditionem recipiunt.Nicea Munita,Boemundus Guiſcardus procerum conſenſu cum parte copiarum Hieroſolimam verſus mouet, In itinere ab ingenti Sarracenorū manu repentino & inexpectato impetu præpetitur.Collata acie,pugnatur aliquandiu vtrinq; acerrime,& ſola nocte bellum dirimitur.Illuceſcente,hoſte nuſq; cōparente,noſtri iter ingreſsi fœlici victoriæ curſu Leonium,Heracleam, Tarſum, Ediſſam,Miniſtram,Cæſaream Cappadociæ,ac Ciliciam omnem ordine capiūt. Antiochiam poſtea vrbem maximam,Petri Apoſtoli olim ſedem,Lucæ,& Theophili Patriam,Orientis Arcem,dupplici muro, ac quingentis ferme propugnaculis cintam, cui Caſsianus Rex tum præerat,anno ſal.1097. obſident, ac demū, Pyrro Antiocheno, viro Principe, vrbis ingreſſum præbente, qui Boemundi Guiſcardi nauatam in ea expugnatione ſtrenue operam,ac virtutem admiratus dediturum ſe noſtris vrbem ſpopondit,ſi eidem Boemundum cū Imperio præficerent,expugnant, Ingreſsi Antiochiā,Chriſtianis indulgent, & in Sarracenos ſolum ſæuiunt,Captæ Antiochiæ cum Corbanus Perſiæ Regis filius,Indiæ Princeps centum quinquaginta armatorum, & Camelorum viginti milibus inſtructus, auxiliaris veniſſet, Boemundus,tanta hoſtiū multitudine nihil territus,cum copijs ſuis numero lōge inferioribus,magno ei animo occurrit.Et prælata Chriſti Lancea,in Aede Diui Andreę Antiochiæ reperta,veluti explicato vexillo optimo,hoſtes adoritur, ſuperat,& cœdit, quorum centum circiter milia occubuiſſe Scriptores memorant. Capta Antiochia,Boemundus Principatum inſtanter poſcit,obſiſtente Alexio,qui ſibi ex fœdere prius inito deberi affirmabat.Delectis,comuni voto,ad diſcordiam dirimendam arbitris ſacris viris, Antiochiæ Principatus Boemundo collatus eſt. Poſt hæc Duces Hieroſolymam cū victore exercitu cōtendunt,vrbem quatuor locis,magnis animis, & viribus eodem ſimul tempore oppugnant, quæ tandem trigeſimo nono obſidionis die idibus Iulij,anno ſal.1100. & anno. 490. poſtq; imperante Heraclio a Sarracenis occupata

Digitized by Google

occupata fuerat, expugnata est, Gothfredo omnium consensu Rege constituto. Capta a nostris Hierosolyma, & anno sequenti Gothfredo decedente, & Balduino eius Germano fratre in Regem suffecto, Sarraceni ad Repetendam Hierosolimã contra nostros mouent, & multis vtrinq; cæsis, superantur. In ea pugna Boemundus Guiscardus in manus Barbarorum venit. Capto Boemũdo, Tancredus eius ex sorore nepos, Principatum Antiochiæ pro Auunculo captiuo administrãdum suscepit, & paulo post ingenti comparato exercitu, contra Acconem vrbem, quæ Ptolemais, & Actis est, bellum mouet, terra & mari oppugnat, ac vigesimo, die, magna Sarracenorum strage edita, expugnat. Triennio subinde emenso, Boemundum Auunculum magno auri pondere, redimit, & Antiochiæ principatum restituit. Boemũdus seruitute liberatus, sacrum bellum rursus excitat, & Antiochiæ Principatu Nepoti commisso, in Galliam Idemtidem facturus petit, sed per fines Constantinopolitanos transiturus, metu Alexij mortuum mentitus, in Archa clausus a suis in Galliam defertur. Vbi excitatis ad Sacrum Bellum Francis, constantiam Philippi Francorum Regis filiam vxorem ducit, ex qua paulo post Boemundum filium suscepit. Inde in Græciam reuersus, contra Alexium Imperatorem, qui maritimas Antiocheni principatus vrbes ob repulsam infestabat, cum equitum quinq;, & peditum quadraginta milibus feliciter mouit, vt confractis illius viribus, & vrbibus eius maritimis direptis, vniuersam Epyrum sibi subiecerit, & ad pacem tandem certis legibus illum compulerit. Post hæc cum ea classe quam contra Alexium parauerat, in Asiam ad Sacrũ Bellum contendit, Beritum maritimam Phœniciæ vrbem, duobus mensibus obsedit, atq; Sydon, & Tyrum cum Balduino Rege consociatis viribus magna nostrorum lætitia cepit. In tanta vero felicitate, Boemundus æstate sequenti, anno salutis 1108. febre correptus, relicto Boemundo filio, decem & octo annos nato morte sublatus, omnia luctu compleuit. Mortuus est quoq; & per ea tempora Rogerius Guiscardus Boemundi frater, relicto in Apuliæ Ducatu Guilelmo filio. Erat Boemundus Boemundi filius, Genitore decedente, in suo Principatu Tarentino. Qui morte Patris audita. Cum Guilelmo Guiscardo Apuliæ Duce Consobrino suo, concordiam de futura rerum successione inijt, vt vter eorum prior vita decederet, alter in vniuersum ei succederet. Post hæc parata classe, omniq; commeatu instructa, Syriam nauigat, paternum Græciæ, & Antiochiæ Principatum accepturus. Cui ad Portum ostij Orontis fluuij, decẽ fere. p. m. ab Antiochia distantem appulso, Balduinus Rex, magno procerum numero comitatus amicissime occurrit, Antiochiæ Principatum restituit, & Elisam filiam in vxorem tradidit. Celebratis nuptijs, cum Balduinus ad confirmandum Regium Aerarium quod expilatum erat, Adelasiæ Siciliæ Comitissæ immensas opes affectaret, quas viuente Rogerio marito Siciliæ primo Comite, ex Sarracenorũ manubijs coaceruasse vndiq; constabat, nouo affinitatis vinculo fretus, cum Boemundo Genero Adelasiæ nuptias tractat. Sed Affinitatem impediebat Aleonora vxor, olim a Balduino ex Edissa vrbe accepta, ex qua iã duas susceperat filias, & q̃ postea ab eo repulsa, adhuc inhumanis erat, licet rumore incerto mortua ferebatur. Erat eo tempore Hierosolymorum Patriarcha, Arnulphus, cui nihil ad extremam malignitatem deerat, Is, & si Reginam viuere, sibi & Regi constaret, gnarus tamen auaritiæ Regis, opes Adelasiæ, & non nuptias appetentis, in Adulationem illius, cuius fauorem, in fallendis etiam hominibus sibi aucupabatur, a Balduino, & Boemundo fraudis ignaro ad Adelasiam, & Rogerium filium ad hymeneos firmandos legatus mittitur. Huius igitur consilijs nefarijs, & fraudem silentio contegentis, sub spetie nuptiarum, coniugijq; prætextu, Adelasiæ, Consensu Rogerij filij minus id suspicãtis, hac formula Regalis traditur anulus, vt mortuo Balduino, Mascula Proles ex eis gignenda, siue (si inanis foret Thorus) Rogerius ipse

Adelasiæ

Adelasiæ filius Siciliæ Comes, Hierosolymæ Regno succederet. Firmato hac lege connubio. Adelasia, magna classe auro onusta, Sicilia soluit, & Acconem primum, mox Hierosolimam applicuit, vbi regio more, a Balduino Rege, & tota vrbe excipitur, Regalibus ornamentis redimitur, Genialis Thorus communicatur, opes Siculæ Balduino dotales fiunt, atq; tribus annis tanq̃ legitima sponsa, & Regina habetur. Quibus emensis, nulla interim suscepta prole, Balduinus febre corripitur, religione tangitur, & facinoris pertesus, priori vxore recepta, Adelasiam ære consumpto, & pudore violato, in Siciliam, lachrimabili sane spectaculo, remittit. Quæ res in primis animos multitudinis exulcerauit, quasiq; luctum publicum effecit. Hinc itaq; potissimũ per vrbem ciues turbati, fraudem non satis æquo animo ferunt, facinus immane & Sacrilegũ in Regẽ & Patriarcham palã reijciunt, & Homines, Deosq; vltores appellant. Adelasia in Siciliam reuersa, cum ignominiam sufferre diu nequiret, in morbum lethalem incidit, & apud Pactas vrbem, anno salutis. 1118. fato concessit, in Templo maximo tumulata, vbi & Sepulchrum eius hucusq; cernitur. Hac contumelia, iniquissimoq; facto, Rogerius filius, Siciliæ Comes exagitatus, ad vindictam animũ exarsit, & dum vixit, Hierosolymitanos (nulli parcens) perpetuis iniurijs, ac maleficijs funestauit. Dum hæc apud Hierosolymam geruntur, Boemundus Guiscardus iunior, Antiochiæ princeps, immensis copijs instructus, Caphardanum Sarracenorum oppidum aggreditur, & expugnat, & deinde cum Hugone Pagano primo Templariorum magistro, Comite Tripolitano, & maxima Principum, & Populorum orientalium multitudine, contra Damascum vrbẽ contendit, eiusq; fines ingreditur. Sed milites prædę auidi, cũ prædando regionem excurrerent, a Doldequino Damascenorum Principe, exercitu instructo, petuntur, superantur, & in fugam vertuntur. Parta ac victoria, Rodoamus Sarracenus Alapiæ Princeps Antiochiæ Principatum adoritur, cuncta vastat, & incendiis fœdat. Huic Boemũdus Princeps, magna suorum equitum, & peditum manu occurrit, atq; demum conserto prælio iuxta Palliorum pratum, suis eum deserentibus, ab hostibus victus, & gladio confossus, occubuit, relicta constantia filia impuberi, Raymundo Guilelmi Aquitanorũ Comitis filio, nupta. Boemundo occiso, Rogerius Siciliæ Comes, cum iure hereditario Antiochię Principatũ ambiret, cognito, quod Raymundus Antiochiam ex Anglia, vbi eo tempore erat, ad vxorem, & Principatũ sibi accipiendum, petere pararet, in singulis Apuliæ vrbibus insidias illi tendit, spe (si casus eueniret) Principatus potiundi. Sed Raymundus explorato Rogerii Comitis animo, rusticum mentitus, pedester Antiochiam venit, atq; agente Rodulpho Patriarcha Antiocheno, cõstantia in vxorẽ ducta, principatum obtinuit. Interiectis posth[illegible] paucis diebus cũ Patriarcha Romã cõcederet, ab insidiis apud Brundusiũ ipse captus, Panormũ ad Rogeriũ perductus est, & fœdere percusso, principatũ Antiochenum ei promittit, & liber dimittitur. Causa deinde Romæ egregie disputata, & Triremibus Rogerii Antiochiam reuersus, cum accuratissime, cum proceribus rẽm Rogerii perageret, a Raymundo (vt fama fuit) venenatus interiit. Rogerius eius morte audita, Antiocheni principatus obtinendi spẽ omnem amisit. Dum hæc Rogerius Comes apud Antiochiam frustra molitur, Guilelmus, Rogerii Guiscardi Apuliæ Ducis filius, mortuo genitore, sui principatus initio a Calixto Romanæ sedis tũ præsule, Sacramento prius adactus, & in Ducatu Apuliæ confirmatus, Romanæ ecclesiæ præfectus & ipse deligitur. Is ea confirmatione elatus, Alexii Constantinopolitani Imperatoris iam defuncti filiam pluries sibi patre viuente pactam, in vxorem ducturus, Constantinopolim ire cõstituit. Sed veritus Rogerii Siciliæ noui Comitis, & Cõsobrini ingẽtes spiritus & ausus, nõ prius Italia discedere decreuit, quam q̃ Calixtus Romanus Pontifex Apuliæ Ducatum, in suam, & Romanæ sedis tutelam susciperet. Igitur

Guilelmus

Digitized by Google

Guilelmus, Appuliæ & Calabriæ Ducatu sub Pontificis protectione relicto, Constantinopolim petijt. Vix Guilelmus medium iter emensserat, cum Rogerius Siciliæ Comes, susceptam à Pontifice Romano consobrini rerum administrationem paruifaciens, Calabriam inuasit, ac prius dimidiam occupauit, quam Pontifici de ope afferenda spacium daretur. Igitur Calixtus Calabriæ inuasione audita, Beneuentum venit, Hugonemq; Cardinalem ad Rogerium, tunc Nicephorum Calabriæ oppidum obsidentem, vt eũ ab armis arceret, misit. At ille neq; precibus, neq; minis territus, Pontifici obtemperat, sed acrius instat, & bellum vrget, ne cõsobrinus fortasse rediens, impedimento sibi foret. Calixtus e contra, bellum & ipse parat, sed interea subita vi febrium cum Senatu lacessitus, expeditione omissa Romam redire compellitur. Rogerius ab hostibus liber, Calabriam omnem Appuliamq; agressus, nemine sibi obsistente breui sibi subiecit. Interea Guilelmus Constantinopolitana vxore Græcorum dolis frustratus, Salernum cum redijsset, paucis ibi post diebus nulla relicta prole mortem obijt. Quo tempore & Boemundus etiam, e viuis sublatus est. Rogerius igitur aduersarijs defunctis, & Roberti Guiscardi propagine penitus deficiente, iure successionis Calabriam, & Appuliam sub Ducatus titulo obtinuit. Quo circa tantarum rerum successu elatus, minusq; idoneũ ratus, tantam, ac tam latè diffusam potentiam, Comitis, aut Ducis nomine coarctari, iam non amplius Appuliæ Ducem, & Siciliæ Comitem se appellari passus, Regium nomen prouincijs, quibus præerat, aptandum, & perennem sui notitiam Regio stemmate, & principio hoc splendido commendandam curauit. Animos faciebant illi opes, resq; lætæ, ac maiores sui, qui priuata nobilitate orti, audendo, augendoq; ad maxima quæq; peruenissent. Igitur à suis Rex tum Italiæ, tũ Siciliæ salutatur. Et Panormi anno salutis. 1129. Idibus Maij in Regem Siciliæ vngitur, & coronatur. Interfuerunt eius coronationi non solùm Siciliæ, sed etiam Neapolitani proceres, ac Præsules, Rogerius Beneuentanus, Ioannes Salernitanus, & Philippus Capuanus Antistites, Riccardus Caietanus Dux, Anselmus Piperius Comes de Sancta flore, Petrus de S. Seuerino Marturani Dominus, & complures alij, vrbemq; ipsam Panormum regiam constituit, vt eius diplomate constat, Fama ducta per manus Panormitanos adhuc tenet, stirpem de Carauellis, quæ adhuc Panormi nobilis supereſt, corona Siciliæ Reges insignire, ex priuilegio Rogerij Regis habuisse, Andreamq; Carauellum Rogerium Regem coronasse. Hæc cum Calistus Ro. Pont. resciuit, animo nõ minus celso, q̃ irato in Rogerium se erigit. Verùm dum bellum contra illum molitur, anno Pontificatus sui quinto decessit. Cui Honorius secundus Romanus Pont. suffectus non minori, q̃ Calixtus prædecessor, quòd Italiæ sibi titulũ arrogaret, odio in illũ exarsit. Veritus tamẽ ne se absente motus aliquos Romani in vrbe excitarent, aperto bello contra Rogeriũ foris mouere non est ausus, sed domi semper se cõtinuit, licet pleriq; magno cum exercitu vsq; in Appuliam eum contra Rogerium profectum, doliseq; postea a suis circumuentum pacem ei, ac regiones captas Pontificũ more confirmasse scribant. At cum Romæ anno salutis. 1130. Honorio defuncto Innocentius secundus successisset, eadem causa in Rogerium accensus, tumultuario exercitu collecto tanta celeritate mouit, vt ad Sanctum Germanum oppidum (vbi in castris erat) Rogerium nihil tale metuentẽ improuiso impetu adortus repulerit, atq; oppido capto, hostem in castro Gallucio, in quod se fuga receperat, aliquandiu acriter obsederit. At præter sententiam Pontifici belli fortuna euenit. Erat enim Rogerio Guilelmus filius, quem ex Eluira vxore susceperat, militia præclarus, & à patre Tarẽti Principatus titulo insignitus. Is patris obsidione percepta confestim exercitu comparato genitori suppetias tulit, commisitq; contra Innocentium acerrime prælio, & patrem liberauit, & exercitu Romano profligato Innocentium, Cardinalesq;, qui cum eo aderant, cepit, & in

vincula

vnicula coegit. Sed Rogerius non multo pòst & viri sanctitate, & dignitatis maiestate motus non modò à periculo præseruatum, sed & reuerentissimè, officiosissimeq; habitum liberum cum Senatu dimisit. Illinc igitur religio, hinc gratus animus præfulsit. Nam Innocentius in tanti beneficij gratiam ei non modo quæ petierat, sed & vrbem Neapolim, quæ vsq; ad ea tempora Græcorum Imperatori paruerat, cum reliquo terræ Laboris, Appuliæ, ac Calabrię ad fretum vsq; Siculum corpore præter Regiũ titulum concesserit, licet sint, qui etiam & Regium titulũ, non Italiæ, sed Siciliæ, Ducatus Appuliæ, & Principatus Capuæ ab eodem tũ promeruisse asserant. Ingreditur itaq; Rogerius cum Pontifice Neapolim magno tũ suorum, tum ciuium applausu, quo die centum quinquaginta milites instituit, duosq; menses ibidem festos egit. At cum vno anno Neapoli consumpto Panormum cum tribus nauibus onerarijs, & aliquot triremibus repeteret, vix angustas Capreæ insulæ fauces egressus, suborta tempestate adeo varia pelagi iactatione fuit agitatus, vt naufragio vicinus extiterit. Sed cum votũ rite, & ex animo oblatum nuncupasset, quod vbi primum littus attigisset, ibi. D. Georgio ædem se sacram, ac omnium Saluatori templum ingens, sacerdotumq; ei cœnobium coniun tũ excitaturũ vouisset, Cephaledim tandẽ ad sextum Augusti diẽ appulsus, subductis in terram nauibus votum fideliter soluit, ciuitatemq; ipsam à rupe ad littus translatam Episcopali dignitate, ac nouis mœnibus decorauit. Romani interea, qui Innocentium à Rogerio captum audiuerant, Petrum, Leonis Romanni ciuis ditissimi filium, Egidio Cardinali Tusculanorum Episcopo adnitẽte, adulterinũ Pontificem sub Anacleti nomine crearunt. Innocentius hoc cognito, cũm imparem viribus se videret, e Neapoli in Frãciam ad Philippum Regem profugit. Rogerius Innocentio fugato, Anacleto se addixit Pontificem eũ salutat, atq; adorat. Anacletus versa vice, contributo Rogerio cũ Brutijs, Lucanis, Appulis, & Calabris, regio quoq; nomini non Italiæ, sed Siciliæ, Ducatus Appuliæ, & principatus Capuæ, quod ab Innocentio (si Blondo credimus) impetrare nequiuerat (si vero alijs) confirmato, eum sibi deuinxit. Porrò Innocentius celebrato apud Claromontem consilio, Anacletum, eiusq; sectatores damnat, & subinde cum Lothario Imperatore Germano terrestri itinere in Italiã reuersus, Romam venit, vbi profligatis his, qui Anacleto fauerant, & Anacleto inter hæc peroportunè è viuis erepto, contra Rogerium ad Barum vsq; Appuliæ oppidum nemine resistente peruenit. Rogerius vtrinq; destitutus cum viribus esset inferior, Appulia relicta in Siciliam recurrit, atq; ita Pontifex cum Lothario cuncta, quæ Rogerius in ea Italiæ parte occupauerat, recepit. Veritus tamen ne Lothario discedente Rogerius iterũ Appuliam sibi repeteret, Rameonẽ Comitem, qui cum Lothario venerat, ad tuendam cum Ducatus nomine Appuliam reliquit. Cæterùm post hæc anno salutis. 1145. Innocentio decedente, & Celestino secundo primùm, mox Lucio secundo, ac Eugenio demum tertio Ro. sedis per ordinem Pontificibus tepidè res Appuliæ tutantibus, Rogerius regiones omnes, ac Italiæ vrbes, quas Innocentius & Lotharius sibi abstulerãt, pulso Rameone Duce breui recepit, sed modestiori vt ceperat, titulo vsus non Italiæ, vt prius, sed Siciliæ, Ducatus Appuliæ, & Principatus Capuę se Regem appellabat, vt in eius diplomatibus adhuc legimus. Quem titulum in omnibus suis regnis postea Celestinũ, siue Lucium, vt alij scribunt ei concessisse memoriæ proditum est. Rogerius rebus suis pacatis cum nil aliud animo secum repeteret, nisi Regnum productis finibus ampliare, classem ingentem instruit, ac contra Sarracenos soluens maritimam Libyæ oram, quæ meridionale Siciliæ latus respicit, populatus, mox Tripolim, Africam, quam Mehdiam Sarraceni appellant, Sfacem, Capsiam, & alias eius regionis vrbes suo subegit imperio, ac tantis demum Sarracenos incommodis, cladibusq; afflixit, vt Tuneti quoq; Rex ingenti tributo in singulos annos ei promisso, annisq; postmodum plusq̃ triginta

persoluto

Digitized by Google

persoluto, pacē ab eo implorare coactus sit. His fœliciter gestis, cum Ludouicus Rex Francorum, suasu Eugenij tertij Romanæ sedis Præsulis Christianis, qui terram sanctam incolebant contra, Emanuelem secundum Constantinopolitanum Imperatorem, qui Palestinam inuaserat, opem laturus mouisset: Rogerius religionis studio, classe ex Africa reducta contra Imperatorem & ipse soluit, ibiq; Corcyram insulam, eiusq; vrbem, Corinthum quoq;, ac Thebas, & Euboeam insulam expugnatas, atq; imperio iure gentium abreptas, suæ ditioni subiecit. Deinde cum Ludouicum Francorum Regem, qui à S. Simeonis Antiocheno portu soluens Palestinam petebat, ingens Sarracenorum classis obuia fortè intercepisset, Rogerius forte fortuna Ludouico Regi capto occurrens cum sua classe in Sarracenos cū præda, & tali viri captiuitate in angusto positos irruit, ingentiq; clade affectis hostibus victor Christianū Regē ab interitu liberauit. Quo apud Ioppē dimisso, Constantinopolim ipse mira celeritate aduigilat, eius suburbia vidente Emanuele diripit, ac incendit, Palatium Imperatoris aliquādiu oppugnat, ac eo pugnando progressus est, vt non modo sagittas argenteas, aureasq; hortis regijs immiserit, sed & poma horti Imperialis ad gloriam, fortitudinisq; ostentationem manu ipse sua decerpserit. Quibus Veneti per Legatos cognitis sexaginta triremium classem cum Petro Bolano eorum Duce Emanueli auxiliarem miserunt. Porrò Rogerius tot damnis, & iniurijs Imperatori illatis cum Constantinopolim expugnare nequiret, inde soluens dum in Italiam remeat, in classem Venetam simul, & Græcorum, ad dimicandum satis instructam, paratamq; ex improuiso incidit, cum quibus commisso Cruento prælio, ex suis triremibus viginti amissis, submersisq;, victus cum paucis dissipatis in Siciliam profugit, non tamen illæsis hostibus. Ex Veneta nanq; classe ducibus fere milibus vulneratis, quingentis, & viginti quinq; cæsis, interijt Dux ipse Venetorum Petrus strenuè pugnās. Rogerius verò postq̄ domum incolumis peruenit, à belli turbinibus se continuit, iamq; multarum gentium manubijs locupletatus quo tantùm sibi, regnoq; domicilium compararet, in extrema Panormi parte mirifico opere arcem ram vetustate collabentem instaurat. In cuius penetralibus omnem opum, pecuniarumq; suarum summam congessit, ædem quoq; Diuo Petro Apostolo sacram munifico opere in ea à fundamentis erexit. Quā arcem, suā, atq; futurorum omnium Siciliæ Regum sedem constituit. Nam Rogerius Rex, & ei post modum succedentes, etsi Neapolitano Regno potirentur, quo tamē tenaciores rebellibus in Sicilia Sarracenis frenos imponerent, & ne noua vel qui reliqui supererant, vel qui vicinam Africam incolebant Sarraceni molirentur, in Panormo vrbe Regia longo iam tempore resederunt. Erat Rogerius ingenio promptissimo, & ad ardua quæq; nunq̄ sibi diffidens. Aliorum rationes in conciliis libenter audiebat, nihil inconsultè, nihil præceps agebat, ingentes motus animi sapientia temperabat, vt non magis viribus, q̄ prudentia & hostes contriuisse, & Regnum suum productis finibus ampliasse iudicetur. Aliorum quoq; Regnorum, ac gentium consuetudines diligentissimè inquirebat, vt si quod in eis pulchrum, aut vtile deprehendisset, id ad suos vsus redigeret. Quoscunq; viros aut consilijs vtiles, aut bello claros compererat, cumulatis eos ad virtutem beneficijs inuitabat. Iustitiæ rigorem vt nouo regno pernecessarium exercere studuit. Hinc multis pœnas grauiores, & legibus incognitas irrogabat, ac durius in quosdā animaduertebat, ne in nouitate regni flagitiosi, & seditiosi eius nimia humanitate inspecta ad conspirationis audaciam extenderentur. Pacis verò, ac belli vicissitudinem ita alternabat, vt nullum Regum, aut principum sua ætate parem habuerit. Ingentes præterea thesauros ad Regni munitionem posteritati consulens noua industria coaceruauit, ac Panormi reposuit. Aedes plures sacras insigni opere præter eas, quas recensui, erexit. Sacellum regium D. Ioanni ab Heremitis iuxta

Palatium

Palatium cum cœnobio illi coniuncto ordinis, D. Benedicti, sed & aliam ædem ei annexam. D. Georgio. D. Basilij ordinis Panormi ædificauit. Aes Campanum insigne quod Guzam Panormitani appellant, & in arce campanaria maximi templi positum fundere iussit, vt circum Latinæ literæ inscriptæ indicãt Quod forte cõfractũ Anno salutis. 1557. Petrus Aragonius & Taglauia Cardinalis, restaurauit. Messanæ Cœnobium Diui Saluatoris a Genitore conditum, & opere & diuitijs exornauit. Tres ex Eluira vxore suscepit filios Rogerium, Amphulsum, & Guilelmum, vnicamq; filiam Constantiam, sed Rogerium Appuliæ Ducem, Amphulsum Capuæ, & Guillelmum Tarenti Principes iustituit. Habuit quoq; Tancredum filium ex pellice procreatum. At cum (vt Regibus mos est) rerum futurarum liberorum prænoscendarum cupiditate incenderetur, Ioachinum Abbatem fatidici nominis virum ex continenti Italia in Siciliam accersit. Productus, inter pleraq; ex Constantia filia, si nupsisset, funestam Italiæ facem exoriturã præsagiuit. Quocirca etsi non deessent, qui Regi Constantiam veneno perimendam consulerent, Tancredi tamen nothi consilio, qui nefarium esse innocentem emori dicebat, in sacro Saluatoris Panormi eam educari, ac virginitate votiua, veloq; sacro amiciri statuit. Sed dum decretum fatidicum humano consilio impedire satagit, in illud incidit. Rogerius interea, ac Amphulsus duo maiores eius natu filij, in quibus verissima paternæ virtutis effulgebat effigies, non sine ingenti suo, & totius regni mœrore, ac luctu mortui sunt. Proinde Guilelmo, quia alius legitimus, & hæres nullus supererat, Regni diadema Rogerius adhuc viuus imposuit, eumq; sibi regni consortem asciuit. Nec diu post immensis vltra vires attritus laboribus anno ætatis. 59. regni vero. 23. salutis. 1154. in valetudinem prolapsus, Panormi defunctus, in templo maximo tumulatus est. Vrbatur dum viueret, gemino hoc epitheto. Rogerius in Christo pius potens Rex, & Christianorũ adiutor. Altero: Appulus, & Calaber, Siculus mihi seruit, & Afer.

DE GVILELMO PRIMO HVIVS NOMINIS SICILIAE REGE, QVEM MALVM APPELLANT.

CAPVT QVARTVM.

GVILELMVS vnicus superstes filius Rogerij patris successor, cum Regno palatiũ etiam, & thesauros opulentissimos suscepit. Fuit Guilelmus ingenio alioqui solerti, & militia strenuus, cupiditate vero, ac auaritia simul & crudelitate nulli secundus. Initio sui Principatus confirmationem Regni ab Adriano Quarto Ro. Pontifice postulauit. Facere id quidem Pontifici erat in animo, vt plæriq; scribunt. Verum, aduersantibus ei quibusdam, non licuit. Quapropter Guilelmus ob repulsam ira percitus, coacto maximo militum exercitu Beneuentum, Ceperanum, Baucumq; in Hernicis, quæ Romani Pontificis erant ditionis, inuadens suo Imperio adscripsit. Adrianus his iniurijs offensus, Guilelmum Regem diris inuoluit, & omnes eius ditioni subiectos Siculos, Calabros, Appulosq;, quò facilius ab eo deficiant, ab omni fidelitatis illi præstito sacramento liberat. Quo facto Appuliæ, Calabriæq; Proceres, statim Adrianum, Beneuentum vocant, non modò deperdita, sed Appuliam vniuersam Calabriamq; haud dubie recepturum. Beneuentum itaq; Adrianus accelerans fidem à Proceribus datam reipsa probauit. Nullo enim fere negotio cum suis his, quæ perdiderat, & Calabria, & Appulia Gulielmi Regnis per proditionem potitus est. Guillelmus his cognitis statim maiori iustructus exercitu, Appuliam ingressus

ingreſſus omnia ferro & igne conſumit, mox in Græcos, & Appulos mouens, qui apud Brunduſium caſtra poſuerant, incautos facile ſuperat, atq; in fidem deditos recipit, Mox Pontificem per Epiſcopum Catanenſem ad fœdus, pacemq; ſolicitans, promiſit ſe non modo erepta ei omnia reſtituturum, ſed & ex ſuis quædam alia, ſi vellet, ei condonaturum, ſi Siciliæ, Neapolitaniq; regni confirmationem ei largiretur. Pontifex his, qui pacem cum Guilelmo impedierant, grauiter offenſus, inconſultis omnibus, Guilelmum & in gratiam admittit, & in Siculo, Neapolitanoq; regno, exacto ante de eccleſia veneranda obſeruanda, tuendaq; ſanctiſsimo iureiurando, non modò affirmat, ſed & perpetuò aſcribit. Proceres, qui à Guilelmo deſciuerant, vt primùm conciliatum Regem Pontifici audierunt, fuga ſalutem ſibi quæſierunt. Ex quibus Robertus Capuæ Princeps ad Lyrim fluuium à ſuis Regi proditus, oculis, & principatu orbatur, atq; in carcerem coniectus miſerabiliter perit. His rebus pacatis anno ſalutis. 1145. Guilelmus ingenti claſſe collecta contra Sarracenos in Aegyptum traijcit, plures Sarracenorum vrbes cœpit, expugnataq;, ac deprędata Acri vrbe eorum potentiſsima, dum retro vela vertit, in claſſem Imperatoris Conſtantinopolitani hoſtis acerrimi incidit, qnam quantumuis numero impar, virtute tamen, ac animo maior aſsidens, confeſtim centum quinquaginta captis nauibus victor in Siciliam redijt. Poſtmodum excitatis inter Fridericum primum Cæſarem cognomento Barbaroſſam, & Alexandrum tertium Ro. Pont. qui Adriano ſucceſſerat, bellorum procellis, Pontificem metu ab vrbe fugam meditantem, Guilelmus Rex ſuis triremibus è Terracina in Franciam deduxit. Vnde cum idem poſtea Franciæ, & Angliæ Regum conſilio Romam rediret, & ad mare Gallicum delatus Meſſanam Siciliæ Gallico nauigio peruenisſet, Guilelmus Rex adoratum, magnoq; plauſu exceptum ab eo regnorum quoq; ſuorum titulis inſignitus incolumem cum ſuis triremibus Romam vſq; perduxit. Quocirca in his adminiſtrationis primordijs Guilelmus apud Italos magni cognomentum aſſecutus eſt. Sed poſtq̃ domi ſe continuit, è contra ignauiſsimo otij luxu, atq; auaritiæ ignominia, mali cognomentum ad ætatem vſq; meam promeruit. Legem quoq; contra omne ius condidit, vt theſauri antiqui Regis ſint, & non inuentoris, neq; domini fundi, quam Fridericus Cæſar ſecundus, & primus Siciliæ Rex poſtea confirmauit. Auaritiæ verò in eo tum multa alia, tum illud maximè memorabile eſt exemplum: quod Siculis ducta per manus fama adhuc vulgo in ore eſt, quod omni auro, argentoq; tota paſsim inſula in ſuos theſauros congeſto numos ex bubulo corio ſuo inſigni excuſos expẽdi, voceq; preconis per oppida, vt quicquid auri, argentiq; vsq̃ eſſet, ſub capitis mulcta ſibi deferretur, edixerit. Quod cũ certatim ſupplicij metus ad eum vndiq; coegiſſet: vt certius exploraret, an quid vsq̃ contra edictũ celaretur: equũ ſonipedẽ è regijs armẽtis generoſiſsimũ Panormi aureo nummo venale in foro ab aduena ꝓferri iuſsit. Cũq; diu preco inſcriptũ exiguo pretio equũ nullo emptore occurrente fruſtra ꝓclamaret, tãdẽ adoleſcẽs quidam generoſæ indolis equi cupidine incenſus ad manes paternos, vbi genitrix vnicum nummum depoſuerat, clã refugit, ex ore parentis ſepulti pretiũ caballi filius extrahit, traditq; venditori. Guilelmus vbi auri penuriã ad tã immane, ac impium facinus peruenisſe comperit, omne aurum egeſtum tum ſibi perſuaſit, ſuæq; auri fami ſatisfactũ credidit. Regnũ deinde ꝑ Maiõis ꝑditæ vitę hominis arbitriũ adminiſtrauit. Vnde cõſpiratio ipſum grauiſsima poſtea excepit. Fuit Maio natiõe Appulus, patria Barẽſis, humili ortus genere: quippe cuius pater oleũ Bari vendere ſolitus ſit. Hũc ex tenui fortuna Guilelmus Notariũ primò in curia, poſt modũ gradatim Cancellariũ, ac demũ Magnũ regni Admiratũ inſtituit, & ad opes maximas prouectũ lõgè ſupra cæteros regni ꝓceres amore proſequebatur. Quibus hic opibus, licẽtiaq; abutẽs, nihil crudelitatis, nihil violẽtiæ vt aliquid ageret

Digitized by Google

prætermittebat. Ingenium illi ad omnia versatile cui facundia non dispar, atq; simulandi, & dissimulandi quæcunq; vellet, facilitas inerat, in Venerem præceps, stupro virgines fœdare laudi sibi ducebat: tantoq; se clariorem existimabat, quanto splendidiores concubitus quacunq; ratione assequi potuisset. Is itaq; cum iam totius regni administrationem haberet, Regemq;, qui cum solus regni negotia (cæteris proceribus exclusis) tractabat, quo vellet, attrahere posse confideret, in regnandi cupiditatem prolapsus, quò facilius voto potiretur, Hugonem Panormitanum Archiepiscopum summæ industriæ, factionisq; cuiusuis virum, perfidiæ socium, ad se pellexit. Huic cum mentem in parte quidem aperuisset, dominandi tamen auiditate dissimulata, paucis persuasit, vt amoto Rege ignauo, atq; inutili vnà impuberum Regis filiorum tutelam subeant, regnumq; pueris ad pubertatis vsq; annos incolume conseruent. Quod cum inter eos conueniret, quo societas firmiori vinculo stabiliretur, fraternum fœdus Siculorum more, & iureiurando contrahunt. Inita fraternitate Hugo Maionis opera in familiarem Regis admittitur, vt quod ipse Regi suggereret, Hugonis testimonio confirmaretur. His conspirationis initijs iactis proceres quoq;, qui ei ad facinus obesse potuissent, de medio tollere operæpretium duxit. Erant eo tempore inter proceres Robertus Comes Loricelli Regis consobrinus, Simon Policastrensis Comes, & Eberardus Comes Squillacensis. Ex horum pernicie sceleris sui primitias auspicari Maio deliberat. Interea verò Rex Messanam primò, atq; inde traiecto freto Salernum proficiscitur. Quo cum Robertus Lauricelli Comes confestim velut & cæteri proceres, & affines aulici ad Regem visendum conuenissent, Maio aduentu eius præcognito sic contra eum Regis animum immutauit, vt loquendi cum Rege illi copia negata fuerit: quo mœstus, iratusq; retro discesserit. Paucis verò pòst diebus Rex cum Panormum redijsset, adeo immanes induit mores, vt præterq̃ Admirato, & Archiepiscopo, accessum ad se nemini concederet. Interea cũ ex Græcia Emanuelis classe Appuliã propediem inuasuram fama percrebesceret, omnesq; & exteri, & domestici, belli, ob suspectam iam Maionis ambitionem, vndiq; timore trepidarent, Ascorinus Regis Cancellarius, & Simon Comes magno cum exercitu & ad hostiũ impetum arcendum, & ad plebem in officio continendam in Appulia iussu Regis erant. Hinc Maio oblatam sibi occasionem non negligens, multis verbis Regi persuasit Robertum Lauricelli Comitem, quem se à Rogerio Rege auunculo in vltima voluntate regno, si filius parum idoneus videretur, præfectum iactare mentiebatur, iam tum ad Imperiũ aspirare. Cui nisi maturè occurratur, facilimè oĩa in seditionem transuersumq; itura. Quocirca ex Regis cõsensu Ascorino per certũ nuntiũ mandat, vt Robertum Capuam Regis nomine euocet, deinde capiat, & demũ sub custodia vinctũ Panormũ transmittat. Robertus, quẽ non latebat in tot suis de virtute, & fide publica meritis Maionis fraus, etsi ab Ascorino accersitus Capuã petierit, vrbẽ tamẽ, in qua iam paratas sibi esse insidias cognouerat, ingredi noluit, sed in Appuliã redijt. Verùm cũ non multo pòst inter Ascorini, & Simonis Comitis milites suggestione Maionis, qui exinde contra Simonẽ maledicendi causam habere sperabat, eousq; orta esset seditio, vt in Duces mutua quoq; iam iniuria proreperet, Ascorinus non tam verè, quàm hostiliter literis ad Maionem destinatis, Simonem omnium, quæ ad eum vsq; diem inter milites fuissent, discordiarum authorem fuisse, accusabat. Robertum quoq; Lauricelli Comitem illius indicio paratos apud Capuam carceres euasisse, nuntios inter ipsos crebro discurrere, latens inter eos, ac periculosum agitari negotium, qua causa deinceps ei minimè credendum exercitum asserebat. His acceptis Maio, singula ita Regi acerbiora, crimen delatum etiam adijciens, exposuit, vt Robertũ,

Digitized by Google

vt Robertum, & Simonem iam conſpirationis Reos rex pro certo haberet. Quod & facilius Regi perſuaſum eſt, quòd eandem in conſanguineos, affinesq; omnes iam inde ab initio Principatus ſuſpicionem induiſſet. Hinc Simon Comes à Rege (alio in eius locum exercitus Duce ſubrogato) vocatus, vt comparuit, indicta cauſa, captus, carceriq; addictus eſt. His geſtis Rex ita deinde Palatio ſe incluſit, vt nulli per multos menſes niſi Admirato, & Archiepiſcopo aut verba, aut vultum communicauerit. Quo factum eſt, vt certis de eius morte rumoribus non modò per Siciliam, ſed per Appuliam quoq; diuulgatis, Appuli in ſeditionem omnes abirent. Robertus quoq; Lauricelli Comes pleraq; maritima Appuliæ oppida occupauit. In Regione etiam Neapolitana cuncta turbine ſunt oppleta. Robertus Surrentinus, qui hæreditario ad ſe iure Capuæ Principatum pertinere aſſerebat, copijs adauctus à Capuanis ſuſcipitur, & Principatu potitus eſt. Emanuel verò Conſtantinopolitanus Imperator falſa mortis Regis fama audita cũ Roberto Lauricelli Comite ſpe recipiẽdæ Appuliæ fœdus inijt, claſſem, proceres, ac pecuniam ad eum Brunduſium tranſmiſit. Hæc vbi Panormi per certos nuntios diuulgata ſunt: Admiratus continuò eos, qui nondum à Rege deſciuerant, literis Regijs, ſuisq; crebrius ad fidei conſtantiam, rebelliumq; impedimenta hortatus, interea Panormi quoſcunq; poterat, ſibi conciliare, animumq; ſuum de cædendo Rege aperire pergit. Qui cum maturius id agendum cenſeret, ne fortè crimine detecto capitis pœna cum omnibus coniurationis ſocijs plecteretur, eſſetq; tum fortè Panormi Gotfredus Montis Canoſi Comes, virtute, militia, liberalitate, ac conſilio inſignis, rerum nihilominus inter hæc nouarum non parum cupidus: hunc, quòd opem eius plurimum in ea re neceſſariam ſibi arbitrabatur, in odium ante, indignationemq;, Regis coactum ſibi conciliauit. Tenebat oppida hic in Sicilia Neetum, Sclafanum, & Caltanixettam: ſed Neetum, quod & natura, & arte, & populi frequentia eſſet munitiſsimum, plurifaciebat. Hinc igitur Maio ad excitandam Regis apud Gotfredum inuidiam deſumpſit occaſionem. Cum nanq; Regi perſuaſiſſet, vt Neetum à Gotfredo eriperet, & ſibi pro tutela Regni deligeret, Comesq; iucundiſsima ſede præter rationem ſpoliatus, id in Rege factum, vti dolebat, ita & vlciſci ſtatuit. Maio offenſum ad ſe Gotfredum clam accerſit, ac primum triſtari ſe q̃ plurimum de amiſsione oppidi dicit, Regiq; ante factum pro iure, ſuæq; probitatis amore ſe pluries obſtitiſſe, ei iureiurando affirmat, hominis temeritatem, atq; inſaniam, illi damnat, odioſamq; reddit. Demum breui futurum vaticinatur, idq; audiſſe etiam ſe ex ipſo Rege aſſerit, vt Proceres nullos contingat in Regno ſupereſſe, qui non ab eo crudelitate etiam afficerentur, ni tempeſtiuè, & prudenter ſuccurratur. Proinde de Sceptro Regem ſtolidum, ac Tyrannum tollendum, priusq̃ tantæ peſtis exitio regnum tam fortiter propagatum, tantis maiorum titulis, totq;, ac tam præclaris victorijs illuſtratum, vnius huius hominis tyrannide corrueret. Gotfredus patienter audito Maionis conſilio, tametſi quo ſimulata eius verba tenderent, ſatis intelligeret, diſsimulauit tamen, artemq; arte ludendam inde concipiens, omnia hæc ab eo ipſo pendere ingenue ſubiunxit: quòd abſq; Admirati iudicio, nihil omnino Regem vel meditari vulgus perſuaſiſsimum crederet: eoq; ſi culpa ſe aſſerere deſiderabat, Regis ineptijs, ac tyrannide palàm ſignificatis, non diutius ipſum toleraret, ſed ad vindictam publicam, communi omnium odio, ac conſenſu depoſceret. Cui facilè omnes obſecuturos, ac ſe omnium primum non defuturum conſeruſit. Placuit Admirato mirum in modum Gotfredi reſponſio: cuius primùm prudentia ſimul, & fortitudine laudata, vti fœderis ſocium amplexus, oſculatusq;, mox Hugonis Archiepiſcopi in idem mentem, animumq;, ac plurium

Digitized by Google

aliorum procerum vnita consilia aperuit, qui perempto Rege Admiratum ipsum ad Regnũ euehendum statuerant. Tandẽ verò, quò animum eius exploraret potius, quàm quòd ex animo id cogitaret, se tantæ moli imparem imbecillitatis conscientia subintulit. Satiusq; ducere, vt Regis filius patri subrogetur. Gotfredus, quem nec in his versutia hominis fallebat, ex composito respondit. Proceres nunq̃ passuros, vt Tyranni filius regnet, qui nonnisi paternæ impietatis hæres esse posset. Sibi porrò in tanta rerum mole tutius videri, vt ipsi Admirato, qui iam non minus, q̃ Rex ab omnibus & venerari, & coli cepisset, Regia conferatur dignitas. Quibus auditis tum demum apertè Maio id futurum quidẽ aiebat, si rem ipse totis viribus amplecteretur. Tum Gotfredus omne suũ ad hoc studiũ, auxilium, vires, ac artes spondet, & quo præ gaudio lachrymantem hominem, ac labantem eius animum firmiorem redderet, seipsum quoq; iureiurando adstringit. Sed longè illi à promissis aliena mens erat, quippe quòd indignũ, turpe, miserumq; censeret, venditoris olei filium ad regnum euehi. Sed id porrò Gotfredi erat consilium, vt quam primum Maio Regem occidisset, ipse statim cum suis in homicidam, tanq̃ mortis Regiæ vltor, irrueret, Regisq; filium natu maiorem, patri substitueret hæredem. Hanc Gotfredus aduersus Maionis dolos fraudem meditatus, plurimum illi interim blandiebatur, rogans subinde ne tam præclari facinoris gloriam mora minueret. Sed vbi Gotfredus segnius eum videt rem gerere, de fidei suæ apud eum suspicione iam tum addubitans, conuerso à morte Regis consilio, in Maionem tendit insidias, quem vel in præsentia Regis, si aliter fieri non posset, sibi destinat interficiendum. ad quod facinus confœderatos habebat Simonem Sagrensem, Rogerium filium Riccardi, & plures alios Proceres, factiososq; milites plurimos. Igitur die quodam in Palatium Admirati percussores ingrediuntur. Sed cum è vestigio triremes ad portum ex Callipoli Appuliæ vrbe adueniisse intus significatum esset: nuntij nouitate, militum animos ab incepto absterrente, Admiratus fortunæ beneficio liberatus est. Gotfredus veritus ne si fortè Maio milites introductos vidisset, in suspicionem conceptæ contra se cædis deueniisset, ad rem ex tempore excogitata astutia, suspicionẽ præuenire cogitauit. Factum igitur omne ei ex ordine fingit, non quòd ad eũ, sed vt ad Regem de medio tollendum, milites in arcem introduxisset. Et ni Callipolitana classis superueniisset, Regem proculdubio eo die fuisse interiturum narrauit. Vix Gotfredus verba finierat, cum domestici Maioni suggerunt, Gotfredũ armatis cũ militibus eum interfecturum in Palatiũ iam ingressum fuisse. Quos ipse reiecit, & ex mandato suo, & contra Regem, & non contra se eas insidias adueniisse respondit. Dum his rumoribus Sicilia turbabatur, Bartholomeus Garsiliatus militibus instructus à Rege desciscens, Buteram oppidum sibi occupat. Quod cum prærupti montis, ad cuius verticẽ situ est, beneficio, munitissimum esset, seditiosi complures ex agris finitimis eo confluere, omnia prædari, loca vicina populari, & cũ plerisq; factiosis primoribus insulæ contra Regem coniurare, cœperunt. Quod vbi Rex cognouit, Eberardum Comitem probatæ, ac incorruptæ virum fidei ad eos Legatum misit: qui ab incepto eos promissa venia reuocaret. At illi se contra Regem nihil moliri responderunt. Sed eo consilio id tẽtasse, vt Maionis Admirati, & Archiepiscopi Hugonis coniurationem in Regem, regniq; in Maione ambitionem detegerẽt. Quòd si Rex de proditoribus suppliciũ sumeret, ad pedes Regios se Panormum venturos promittunt. Hæc omnia Eberardus fideliter, vti acceperat, Regi retulit. Verũ Guilelmus Rex etsi primùm atrocitate rei attonitus, in coniuratos indignatum se ostendisset, mox tamen eum sibi mortem attentare, quem ipse ex infimo, ac ignominioso fortunæ statu ad tam splendidum, ac summum nitorem, florentissimumq; iubar euexerat, immmane, & fide indignum ratus, Eberardi verbis, atq; authoritati derogauit, & penes Admiratũ fides stetit.

Digitized by Google

ſtetit. Hinc Maionis in Eberardum atrox exarſit odium, ſed ſagaci diſſimulatione in idoneum tempus vltionē differebat. Interea Gotfredus Comes, relictis per ſua oppida præſidijs, Buteram & ipſe transfugit. Quod vbi Panormi percrebuit, tota ciuitas contra Maionem in ſeditionem efferbuit, Comitem Simonem iniuſtè carceri addictum, ſubmiſsis vocibus, ac cōmixto murmure depoſcunt. His Admiratus conſternatus vbi non iam facilè plebis tumultū aliter cōpeſci poſſe vi det, Simonē iuſſu Regis de carcere extrahit. Quo liberato ſtatim ciuitatis ſtatus ita immutatus eſt, vt cum eo tranquillitas omnis reddita videretur. Poſt hæc cum Buteræ ſeditio in dies inualeſceret, & acrius vrgeret, qua facilimè tota Sicilia breui ad hoſtes defectura præuidebatur: Rex Simonem Comitem ſecum ducens cōtra Buteram exercitum mouet, oppidū obſidet, ac totis viribus oppugnat. Sed cū neq; expugnari, neq; ad deditionem flecti poſſet, tandē conſilio Simonis Squillacenſis Comitis res eò deducta eſt, vt Gotfredo Comiti, & ſocijs extra regnum facultate liberè abeundi conceſſa, Rex Buteram oppidum receperit. Hac factione in Sicilia ſublata, paucis pòſt diebus Gotfredus Meſſanam proficiſcitur, in Appuliam traiecturus: quo tēpore Aſcorinus Cancellarius ad Regem veniens, Maionē inſtigante Simonem Comitem nouis criminationibus adeo apud Regem oppreſsit, vt confeſtim inauditus, in carcerem detruſus paucis pòſt diebus interierit. Mortuo Simone, Gotfredū, qui cū ſocijs ad transfretandū iuxta conuenta cū parata naui Meſſanę morabatur, à traiectu Rex impedit, ac diligenter ſub cuſtodia vſq; ad ſuū reditū obſeruari iubet. Deinde magno cum exercitu traiecto freto Brunduſium ibi cum Conſtantinopolitanis militibus, qui eò à Roberto Lauricelli Comite euocati aduenerant, dimicaturus venit, vbi Græcis bellum detrectātibus vel ob id, quòd Roberti copię nondū eis auxilio aduenerant: Rex prælium contra inuitos ſuſcipiēs, licet principio quidem ancipitem pugnam experiretur, impares tamen numero, & viribus Græcos fudit, cæciditq;, quorū partem cū Ducibus Panormum tranſuehi imperauit. Rex ea potitus victoria contra Barum oppidum, quod ab eo iam deſciuerat, & arcē Regis oppidani demoliti fuerāt, exercitum transfert. Barenſes ſeſe inferiores regijs copijs cōfeſsi, depoſitis armis inermes victori occurrunt, veniam precantur. Rex itaq; vrbem ingreſſus vbi arcis ſuæ ruinas conſpicit: Iuſto (inquit) iudicio vobiſcum agam, vt ſicuti vos domui meæ non peperciſtis, ita nec me veſtris parcere æquū ſit. Atq; ita duorum dierū ſpatio eis cum omni ſuppellectili liberè abeundi conceſſo, funditus vrbem deleuit. Barēſis excidij fama Robertū Loricelli Comitē, aliosq; proceres, qui à Rege deſciuerant, adeo perterruit, vt relictis oppidis, quæ poſsidebant, extra regni terminos ſuæ ſaluti cōſulūerint. Quos imitatus Robertus Surrētinus, qui ſibi Capuā occupauerat, in traiectu ſl. Aquilę à Riccardo Comite, qui & ipſe defecerat, pter fidē datā captus, Regiq; traditus nō multo pòſt Panormi oculis ab Admirato eſt priuatus. Quo facto Riccardus etſi à Rege rebellionis veniam promeruerit, proditoris tamē infamiā nō effugit. Guilelmus Rex hoſtibus Græcis, & domeſticis in Appulia deuictis, rebusq; in ea parte fœliciter geſtis Panormū redijt. Vbi Gotfredū Comitē Maionis ſuaſu oculis orbatū perpetuo carceri addixit. Sed & Simō Squillacēſis Comes, qui Policaſtri remāſerat, à Rege Panormū ī capitis pœnā euocatus in ipſo itinere fœlici morte deceſsit. Guilelmus Aleſinus, Boemundus Tarſenſis, Robertus Bouēſis, Tācredus præterea, ac Guilelmus Rogerij Ducis ex nobiliſsima pellice filij, & plures alij proceres in Palatio Panormi in compedibus tenebantur, quorum aliquibus excæcatis, pleriſq; contumeliosè flagellatis, cæteros teterrimis in locis Admiratus detruſerat, ſuæq; libidini deſeruire coegerat. Neq; his eius animus quieſcebat dum Eberardum Comitem ſupereſſe videret incolumem, cui cum nihil criminis imponi poſſet, ex calunnijs occaſionem prodendi eum cepit. Cum namq; aliquando Eberardus cum paucis

venatum exisset, Admiratus cum, actionis calumniosa causa satis accommoda amplexus, confestim Regem adit, Eberardumq; cum multitudine militum vrbe absq; Regis consensu recessisse, pro desitionis manifesto argumento insimulat. Quare continuò nuntijs à Rege missis reus ab itinere reuocatus in vincula conijcitur, nec multo pòst effossis oculis lingua etiã priuatur. Maio itaq; viris fortibus, ac proceribus omnibus, qui sibi impedimento potuissent esse, iam subactis, sublatisq; ad maturandum facinus, quod necessitate ductus distulerat, tutò accingitur, prius tamen populum sibi largitionibus, muneribus, dignitatibus, quò sibi contra nobiles, & ad regnum occupandum fauerent, conciliare pergit. Simonem Seneschalcũ sororiũ suum toti Appuliæ, & Neapolitanæ regioni præficit, Stephanum quoq; germanum fratrem classis Præfectum, ac Admiratum instituit. Ipse interim indigentibus multa largitus, facilemq; se omnibus præbẽs, ac legatos vndecunq; venientes humaniter excipiens, milites bello strenuos Italos, Longobardos, ac Francos, quorum opera ad facinus peragendum satis indigebat, ad se allicit, clericos etiam magnis honoribus, beneficijsq; euehit. Interea Robertus Loricelli Comes, qui extra Appuliæ fines secesserat, Appuliam crebris incursionibus populabatur. Quo Rex exercitum mittere coactus, victoriaq; potitus, hostes plures, & cum eis copiarum Ducem Riccardum Mandra, & Episcopum Theatinum cepit, Panormumq; deductos ad supplicium pertraxit. Per idẽ quoq; tempus inter Emanuelem Constantinopolitanum Imperatorem, & Guilelmum Regem fœdus hac lege initum est, vt hinc inde captiui redderentur. Quo facto, omnibusq; iam hostibus deuictis, Maio cunctas difficultates superauerat, & non modò Admirati, sed Regis etiam dignitate tuto fungi videbatur, omnesq; Guilelmi iam ineptias, insanias, ac tyrannides non clam, vt antè, sed palàm traducebat, deridebatq;. Quòd si durius quid eis, prout cætera omnia, Rex præcipiebat, ipse confecto edicto id sua quasi authoritate reuocabat, quò plebis animos ad se à Rege pelliceret. Circa ea tempora Africam vrbem, quam Mahdiam Sarraceni appellant, quamq; Guilelmus Rex à Rogerio Rege patre captam adhuc tenebat, Abdul Mumẽ Rex Marocci, magno secum Mamudorũ Sarracenorũ, qui Athlãtis montis & Marocci Regiones incolebant, comparato exercitu durissimè terra, mariq; obsideret, classem centum sexaginta triremium, cui Gaytus Petrus Eunuchus nomine quidẽ, & habitu Christianus, animo verò, ac re Sarracenus præerat, ex Hispanijs reuocatam contra Rex emisit. Abdul Mumen Rex inopinato Christianæ classis aduentu perterritus, intra castra coegit exercitum, classem verò sexaginta triremium in terram subduxit. Quòd si Christiana classis primo appulsu ex vno latere, obsessi verò portis effractis ex alio latere in Mamudos, vt rei militaris vsus suadebat, irruissent, victus proculdubio, fususq; Sarracenorum cessisset exercitus. Sed contra accidit. Nam Petrus Sicularum triremium Præfectus certam Christianis victoriam inuidens, vltro, cum victor esset, in fugam cunctis stupentibus conuersus vela dedit ventis. Quem cum cætera classis vt inuita, ita & ægrè secuta esset, Sarraceni de proditoris dolis iam facti certiores, triremibus illico in mare coactis, fugientes insecuti, septem triremes è nostris capiunt, cæteris fœdè, ac turpiter in Siciliam fugatis. Hęc victoria sicut Sarracenorum animos extulit, ita Christianorum militum, qui vrbis præsidio erant, fiduciam plurimum deiecit, cum pauci essent, & commeatus etiam inopia premerentur. Verum cum veterani, bello strenui, & inexpugnabiles essent, nihil eorum, quæ in tanto rerum discrimine virtus potuit, omiserunt. Nam non solùm acerrimè Sarracenis obsistebant, sed & vrbe frequenter egressi nonnisi multa hostium strage edita intra mœnia se recipiebant. Quorum fortitudo inuicta Abdul Mumenum Sarracenorum Regem, iam consumptis quæ ad expugnandam vrbem erant necessaria, ad obsidionem soluendam impulerat, nisi per transfugam quendam obsessis alimenta

omnia

Digitized by Google

omnia deficere, ac iam tum ad equorum, canum, aliorumq; immundorum animalium ingluuiem peruasisse inopiam cognouisset: atq; ita mutato cõsilio, Christianos omni via, eorum etiam ipsis propositis incommodis, ad deditionem, ac ad dupla etiam, si vellent in Africa manere, stipendia, inuitare cepit: quòd si etiam in Siciliam redire mallent, liberum eis, concessis etiam ad id nauigijs, traiectum pollicitus. His auditis Christiani milites ad deliberãdum triginta dierũ inducias impetrauere, atq; in eo tẽporis interuallo missis ad Guillelmũ Regẽ Siciliã Legatis, si auxilia nõ haberent, deditionẽ se facturos, pmiserunt. Itaq; missis Panormũ eorũ nũtijs vrbis periculum, & famem extremam exponunt, suppetias, aut frumẽ tum saltem ad tolerandam obsidionem poscunt. Sed Maio, qui falsò Regi persuaserat se satis frumenti ad vnius anni commeatum Africæ vrbi transmisisse, palam maiores sumptus toto anno Regi Africã, quã omne regnũ emolumenti præbere querebatur. Quod si ea ab hostibus caperetur, nihil mali Regem passurum, sed potius lucrum. Ita igitur inauditi supplices ad Africam redierunt. Reuersis igitur absq; re frumẽtaria legatis cum Christiani milites famem diutius sufferre nequirent, ad pactum diem, prout conuenerant, vrbe Abdul Mumeno Regi tradita, in Siciliam cum largitis ad transfretandum à Sarraceno Rege nauigijs traiecerunt. Interea cum nefaria Maionis regnandi cupido, atq; coniuratio eò processisset, vt diadema, aliaq; regni insignia, quæ sibi ad rem parauerat, multis palàm etiã ostenderet, nec quisq; tamen tam apertam machinationem Regi detegere auderet, vel ob id, quod non modò id non persuasum iri, sed & quantum discriminis Eberardo Comiti, aliisq; aliquot proceribus contigisset, certò sciebant, indignitas rei omnium mentes ita aduersus Maionem commouit, vt Proceres pleriq; in Appulia communi consilio, quod palam non possent, id clandestina in Maionis mortem coniuratione anniterẽtur. Erant hi. Ionatas Comes, Riccardus de Aquila Comes Fundanus, Rogerius Acerranus Comes, Gilbertus consanguineus Reginæ, quem Rex nuper ex Hispania aduocatum Grauinæ Comitatu donauerat. Marius quoq; Burellus vir disertissimus, Salerni ad populum habita oratione, ad idem iureiurando promittendum plebem adegit. Tum multi alij toto regno nobiles, ciuitatesq;, & oppida cum eis fœdere, & Sacramento se adiunxerunt. Cæterùm Andreas de Rupecanina exul cum congregato exercitu Aquinum, Sanctum Germanum, & quædam alia Regis oppida sibi occupasset, paulo pòst ab oppidanis, qui sponte eum receperant, circumuentus, mortis periculum vix euasit. Melfenses præterea excitati decreuerant nulli deinceps Maionis mandato parere, nec in sua vrbe Præfectum, quem idem Maio aut militibus, aut regionibus præfecerat, recipere. Tota igitur Appulia his rumoribus æstuans in Maionẽ cõiurauerat. Sicilia sola quiescebat: quippe quòd in ea Procerum nullum Maio reliquisset, cui ad tam arduum facinus aggrediendum animus supereresset. Nam Comes Syluester Rogerij primi Siciliæ Comitis ex filio nepos, etsi Apulorum probaret consilium, quibus etiam Sacramento sua auxilia in actione pmiserat, domi tamen delituit, ne vel minima suspicione notaretur. Rogerius quoq; Erconensis Comes, cuius filiam Maio constuprauerat, iniuriæ suæ vindictam patienti dissimulatione, in oportunũ tẽpus reiecerat, aut alijs reseruabat. Maio vbi contra spẽ suam Procerum vires in Appulia, in immensum crescere animaduertit, Amalphiam primùm Surrentum, Neapolim, deinde Tarentum, Hydruntum, Brundusium, Barulum, vrbes maritimas, quæ nondum aperte desciuerant, per literas Regias monet, vt in fide perstent, neq; Comitum, ac proditorum rumoribus aurem præbeant. Sed cum eò res deuenisset, vt Regis literas, quas non Regis, sed Maionis proditoris & manu, & consilio scriptas esse persuasissimum habebant, nemo susciperet, vana hæc illi in scribẽdo solicitudo fuit. Proinde cum ea via nihil proficeret, Stephanum germano fratri in Appulia Præfecto, scripsit, vt duplicata

stipendiorum

stipendiorum largitione, ac lucri studio milites ad obsistendum Roberto, cæterisq; Comitibus inuitaret. At cum Simonem Senescalcum in quoddam munitissimum oppidum se Comitum metu recepisse cognouisset, senescentibus iam malis alia via incedendum ratus, Mazarien sem Episcopum Melphiam, ac in Appuliã Legatum misit, cuius authoritate Appulorum animos in officio continere posse sperabat. At ille non modò eorum indignationem non compescuit, sed cum peiora de Maionis proditione, & vitijs, q̃ illi audierant, deferret, auxit etiam iras, permouitq; ad acerbiora. Interea cum Calabria quoq;, cuius antea fides inconcussa semper extiterat, Appuliæ procellis agitari cepisset, ea res Maionis terrorem vltra modum exasperauit. Quocirca de idonea Legatione, qua principijs hisce obsisteretur, apud se statuendum maturè censuit. Erat ei gener Matthæus Bonellus genere Siculus, nobilitate insignis, multorum oppidorum Dominus, affinitate cum pluribus Calabriæ proceribus coniunctus, integræ apud omnes opinionis, militia vltra, quam ætas exigeret, strenuus, qua magnum iam inde sibi nomen pepererat, sed inconstans animo, cui adolescenti Admiratus, quòd eũ non secus, q̃ filium diligeret, filiam suam adhuc paruulam desponsauerat. Is verò cuiusdam Regis Rogerij ex pellice filiæ, quæ Hugoni Molisino Comiti nupserat, forma captus, desponsatę sibi ab Admirato virginis, eo quòd ignobilis esset, ceperat nuptias abhorrere. Quod cum Admiratus resciisset, Palatium Comitissæ diligentius custodiri præcepit, ne si ad eam aditus amatori fieret, filia sua repudium pateretur. Quæ omnia tacitè eundem Matthæum offenderunt. Cum tamen immutatæ voluntatis indicia nulla in eo animaduertisset: Maio hũc vnum ad tam arduum negotium deligens Legatum ad Calabros misit. Matthæus susceptο legationis officio Calabriam traiecit. Cæterum dum ibi populum indicta concione aduentus sui causã exposita ad Maionis innocentiam tuendam miro lenocinio perducere nititur: Rogerius Marturanus magnæ eo tempore authoritatis in Calabria vir, omnium, qui aderãt, nomine ei respondit: se satis mirari Matthęum Bonellum virum alioqui & genere claro, & virtute insigni præditum, Maionem insontem asserere, quem palam omnium voce Regis proditorem esse constet, quinimo è contra, ipsum vti Regis fidum familiarem decere, Principis sui decus vindicare, vitam tueri, ac demum proditorem de medio tollere. His, & id genus alijs artifitiosis prolixisq; sermonibus Matthæus Bonellus pertractus, ab officio susceptο ad communem sententiam reductus, Maionem certo die se interfecturum Rogerio, alijsq;, qui aderant, proceribus sacramento pollicitus, recessit. Nec minus interea de Rege interficiendo Admiratus solicitus tenebatur. Verùm cum iam dies facinori dictus instaret, atq; ipse de more cum Hugone Archiepiscopo de amouendo Rege, de filiorũ eius custodia, de seruandis thesauris, qui ingentes erant, de sedandis populi rumoribus consilia capiunt: tandem de thesaurorum, puerorumq; custodia, quos vterq; vti sibi debitos penes se esse volebat, contentio oritur. Iamq; in longũ protracta cõtrouersia cũ neuter alteri cederet, Admiratus tandem Archiepiscopo fœdum in Regem propositum prætexens, iam se incepti facinoris penituisse dixit. Hugo etsi hæc ex animo Maiouem non fuisse locutũ suspicaretur, assensum præbuit, conspirationemq; dissoluere simulauit. Maio deinde Reginam vt ab Archiepiscopo vncias auri septingẽtas extorqueret, induxit. Quo cognito Archiepiscopus tantæ iniuriæ vindictam contra Maionem suscipiẽdam, statuit. Atq; ita qui fraterno modò erant fœdere astricti, nunc alter alterius morti clàm inhiant. Admiratus illum veneno, Archiepiscopus hunc plebeio furore, ob inceptum contra regem facinus, extinguere tentat. Sub idem tempus Nicolaus, qui in Calabria Regis loco præsidebat, coniurationem Matthæi Bonelli Maioni longo ordine perscribit. Quod etsi primum ob summum, quo Bonellum prosequebatur, amorem, non credidisset, postmodum verò pluribus fide dignis

identidem

identidem sibi referentibus (& si ægrè) fidem tandem adhibuit, atq; Bonellum vlciſci omnino deliberat. Interea Bonellus è Calabria reuersus Thermas oppidū, quod Panormo. 24. p. m. abeſt, appulerat. Vbi cum ex milite quodam probatæ ſibi fidei, quem Panormi reliquerat, Maionis in ſe conflatum, ac ardens odium didicit, callidè ſtatuit non prius Thermis abſcedere, q̃ Admirati mentem explorãdo præleniret. Proinde per literas, & nuncium, ſedatas eſſe ſua opera Calabriæ ſeditiones Maionem certum reddit, Proceres omnes, & imprimis Rogerium Marturanũ amiciſsimos ei factos, atq; ad peragẽdũ quicquid ipſe præciperet, paratos. Rogatq;, vt p̃ tãtæ rei beneficio, & triſti belli principio ad lætos exitus a ſe perducto, redeũti filiæ ſuæ nuptias, quas tanto tẽpore diſtulerat, paret, & promiſsi coniugij gaudijs venientem excipiat. Quibus literis allectus Maio ſententiam mutat, non veriſimile ratus eum, qui filiæ ſuæ nuptias expetebat, mortem ſocero moliri, atq; in eos qui Bonello crimen impegerant irritatur, eiq; reſcribit, vt ſemoto metu Panormum veniat, voti, ac deſiderij compos futurus. Itaq; Bonellus vbi Panormum venit, ab Admirato benignè ſuſceptus eſt. Subinde clam Hugonem Archiepiſcopum febribus correptum adit, eiq; quid in Calabria cũ Proceribus tractaſſet, aperit. Ille vt rem acceleret, admonet, vrget. Is verò nullius admonitionis indigus, facinori perpetrando nonniſi tempus idoneum quærit, nec occaſio quæſita ſibi defuit. Nam cum decumbenti Hugoni Admiratus venenum propinari iuſsiſſet, & ille fraude ſuſpecta non abſorpſiſſet, miratus Maio, quòd tardius moreretur, idq; ex potionis exilitate euenisse ratus, cicutam multo præſentiorem parat, quam ſecum deferens horam diei circiter vndecimam Archiepiſcopum domi viſit. Erant autem eius ædes, quæ mea ætate in cœnobium diui Franciſci monialium translatæ inter templum maximum, & Papyritum amnem ſitæ Abbatiæ nouæ vulgò nomen retinent. Igitur Maio aegrotantis grabato propius aſsidens, dum de ſtatu ſuo eum rogat, celerrimè incolumitatem eum adepturum, ſi pharmacum nunq̃ ad eius ægritudinis genus non probatum remedium coram eo diligentiſsimè paratum, accipiat. Archiepiſcopus ſuſpectum eum habens, ad hæc: tanta ſe corporis ſui debilitate teneri, vt non ſine ſui maximo periculo iterũ pharmacũ etiã per medicos decretũ ſumere poſsit, reſpõdit. Interea in tãtũ temporis eorum colloquia proceſſere, vt ſol iam occiderit. Tum Archiepiſcopus nũtium Matthæo Bonello mittit, qui tempus patrandæ rei iam aduenisse nuntiet, milites ſuos clam paret, paratos diſponat, ſe interim Maionem varijs ſermonum ambagibus detenturum, dummodo ipſe vt vir fortis agat. Bonellus accepto nuntio nihil moratus in penitiorem domus partem militibus conuocatis, rem conceptam aperit, paucisq; hortatur, vt omni metu, periculoq; vacui ad facinoris tã egregij gloriam forti animo ſe accingant. At milites longa oratione nihil indigẽtes, quippe quos ad rem peragẽdam & fides data adſtrinxerat, & Maionis dudum incenderat odium, ac lucri à Matthæo promiſsi ſpes ardentiſsimè inflammauerat, nihil detrectarunt. Horum itaq; plures in via cooperta, ac teſtudinata ab Archiepiſcopi ædibus ad Regis vſq; palatium protenſa, quà Maionis fuga timeri poterat, per congrua loca diſponit. Deinde viã, qua ad ſuas erat tranſiturus ædes, quæ illæ (vti exiſtimo) ſunt, quas ætatæ meæ Georgius Bracchus inhabitabat, occultis præmuniuit inſidijs, nec cæteras plateas, angiportusq;, nequà fugere poſſet, ſegnius obſeruandas curauit. Turbæ quoq;, quæ Maionem ſequi debebat, quoſdã immiſcuit, ipſe verò cum paucis ad portam vrbis, quæ Sanctæ Agathæ de Guilla eo tempore dicebatur, quæq; hodie ampliata ea parte vrbe nulla eſt, exeuntem ab Archiepiſcopo Admiratum præuenire propoſuerat. eum nanq; locum, quòd ibi via plurimum coarctata deinceps ſeſe in triuium diuidebat, inſidijs maximè oportunum iudicabat. Interea cum inter Hugonem, & Maionem tunc ſuis ſermonibus hic amorem ſuum, curamq;, quam de ſalute ægroti non minorem, q̃

de ſua

de ſua habere iurabat, ille commendando amicum, laudandoq; , ac morbi periculum querendo, iam pluribus horis pertractis, in multam noctem conſedisſent: Admirato tandem infecta re, quam propoſuerat, ne importunior eſſet, viſum eſt diſcedendi tempus. Abeunte itaq; illo Archiepiſcopus fores diligenter obſerari iuſſit. Ille verò obequitans cũ Epiſcopo Meſſanenſi, qui ei à latere proximus equitabat, cum prope locum inſidiarum in viæ anguſtias incidiſſet, a Matthæo Notario patria Salernitano, & in familia à votis, & Adenolfo à cubiculis, qui vix ſequentem multitudinem perrumpentes ad eũ peruenerant. Matthæum Bonellum in paratis inſidijs cum militibus eſſe didicit. Quo nuntio perculſus Maio primùm conſtitit, mox reſumptis animis, Matthæum ad ſe edita voce accerſiri iubet. Bonellus vt ſua conſilia detecta conſpexit, ex inſidijs profiliens ſtricto gladio in illũ ſubito impetu ferox ſuperuenit. Coram (inquiens) ò proditor, quem requiris, adſum, ſceleribus tuis finem impoſiturus, qui vno ſimul ictu in te tam Admirati, q̃ Regis adulterum nomen abradam. At Maio etſi in re tam ſubita animo prorſus deijceretur, primum tamen enſis ictum in alteram defluens partem euaſit, ac irritum fecit. At Bonellus vehementiori impetu in eum iterum irruens, fruſtraorãtem, generiq; fidem implorantem, percuſsit. Ille accepto letali vulnere humi conſoſſus corruit, occubuitq;. Qui in eius comitatu erant, ſimul & Epiſcopus Meſſanenſis cęſo Admirato, quà quiſq; potuit, diffugierunt. Matthæus quoq; notarius vix inter noctis tenebras grauiter vulneratus effugit. Bonellus, eiusq; milites re proſperè, & ad votum patrata, cum incertum haberent, quo id factum animo Rex eſſet accepturus, Panormo ipſa nocte profugi Caccabum, quod illius erat oppidum, peruenerunt. Cognita Maionis morte tota ciuitas in gaudium ſupra quàm ſcribi poſsit, effuſa, tunc primum apertum in Maionem odium declarauit. Guillelmus Rex ingenti ea nocte, inſolitoq; ab arce plebis tumultu excitus, quid nouitatis in vrbe accidiſſet, mirabatur. Cui Oddo ſtabuli Magiſter rem omnem ordine nuntiauit. Indignatus eſt quidem prima fronte Rex, non tamen ſine proditionis, cuius ille inſimulabatur, ſuſpicione, quã ad ſe prius deferri debuiſſe querebatur. Margarita vero Regis vxor, quæ plurimũ Maioni tribuebat, impatientius, moleſtiusq; eius mortem ferens, in Bonellum, eiusq; ſocios vehementer exarſit. Interea Regis iuſſu delecti ſunt milites, qui Admirati domum cuſtodirent, & vrbem tota nocte peruigiles, nequid ſeditionis inter ciues oriretur, percurrerent: euitari tamen non potuit, quin in propinquorum, affiniumq; Admirati domos plebs irruens obuia ibi quæq; deprædaretur. Illuceſcente verò Rex Henricum Ariſtippum Catanenſem Archidiaconum, Latinis, & Græcis literis ſatis eruditũ, familiarem ſibi delegit, qui vicem, & officiũ Admirati interea gereret, præſſetq; notarijs, & cum eo de Regni negotijs pertractaret. Is igitur, & Sylueſter Comes cum fraudem, dolosq; Admirati Regi ordine narraſſent, animum tamẽ eius erga Bonellum mitigare non potuerunt, niſi inuenta poſtea in eius theſauris Regia diademata ſcelerum eius fidem indubitatam feciſſent: per quæ tum demum Rex ſe ab Admirato deceptum liquidò comperit. Proinde re comperta eodem die è veſtigio capti ſunt vterq; Stephanus, Maionis alter filius, alter germanus frater cum Matthæo notario, quo plurimùm vtebatur familiariter. Trãslati quoq; ſunt ad arcem Regiam theſauri quotquot in proditoris domo ſunt inuenti. Andreas Eunuchus, & pleriq; alij tormentis acti multa fraudis publicæ indicia depoſuere. Stephanus quoq; eius filius in carcere minis adactus nihil iureiurando ſcire ſe affirmauit, niſi Epiſcopum Tropenſem mutuò à patre trecentas auri vncias accepiſſe. Accitus Epiſcopus non modo eas, ſed & Tarenorum ſeptuaginta milia à Maione recepta Regi reſtituit. Poſt hæc iuſſu Regis Caccabum ad Bonellum miſsi ſunt legati, vt omni metu depoſito Panormum properet: Regem nanq; Maionis mortem poſt deprehenſa eius facinora acceptam habuiſſe. Bonellus etſi in Rege

parum

parum confideret, plebis tamen, & procerum fauore fretus militibus inſtructus Panormum auſus eſt venire. Vrbi appropinquantem, viri, ac mulieres turmatim magno applauſu, ingentiq; gaudio veluti patriæ, ac Regis liberatorem excipientes, ad Regem perduxere. A quo benignè, ac priſtina beneuolentia ſuſceptus eadem quoq; populi frequentia domum adductus eſt. Atq; ita malefici hominis digna occiſione non modò in Sicilia, verùm & tota Calabria, & Appulia, & Campania adeo ſibi plebis, procerumq; animos conciliauerat, vt eius vniuerſi virtutē, ac audaciam cum admiratione extollerent, ac à Rege rebellandi voluntatem omnem penitus abijcerent. Siculi verò, ac Panormitani præſertim adeo eum venerabantur, vt palàm edicere non vererentur, ſeſe etiam aduerſus Regem, ſi ob Admirati cædem in eum ſæuerius animaduertere præſumpſiſſet, arma ſumpturos. Interea cum Hugo Archiepiſcopus longa fatigatus ægritudine mortem obijſſet, cuius ope, & conſilio Bonellus plurimum valebat, Eunuchi Palatij, qui machinationum Admirati in Regem & conſcij, & participes fuerant, potentiā Bonelli ſuſpectam habentes, omnibus artibus in id incumbebant, vt Rex aduerſus eum concitaretur. Freti itaq; Reginæ conſilio Guilelmo ſuggerunt, Bonellum viribus & fauore non modò Siciliam, ac proceres omnes, qui Regem offenderant, ſed & Appuliam, & Calabriam omnem iuramento, occultisq; fœderum legibus obſtrinxiſſe, vt Rege ſublato in libertatem omnes aſſererent: & niſi prouidè ſuccurreretur, quocunq; feruor animi, cupiditas gloriæ, & populi impetus traheret, eò graſſaturum eſſe eum, qui iuriſiurandi, & affinitatis iure poſthabito, Maionem ſocerū ſuum prodiderit, & interfecerit, virum vtiq; innocentem, magni conſilij, Regis deniq; dexteram. Tum falſa eſſe confirmabant quæcunq; ipſe, eiusq; ſocij aduerſus Admiratum confinxerant. Nec Maionem inuenta in theſauris ſuis diademata ſibi parauiſſe, ſed Regi, quæ Cal. Ianuarij pro ſtrenis iuxta morem ei tranſmitteret. Proinde à Matthæo Bonello tot fœdera, tot ſocietates non in Maionis ſolùm exitiū iuitas, ſed aliò etiā tendere, maius quoddā ambire, altiusq; conari eius conſilium. Hæc & huiuſmodi alia ab Eunuchis frequenter inculcata Regis animum ita contra Bonellum immutarunt, vt neq; iam amplius inter familiares eū admitteret, neq; Maionem alia de cauſa ab eo interfectum Rex crederet, niſi vt liberius cum ſocijs quod ſecum ſtatuerat, exequeretur. Cuius tamen vindictam dum tepeſceret populi feruor differebat. Interim nihilominus ſexaginta tarenorum milia, quos curiæ ex ſponſione pro receptione ſui patrimonij promiſerat, ab eo repeti iubet, quorum ſolutionem Admiratus genero parcens clam Rege eouſq; diſtulerat. Itaq; Bonellus inopinata, repentinaq; debiti veteris exactione percuſſus, ſimulq; videns ſolito ratius ad Regem ſe vocari, ac ne pro more admitti, dubitabat quid hæc nouitas portenderet, quem & ſcrupulum auxit, quod Adenulphum Camerarium Maionis plurimum apud Regem poſſe, & tam hunc, q̄ alios hoſtes ſuos inſolentius, apertiusq;, q̄ conſuetudo pateretur, odium in ſe exercere videbat, quæ aut ſine conſenſu, aut ſine inſtinctu Regis fieri perſuadere ſibi non poterat. Nam eò furoris, & audaciæ iam proceſſerant, vt Philippus Mauſellus Adenolphi nepos cum militibus armatis viam marmoream noctu perambulans à pleriſq; viſus fuerit, domum Bonelli, quæ in eo erat vico ſerius pertranſire. Quod vbi Bonellus pro certo cognouit, ſequenti nocte milites ſuos & circa ſuam, & circa Adenolphi domum per viam coopertam vſq; ad portam Yhalgæ ita diſpoſuit, vt nullo metu ſe teneri, & æmulorum ſe non ignorare conſilia oſtenderet. His igitur, alijsq; compluribus rerum indicijs de voluntate erga ſe Regis certior ſibi maturè prouidendum cenſet, anteq̄ deliberandi libertas ſibi inuito auferatur. Matthæo de Sancta Lucia Conſobrino, multisq; alijs Siciliæ proceribus, qui literis eius acciti Panormum conuenerant, omnes ſuas moleſtias ordine retulit, iamq; ſe Eunuchorum odijs laceſſitum, à Rege etiam ad veteris debiti

ſolutionem

ſolutionem vrgeri, à quo conſeruatæ ſalutis præmium expectabat, rogans eos per fidem amicitiæ, fœderisq; nuper inter eos firmati religionem, ne ei, qui pro ſalute Regni nihil periculi detrectauerit, de ſua ſalute periclitanti deſint. Admonuit etiam maturè capiendum eſſe conſilium, vt hoſtium dolos, Regisq; deliramenta præcaueant. Siquidem vnius fuerint animi, omnem fortunam communi velint conſtantia ſuſtinere, nunq̃ à ſe plebis animos, nunq̃ militum gratiam defecturã, ac deniq; nil eis præter ſententiam ceſſurum: ſin verò diſsimulando ſubterfugere quiſq; maluerit, neminem eorum, qui in mortem Maionis conſenſerint, euaſurum. At illi tantarum rerum nouitate permoti, cum mirarentur, & grauiſsimè ferrent inde ſibi periculum, & ingratitudinem emerſiſſe, vnde meritum ſperabant: præcipuè indignabantur Adenolphum eò lapſum audaciæ, vt in Matthæum Bonellum manifeſtas auderet inimicitias exercere. Tum verò putabant tantam cauſam deinceps non habendam eſſe neglectui, aut eiuſmodi Regis Tyrannidem, inſaniamq; oportere diutius ſufferri. Quibuſdam itaq; impetu, pleriſq; conſilio rẽtentandum conſulentibus, conſilium præualuit, placuitq; coniurationis ſocios adhiberi Simonem Comitem Rogerij Regis ex pellice, Tancredumq; ducis Rogerij Guilelmi Regis fratris præmortui filios, quorum vtrunq; quicquid aduerſus Regem decretum foret, ſecuturos ſciebant: illum quidem, quòd Principatum Tarenti contra patris teſtamentum ei Rex abſtulerat, aſſerens patrem in multis erraſſe ſpuriorum amore deceptum. Hunc verò, quod eum inter Palatij muros Rex detinebat incluſum, eiusq; etiam frater Guilelmus non ſine Regis magna inuidia nuper obierat. Hos igitur ſibi Matthæus Bonellus, pluresq; alios Comites, ac potentes viros, in quibus & Rogerium Auellini Comitem Regis conſanguineum iureiurando ſibi aſtringit, confœderatq;. Fœderis autem hæc erat ſumma, vt primò Regem caperent, captum vel in inſula aliqua, vel alio loco ſecretiori includerent obſeruandum, ac demum Rogerium Regis primogenitum Ducem Appuliæ nouennem ferè puerum Regem crearent, rati populo id gratiſsimum fore, quòd nihil malignandi animo gerere viderentur, ſi patri Tyranno ob facinora ſua ſublato filium ſuum ſubſtituant. Ad hoc autem facilimus patebat aditus, ſi Malgeriũ Palatij præfectum largitionibus poſſent corrumpere, alioqui parum proceſſura res videbatur, cum ille trecentos ferme milites ſecum haberet aſsiduæ arcis cuſtodiæ deputatos, qui ſic erant per portarum anguſtias diſtributi, vt quantumuis ingentem numerum militum ab ingreſſu facilè arcerent: & ſi furtim aliquos ingredi contigiſſet, certum foret ibidem eos ſine ſpe ſalutis intercipi. At cum ingenio eſſet Malgerius maximè auſtero, & ab omni comitate alieno, timebant rem tam ſeriam dubia ſpe illi credere, & idcirco aliò conſilium conuertunt. Erat in arce Malgerij miniſter Gauarectus vulgò appellatus: in quem omnem arcis cuſtodiam, dum ipſe diſcurſando, ac quieſcendo otium terebat, vicario nomine reijcere ſolebat. Hunc igitur primùm lucro promiſſo tentant: vt flexum vident, rem ei aperiunt: conſentit ille, ad facinus ſe miniſtrum offert. Proinde patrandi ſceleris is erat ſtatutus modus. Præfixo die carceri addictos vinculis abſoluat, eosq; ad rẽperagendam ſocios aſciſcat, arma illis oportuna prouideat, qui dato ſigno repentè in auxilium proſilirent. His præparatis Bonellus Miſtrettum oppidum, quod ſui iuris erat profecturus, quò cætera ſua oppida omni commeatu, ac præſidio muniret, ſocios præmonuit, nequid ſe abſente tentarent, nec cuiq̃ alteri rem tantam crederent, ſed reditum ſuum præſtolarentur. Diſcedente Bonello ex ſocijs quidam monitorum immemores, rem militi incertæ fidei, ſed amiciſsimo aperiunt. Ille alteri, qui fortè eo ignorante, vnus erat è coniuratoribus, rem ſibi ſignificatam indicauit, facinus deteſtatus, quod Siculis omnibus non ſolum perpetuam proditionis infamiam, ſed & iacturam pariturum foret. Ille vt vafro erat ingenio, non ſe manifeſtauit, quinimo & hominem laudauit, qui tam nefario

ſceleri

Digitized by Google

sceleri non consentiret. Sed quàmprimum ab eo explicari potuit, Simonem Comitem, aliosq; coniurationis Principes adit, rem refert, consilium vt ea nocte capiant, hortatur: illuscente enim ad Regem proculdubio coniurationis indicia peruentura, nisi maturetur. Coniuratores moræ periculum veriti cum temporis angustia Bonellum è Mistretto oppido euocari non pateretur, per seipsos facinus edere statuunt. Gauarrectum igitur præmonent, vt die sequenti carceri mancipatos circiter horam tertiam, qua Rex in ampliorem locum cum Aristippo de statu Regni disserturus exire solebat, educat, atq; ita Gauarrectus hora indicta viros nobiles, quos iam armis instruxerat, vinculis educit, Principibus antè in Palatium introductis. Illi Simonem Comitem, qui cum in Palatio nutritus fuisset, viarum anfractus cognoscebat, secuti ad eum locum, vbi Rex cum Aristippo colloquia habebat, peruenerunt. Rex cum primò Simonem Comitem fratrem nothum, Tancredumq; Rogerij fratris præmortui filium ad se pergentes vidisset, indignatur primùm eis aditum patuisse, miratusq; quid vellent, vbi tandem vidit reliquam eos multitudinem armatam comitari, rem, vt erat, mente concipiens, fugere cœpit: sed à coniuratoribus repente concurrentibus comprehensus est, quem cum Guilelmus Comes Alesinus, & Robertus Bouensis strictis ensibus ad necem deposcerent, rogauit eos, à quibus tenebatur, ne se interfici paterentur, cum vltro se regno abdicare polliceretur. Tum Riccardus Mandra irruentium impetum propulsans Regem vetuit occidi. Rege capto, & fidæ custodiæ assignato, coniuratores ad penetralia Palatij ingressi cũcta diripere, & prædari cœperunt, subinde in Eunuchos Regis prolapsi cunctos interfecere. In Sarracenos postea, qui vrbem inhabitabant, impetu facto eorum bonis direptis omnes occidebant. Quorum pleriq; relicta vrbe veteri, quam eo tempore mediam appellabant, in eam vrbis partem, quæ trans Pepiretum est, secedentes fortiter ob viarum angustias Christianis obsistebant. His gestis coniuratores Rogerium maiorem natu Regis filium, quem pater antea Ducem Appuliæ creauerat, eductum ab arce per totam vrbem in equo albo veluti Regem circunducunt, quem aui sui Rogerij auspicijs regnaturum, & in Regem populi communi consensu coronandum aduentante Bonello, qui eo ipso die expectabatur, conclamabant. Gualterius quoq; Cephaledeusis Archidiaconus præceptor pueri conuocata multitudine Regis tyrannidem publicè traducebat, iusiurandumq; ab omnibus Comiti Simoni, quem Principem appellabant, coniurationis primario præstandum exigebat. Pleriq; eum increpabant, quippe quòd & minus fideliter eum agere dicebant, si in cuiusq; verba eo rerum statu iurandum foret: id Rogerio puero deberi, quem Regem futurum dicebant. Episcopi verò partim palàm de eis sententiam ferre, partim dissimulare videbantur. Plebs autem cum coniurationem Bonelli consilio ceptam cognouisset, illius aduentum auidè præstolabantur. Cum vero Bonellus transacto triduo non appareret, cœperunt inter se murmurare, ac Regi à paucis prædonibus capto condolere. Et cum id indignum, ac satis miserabile, neq; à populo sufferri debere, tum illud multo indignissimum, ac nullo modo tolerandum muscitabant, quòd thesauros ad Regni defensionem multo labore à Rogerio Rege optimo conquisitos inde latrones essent asportaturi. Hæc primùm inter paucos iactata, vbi per vulgus disseminata sunt, repente omnes veluti diuino numine acti, atq; ardentissimi alicuius Ducis impetum sequentes, ad arma concurrunt, palatium obsident, Regemq; è vinculis, & carcere solutum sibi dari expostulant, aliàs se de illis non secus, quàm de proditoribus supplicium sumpturos cõminãtur. Coniuratores tam subita rerũ mutatione territi per muros sese distribuunt, instantesq; ne propius accederent, molibus super eos deiectis accerrimè depellunt. Verum

Digitized by Google

cum pauci admodum intus essent, & ambitus Palatij diffusior pro sui defensione multo maiorem virorum copiam exposceret, ad preces conuersi, quo populi furentis iram, & impetum mitigarent, rogarunt eos, vt dum saltem Matthæus Bonellus, cæteriq; Proceres quorum id consilio inceptum fuerat, redirent, ab armis desisterent. At populi semel excitatus furor sedari non potuit, cumq; magis etiam instarent, & acriores etiam minas precibus adderent, ostendi sibi Regem deposcentes, illi populo furenti cedentes cum Bonellus non compareret, Regem, qui in tetro, occultoq; carcere detinebatur, adeunt, & cum eo primùm paciscuntur, vt liberos se, saluosq;, & incolumes esse permittat, si dimitti vellet, mox ad Ioariæ fenestras eum perductum inde populo ostendunt. Tunc viso Rege de tantæ dignitatis fastigio in tantas calamitates prolapso, in miserabili habitu crescēte commiseratione, totius populi clamor, & tumultus ingens exoritur, portas arcis ocyus aperiri postulant, censentq; non decere proditores euadere. Rex autem manu silentium indicens, iubet eos quiescere, satis (inquiens) ad promerendum satis fidelitatis, deinceps vt arma deponant, imperat. Populus Regi paruit. Itaq; tumultu plebis sedato, reseratis foribus coniuratores habita à Rege, quo maluerunt, abeundi potestate, Caccabum transfugiunt. Hæc autem repentina varietas magnam malorum breui tempore toti Regno congeriem attulit. Nã non solum plurimam virorum nobilitatem, & Thesaurorum Regis partem exhausit, sed Regni etiam viribus multum detraxit. Rogerius etenim Appuliæ Dux, Regis maior natu, paulo antè Rex à coniuratoribus, & populo salutatus, dũ in eos, qui Palatium obsidebant, per fenestram Pisanæ turris incauto prospectu caput egerit, sagitta à Dario hostiario percussus est. Ex quo tametsi letale minime vulnus accepisset, culpa tamen Regis puer interijt. Nam cum liberato patri puer applaudens occurreret, indignatus pater quòd illum hostes quasi sibi prælatum Regem appellauerint, à se maximo pedis impetu repulit. Puer digressus Reginæ, quæ à Patre passus fuerat, retulit, nec diu postea vulnere (ex patris percussione) letali facto puer interijt. Porro Rex tot malis attritus, pudoreq; recentis adhuc carceris suffusus, abiecta Regia veste, dignitatisq; iam suæ oblitus, humi mœrens sedebat, ignarus quid consilij in tanto rerum turbine caperet. Reseratisq;, & inobseruatis Palatij foribus etiam inter medios hostes sine discrimine omnes ad se venientes, benignè, ac familiariter admittebat, quibus doloris sui causam recensens lachrymas etiam ab ijs, qui eum antè oderant, extorquebat. Tandem ab Episcopis, alijsq; proceribus, qui ad congratulandum ei aduenerant, monitus in Aulam, quæ Palatio iuncta subest, descendit, ibiq; conuocato populo primùm eorum in se fidem commendauit, qui de proditorum manibus eum eripuissent, subinde vt in ea perseuerarent, hortatus est. Quibus adiecit etiam hæc in se mala meritò incidisse, quòd re diuina, præceptisq; posthabitis, proximum minus dilexerit, curaturus deinceps, vt errata corrigeret, vectigalia populo à se grauiter imposita castigaret, quippe quòd diligi, quàm timeri tutius, securiusq; esse iamdudum cognosceret. Cum hæc paucis absoluisset, lachrymis sermonem etiam impedientibus, designatus Episcopus Syracusanus vir eruditione, & eloquentia insignis Regis nomine prolixius eadem apud populum proposuit. Vt verò Panormitanorum animos sibi arctius deuinciret, decreuit, vt ex agris collecta, & vinetis quæcunq; ad commeatum pertinerent, absq; vectigali in domos liceret inferre, quod plebi gratissimum fuit. Ita Guilelmus seditione à Regno deiectus, sceptrum ex insperato statim recipit. Adeo nanq; volubilis fortunæ varij, atq; ancipites motus existere consueuerunt; vt interdum humana mens vbi desperatione consternata conspicitur, repentè insperata consequatur. Interea Panormi nuntiatum est Simonem Comitem, Tancredũ Rogerij Ducis filium, Guilelmum Alesinum, Alexãdrum Conuersanensem, Rogeriũ

Sclauum

Sclauum nothum Simonis Comitis filium, pluresq; alios, qui in coniurationis facinus consenserant, cum Matthæo Bonello Caccabi esse, ingentemq; militum multitudinem cum illis conspirasse. Quocirca Legatus ad Bonellum missus Regis nomine quidnam hic militum delectus sibi vellet, & an coniuratorũ consilijs ipse adhæserit, perquisiuit. Bonellũ cõiurationis culpa se quidẽ vacare respondit, mirari tamen se Regẽ tot regni Proceres, & plebem in eã desperationẽ adduxisse, vt sæpius ab eo læsi in furorẽ aliquando cõpulsi fuerint. Nã quòd legẽ tulerit, ne virginibus absq; Regis venia per parentes nubere liceret, & cæteras id genus alias cõstitutiones iuri antiquo cõtrarias, tyrannicũ, atq; intolerabile fuisse. Quòd si Rex his, cæterisq; pernicioſissimis à se editis legibus abrogatis à Roberto Guiscardo institutas, & à Rogerio Comite suo auo obseruatas in vsum reuocaret, nihil periculi fore in eũ: sin verò annuere contẽpserit, nullo pacto diutius eos hæc perpessuros. Rex è contrà præmetu nihil se abrogaturũ: quòd si depositis armis, & renũtiatione coniurationis patefacta ad se veniens recta postulauerit, q̃ facilimè se æqua concessurum respondit. Displicuit coniuratoribus Regis responsio, qui cũ Bonelli vecordiã damnassent: indignatus Bonellus extemplo militibus accinctus Panormum petit, tribusq; p.m. procul ab vrbe loco castrametatus est. Rex hoc viso Messanã ad vrbis Præfectũ, quẽ Strategotũ vulgò appellant, nuntiũ misit, vt triremes quotquot habebat, viris, & munitionibus instructas Panormũ trãsmitteret. Bonelli interea aduentu Panormi cognito adeo oĩa sunt turbata, vt si vrbem tentasset, nullo proculdubio obsistente eã ingressus Regẽ rursus in Palatio carceri, & vinculis fuerit impliciturus. Sed ille alio motus consilio Caccabum reuertitur. At ex Siciliæ oppidis his cognitis militum ingens multitudo Regi auxilio venit. Quorũ accessu coniuratores animo disijciuntur. Rex verò resumptis viribus per Robertũ de S. Ioanne Canonicum Panormitanum tantũ apud Bonellũ profecit, vt coniuratores, qui ad eum confluxerant, triremibus extra Regnum liberè transueherentur, Bonellus verò ipse ab omni criminis obiectu immunis in gratiã Regis restitueretur. Bonellus igitur Panormum veniens ingenti oĩum gaudio receptus, tranquillitatem vrbi restituit. Cumq; cæteros omnes regno abegisset: soli Rogerio Auellini Comiti consanguineo suo & ob ætatis defectum, & ob preces Adelitiæ auiæ illius, suæq; consobrinæ pepercit. Riccardũ Mandra Rex Panormi retinens militibus præfecit. Henricus Aristippus, Syluester Comes Marsicensis & Riccardus Syracusanus Episcopus designatus regni negotia administrabant, quibus & adiunctus est Matthæus Notarius eductus de arce, & muneri pristino restitutus, vt regni consuetudines, quæ iam in Palatij direptione amissæ fuerant, quas callebat, rursus in scripta redigeret. Dum hæc Panormi aguntur: Rogerius Sclauus cum Tancredi Ducis filijs, paucisq; alijs, qui prius à Bonello discesserant, Buteram, Platiam, cæteraq; Longobardorum oppida, quæ pater eius tenuerat, sibi occupauit, atq; inde vnà cum Lombardis in Sarracenos, quorum in Sicilia ingens adhuc multitudo vel mixtim cum Christianis, vel seorsum in proprijs pagis habitabat, irruens quotquot obuios habuit, interfecit, præter paucos, qui ad australem Siciliæ partem ad tutiora loca pro salute profugerant. Post hæc Rogerius Sclauus Syracusanorum quoq;, & Catanensium regiones crebris incursionibus infestabat: tantumq; viri virtus, & audacia vicinis populis terrorem attulerat, vt Regij præfecti eius impetus reprimere non possent. Quæ res nouo repentè metu Regem percussit, qui neq; id absq; Matthæi Bonelli consilio fieri arbitratus, ipsum in Palatio ad constitutum diem capi, & in stricta vincula conijci iubet. Capto Bonello statim plebs ad Palatium concurrit, cum inde extractura. Sed cum arcis portæ ex omni parte essent clausæ, ignem portis ferreis magna lignorum strue substructa frustra inijciunt. Inter hæc ex Bonelli militibus vnus, cum

Adenolphum Camerarium è Palatio redeuntem obuium haberet, non immemor inimicitiarum, quas in ſuum Ducem exercuerat, audacter in eum irruit, atq; interfecit, & deinde per mediam ciuitatem ab vrbe fugam capeſſens, tandem à Regis militibus captus, Panormumq; adductus meritas dedit pœnas. Quare & Bonellus in apertiorem ſuſpicionem adductus effoſsis oculis, neruisq; ſuper talum inciſis in perpetuum carcerem detruſus eſt. Matthæus de Sancta Lucia illius conſobrinus, & Ioannes Romanus oculis & ipſi priuati in diuerſa ergaſtula ſunt damnati. His peractis Rex exercitum contra Rogerium Sclauum inſtruit, atq; primum contra Platiam mouens paruo labore oppidum cepit, funditusq; euertit. Inde contra Buteram, quò ſe poſt auditum Regis aduentum hoſtes receperant, caſtra mouet, ac obſidet. Rogerius vbi ſe cum Tancredo obeſſum videt, ſocios primùm, ac deinde oppidanos ad fortiter obſiſtendum ſatis luculenter hortatus, oppidum & loci natura, & militibus ſtrenuis munitum obſidionem diutiſsimè pertulit. Verum cum paulo pòſt inter proceres, & oppidanos ob annonę diſtributionem diſcordia ſubſecuta, oppidani deditionem facere decreuiſſent: hoc cognito Rogerius, proceresq; deditionem & ipſi hac lege fecerunt, vt oppido recepto liberè eos abire liceret. Hoſtibus itaq; Rex liberè dimiſſis, oppidanisq; alio reiectis, Buteram receptam funditus deleuit, ac deinceps edicto publico habitari prohibuit. Dum Sicilia his ſeditionibus vexatur, Robertus Comes Loricelli magnam Appulię partem inuadens ad Orgeolum oppidum vſq; peruenerat, cùi proceres ibi multi, qui ob Admirati flagitia à Rege deſciuerant, ſe adiungunt. In Calabria quoq; Comitiſſa Cariatenſis contra Regem Tabernam oppidum munitiſsimum commeatu, & præſidio munierat. Quo motus Guilelmus Rex ſubacta Butera in Calabriam exercitum eduxit. Sed ne quid in Calabria clandeſtinæ proditionis timeret, Rogerium Martoranum ad ſe antè in Siciliam euocat, atq; proditionis crimine inſimulatum in carcerem cogit: & ſine vllo iuris ordine oculis priuat. Henricus quoq; Ariſtippus Regis iuſſu captus, & Panormũ ductus non diu pòſt miſerè in carcere deceſsit. His geſtis in Calabriam contra Tabernam exercitum mouet. Verùm cũ id oppidum & arduitate ſitus, & multorum militum preſidio eſſet inacceſſum, Regis exercitus differri illius oppugnationem, & in Appulia, vbi maiora bellorum inſtabant pericula, dimicare malebat. Sed Rex non inde diſcedere niſi victor ſtatuit. Quocirca cum deſtinata oppugnatione primoq; inſultu oppidũ inuaderet, oppidani deſuper miſsis molaribus, ac dolijs plures obſidentium interficiebãt, quorum ſtrage milites, qui collem ad oppugnãdũ oppidum aſcenderant, deterriti ad exercitum rediere. Sed in concepto rigore immotus Rex oppidũ rurſus, oppugnari, ac ſecundo fortunã tẽtari iubet. Milites dato ſigno oppidũ adorti tumulũ quendã, arduũ quidẽ, ſed modica ſuperius diſtẽtũ planitie, ac ex vno latere muris oppidi cõtiguũ, magno niſu occupãt. Capto tumulo ſcalis illatis muros impetu maximo nõ abſq; periculo trãſcendũt, ac ſubitò oppidũ Tabernẽſibus muros negligenter cuſtodientibus perrũpunt, capiunt, & euertũt. Cõmitiſſa vnà cũ matre, & Alpherius, & Thomas Comitiſſæ auũculi, & cæteri viri Principes ad Regẽ perducuntur. Quorũ Alpherius ibidẽ vltimo ſupplicio addictus, Thomas Meſſanæ ſuſpenſus, reliqui milites vel manuũ abſciſſione, vel oculorum effoſsione mulctati ſunt. Comitiſſa, & eius mater Meſſanam primùm, inde Panormum adductæ carceri mancipantur. Robertus Comes Loricelli vbi Tabernam oppidum captum, & deletum à Rege cognouit, etſi equitum, peditumq; numero ſuperior eſſet, metuens tamen Longobardorum fidem, quam ſuo magno periculo ſæpius ancipitem probauerat, maluit Regi cedere, q̃ cum infido milite belli fortunam experiri. Tarẽtum itaq; reuerſus præſidioq; ibi relicto, in Aprutium iter deflexit. Sub idem tẽpus Gaytus Ioarius Eunuchus, Magiſter Camerarius Palatij cum multas à Rege præter meritum,

vt querebatur,

Digitized by Google

vt querebatur, iniurias in exercitu pertuliſſet, cum ſigillis Regijs ad Comitem Loricelli transfugiens in itinere captus, & ad Regem perductus Regis iuſſu ſcaphæ impoſitus mari ſuffocatus interijt. Rex deinde Tarentum profectus vrbem ciuibus ſeſe dedentibus recepit. Vbi quoſdam Loricelli Comitis milites captos extra mœnia furca ſuſpendit. Dehinc totam Appuliam, ac Campaniam pertranſiens vniuerſa, quæ hoſtes occupauerāt, ſine bello ferè recuperauit. Quantū enim inconſultè à Rege deſciuerant, tanta nunc celeritate deditionem faciebant. Ciuitatibus quoq;, ac oppidis, quæ ad Comitem Loricelli defecerant, certam pecuniæ ſummam pro redemptione pendendam præſcripſit: volens eo vectigali id quod in direptione Palatij ſibi fuerat deprædatum, reſarcire. Ionathas præterea Comes Conſanus, Riccardus Comes Fundanus, Rogerius Comes Acerranus, Marius Burellius, & qui eos ſecuti fuerant, aduentu Regis perterriti vel in Aprutium, vel in Campaniam conſultò transfugerant. Rogerius quoq; Comes Auellini eo quòd iniuſſu Regis filiā Phœniſſæ de. S. Seuerino duxit vxorē, cū Guilelmo de. S. Seuerino Regis iram fuga euitauit. Dum hæc in Italia geruntur: Panormi Gaytus Martinus Eunuchus, quem Rex arci & vrbi præfecerat, cum in captura Palatij, & Regis, fratrem ſuū a Chriſtianis ſciret occiſum, nec eius adhuc facti comperiſſet authores, in omnes Chriſtianos atrociter ſine diſcrimine ſæuiebat, fratris mortē omnibus impingens. Cū ergo pleriq; ciuium accuſarētur, quòd Palatium cū proditoribus ingreſſi maguā inde pecuniā extraxiſſent, idq; iuxta conſuetudinē patriæ accuſatores ſe Duello probaturos aſſererent, eorum probationem tam promptè, q̄ libenter Gaytus Martinus admittebat, & victores quidē tanq̄ de Rege benemeritos collaudabat, victis verò pœnas atrociſsimas irrogabat. At interea iuuenes hortabatur, & propoſitis premijs incitabat, atq; eos præſertim, quibus nullus, aut tenuis eſſet cenſus, quoſq; virtute corporis gloriam affectare cognouerat, vt eiuſmodi ciuiū audacter accuſationibus inſiſterent: quippe quòd ſi eos vincere cōtigiſſet, gratiā Regis promererentur, ſin minus, nihil mali formidarent, cum Regis ipſius cauſam agere viderentur, tantaq; iam vrbem rabies incenderat, vt quicunq; aduerſus quēq; vetus odium exercebat, cōtinuò ad Gayti Martini Prætorium conuolabat, quem ſemper ad eiuſcemodi ſuſcipiendas actiones paratiſsimū inueniebant. Eorum autem, quos vinci contingebat, alios ſuſpendebat, alios verberibus afficiebat. Cum in cāpum pugnaturi deſcendebāt, parū penſi habebat, vter eorū victoria potiturus eſſet, dūmodo fratris mortem poſſet in altero vindicare. Eaq; vindictæ cupido in tantū ſæuitiæ proceſsit, vt cū iam continuis malis, & pœnarum atrocitate perterritis ciuibus, nullus, vel rarus, procederet accuſator, qui monomachiæ vellet ſubire periculum, placuerit mulierum quoq; non ſolum honeſtarum, verum impudicarum etiam accuſationes admittere, ſtatueritq; ſeruos nihilominus, & ancillas ſuper huiuſcemodi cauſis licitè poſtulare poſſe. Quorum ſæpe ſuggeſtionibus vice probationum admiſsis, multorum quidem & exiſtimationem læſit, & fortunas exhauſit, & corpora pœnis affecit. Interea Rex totius Appuliæ rebus ſedatis Salernum acceſsit. Cuius aduentu præcognito maxima pars eorum, qui diſſenſionis Principes, & authores fuerant, quos Salernitani Capiturinos appellabāt, fugā arripuerunt. Cūq; Salernitani viri Principes Regi occurrerent, eumq; rogarent, ne vrbem ingredi, eiuesq; in gratiam recipere grauaretur: Rex nec vrbem ingredi voluit, nec eos in conſpectum ſuum admiſit, in quos tantum odium conceperat, vt exemplo Bari totam vrbem euertere decreuerit. Sed Matthæi Notarij, qui Salernitanus erat, precibus moti Riccardus Syracuſanus deſignatus, & Sylueſter Comes tandem impetrarunt, ne tanta, tamq; nobilis ciuitas interiret. Sed ſolum ex coniuratis quotquot in ea reperirentur, per Strategotum, & Iudices vincti ad Regem perducerentur. Quod cum factum eſſet, omnes eos ipſo die Rex ſuſpendi iuſsit. Inter

eos autem cum vir quidam, qui nec iuramentum contra Regem præstiterat, nec in seditione quicq̃ omnino egerat, quia tantum Notarij Matthæi propinquis per iurgia iniurias intulerat, à Matthæo falsò ad Regem velut totius cõiurationis Salernitanę caput, delatus, immeritum supplicium incurrisset, iustum Dei, in Regẽ, exercitum, vrbemq́; iudicium apparuit. Nam cum adeo paulo antè serenus esset aer, vt nullũ prorsus nubis appareret vestigiũ, tanta repente tempestas in innocẽtis sanguinis effusione est exorta, vt Regis, & cęterorum castris diuulsis, quisq; de propria salute desperaret, domusq́; Matthæi Notarij, vbi sponsalia neptis suæ cum proceribus, ac matronis plerisq; nobilissimis celebrabantur, vi tempestatis corruens, viros nobiles, ac mulieres circiter sexaginta cũ ipsa puella, quę nuptui tradebatur, oppresserit. Porrò Rex vbi sedata videt omnia, hostesq́; tum publicos, tum clandestinos vel in Græciam transfretasse, vel cum Comite Loricelli ad Imperatorem Germanorum concessisse, Panormum reuersus Palatio se cõclusit ibiq; quieti, & otio se dedidit. Nec multo pòst Syluestro Comite defuncto, Syracusanus designatus, & Mattheus Notarius soli consilio Regis supererant, & Regni negotia disponebant, quibus socius datus est Gaytus Petrus Eunuchus, qui Gayto Ioario in Camerariatus Palatij munus succesit. Matthæus verò Notarius cum iam plurimum posset apud Regem, Admirati mores imitari conabatur, omnibus se comem, atq; affabilem præbens, & eis pręsertim, quos oderat, ipsumq́; iã Regẽ adulatiõe, cõfictisq́; ad votũ obsequijs delinire cœpit, sciẽs hũc Maioni aditum ad tantam Regis beneuolentiam fuisse. Liberalitatem porrò Maionis cum auaritiam à cunis imbibisset, & facundiam, cum naturæ vitio balbus esset, assequi nequibat, totis tamen viribus in id incumbebat, vt in locum Admirati apud Regem irreperet. Sub id tempus cum superatis exteris hostibus Rex nihil vltra sibi crederet formidandum, repentinus eum domi casus inuasit. Pauci nanq; viri, qui in carcere Palatij diuersis de causis detinebantur, veniam desperantes fortunæ se committere decreuerunt. Custodibus igitur carcerum largitionibus corruptis tempus congruum nacti vnà cum paucis impetu facto ad portam Palatij descendunt eo consilio, vt Ansaldo arcis Præfecto, quem ibi sedere cognouerant, trucidato euadendi per vim aditum sibi perrumperent. Quos cum Ansaldus in se irruentes vidisset, nihil animo turbatus extra interiorem portam citissimo saltu desiliens eam ad se toto nisu detractam, obseratamq; venientibus opposuit, ipse inter exteriorem, interioremq́; ingressum loco tutissimo constitutus. Illi spe frustrati ad inferiorem ingressum Palatij se transtulerunt, siue vt ad Regem inde flexo gressu contenderent, siue vt in scolis Regis filios deprehensos inuaderẽt, quos Gualterius eorum præceptor in Campanariam arcem, quæ postrema Palatij pars est ad meridiẽ obuersa, primis rei motibus præcognitis deduxerat. Sed subita virorum multitudine circumuenti, qui cum Oddone magistro stabuli repente confluxerant, ad vnum omnes interfecti sunt, quorum cadauera canibus proiecta prohibuit Rex sepeliri. At ne deinceps eiuscemodi casus, qui iam secundo periculum adduxerat, eueniret, coniuratos omnes ex Palatio ad castrum maris transferri iussit. Robertus autem Calataboianensis Castelli maris præfectus extremæ crudelitatis homo, cum Eunuchis (qui Sarraceni erant) plurimum faueret, quoscunq; Christianos captos ad se perduci contigerat, ingentibus cathenis, ac crebris torquebat verberibus, & per diuersa Lombardorum oppida, cum potestate à Gayto Petro impetrata profectus multos viros innoxios pro coniuratis captos diuersis pœnis affligebat. Sed & Bartholomeus Parrisinus, alijq; Iustitiarij, Strategoti, Camerarij, Gayti Petri auxilio innixi, plebem innumeris, & cõtumelijs, & rapinis præmebant, quo pecuniam ab illis extorquerent. Rex verò toto animo in quietem proeliuis, ne quæuis occasio eam sibi interrumperet, ministros præmonuit, ne res serias, quæ illi vel mœrorem, vel solicitudinem possent ingerere, ad

eum

Digitized by Google

eum deferrent. Et quoniam Rogerius Rex pater eius in agro Panormitano Fauariam, Minnernum, aliaq; ad voluptatem loca construxerat, eius æmulatione & ipse Palatium nouum, quod cæteris Palatij partibus, & artificio, & pulchritudine præcelleret, construere decreuit. Cæterum incœpta, ac maximo sumptu eiusce operis & mira celeritate parte expedita, anteq̃ supremam operi manum imponeret, disenteriæ morbum incurrit, ac duorum ferme mensium grauata valetudine conualescens, cũ iam eum medici firma salute fruiturũ spetarent, repẽte recidiuo morbo consumptus obijt. Qui cum adhuc in extremis ageret, proceribus Regni, & Salernitano, atq; Rhegino Archiepiscopis accitis, testamento Guilelmum filiũ natu maiorem post se Regem, Henrico alteri filio Principatum Capuæ, quem tãdudum illi concesserat, reliquit. Margaritam Reginam eius vxorem voluit totius regni administratricem, & Baylam esse, quousq; Guilelmus per ætatem ad gubernandum aptus esset. Designatum Syracusanum, Gaytum Petrum, & Matthæũ Notarium, quos ipse sibi consulares elegerat, eadem voluit dignitate post se potiri, vt eorum Regina consilio cuncta Regni negotia administraret. His dispositis non diu pòst anno ætatis. 45. regni autem. 15. salutis verò. 1166. fato functus est, pro vt Guiscarda refert. Ex quo quicquid de Guilelmo hactenus memorani, excerptum est. Cuius opus manu scriptum, vetustissimum quidem, & pene corrosum, ex Cœnobio Diui Nicolai de Renis olim mihi opera Ioannis Rithonij Leontini viri disertissimi allatum est. Quod aliquot post annos sub nomine Hugonis Falcandi dum pararem hæc edere, Lutetię impressum, passim hodie legitur. Consulares, & Regina ne seditionem cognita Regis mors in vrbe excitaret, dissimulato eius obitu, omnia, quæ ad coronandum nouum Regem necessaria erant, præpararunt. Inde vulgata eius morte, ac in Palatio more lugubri funere conclamato, totius ciuitatis luctus repentè subsecutus est. Postea Proceribus, ac Episcopis concomitantibus corpore ad Sacellum Regium delato triduum tota ciuitas in luctu, mœroreq; fuit. Mulieres Principes, ac Matronæ, Sarracenæ præsertim, quibus ex Regis morte non fictus dolor obuenerat, totam vrbem vlulatu complebant. Cadauer verò eius post aliquot annos à Margarita Regina vxore ad templum Montis regalis maximum, à Guilelmo filio postea erectum, translatum est. Vbi & hodie porphyretico mausoleo conditum cernitur.

DE GVILELMO SECVNDO, QVEM BONVM APPELLANT, SICILIAE REGE.

CAPVT QVINTVM.

PERACTIS inferijs, corporeq; Regio honorificentissimè, vt par erat, funerato, Guillelmus filius vndecim, licet quatuordecim aliqui falsò scribant, tunc natus annos, ingenti plebis gaudio, faustisq; acclamationibus Rex salutatur. Fuit is ab incunabulis, primisq; infantiæ rudimentis adeo omnibus charus, vt ne humi quidem incedere, aut sedere coleratus, sinu cunctorum iugiter, atq; osculis foueretur, nec vni modò pædagogo addictus, sed quasi communis omnium alumnus extirerit. Per summam nanq; tenerioris ætatis industriam cuncta paternæ contagionis vestigia ingenti erroris dedecore præteribat, & à paternis vitijs adeo prudenter descibat, vt naturam ab eo, non vitia accepisse videretur, tantæq; in puero statim corporis, & animi dotes emicuerũt, vt iam tum non minus authoritatis, q̃ gratiæ æuum etiam ipsum promereretur. Sceptro insignitus à liberalitate gubernacula auspicatus recentis

largitatis

largitatis consuetudine prisca militiæ stipendia duplicauit, quicquid honestati proximum peruidebat, ardenter appetebat, omnes humanitatis officio anteire, & quod difficilimum est, virtute inuidiam vincere contendebat. Qua indole breui tantam apud omnes claritatem contraxit, vt non modò maiorũ titulos æquaret, sed etiam Rogeriorum, atq; Roberti Guiscardi auitorum Principum monumenta superans Boni cognomen promeruerit. Quod vt augeret, initio statim sui Principatus carceres omnes aperiri iussit, & vinctis reis criminum pœnas indulsit, vectigal, quod pater redemptionem appellabat, populo quidem intolerabile prorsus aboleuit, oppida omnia, Proceres, & ciues, quos pater vel exilio, vel pœnis alijs mulctauerat, in gratiam recepit. Consulares in ea, qua erant, dignitate pro vt pater constituerat, & in agẽdis negotijs, eorum & diligentia, & fides merebatur, apud se retinuit. Verùm cum pubertatis annos nondum esset ingressus, nonnulla seditionis initia Panormi pullularunt. Erant eo tempore in Regis comitatu Archiepiscopi quidem Romoaldus Salernitanus, & Rogerius Rheginus, Episcopi verò Gentilis Agrigentinus, & Tristanus Mazarienſis. Quorum Gentilis Agrigentinus simulata religione præclarus, & Designatus Syracusanus ad obtinẽdum Panormitanæ ecclesiæ Præsulatum, qui ob mortem Hugonis Archiepiscopi adhuc vacabat, totis ambo viribus anhelabant. Gentilis quod merito non poterat, id fraude conari instituens Archiepiscopum Rheginum auaritia extrema infamem, & Archiepiscopum Salernitanum simul, & Matthæum Notarium aduersus Designatum Syracusanum irritauit, vt è curia expelleretur. Quod cum per se non possent ex sententia q̃ primùm efficere, Gaytum Petrum Eunuchum, penes quem potestas omnis erat Regia, contra eundem ad societatem conspirationis pertraxerunt. Sed & Reginam quoq;, ac Ioannem Neapolitanum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, qui fortè Panormi aderat, & vt Panormitanæ ecclesiæ munus sibi committeretur, totis animis desiderabat, ad sua consilia contra Syracusanum pellexerunt. Dum ita Electus Syracusanus graui persecutionis turbine quateretur, Gilbertus Grauinensis Comes Reginæ consanguineus Panormum venit eo consilio, vt totius regni negotia submoto Gayto Petro, & cæteris primus post Reginam administraret. Cui Syracusanus Designatus, ac cæteri Comites statim contra Gaytum Petrum adhæserunt. Quod cum Gaytus Petrus intellexisset, fauore Reginę, apud quam plurimum poterat, innixus, bello contra eum experiri statuit. Milites largitionibus ad se allicit, quibus Hugonem Oddonis filium prudentia, & armis strenuum præficit. Riccardum Mandra à consilijs primùm accipit, deinde Comitem Molisij, Bouiano, Venafro, & cæteris oppidis, quæ ad eum Comitatum attinent, ei traditis, eo animo consentiente Regina euehẽdum curauit, vt Comes Comiti æqua authoritate posset obsistere. At cum ne his quidem artibus insidias Comitis Gaytus Petrus euadere speraret, varijs perculsus anfractibus nocturna tandem fuga sibi consuluit. Nauem q̃celerrimè paratam nautis, armis, cæterisq; necessarijs instruit, thesauris quoq;, quos habebat, onerat, ac aduesperascente è Regis Palatio egressus ad ædes suas, quas in ea parte ciuitatis, quæ tunc temporis Kemonia, hodie Albergaria dicitur, nuper construxerat, ire simulans, ad mare perrexit. Vbi cum paucis Eunuchis nauem ascendens ad Abdul Mumenum Mamudorum Regem in vrbem Africam transfretauit. Cuius fuga cognita Gilbertus Comes in amplioris spei fiduciam elatus insanum Regis fuisse consilium exclamat, qui seruum Sarracenum Regno suo præfecerit. At cõtrà Riccardus Molisij Comes manumissum eum à Rege, & nunq̃ Sicilia decessisse nisi minis coactum respondit. Post hæc Regina Riccardi Comitis, aliorumq; qui Gayto Petro fauerant, suasu, Gilbertum Comitem à Sicilia hoc commento, quod Matthæus Notarius inuenerat, dimouit, vt Imperatori Alemannorum propediem Appuliam venturo cum exercitu occurrat. Igitur Gilbertus etsi hæc

omnia

omnia ad rem confecta esse non ignoraret, veritus tamen ne aliquando magno cũ dedecore à Regina expelleretur, Appuliæ, & Campaniæ præfectura susceptą cum Beltrando filio Andriæ Comite nuper à Regina declarato, Sicilia decessit. Cuius loco Riccardus Molisij Comes apud Reginam suffectus, cuncta Regni negotia per manus tradita accepit. Post hæc machinatio contra Syracusanum Electũ aduẽtu Gilberti Comitis intermissa resumitur, atq; vt à Regina, ac regno eijceretur, commento ab Ioanne Cardinali excogitato, simulant Romanum præsulem Reginæ per literas mandasse, vt electos quotquot Episcopos haberet, Romam ad munus consecrationis recipiendum mittat. Electo itaq; ex Pontificis mãdato abeundi præceptum à Cardinali datur, & dies præfigitur. Sed ille callide eorum fraudem præueniẽs, amicitiam cum Ricardo Molisij Comite clàm inijt. Cuius auspicijs Regina repente mutata, vt à Rege testamento dispositum fuerat, in Regni administratione remansit. Ita toto anno in seditiones expenso tandem tumultus quieuit. Riccardus tamen Molisij Comes apud Reginam cæteris familiarior erat. Electus Syracusanus, & Matthæus notarius demortui Cancellarij interea officium vicario nomine gerebant. Porrò Matthæus Notarius nihil à solita ambitione recedens, cum ob multam eius nominis inuidiam frustra ad Admirati dignitatem aspirare se cognosceret, Cãcellariatum toto nisu ambibat. Syracusanus verò ecclesiæ Panormitanæ præferri confidebat. Sed longè aliter Regina mente dispoſuerat. Nam cum Stephanum Comitis Perticensis filium consobrinum haberet, ex Francia eum, licet ætate adolescentem accitum, Cãcellarium instituit: atq; vniuersa Regni negotia in eum remisit. Panormitani quoq; Canonici habita à Regina libera pastoris sibi deligendi potestate, in eundem Stephanum vnanimes Archiepiscopatus suffragia, populo, & Guilelmo Cardinali Papiẽsi, qui tum Panormi forte aderat, factum probante contulerunt. Electus ergo Syracusanus spe frustratus in Cancellarium animo totus commouetur. Qui cũ adeo æquè suo fungeretur officio, vt neq; præcibus, neq; munere ab æquo flecteretur: Panormitani Robertum Calataboianensem multis criminibus infamem rapinæ, stupri, homicidij reum egerunt. Qui tamen non obstante contrario Reginæ iussu, aulicorum precibus, ac ingenti pecunia oblata, loris à Cancellario cæsus, bonis omnibus Fisco adiudicatis in castellum maris detrusus paucis pòst diebus interijt. Eodem ferme tempore cum Cancellarius omnia tum notariorum, tum aliorum quorumcumq; ministrorum etiam procerum munera ad certam, & non liberam (vt antea erat) mensuram reduxisset: Proceres commoti conqueri de eo cœperunt, indignum esse edicentes puerum, & aduenam absq; nobilium consilio tot dignitatibus præesse, ac iam suspicari se etiam apertè proclamantes, consanguineusnè esset Reginæ Cancellarius, cum hic Francus, illa Hispana, an adulterinus inter eos esset amor. Nec eo minus Gaytus Riccardus cum cæteris Eunuchis, ac Bulchasses inter Siciliæ Sarracenos, quorum eo tempore sub Rege frequẽs adhuc multitudo incolebat, genere nobilis, ac potens, communi maleuolentia illi insidias tendebant. Cancellarius, qui hæc omnia per Rogerium Tyronensem, & Robertum de S. Ioanne didicerat, alto dissimulans animo muneribus insidiatores alliciebat, atq; interea sibi consulens nec quosuis vti solebat, ad se admitti sed fidos tantùm iussit. Sed cum Panormi nullus esset euadendi sibi modus, Messanam cum Rege, & Regina venit. Vbi etsi in eiusdem iustitiæ rigoris pertinacia gratiam apud Messanenses inueniſſet: Henricus tamen Comes Canosij Reginæ germanus, & Regis auunculus, qui se aduenæ Cancellario prælatum videns contra eum etiam conspirauerat, plures Messaneuses, & Calabros nonnullos contra hominem iureiurando adstringit, qui certa die eum de medio tollerent. Quo cognito Rex, & Regina Henricum in carcerem primùm, & deinde in Hispaniam, vnde venerat, & Oddonem Querellum in Franciam mittunt. Riccardum verò

Molisij

Molisij Comitem conspirationis cum Henrico socium in arce Tauromenij, quæ Mola dicitur, carceri mancipant, in cæteros verò coniuratos extremo supplicio sæuiere. His Messanæ gestis Rex & Regina Panormum redierunt. Vbi Gaytus, Riccardus Regis Camerarius, Matthæus Notarius, & Gentilis Agrigentinus Episcopus, qui coniurationis Principes aduersus Cancellarium extiterant, tot principum coniuratorum exemplis nihil consternati, conceptum semel facinus perpetrare omnino deliberant, tantumq; cum militibus iureiurando egerunt, vt Domi nico die, quem Palmis Domini consecramus, vbi Rex è Palatio iuxta morem exiturus esset, Cancellarium gladijs in turba ipsa petitum confodiendum susciperēt. Sed cum non lateret Regem, & Reginam repetita hæc coniuratio: Notarium Matthæum, Agrigentinum Episcopum, Gaytum, Riccardum, & alios Proceres, quos conspirasse constiterat, ad arcem oppidi S. Marci vinculis addixere. Dum hæc Panormi geruntur, Messanæ Oddo Querellus, qui nondum in Franciam discesserat, Messanensem populum contra Francos omnes, & Cancellarium præcipuè commouit, asserens per illum Francos id agere, vt Græcis omnibus expulsis ipsi bona omnia, & oppida ciuium occuparent: Reginam verò iam Cācellario nupsisse, Regemq; vbinam gentium esset ignorari. Hoc authore tota Messanæ vrbs in seditionem commouetur. Quo Panormi cognito Rex, & Regina Andreæ Strategoto, & vniuerso populo Messanensi, falsos de morte Guilelmi, qui incolumis in Palatio fœliciter viuebat, rumores spargi, & à coniuratis ad seditionem eas occasiones confingi per literas significarunt. Quas cum Strategotus ad templum Diuæ Mariæ sacrum, populo conuocato recitare vellet: è plebe quidam voce edita Guillelmum Regem interfectum, & à Cancellario Rege facto has literas confictas proclamauit. Pleriq; verò submurmurabant, non Cancellarium, sed Gotfredum eius germanum fratrem, qui è Gallijs propediem expectabatur Regem, Constantia moniali Rogerij Regis filia, quæ in sacro Panormitano erat, vxore ducta, regnum sibi iusto titulo occupaturum, & eius rei gratia Oddonem Querellum in Galliam profecturum. His dictis plebs in furorem versa Comitem spreto Strategoti mandato è carcere liberant, deinde Oddonem capiunt, nudatum asino imponunt, & pedibus in caput bestiæ porrectis, capite verò super caudā inclinato, per vrbem traducunt. Quē vbi ad portam ciuitatis peruenit, innumeris cōfossum vulneribus membratim tādem discerpserunt, caputq; eius in lancea per totā vrbē circumductum in cloacas demum publicas proiecerunt. Inde Græci Francos omnes, & transalpinos tota vrbe quotquot erant, interfecerunt. Quibus Messanenses ob patratum facinus ab exercitu Regis non satis securi vrbem munire pergunt. Rametta m oppidum præfecto pecunia corrupto sibi occupant. Deinde Tauromenium partim dolo, partim vi aggressi capiunt, demum arcem præfecto dormiente, & Gauarrecto in proditionem per pecuniam allecto recipiunt, Riccardumq; Comitem ex ea liberant. Hæc omnia vbi apud Panormum Regi, & Cancellario nuntiantur, confestim exercitus contra rebelles paratur. Naues omnes, quæ Catanæ erant, ad classem instruendam in mare pertrahuntur. Frumentis, quæ inde Messanam portabantur, traiectis interdicūtur. Sed & Rādacienses, Capitini, Nicosiani, Maniacenses, cæteriq; Lombardi, qui Siciliam incolebant, ad viginti peditum milia in Regis, & Cancellarij auxilium congregantur. Rogerius Giracij Comes audita Messanensium rebellione, a Rege, & ipse deficit, oppida sua munit. Cephaleditanum Episcopum, & ciues contra Regem, & Cancellarium iurare facit, arce sola in Regis, & Cancellarij fide perseuerante. Panormus vrbs & ipsa cuntorum animis in spem, & audaciam rursum erectis, varijs disidijs laborabat. Pleriq; rapinis assueti, qui circa viam coopertam, & in superiori parte viæ marmoreę habitabant, spe lucri in eum se primò irrupturos, in quem primum plebs conclamaret, inter se fœdus ineunt. Optabant autem apud se, vt is Cancellarius foret,

penes

penes quem multum esse auri,& argenti congestum constabat. Interea iam dies conspirationis aduenerat,& quadringenti Palatij milites cum Constantino conjurati ad locum indictum adsunt, vbi venientem cum Rege Cancellarium occidant. Quod cum Cancellarius ab Oddone stabuli Regis magistro cognouisset ad Regem eo die non venit: sed instructo cum præsidio domi se continuit. Constantinus spe elusus, milites per vrbem palantes contra Cancellarium fugam iam tum cum thesauris in Galliam meditantem conclamare iussit, vtq; in domũ eius,anteq̃ abeat, irruant, occupent, deprædentur, edixit. In seditionem hac voce commota vrbe,nefarij per vicos excursabant, Herneumq; floridum cum Comite Auellini Cancellarij familiarem iuxta Palatium obuium ex equo deiectum, gladijs transfodiunt. Comitem verò extra vrbis portam, quæ area Palatij subest, fugientem cum insequerentur,lanceas proculdubio iam in eius exitium intendissent, ni Rex rumore subaudito ad fenestras prosiliens magno clamore contra persequentes efferbuisset,extrema illis interminatus, ni viuum illũ, & incolumem ei præsentarent.Cum verò aliter Comes liberari nequiret, in arce maris,iussu Regis seruatus est. Post hæc conspiratores,& plebs, ac Regis sagittarij,qui semper in seditionibus primi consueuerant occurrere, pecuniæ & ipsi auiditate ardentes repente in domum Cancellarij irrunnt, eumq; obsident. Cumq; milites, quos Simon Pictauensis domus custos per singula loca pro Cancellario oportunè disposuerat, frustra, licet strenuè, obsisterent: Cancellarius in tanto positus discrimine,cum proceribus,quos apud se domi habebat, per ædem sacram domui suæ continuam,quæ adhuc.S.Mariæ Cancellarij nomẽ tenet,in cãpanarium locum munitissimum se recepit. Quo Rex audito magnam militũ manum cum Rogerio Tyronensi Comestabulo è Palatio misit. Sed obsidentium multitudo resumptis animis in Regis auxilia impetum facientes, fugam simul omnes capessere compellunt, domumq; Cancellarij circumquaq; oppugnant. Obsessi verò de locis sibi deputatis,ac statuis non modò obsidentium vires frustrabant, sed apertis quoq; foribus eruptiones faciebant. Interea Matthæus Notarius,& Gaytus Riccardus carceribus in quibus erant addicti,effractis, pristinam dignitatem nemine prohibente, quinimo & populo fauente recuperant,& buccinarijs præeuntibus, ac tubis, & tympanis ante domum Cancellarij obequitant. Subinde Sarraceni,& Christiani simul,audito belli signo omnibus notissimo,iussu Regis id fieri arbitrati magno clamore ad domum Cancellarij concurrunt, portas ecclesiæ incendunt,atq; omnibus aditum,& ingressum præbent.Cancellarij milites,quibus immensa virtus periculi metum abstulerat, irruentibus se obijciunt, sed tandem conspiratorum multitudine superante, in Campanarium sese receperũt.Ita ea via conspiratores domum Cancellarij ingressi, cuncta diripiunt, deprædantur,milites,ac pedites ibi passim repertos ad deditionem cõpellunt.Quo facto ad expugnandum Campanarium se conuertunt: sed strenuè se tuentibus obsessis,ignem adiecta materia Campanario inijcere deliberant. Quo cognito Rex suadente Regina è Palatio, in subsidium Cancellarij exire statuerat, Sed Matthæo Notario,& cæteris conspiratoribus periculo eum deterrentibus, succurrere desijt.At cum aliquandiu conspiratores frustra turrim Cãpanariam oppugnassent, missis vtrinq; nuntijs cum Cancellario hac lege conueniunt, vt liber ipse Frãciq; cum eo omnes abiurato Siciliæ Regno quo vellent abirent. Siculi verò Proceres, qui cum eo obsidebantur, in Sicilia remanerent,bonisq; suis, & oppidis potirentur.In hanc sententiam Riccardus Syracusanus electus,Matthæus Notarius,Gaytus Riccardus, Romoaldus Salernitanus Archiepiscopus,Ioannes Episcopus Melitensis iureiurando consenserunt. Igitur parata triremi postridie sub auroram Cancellarium è Campanario cum paucis militibus eductum ad portum Gallicũ, qui hodie Galli dicitur, perducunt. Vbi priusq̃ triremem ascenderet, Canonici

Panormitani,

Panormitani, qui cum reliqua ingenti multitudine aderant, vt Archiepiscopatui renuntiaret, potestatemq; alium sibi eligendi Pastorem daret, minis territus dignitate se abdicauit. Cancellario paululum à littore auecto, consulares ad Campanarium regressi, cæteros Francos Proceres quousq; nauigia pro eis transfretandis pararentur, ne à furenti populo interficerentur, in Parthenico, & Carini Panormo vicinis arcibus satis tuto præsidio seruarunt. Cancellarius à portu Gallico soluens australem Siciliæ oram per Drepanum nauigans, Licatam appulit. Vbi naufraga eius triremi nauem Genuensem nactus in Syriam cum ea transfretauit. Interea Henricus Montis Canosi, & Riccardus Molisij Comites, pluresq; Messanēses. 24. cum triremibus Panormum veniunt Regium magistratum renouaturi. Riccardum igitur Syracusanum Electum, Gētilem Agrigentinum Episcopum, Romoaldum Salernitanum Archiepiscopum, Ioannem Melitensem Præsulem, Rogerium Giracij Comitem, Riccardum Molisij Comitem, Hēricum Montis Canosi Comitem, Matthæum Notarium, Gaytum Riccardum, & Gualtheriū Decanum Agrigentinum Regis Præceptorem Regis familiares, ac Curiæ Consulares instituunt. Decreuerunt deinde, vt Gilbertus Grauinensis Comes cum Beltrādo filio Comite, vxore, omniq; Gaza regno egressi in Syriam incolumes trāsmearent. Statuerant etiam & Hugonem Comitem Catacensem Cancellarij consanguineum regno pellere. Verum cum rudis ingenio nullam nouarum rerum suspicionem moueret, quin spem potius sua intercessione Reginæ indignationē, mitigatum iri præberet, Siciliā incolere permiserunt. Paucis exinde diebus Gualtherius Decanus Agrigentinus Regis præceptor à conferta plebis multitudine cōpulsis per minas Canonicis, consentiente tamen curia, non tam electus, q̄ vi intrusus Panormitanæ ecclesiæ pastor præficitur. Quæ res factionis Cancellarianæ studiosis, ac Reginæ ipsi expectationem omnem restituendi Cancellarij ademit, nisi quod Romanæ sedis præsulem metu, & minis factam electionem sperarent non probaturum. Verum Petrus Caietanus Cardinalis, qui tum fortè Panormi aderat, à Regina, quæ iam sensim à Cancellario animum alienauerat, septingentis vncijs acceptis Romam profectus ab Alexandro Romano Pontifice confirmationem, & consecrationem impetrauit. Atq; ita anno salutis. 1169. 3. Cal. Octobris Guilelmi Boni anno qnarto in maiori Panormitana veteri ecclesia præsente Rege, & Margarita eius matre cum magna omnium gratulatione Gualterius ab Episcopis suffraganeis munus consecrationis ea lege, quam Regi etiam Papa cōcesserat, suscepit, vt à Regis latere, quo eum multo antè dignum censuerat, nunq̄ abesset. Gualterius in tantum dignitatis fastigium euectus extemplo curiæ statū immutauit, summamq; sibi potestatem retinens Matthæum Notarium, & Gentilem Agrigentinum Episcopum sub se familiares instituit, à quo & Gaytus Riccardus Regius Camerarius, & Notarius Matthæus Vicecancellarius, & Lupinus Regis Seneschalcus creati sunt. Circa id ferme tempus. 4. Februarij die ad eius diei horam primam vehemens terremotus totam Siciliam, & Calabriam cōcussit, quo Catana vrbs vsq; adeo subuersa est, vt non ædificia modò oīa, sed viros etiam, ac mulieres circiter quindecim milia cum Episcopo, maximaq; monachorum parte ruina oppressit. Plura præterea in Catanensium, & Syracusanorum finibus oppida corruere, fontes passim noui apparuere, & veteres delituere, Montis Aetnæi vertex, qua Tauromínium respicit factus est demissior. Arethusa fons salsuginem adauxit. In Taui monte fons per duas horas abstrusus, magno tandem impetu erumpens, sanguineum laticem toto horæ spatio effudit. Messānæ deniq; mare paulisper primum à littore cedens, ac mox cum furore recurrens metas transgressum, portis etiam ciuitatis sese infudit. His, alijsq; signis Siculi perterriti nouam aliquam calamitatem portendi arbitrabantur, ac ne status in Regno immutatio à Cancellario procuraretur, extimebant. Erant etenim multi proceres,

qui

qui auidiſsimè Cancellarij aduentũ præſtolabantur, quem & Regina maximè deſiderabat. Cuius votũ Robertus Comes Loricelli libenter ſequebatur, quòd eius opera nuper ab exilio fuerat reuocatus. Dum igitur in eo rerũ metu eſſet Sicilia, repẽtinus de morte Cãcellarij nũtius & Reginæ prorſus animũ deiecit, & cõſpiratores ĩ ſecuritatẽ deduxit. Quo factũ ẽ, vt sũma rerũ poteſtas, & negotiorũ oĩum cognitio penes Gualteriũ Archiepiſcopũ manſerit, moderatorq; & Regis, & Regiũ æquè dignoſceretur. Erat autẽ tum Rex annorũ ferme quindecim, qui vt primùm Regni habenas ſuſcepit, iã inde pacis, quietisq; ſemper fuit ſtudioſiſsimus, ac Romanæ eccleſiæ à primordijs Imperij ad ſummum vſq; vitæ vndiq; obſeruantiſsimus. Quod in Alexandro tertio primùm non obſcurè declarauit, qui cum à Federico primo Cæſare cognomento Barbaruſa in vrbe Roma obſideretur, ne in diſcrimine ſuccũberet, magnam eĩ pecuniæ vim, ac triremes duas paratiſsimas miſit, quò fuga ſalutem, ſi res poſtularet, ſibi quæreret. Pontifex verò accepta pecunia triremes, tanq̃ ſibi eo tẽpore minus neceſſarias duobus cum Cardinalibus, qui ipſum ſuper belli negotijs quotidie cõſulerent, remiſit, ac Guilelmi tandẽ cõſilio cũ Fridericum ardentius vrbi capiendæ inſtare cerneret, noctu Roma diſcedens Caietam primùm, mox Beneuentum delatus fœdus per viginti annos cũ Venetis inijt, neq; vnq̃ de pace cum aliquo tractauit, quin ſemper in libellis Guilelmus Rex incluſus intelligeretur. Cumq; idẽ Pont. cõponendæ cũ Friderico pacis gratia Venetias petere ſtatuiſſet, Guilelmus Rex cũ proceribus ſuis illi in Appulia obuiã factus, cõpluribus eũ equis albis, ac tredecim triremibus inſtructiſsimis donatũ dimiſit. Quibus Pontifex Venetias tranſuectus, cũ Friderico, qui eo etiã cõuenerat, atq; in veſtibulo. S. Marci pedes Põtificis exoſculatus eſt, inito fœdere, cũ Guilelmo quoq; Rege vltro, citroq; per annos quindecim id cõmune eſſe voluit. Atq; ita rebus ex ſententia cõpoſitis, cũ eiſdẽ triremibus Sipontũ reuerſus à Guilelmo Rege iterũ maximo honore exceptus eſt. Mortuo Alexãdro, & Lucio tertio in Romanam eccleſiam ſuffecto, cum Andronicus Græcus, Alexio Conſtantinopolitano Imperatori pupillo ephœbo Manuelis filio tutor datus, pulſis Latinis, qui puero fauebant, Cõſtantinopolitanũ Imperiũ, necato in vndis puero dum laxandi animi gratia paruo nauigio huc illuc temere dilaberetur, vſurpaſſet, Guilelmus Rex generoſo aĩo has Andronici in Latinos, puerumq; iniurias vlturus ingẽti coacto exercitu in Græciã cũ claſſe traijciens oĩa perturbauit. Vbi cũ Theſſalonicã Macedoniæ vrbem vi cepiſſet, pluresq; alias Thraciæ ciuitates varijs cladibus affectas partim expugnaſſet, partim diripuiſſet, nec vsq̃ Andronicus occurreret, qui vel ob id, quòd multos occiderat, & plerosq; exilio iniuſto damnauerat, & Deo, & Græcis oĩbus inuiſus erat, tãtũ effecit, vt tãdẽ Cõſtãtinopolitani ciues Andronicũ captũ mẽbratim in fruſtra diſcerpſerint, & Iſaac quẽdã Regia, pgenie exortũ è Peloponeſo ad Imperiũ extulerint. Qui cũ ſuadẽte Lucio Pont. vnà cũ Guilelmo Rege ad repetendã Terrã ſanctã ire decreuiſſet, Põtificis obitu res interrupta remãſit. Poſt hęc Guilelmus cõtra Ioſeph Marocci Regẽ mouit. Et deuicto Rege, captaq; eius filia, nõ prius in redẽptionẽ puellæ cõſenſit, quã Rex Africã vrbẽ, quã Abdul Mumen eius genitor patri ſuo Guilelmo, vt diximus, olim abſtulerat, ſibi reddidit. Qua victoria celeberrimũ nomen acquiſiuit. Vrbano deinde tertio in Eccleſiã ſuccedente cũ Saladinus Sarracenorũ Rex capta iam Hieroſolyma Tyrũ à Chriſtianis poſſeſſum dura obſidione premeret, Guilelmus Rex quadraginta triremes paratiſsimas, quibus Margaritus Siculus & natura, & peritia audaciſsimus præerat, Cõrado Mõtisferrati Marchioni Tyri præfecto in auxiliũ miſit. Cuius claſsis aduentu obſidionẽ Saladinus fœdè ſoluere cõpulſus eſt. Tẽpore quoq; Clemẽtis tertij cũ Fridericus Barbaruſa, Philippus Frãcorũ, & Riccardus Rngliæ Reges, cęteriq; Principes Chriſtiani Põtificis impulſu cõtra eũdẽ Saladinũ Chriſtianorum vrbes in oriente infeſtantẽ arma ſumpſiſſent, Guilelmus Rex pacatum cum ſuis triremibus à pyratis mare continens ad ſacrum hoc bellum exeuntibus

Digitized by Google

annonam etiam omnifariam ex Sicilia, & Appulia ſubminiſtrauit. Cum Adoleſcere cepiſſet, religioni addictus patris theſauris in arce repertis ad ſacras ædes erigendas totus incubuit. Extra mœnia in vallis Panormitanæ radicibus ſuper ædiculam S. Kiriacæ, quæ Sancta Dominica hodie dicitur, templum muſtuo opere toto orbe celeberrimũ. D. Mariæ virgini dicauit, Cœnobiumq; ordinis D. Benedicti illi annexum conſenſu Alex. tertij Ro. Põt. à fundamẽtis erexit, quod paucis annis perfecit, locupletiſsimiſq; nõ in Sicilia modò, ſed Calabria quoq; fundis dotauit, pro vt ex eius diplomate, Dato Panormi Anno ſui Regni. 11. ſal. vero. 1176. 15. Cal. Septembris, atq; alio item priuilegio ibidem dato anno ſui regni. 17. ſal. verò. 1182. conſtat. Cumq; deinde maieſtas tẽpli, Regiſq; frequens acceſſus variã eò hominum multitudinem pertraxiſſent, in oppidi magnitudinẽ prouectus incolatus, montis Regalis nomen loco breui indidit. Quod Regis liberalitas in ciuitatem metropolim indulto Lucij tertij poſtmodum euexit: cœnobijq; Abbatẽ Guilelmum nomine, qui ſecundus in ordine numeratus eſt, in Archiepiſcopum conſecrauit. Sub idem tempus Gualtherius etiam Panormitanus Archiepiſcopus, Guilelmi Regis auxilio templum Maximum Panormi, & cœnobium Sancti Spiritus Ciſtercienſis ordinis, quod Panormo ad quingentos paſſus meridiem obuerſum abeſt, condidit. Margarita quoq; Regis mater cœnobium ordinis D. Benedicti non longè ab oppido Maniace, atq; item alterum, ſed monialium domicilium iuxta S. Marcũ oppidũ erexit. Ita Guilelmus poſt multã religionẽ meritaq; Rex pacis, quietisq; amator, cum Angliæ Regis Ioannam filiam duxiſſet vxorem, omnibus Chriſtianis Principibus, & populis pro merito Boni cognomento gratiſsimus, poſtq; quinq; & viginti annos rerũ potitus eſt, anno ætatis ſuæ. 36. ſalutis verò. 1189. Panormi nulla virili prole relicta hominem exuit, & in maximo templo tumulatus eſt. Cuius poſtmodum corpus in templũ celeberrimum Mõtis regalis, prout ipſe vltima volũtate decreuerat, trãslatũ eſt. Vbi pater eius porphyretico, filius verò ipſe cẽmẽtitio ſepulchro ad pedes genitoris ſepultus hodie viſitur.

DE TANCREDO SICILIAE REGE.

CAPVT SEXTVM.

GVILELMO Bono, abſq; liberis, vel quoquam alio legitimo hærede demortuo, cum regnum iure publico ad Romanam ſedem recidiſſet, magna rerum mutatio, grauesq; ſeditiones quietiſsimum à multis antè annis regnũ inuaſere: quippe quòd cum Chriſtiani promiſcuè tunc tẽporis adhuc cum Sarracenis Siciliam incolerent: eos ſublato Regis timore opprimebant. Sarraceni oppreſsi, arces ſibi occupabant: ibiq; ſe munientes ad occupandũ Imperiũ non parũ virium tandẽ allaturi videbantur. Ad hos igitur rumores ſedandos, cogebantur Siculi Regem eligere, vt Rex electus rebus ferme perditis ſuccurreret. Inter has anguſtias cõſtituti, Tãcredũ Rogerij Regis ex pellice prognatũ tumultuantibus paucis Regẽ declarant. Erat Tancredus tantæ ſecordiæ, vt eũ Guilelmus Rex ex Rogerio Rege genitũ negaret. Diadema tamen Regiũ more maiorũ Panormi ſuſcepit. Inter hos turbines Gualterius Panormitanus Archiepiſcopus Tancredo infenſiſsimus, iniquo aĩo Regnũ a Tancredo occupatũ ferebat. Præſidebat eo tẽpore in Romana eccleſia Clemens tertius, qui ſua iura repetiturus, copias militũ contra nouũ Regẽ in Siciliã miſit. Quibus dũ Tãcredus acerrime obſiſtit, rapinis & cædibus oĩa replentur. At cũ eo tẽpore Clemẽs Sarracenis Ptolemaidã in Syria Chriſtianorũ vrbẽ Duce Saladino oppugnãtibus, ſatis nimis angeretur, Tancredo pauliſper relicto, donec Chriſtiani contra Sarracenos dimicantes, meliorem fortunæ euentum nanciſcerentur, exercitũ in Aſiam reuocat, & Tancredus liberatur. Itaq; anno ſalutis. 1190. Riccardus Angliæ Rex, cuius ſoror Ioanna Guilelmo Bono nupſerat, & Philippus Francorum

Rex

Rex vterq; cum classe à Clemente, vt Reip. Christianæ in Asia afflictæ succurrerēt requisiti cum Messanam fortè appulissent, ibi ambo hybenare constituunt. Tancredus magno quidem apparatu Riccardum Regem, vt cui sanguine iūctus esset, excepit. At cum post nomine quietis dotem Ioannæ sororis viduæ à Guilelmo Rege relictæ intempestiuè repetijsset: Tancredus veritus ne Clementis Pontificis partes contra eum sequeretur, cum non adeo ei confideret, omnia loca præsidio firmat, cum Messanensibus quoq; clam consilia confert, quo Riccardum ab insula discedere, & iter inceptum maturare cogerent. Interea verò firmato iam consilio dum licentiosus Angli per vrbem lasciuirent, Messanenses occasione accepta arma capiunt, atq; in aduenas hostiliter irruunt, vrbeq; omnes eijciunt, ac clausis portis ad obsistendum eis vt hostibus se parant. Riccardus, qui extra vrbē castra tenebat, iniuriam apertam grauissimè ferens milites suos arma capere, vrbemq; rupti fœderis edicta causa adoriri iubet. At dum Angli ad oppugnandam vrbem se instruunt, cautus Tancredus Legatos ad Riccardum mittit, qui exponāt nihil suo, aut Messanensium consilio, sed plebis leuitate tumulti commissum, in cuius authores Regem animaduersurum promittunt, iram modò ipse deponeret. Philippus quoq; Francorum Rex sua authoritate plurimum ad controuersiā mitigandam valuit. Quorum precibus, excusationibusq; Riccardus placatus vrbem oppugnare desijt. At Messanenses, qui nihilominus Riccardi semel læsi iram timebant, intra mœnia se continere, pacisq; tempus ex industria differre statuūt, quousq; veris initio classis abiret. Sed vbi Riccardus ludificari se ab oppidanis cognouit, indignatus admotis confestim ad muros scalis, alijsq; instrumentis bellicis, iniectoq; portis igne, tanto impetu per vnius diei spatium vrbem infestauit, vt disiectis mœnibus, portisq; reuulsis vrbe tandem sit potitus, magna ciuium strage edita, quam maior etiam cædes fuisset secuta, nisi victor ciuium precibus veniam misere petentium motus receptui canere iussisset. Sedato tumultu, & ciuibus aliquot seditionis authoribus morte mulctatis, Tancredus non multo pòst affinitatis, & pecunia mutuò a mercatoribus accepta, redditaq; Ioannæ Reginæ dote nouo vinculo pacem cum Riccardo firmauit. Cuius filio Arturo Britanniæ Duci, filiam in vxorem se daturum pollicitus est, quod nec Riccardus recusauit. Atq; ita rebus cōpositis Philippus prior, ac dein paulo pòst Riccardus assumpta Ioanna sorore Guilelmi Boni vidua Messana cum tota classe soluentes Ptolemaidam in castra profecti sunt. Interea Clementi tertio defuncto Celestinus tertius in Romanam sedem succesit. Qui & ipse ægerrimè à Tancredo Siciliam teneri ferens, tertio post coronationem die Henricum Friderico Aenobarbo Cæsare patre in Armenia defuncto iam à Germanis in Regem Romanorum electū, ea lege Imperatorem confirmauit, vt suo sumptu à Tancredo Siciliā repeteret, & Romanæ Ecclesiæ censum solueret annuū. Quod vt iusta ratione facere posset, Cōstantiā Rogerij Regis filiā, quinquagenariā à Gualterio Archiepiscopo suo iussu è sacro Panormitano clā eductā vxorem ei tradidit, cui hæreditario iure Regnū id à parentibus relictū debebatur. Hoc fama per manus ducta viuo ore oēs tradunt Siculi, asseuerantq; eorū annales quotquot extant, & authores plurimi, quin & diplomata, ac decreta Celestini Papæ, quibus Constantiā votiua virginitate absolutā ad legitimas cū Henrico nuptias admisit, quæ hucusq; & in Archiuo Romano, & in decretis publicis leguntur, in id consentiunt. Acciditq; ppius ad fidē hęc opinio, q̄ quod à Germanis traditur: Friderico primo Cæsare viuente Henricū filium cū Constantia Rogerij Regis filia ætate florente, cū Guilelmi fratris Siciliæ Regis consensu matrimoniū inijsse. Igitur Henricus cū Cōstantia vxore è Germania ad Regnū Siciliæ sibi capessendū in Italiā veniunt. Quo audito Tancredus Panormi Barbacanes, quos antemuralia nuncupant, pro mœnibus vrbis, quo munitiorem eam redderet, à fundamentis extruxit. Cui & Siculi Teutonicæ sæuititiæ me-

Digitized by Google

tu fauere quamplurimum. Sed cum Henricus, & Constantia Neapolim oppugnarent, peste per exercitum grassante, siue (vt alij scribunt) à Tancredo superati obsidionem soluere, & in Alemaniam redire compulsi sunt. Tancredus tãdem anno salutis. 1195. Regni verò sui anno quinto morbo correptus Rogerio natu maiori, quem anno secundo sui Regni Ducem Appuliæ instituerat, vt diplomata ipsius Tancredi, & instrumenta tabellionum publica eo tempore Panormi edita adhuc testantur, Rege successore declarato, & Alteria, Constantia, & Madonia filiabus relictis, in ea vrbe decessit, & in maiori ecclesia tumulatus est.

DE ROGERIO SECVNDO SICILIAE REGE.

CAPVT SEPTIMVM.

TANCREDO mortuo, Rogerius filius, quem Guilelmum plerique falsò appellant, à Siculis Rex salutatur. Verùm Henricus audita Tancredi morte continuo magna Germanorum manu instructus cum Cõstantia vxore grauida ad Regnum sibi iure vxorio debitum repetendum Neapolim reuertitur, Rogerius, qui Siciliam, & potiorem Neapolitani Regni partem possidebat, hostis aduentu cognito, terrestres nauales q; apparatus & ipse collegit, ac Neapolim omni commeatu, & præsidio munĩuit. Henricus nihil cunctatus Neapolim obsidet, Sed cum obsidio in longum protraheretur, superioris cladis non immemor, nec ignarus quantum diuturna mora in bellis sociorum animos auertere soleat, tum sumptus bellicos etiam sibi defuturos præuidens, ad ingenium se conuertit, fraudemq; concordiæ simulatione prætexuit. Tandemq; Rogerium iuuenem, & viribus proprijs diffidentem eo sua arte pertraxit, vt diuiso Regno Siciliam Henricus, reliquum verò Rogerius teneret. Hac concordia dum Rogerius plus satis Henrico confidit, anno salutis. 1195. pridie Calẽ. Decembris Henricus Panormum venit, ac more Regio intra vrbem receptus Rex etiam declaratur. Rogerius interea dum ad sua iura prætendit, nil tale metuens in vrbe Panormo cum Alteria, Constantia, & Madonia sororibus. 3. Cal. Ianuarias captus Henrico deditur. Nec mora, regno omni à Germanis occupato exauthoratus, miser, mœstusq;, cum sororibus in Alemaniam relegatus, & luminibus priuatus est. Vbi vt spem omnem ei successionis Henricus adimeret, & de iure hæreditatis futuræ posteris litigandi surriperet causam, genitales illi partes desecans Eunuchum fecit, ac carceri ad mortem vsq; addixit. Ita Rogerius Rex, sub alieno cœlo extincta in eo Normannorum sobole, ex qua olim in Sicilia permulti, & magni etiam Principes annos centum triginta quinq; regnauerunt, longis fletibus, querelisq; (translato ad Suenos Regno) fessam tandem emisit animam.

F. TH.

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS,

POSTERIORIS DECADIS.

LIBER OCTAVVS.

DE HENRICO SVEVO SICILIAE REGE, ET QVINTO ROMANORVM IMPERATORE.

CAPVT PRIMVM.

HENRICVS Cæsar huius nominis Quintus, siue sextus, vt alij colligunt, ex Suenia Germaniæ superioris regione, patre Friderico primo Cæsare ex Sueuorum sanguine totius orbis nobilitate, ac multorum Cæsarum propagatione clarissimo natus cum Constantia vxore Panormi more maiorum Regium diadema suscepit. Is morum duritie, quòd non solùm in Rogerium Regem, sed in eos quoq;, qui Tancredo, & Rogerio fauerant, statim initio sui Regni Panormi sæuijt, asper à quibusdam est appellatus. Nam Præsules, Comites, clericosq;, qui coronationi Tancredi & præerant, & interfuerant, trucidauit, eodemq; die extra vrbis mœnia in agro, quem Generardum tunc vocabant, iuxta Cubam Regis pomarium passus ferme quingentos ad occidentem palatio Regio subiectum combussit, cæteros verò exilio mulctauit. Firmato regno, siue antea (vt diuersa est opinio) cum Constantia vxor prægnans esset, ne suspitio eam, vt pote annosam vterum mentitam partum sibi supposuisse exoriretur, in medio Panormitanæ ecclesiæ vestibulo (si Panormitanis, & plerisq; scriptoribus credimus) siue in Giezi Appuliæ vrbe (vt cæteri propius vero tradunt) tabernaculum ei tendi iusserunt. Vbi ventre custodito nulla matronarum excluſa palàm, & populo spectante Fridericum secundum Cæsarem enixa est, mense Decembri in festo Sancti Stephani. Sunt qui scribant Henricum Friderico filio adhuc in cunis vagienti imperij electores induxisse, qui ei de more, veluti Regi Romanorum fidem adiurauerunt. Quod & Fridericus ipse in quadam inuectiua testatur. Constans fuit fama, Heuricum dum Panormi ageret, ingentem thesaurum à Normannis Regibus tanto prius tempore, tantaq; successorum prosperitate congestum clam expilatum in Germaniam trãsmisisse. Interea verò Saladino Hierosolymitano Sarracenorum Rege mortuo, Celestinus Papa in magnam recuperandæ Hierosolymæ spem erectus, Henricum ad se Romam accersiuit, multisq; ibi cum eo egit, vt Hierosolymitanæ expeditionis officium ipse sumeret. Quod quidem onus etsi ipse non obiuerit, per ministros tamen, & Duces sedulo exercuit, euocataq; ex omni Siciliæ Regno numerosissima classe, & ex omni Germania confertissimis copijs Maguntinum Archiepiscopum, & Saxoniæ Ducem exercitui præfecit. Qui in Asiam traijciẽtes vrbem Ioppem à Sarracenis obsessam liberauerunt, & cætera Christianorum oppida munierunt, perrecturi proculdubio Hierosolymam, ni & Celestini, & Henrici pariter obitus iam memorabile facinus interrupissent. Henricus nanq; Messanam reuersus non multo pòst in febrẽ incidit, ex qua anno sui imperij septimo, Siciliæ autẽ Regni quinto, salutis vero. 1199. sub Romani Pontificis tutela Friderico quinquenni filio, & Constantia vxore, Philippo vero suo germano fratre, quem totius Ethuriæ Ducem constituerat, Romani imperij pro filio tutore relictis moritur, ac Panormum postea translatus, sepulchro porphyretico in maximo

Digitized by Google

templo condidit. Mortuo Henrico, Germani, vbi erant in Asiaticis castris, in seditionem acti relicta Asia, in Europam cum maxima Christianorum iactura rediere. Complura quidem alia Henrico regnante in Sicilia gesta memoratu digna obtigisse satis est verisimile. Sed cum illorum authorem non habeam, & ea in Regum Archiuis diu frustra perquisierim, ægro animo prætereo.

DE FRIDERICO SECVNDO CAESARE, ET PRIMO SICILIAE REGE.

CAPVT SECVNDVM.

FRIDERICVS Henrici vnicus filius Suenię Dux, infans adhuc Siciliæ regno succedit. Verùm cum ob Henrici subitam mortem varij vbiq; motus emersérint: Constantia Regina cum filio Panormum venit, & Raynerium Torcianum Comitem, qui regnũ pro pupillo administraret, ex Suevia in Siciliam accersit. Is gubernaculis susceptis Procerum quorundam factione fretus non tutelari, sed proprio nomine res gerebat. Quo animaduerso Panormitani Fredericum sub suam ipsi tutelam suscipiunt. At non ita multo pòst in Germania inter Electores non parua seditio coorta est, quòd pars Othonem Ducis Saxoniæ fratrem, pars verò Philippum Henrici fratrem in imperio pro filio substitutum conseruandum censerent. Hæc competitio diutissimè durauit: quod Philippi, & pueri Philippus Franciæ Rex, Othonis verò Rex Angliæ partes sequerentur, Innocentius tertius, qui Cœlestino in Pontificatum successerat, in ea controuersia Othonem Imperatorem declarauit, & apud Aquisgranum maiorum de more coronari voluit. Nec Philippus Friderici patruus, propterea ab incepto destitit, sed Ethuriam in Italia, Sueuiam in Germania, & maximam partem in Appulia, & Campania sibi confirmauit. Constantia quoq; Regina pueri mater, non segnior (præter conditionem sexus) vtrobiq; regnum filij arces, ac oppida muniens constantissimè gubernabat. Interea Fridericus ad septimum ætatis annum prouectus more maiorum Panormi in Siciliæ Regem coronatus, nec multo pòst eodem anno ipsa Constantia mater filio Rege sub tutela Innocentij tertij Ro. Pontificis relicto naturæ cessit. Atq; ita Fridericus puer parentibus orbatus, quorum effigies vix agnoscere potuit, anno postmodum salutis. 1209. Constantiam Aragonum Regis filiam decimo quinto Cal. Ianuarias Panormum ex Hispania ad id venientem vxorem duxit, ex qua æui successu Henricum, & Conradum filios suscepit, licet ex Iole postea secunda vxore eos progenitos plurimi scribant. Dum hæc in Sicilia geruntur, Philippus Friderici patruus contra Othonem in Germania multa bella prosperè gessit, & fugato sæpius hoste rerum tandem ipse potitus est. Nec diu in Imperio per vim adepto perstitit. Nã cum vix nonum imperasset annũ, à Palatino Comite per insidias interfectus est. Quo occiso Otho à Germanis proceribus ad dirimendam discordiam suffectus, & ab Innocentio sequenti anno Romæ diademate Imperij insignitur. Qui paulo pòst iuramento, quo se in coronatione de more astrinxerat, neglecto, totam penè Flaminiam, quæ Pontificiæ ditionis erat, sibi occupat, & Friderici Regis ex inopinato Regnum inuadit, ac plura in Campania oppida capere adnittitur. Innocẽtius & tutelæ officio coactus, & propria lacessitus iniuria cum frustra Imperatorẽ vt resipisceret, diu admonuisset, diris tandem declaratum hostem petit, ac Imperij etiam titulis priuat. Quo cognito Germani Duces Fridericum Siciliæ Regem, ex professo illi hostem, qui quartumdecimum tunc agebat annum, persuadente

id etiam

id etiam Pontifice Imperatorem creant, ac per Henricum Nisenum, & Anselmū Iustigenum viros militares ad Imperium ex Sicilia euocant. Romam Fridericus à Papa accersitus cum venisset, tametsi non sine summo honore excipereturcoro nam tamē Imperij ab Innocentio impetrare nō potuit, quippe quod Pōtifex, nomen eius agnomēq; ob aui memoriam suspecta habens, illum Italia procul abesse volebat. Interea Fridericus blandis tantummodo verbis delinitus, vt arte artē deluderet, pro tempore indignitatem dissimulādam ratus, in Germaniam abijt. Vbi statim Alemanici Regni insignibus à Maguntino Archiepiscopo Maguntiæ decoratus Aquisgranum petit. Ibi regiam iterum de more Innocentij etiam cōsensu coronam accepit, assumptō crucis signo, quo voto subsidij Christianis in Asia bellum contra Sarracenos gerentibus afferendi se deuinxit. Quòd vt ratum, gratumq; Pontifex haberet: Fundanum Comitatum in Neapolitano Regno situm dono illi dedit. Quo Innocentius allectus ad coronam Imperij Romæ suscipiendam, quā ei eousq; denegauerat, Fridericum inuitauit. Sed dum ad iter se parat Imperator, Pontifex discordiæ inter Pisanos, & Genuēses, ac Lombardos, qui acerrimo bello se mutuo fatigabant, mitigandæ gratia Perusium venit. Vbi anno sui Pontificatus decimo octauo defunctus, Honorium tertium successorem habuit. Hic Othone iam præmortuo Fridericum anno ætatis suæ decimonono, salutis. 1220. mense Nouembri, in festo S. Ceciliæ Romæ opera Hugonis Hostiensis Episcopi Imperialem insulam indut. Cui vicissim Fridericus oppida multa plurimaq; munera egregia grati animi testimonio contulit. Indē cū paulo pōst vidisset quosdam Proceres in Appulia res nouas moliri, oppida plura oppugnare, in Thuscia quoq; bella machinari: coactis ipse copijs coniuratos adoritur, rebelles in exilium mittit, Episcopos nonnullos in Sicilia, Campania, & Appulia, qui contra eum etiam conspirauerant, exauthoratos solum mutare coegit, suffectis in eorundem locos alijs, de quorum fide meliora sibi pollicebatur. Exules Episcopi Romam perueniunt, Pontificis aures rumoribus implent, & subsidium implorāt. Honorius exulum querelis prouocatus per Legatos cum Pontificia authoritate Fridericum rogat, inauthoratos Episcopos restituat, ne potestatem sibi ecclesiasticam vsurpet, præsertim quòd si præter fidem aliquid ab exauthoratis commissum esset, ipse inris sui Regni deuotioribus, fidelioribusq; ecclesias prouidere haberet in animo. Ad hāc Legationē indignatū Imperatorē contumaciter respōdisse fertur. Cū Imperatoribus quadringentis, & amplius annis à Carolo Magno licitū fuisset dignitates Archiepiscopales, necnon & cæteras omnes in singulas prouincias per annulum, & virgam conferre, non se Henrico patre, non Friderico auo inferiorem, idem onus ampliandi imperij sibi incumbere, cumq; Siciliæ Reges, & matrem eius Constantiam Reginam electionis Prælatorum ius peculiare semper habuisse constaret, eam in se vnum indignitatem nec Guilelmi Regis auunculi in Romanam ecclesiam beneficia, nec parentis Henrici liberalitatem meruisse, deniq; in has contumelias per iracundiam prorupisse eum ferunt. Quousq; tandem patientia mea abutitur Pontifex? quando ambitioni suæ modum statuet? Marcualdus Flaminiæ Prouinciæ meæ præfectus ab Innocentio Pont. tertio dum in cunis ego agerem, imperio eijcitur, vt me infantem Hexarchatu Rauennæ spoliet. Theobaldus Picenorum Prætor ab Henrico genitore institutus à Pontifice exigitur, vt me puerulum etiam hac priuaret dignitate. Hetruriam mihi adolescēti sublaturus per nuptias Philippum patruum deludit. Fundanum Comitatum mihi ad Imperium euocato emunxit, coronam liberi Imperij multis muneribus nundinari me oportuit. Iam & Imperatoriam maiestatem, quam suffragio proprio Pontifex ratam habuit, contemptui habere incipit. Quis hanc in Pontifice præpostera ferat ambitionem? Ite renuntiate Honorio, coronam me prius de positurum, quàm commissurum, vt tantæ maiestati me imperante diminutio inducatur.

inducatur. Hoc responso accepto Pontifex commotus hostem Ecclesiæ Fridericum pronuntiatum diris deuouit. Nec è diuerso minus iratus Fredericus magno impetu Pontificis inuadit oppida, Sed cum interea in Sicilia anno salutis. 1221. Sarraceni à Friderico desciuissent, relicta Italia in Siciliam venit, hostesq; domesticos magna vi superatos plana, & inferiora loca habitare compulit. Quo in Sicilia moram trahente, anno salutis. 1222. 3. Cal. Iunias Constantia Aragonia Imperatrix apud Catanam defuncta Panormum postea translata est. Iustis postea coniugi persolutis in Germaniam Fridericus, vt rebus consuleret, reuersus comitijs Herbipoli habitis Henricum filium natu maiorem Imperij consortem, & Aquisgrani diademate insignijri fecit. Durauit sesquiannum, & paulo amplius inter Honorium Pontificem, & Imperatorem hæc discordia, cum Ioannes Brenna Hierosolymitanus Rex desperatis in Syria rebus, Pontificis, ac principum Christianorum occidentalium subsidium imploraturus in Italiam traijcit, ac per Tyberim Romam delatus ab Honorio benignè suscipitur. Indicto Senatu, quo in statu Syriacæ res sint, coram exposuit: proinde se aduenisse, vt consilio, ope, & auxilio occidentalium Principum implorato, maturè rebus Hierosolymitanis occurreret, quippe qui commodam ad id rationem inuenerit, si contracta cum Friderico Imperatore, Principe (se iudice) multo omnium maximo, affinitate, tũ titulum eidem, ac ius omne Regni Hierosolymitani renuntians, potentiam tanti viri ad sacrum hoc bellum totis animis capessendum sibi conciliauerit. Hoc confracta Syriæ opes, hoc & tempora ipsa exposcere. Sin verò alia via supersit, se Pontificis consilium non recusaturum pollicetur. His propositis diu in Senatu impari voto consultatum est. Fridericus enim cum hostis esset ecclesiæ, sacrisq; absentus cum Honorio non conueniebat. Post longam tandem Cardinalium disceptationem persuasus est Honorius, vt restitutis oppidis, quæ occupauerat, absolutus Fridericus, & in amicitiam receptus ecclesiæ, Iolen Ioannis Brennæ Regis filiam vxorem duceret, titulum Hierosolymitani Regni, & ipse, & qui deinceps in Regno Siciliæ succederent, per successionem gererent, & in Asiam cum milite subsidiario, se traiecturum iuraret. Nec mora: in Asiam pro puella mittitur. Fridericus ab Honorio interea absoluitur: cui vicissim & ille oppida restituit, & in Syriam se cum exercitu subsidiario transiturum iurat, & titulos noui regni accipit. Sed cum expeditionem Fridericus differre nonnihil videretur, in cunctantem Honorius animo infenso ferebatur, & iam denuo acerbius quiddam in suspectum statuisset, nisi interea anno salutis. 1226. & Pontificatus sui decimo obijsset. Huius successor Gregorius nonus initio statim sui Pontificatus Fridericum vrget, ac sub diris etiam monuit, vt primo quoq; tempore in Asiam cum expeditione traijceret. Sed cum diu Fredericus moram suam per sacramenti, quo iuita inter Sarracenos, & Christianos pax firmata erat, religionem, purgasset, commodum affuit Iole Friderici sponsa, quæ iam in portum Pisanorum applicuerat, eaq; de causa Ioannes demum Brenna Rex Romam profectus cum Pontifice reconciliationem Friderici, ac filiæ nuptias his legibus conclusit, vt Fridericus electionis ius nonnullaq; oppida, quę in Cãpania detinebat, restitueret, ac primo quoq; tẽpore cum copijs in Asiam properaret. Romam itaq; Fridericus ex Pontificis decreto accessit, cui cum de more Gregorius pedem dextrum exosculandum exhibuisset, Imperator genua, errorene lapsus, an superbia, incertum, summis vix labellis basiauit, vt Germani referunt. Quod quidem altius, vt par erat, in Pontificis animo hæsit, quàm vt vnq̃ excidere potuerit. Sed cum præsidia omnia Friderici militibus essent occupata, omniumq; animi in fauorem illius essent addicti, iniurię vindictã in tempus oportunum distulit, ac ad aram maximam comitatus illum benedixit, ædibusq; Pontificijs excepit. Deinde instructo ad tempus comitio, Iolæ in publicum veniẽs a Pontifice coronatur, atq; in Imperatricem vncta, Friderico Imperij

insignibus

insignibus decorato, iunctis more maiorum dextris, annuloq; dato, copulatur. Porrò celebratis nuptijs Fridericus Neapolim transijt, atq; inde in Siciliam traiecit. Vbi rebus compositis Rauennam, & postmodum Cremonã petijt, ibiq; anno. 1227. Procerum conuentu habito sacræ expeditionis consilia tractauit. Audierat enim Conradinum Sarracenorum Regem in Syria Christianos lacessere, & ab Arsacida instinctu Conradini sicarios in Europam missos, qui Christianos Reges trucidarent, ac iam tum Francum Regem, vt insidias præcaueret, nuntium accepisse. Quæ omnia ad festinandũ bellũ eius animũ confirmauere. Primũ igitur Gregorio Pontifici consiliũ aperit, vtq; subsidio sit, hortatur. Henrico deinde filio Cęsari mandat, vt apud Aquisgranũ indictis Comitijs de bello Hierosolymitano referat. Vbi conuẽtu habito ois Principũ ordo affuit, & bello consensit. Ingẽs itaq; hominũ multitudo cruce signata ad certã diẽ Duce Ludouico Turingiæ Lantgrauio, & Sigefrido Rechbergensi Episcopo, qui ibi tum aderant, Brunduſij ad traijciendum in Syriam adesse iussi. Ioannes quoq; Brenna Rex vulgata fama excitus ex Gallia, quo petierat, cũ Berengaria vxore, vt gerendo bello interesset, eo mox transijt. Sed dum classis apud Brunduſium paratur, cœli inclementia Lantgrauius, ac Sigefridus cum magna militum manu viuere desierunt. At Fridericus interea simulata, vt Ecclesiastici, siue aduersa, vt Germani scribunt, valetudine detentus, rem differebat. Verùm ne Reipublicæ Christianæ deesset, classe tandem in altum deuehitur. Cumq; inter Peloponnesi, & Cretæ insulæ angustias teneretur, contraria ventorum vi morbo reualescente coactus cum ijs, qui in Laconica regione constiterant, Brunduſium reuertitur. Ludificari Fridericus rem Christianã per hæc visus, à Gregorio publicis tabellis excommunicatur dictis hisce causis: Quòd in Asiam non ad bellum hostile, sed ad Lantgrauij pecuniam, supellectilem, omnemq; belli apparatum diripiendum traiecisset. Quod iurisiurandi immemor, simulata ægritudine redijsset; quòd ingenuæ cuiusdam puellæ, quæ Iolæ vxori adseruiebat, stuprum intulisset, quòd Zelantem coniugem, quod apud Ioannem patrem conquesta esset, verberibus affectam in carcere enecasset, quòd pusillanimitate, & cunctatione sua meticulosa iandudum Damiata vrbs in Syria à Christianis amissa, & copiæ in Asiam missæ proditæ sint. At Fridericus e contra missis ad Principes literis, quæ passim hodie legũtur, rationem gestorũ reddidit, notamq; sibi iniectã diluere conatus est. Sed cum frustra absolutionis beneficium officiosa excusatione quæsiuisset, paratis iterũ rebus, reparataq; classe. 3. id. Aug. anno sal. 1228. Brunduſio soluit in Asiam traiecturus, cõmissa Raynaldo Ducis Spoleti filio, Siciliæ, oppidũ Appuliæ, & Cãpaniæ Præfectura. Is sine cõsilio statim agri Picœni fines adortus, nõnulla Pontificis oppida subita vi occupat. Gregorius ratus hæc Friderici fraude patrata, primùm ad Hierosolymitanum Patriarcham, cæterosq; proceres, militesq;, qui in Syria erant, occultè literas dedit, vt ab eo cauerent, quippe cum se insalutato cum exercitu nec adhuc reconciliatus abijsset. Vereri se, ne sua perfidia cladem aliquam Christianæ Reip. inferat. Deinde Ioannem Brennam Regem Rauennæ, ac totius Flaminiæ Hexarchum dicit, eũq; cum válido exercitu Raynaldo ex vna parte, ac diuersa parte Columnensem Cardinalem pari armorum robore alteri Friderici Præfecto ad Sanctum Germanum opponit. Hic paruo labore præfecto eiecto cunctas Campaniæ vrbes Capuam vsq; recepit. Raynaldus, & qui pro Friderico in Picœno erant, cognita sociorum calamitate, confestim intra Regni fines vix ægrè se receperunt. Peruenerat iam Fridericus in Cyprum insulam, cum Corradinum Hierosolymæ Regem defunctum vita comperit, liberorumq; eius tutorem cum ijs, qui illum præcesserant, ad biennium inducias pepigisse. Proinde vt primum in Asiam venit: Raynaldum Bauarum equitum magistrum Ptolemaidem cum copijs non contemnendis præmittit. Is, vt iussus erat, de pace cum Sultano agere cœpit. Templarij, Venetiq;,

qui

qui Pontificis literas receperant, statim tumultum excitarunt, prodi res Christianas exclamant, populum ad libertatem conuocant. Sed à Raynaldo suppressa seditione, & Venetis vrbe pulsis, Fridericus consilio, & ope Genuensium, Pisanorũ, & Hospitalariorum, ac Teutonicorum militum in Syriam venit. Vbi tandem conditionibus honestis, ac Reipub. Christianæ saluberrimis pacem cum Sultano firmauit. Fuerunt autem hæ eius formulæ. Fridericus Hierosolymorum Rex inungatur. Ipsam vrbem Hierosolymã cũ Palæstina habeat. Nazareth, Ioppen, cũ oppidis, & fundis instaurare, ac munire illi liceat, eaq; quæcunq; antea in potestate Balduini quarti fuerant, & per Saladinum ereptæ, Friderico restituantur. Captiui sine pretio libertate donentur. Sultani vicissim templum Domini in Hierosolymis integrum reseruetur. Crath quoq; præsidium, quod Arabiam spectat, insuper & Mons Regalis. Atq; ita pace in decennium conclusa, Friderici industria res Christianæ in Syria absq; Christiani sanguinis effusione accreuere, licet victori fœdus cum Barbaro ictum, & Christi sepulchrum, pro quo bellum susceptum fuerat, in manu Sarracenorum adhuc relictum, probro datum sit, cum dicerent, si oppugnationem tentasset, proculdubio vrbe, & regno per vim potiturum fuisse, quod & Barbari ipsi fatebantur, vtcunq; tamen sese res habuit, rata cõcordia ipse cum exercitu Hierosolymam peruenit. Vbi ipso solenni Dominicæ resurrectionis festo anno sal. 1229. Regni, ciuitatisq; Hierosolymorum sacras insulas suscepit, ac coronatus est, præsentibus omnium illius regni vrbium legatis, ac proceribus, Patriarcha solum, clero, Cypri Regis legato, ac Oliuerio templi magistro cũ suis militibus, ob Christi templum Sarracenis relictum conquerentibus: quos & Pontificis minæ etiam exterruerant. Fredericus deinde Hierosolymitano Regno inauguratus, vrbis muros à fundamentis reparat, ædes sacras restituit, quasdam exintegro extruit. Nazareth, & Ioppem reficit, militibus, armis, commeatu, & rerum omnium copia communit, tandemq; rebus optimè constitutis, Syriæ Raynaldum præficit, ac classe, milite, equiteq; ad domandos rebelles illi adscriptis, duabus solum cum triremibus in Appuliam reuersus est. Quam cum occupatam à Pont. inuenisset, iniuriam quidem dissimulat, & vt Pontifex de recepto Hierosolymitano Regno, ac pace formulam ratam habeat annititur. Obedientiam, ac iustitiam illi exhibet, & siquid deliquerit, veniam petit. Pro hac venia, & limitibus Appuliæ apud Pontificem Leopoldus Austriæ, Otho Moraniæ, Bernardus Corinthiæ Principes, Sibotus Gundelfingensis, & Seufridus Ratisponensis Episcopi, & Bertolaus Patriarcha Aquilegiensis e Germania accersiti, per annum omni officio frustra interceserunt. Quibus infecta re discedentibus, sequenti anno Hermani Teutonici ordinis Magistri, ac Messanensis Archiepiscopi interuentu Pontifex tandem Fridericum à diris absoluit, Imperij, Regnorumq; Siciliæ, ac Hierosolymæ titulis restituit, centum & viginti vnciarum auri milibus pro totidem in bellorum expensis ab ecclesia erogatis, à Friderico in Pontificium ærariũ relatis. Porrò conciliatus Pontifici Fridericus contra Henricum filium, qui patre in Syria occupato, Regnum Alemaniæ sibi occupare tentauerat, se vertit: eumq; maiestatis læsæ, siue (vt alij scribunt) quò partes Pontificis tueri videretur, publico iudicio damnatum cum duobus liberis capi iussit, qui apud Marturanũ Calabriæ oppidum carceri tenuissimo victu ad mortẽ vsq; addictus, ex inedia obijt, eiusq; corpus apud Cossentium in æde maiori postea conditum est, Conrado eius germano fratre in Regnum Romanorum à Germanis suffecto. Post hæc anno salutis. 1232. mense Augusto Fridericus cum contra Romanos, qui Viterbium obsidebant, bellum Pontificis nomine strenuè gereret, orta authore Martino Ballono in Messana, & plerisq; Siciliæ oppidis, quæ prorsus ab eo defciuerant, seditione, confestim liberato Viterbio, Messanam venit, qua non multo labore recepta, & Martino exusto, Syracusas postea, & Nicosiam, quæ quoq; ab eo rebellauerant,

seditiosis

Digitized by Google

seditiosis pœna multatis, ad officium retraxit, Centoripen quoq; vrbem, quæ eò tumacius ab eo defecerat, magna vi expugnatam funditus deleuit, & Augustam tunc vrbem condidit, quam Centuripinis habitandam dedit. His in Sicilia gestis Fridericus in Italiam reuersus cum Conrado filio Romanorum Rege ad Gregorium accessit, à quo benignè primùm exceptus est. Verum paulo pòst ob iura, quæ diu in Regno Siciliæ subtracta, & ciuitatem Castellæ (vt conuentum fuerat) non restitutam, ac pleraq; alia, quæ sibi deberi Fridericus prætenderat, nouã cũ Pontifice cõtrouersia exortus est. Quare Gregorius patrũ decreto rursus eũ in diæ cœnę Dominicæ diris deuouit. Quo cognito Fridericus cum per epistolam apud Reges, & populum Romanum nequicq; se tueretur, & Pontifex contrario rescripto suam ei causam probare conaretur, re iam ad inuectiuas vltro, citroq; producta, subinde in Venetos, Mediolanenses, Brixienses, ac cæteras Lombardiæ vrbes, quos contra se cum Pontifice bellum inijsse audiebat, Imperator mouet. Post hæc Pisas profectus cum summo honore à Pisanis exceptus esset, neq; satis exploratũ haberet, quæ gentes imperialibus fauerent partibus, omnes Italiæ ciuitates, oppida q; circũiens, quos sui studiosos inuenlebat, hos Gibellinos, Pontificis verò fautores Guelphos appellauit. Quod execrandum factionum à Friderico inuentũ, ac Barbarum, Germanicumq; nomen, ad meam vsq; ætatem in Italia adhuc perseuerat. Copias in vrbem Romam fiducia Romanorum, quorum magna pars à Pontifice dissidebat, duxit, quo cõtra Gregorius in sui auxiliũ, multos ex ijs, qui cruce insigniti erant, euocauit. Quorum si quos Fridericus capiebat, crudelissimè in eos sæuiebat. Subinde in Campaniam secessit, & inde Samnium, ac Picenum, & demum omnem iram transfudit in Prælatos. Quorum multos Archiepiscopos, Episcoposq; partim occidit, plures carceri addixit, nonnullos exilio multauit, in quibus fuerunt, Cephaledensis, & Catanẽsis, cuius fuerat alumnus, Episcopi. Qui omnes Romam profugi Pontificis aures rumoribus impleuerunt, subsidiumq; imploratunt. Pro quibus ille literas ad Fridericum dedit, quæ adhuc extant. Templa plura ob belli necessitates depilauit, ædemq; Diuæ Mariæ Admirati Panormitanam omni auro, & argento sacro spoliauit, cui Scupellum oppidulum ob id dedit. Nummos ex corio militibus distribui iussit, quousq; ex argenteis illis restitueret, quod & paulo pòst effecit. Adeoq; furijs Fridericus incensus in vrbes Italiæ ferebatur, vt maxima pars fugam è patria quæsierit. Hinc moti complures Lombardi cum coniugibus, & liberis relicto natali solo Oddone Camarano militiæ Duce Scupellum in Sicilia Friderico indulgente inhabitarunt. Quo ob loci angustiam, & recentes Pyratarum incursiones deserto, Corilionem in mediterraneis, eodem largiente, anno sal. 1237. transmigrarunt. Porrò cum tandem Fridericus per Berardum Panormitanum Archiepiscopum, Florentinum, & Rheginũ Episcopos, & Thaddæum Suessanum magnæ Regiæ curiæ Iudicem, & Rogerium Porcastellum Capellanum frustra Pontifici omnia eius acta & improbanti, & execranti reconciliari studet, contemptis omnibus diris, ac religione ipsa neglecta, obuios intra Romanæ vrbis portas vtriusq; ordinis cruce signatos in crucem adegit, discerpsitq;, ac iam opprimendi etiam ipsius Pontificis consilio Romam proximè castra admouit. Sarracenos ad id bellum ex Africa euocatos in summo apud se habuit honore, magistratusq; per Italiam, & Siciliam gerere voluit amplissimos, quorum cum vtilem diu operam expertus esset, legem promulgauit: qua adeo eos esse salvos voluit, vt Christiani, qui se illis opponebant, impune occiderentur. Cæsorum autem Sarracenorum quæstio, si reus captus non esset, in vicinæ regionis populos haberetur, qui æris summa, ac totidem capitum supplicio multabantur. Nuceriam quoq; eis in Regno Neapolitano concessit vrbẽ. Nam cum anno sal. 1243. mense Iulio, Sarraceni, qui in Sicilia erant, ab eo rursum defciuissent, ad Ietum, & Entellam, in editissimis oppidis sita montibus sese recepissent,

recepiſſent. Fridericus Riccardo Caſertæ Comite Duce eos ſuperauit, atq; funditus deletis oppidis Nuceriã, eiectis inde populariter Chriſtianis habitãdã cõceſſit, quã ob id huc vſq; Nuceriã Sarracenorum appellant. Theobaldum, Franciſcũ, & Guilelmũ de S. Seuerino, pluresq; alios proceres, qui apud Neapolim anno ſalutis. 1244. menſe Martio ab eo ad Pontificem defecerant, captos immanibus adſcripſit iudicijs, pluresq; eorum ardenti flamma combuſsit, Vxores verò cum infantibus in Palatio Panormitano ſubterraneis latebris deuotas inedia conteri, ac exinaniri mandauit. Vnde ad ætatem vſq; meam vernaculum ibi adagium inoleuit. Mulieres, quæ male Panormum venerunt. Quarum duo cadauera anno ſal. 1514. à foſſoribus qui ea ad carceres in arce reficiendos fortè inciderant, reperta, integra propè cum veſtibus etiam incorruptis maximo cum ſtupore nobiſcum concurrens tota Panormitana ciuitas ſpectauit. Rauennam inde Fridericus petitam Gregorio ademit. Beneuentum vi captum diripuit, direptum mœnibus nudauit. Templariorum bona quotquot erant in Italia, in ſuum ærarium retulit. Hinc Romam iterum hoſtiliter repetens, multis Italiæ vrbibus à Pontifice defectionem perſuaſit. Quibus malis perculſus, ac iniurijs ſuper alias alijs irritatus Gregorius Romæ de Imperio illi adimendo conuentum indicit. Prælatos vndiq; ad ſe euocat. Quo cognito Fridericus itinera inſidijs terra, mariq; diſpoſitis præcludit. Entium filium Sardiniæ Regem claſsi ad intercipiendos prælatos præficit. Iamq; ex Francia, & Lõbardia ſupremi aliquot ordinis Antiſtites, & Oratores plurimi Genuam aduenerant, Romam ad concilium contra Fridericum properantes. Vnde cum paratis, ac inſtructis vigintiquinq; triremibus ſoluiſſent, non longè à portu Piſano in claſſem Friderici incidunt, à qua tribus triremibus cum omnibus, qui in eis erant, ſubmerſis, reliquæ omnes vigintiduæ naues in poteſtatem Frederici venerunt. Capti ſunt in eis Iacobus Colunna Cardinalis Præneſtinus, Friderico infenſiſsimus, & qui antea publicis contra eum machinationibus exarſerat, Oddo S. Nicolai in Tulliano Diaconus Cardinalis, & Gregorius Romania, Pontificis Legati, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & Prælatis alijs, innumeris, nuntijsq; nonnullorum Prælatorum, & procuratoribus, & ſupra centum Lombardiæ ciuitatum Oratoribus. Capti ſunt præterea Genuenſium militum ſupra quatuor milia, præter nobiles eiuſdem vrbis, qui triremibus præerant, & ad Prælatos Romam ducendos, ac inde poſtea reducendos à Senatu Genuenſi Duces delecti fuerant. Nuntio tam inſperatæ victoriæ Fridericus accepto, qui tunc poſt victam, & receptam Fauentiam ad depopulationẽ vicinæ Bononiæ ſe parauerat, confeſtim omnes ad Amalphiam vrbem eius iuſſu ductos in carcerem conijci iuſsit. Gregorius hac noua iniuria tanto dolore eſt affectus, vt paucis pòſt diebus febre correptus, decimoquarto ſui Pontificatus anno mortẽ obierit. Cui Celeſtinus quartus ſuffectus poſt duodeuigeſimum diẽ, quàm honorem Apoſtolicum inijt, viuere deſijt. Poſt cuius mortem vacante vnius & viginti menſium ſpatio apoſtolica ſede, Fridericus agrum Piceenum in Flaminiam vſq; percurrens Bononiã vi occupat, incendio deformat, ac ſtudium inde generale Patauium transfert. Mediolanenſes prælio vincit, & Petrum Teupolum eorum Ducem captum carceri includit, & crudeliter necat, fautoresq; eccleſiæ varijs cladibus omnes afficit, ne à Venetis quidem finibus abſtinens. Interea Balduinus Cõſtantinopolitanus Imperator deſperatis in Aſia rebus in Italiam venit, & tantum precibus, & authoritate apud Fridericum Parmæ tunc agentem valuit, vt quod Francorum Rex, alijq; Chriſtiani Principes non potuerunt, ipſe ſolus Cardinales aliosq; Prælatos, & Proceres, quos adhuc captiuos Fridericus tenebat, incolumes dimittendos extorſerit. Quibus libertati reſtitutis apud Ananiam Innocentius quartus, Sinibaldus antea vocatus patria Genuenſis gente Fliſca, Hoſtienſis tunc Epiſcopus, ac Friderici ſtudioſus Põtifex creatus ẽ. Quo nũtio accepto Fridericus

non

Digitized by Google

non perinde,vt par erat,lætatus,ſed in hoc verbum prorupiſſe, neſcio quid præſagientem ferunt:Sinibaldum ex amico factum eſſe ſibi ex Pontificatu inimicum. Porrò Innocentius initio ſui Pontificatus ſtatim per Balduinũ,& Comitẽ Toloſanum de pace cum Friderico Balduino rem ſolicitantibus tractat,eſtq; res in quatuor menſes diſtracta: quippe quòd Fridericus nulli ſatis formulæ,nulli oblatæ pacis conditioni acquieſceret. Tandẽ decretũ eſt,vt Pontifex Ciuitatẽ caſtelli petens eo loci Fridericũ ſecũ de cõponendis rebus ſermonem collaturũ opperiretur. At Innocentius cũ paratas ſibi ab Imperatore cum Romanis ciuibus tũ Romæ,tũ in itinere inſidias,vt ſibi ſuggeſtũ fuerat,certiſq; indicijs cõperiſſet,deſperato fœdere cũ triremibus Genuenſibus, quæ apud Cẽtũ cellas eius mandato cõfederant, Genuã profectus aduerſo Rhodano amne Lugdunũ venit. Vbi concilio indicto anno ſal. 1246. per literas,nuntios, ac prẽconẽ etiã, Fridericum ad certam diem ſub dirarum, & depoſitionis mulcta, ad ſe vocauit. Imperator ſtatim per Thadæũ Sueſſanũ Iureconſultũ peritiſsimũ nihil præter nonnullã ad parandas ſarcinas morã petens,venturũ ſe breui eſt pollicitus. Datũ eſt quidẽ tempus, quo id fieri deberet, tametſi Fridericus Innocentium ne tridui quidẽ tempus ad Frigenſis Epiſcopi Magiſtri domus Teutonicorũ, & Petri de vineis, quos poſtremò pro pace tractanda ad concilĩũ miſerat,ac multorũ nobiliũ, & Prælatorũ preces noluiſſe præſtolari conqueſtus ſit. At cũ ad diẽ non adeſſet, in eo conuentu patrum oĩum conſenſu diris deuotus,Imperio,& regnis omnibus annos quinq; anteq̃ moreretur, ſalutis verò. 1245. abrogatus eſt, vt ſacrilegus,qui iura,resq; eccleſiaſticas vbiq; diminueret,Cardinalesq;, ac alios Romanæ eccleſiæ Prẽlatos ad concilium venientes capi fecerit. Vt hæreſeos ſuſpectus, qui Sarracenorũ Regulos,Tuneti Regis præſertim germanum fratrẽ luſtrali aqua regenerari prohibuerit, & Romanum Pontificem ipſum anathematis vinculo aſtringere non potuiſſe,dixerit. Vt blaſphemus,quippe qui impoſtores tres fuiſſe, qui præſtigijs ſuis orbẽ vniuerſum dementauerint,Moſen ſcilicet,qui Iudæos,Chriſtum,qui Chriſtianos, Mahumettũ, qui Sarracenos faſcinauerint,& Deũ de virgine naſci nõ potuiſſe horrẽdè ꝓtulerit. Deniq; vt perfidus,qui pacẽ eccleſiæ Romanæ toties violauerit,& cenſum pro Siciliæ Regno nunq̃ debite perſoluerit. Hæc ipſa, & pleraq; alia Gregorius Nonus in Epiſtola,cuius principium eſt: Aſcendit de mari bellica beſtia, & Innocentius quartus in ſententia depoſitionis,quæ incipit:Ad apoſtolicæ dignitatis,& in ſexto Decretalium lib. titulo de ſententia & re iudicata,illi imponũt. Quæ omnia in ſuis literis,quæ paſſim legũtur diluere Fridericus conatur, & apertè omnia negat. Fridericus vbi exauthoratum ſe audiuit, irarum furore in Põtificem commotus, inuectiuis eũ laceſſere,ac affines eius,cognatosq; inſectari incipit,eorũ ædes,ac pagos in Parmenſi agro diruit,& incẽdit. Poſt hæc fœdus cũ Burgundiæ Duce inijt, Lugdunũ contra Põtificẽ proficiſcitur, vt eũ etiã in media Gallia opprimat. Et iã in Taurinũ ꝓceſſerat, quã cũ à Parmẽſibus exulibus aduerſæ factionis occupatam reperit,regreſſus ex tota Italia exercitũ ad ſexaginta milia cõtrahit, ac Parmã toto biennio obſidet:quam obſeſſurus, vrbẽ nouam ad firmãdã obſidionẽ ædificat,quę Parma capta,& funditus deleta,in veteris locũ ſuffecta maneret. Nomẽ ei,tẽplo maximo,& nummo à victoria,ſed fruſtra impoſuit, ibi nanq; poſtremò facta ex vrbe à Gregorio mõtilõgo Pont. Legato eruptione fuſus,fugatusq; eſt,caſtris oĩs opulentiæ Parmenſibus relictis. Dedit ſe deinde voluptatibus inter ſpadones, & cõcubinas agens. Aquibus tandem experrectus, ad vim,& arma redijt, terrore Italiã ſuo impetu compleuit. Cuius metu plures ciuitates perculſæ ab Innocentio defecerunt. In Ethruria ſola Florentia pro Pontifice ſtetit. Picentes omnes, Vrbinates,Foroliuienſes, Ariminenſes, ac tota ferè Vmbria Friderico adhæſerant. Soli Bononienſes ſuperato Friderici Præfecto in libertatem ſe vendicarũt. Tum Fridericus Italiæ cedẽs, in Campaniam venit. Vbi

Digitized by Google

Petrus de vineis patria Capuanus, iurisq; peritissimus Imperij Prothonotarius, & Regni Siciliæ Logothega, qui Imperium, ac Imperatorem regere videbatur, ob coniurationis suspicionem à Friderico in carcerem missus oculis captus est. Qui tandem desperatione ductus se ipsum capite parieti sæpius illiso interfecit. Inde Fridericus in Siciliã reuersus Panormi (vt quidã scribunt) moritur. Pleriq; autẽ propius vero accedentes eum in Florentino Appuliæ oppido non longè à Tarento à Mãfredo filio ex pellice Lombarda prognato puluinari compressis faucibus strangulatum sal. anno. 1250. die Sabbato tertiodecimo Decembris, Imperij sui anno vigesimonono, relictis Conrado ex Constantia, & Henrico ex secunda vxore Iole legitimis filijs, & Manfredo, & Friderico spurijs obijsse tradunt. Cuius corpus Pactas primò, deinde Panormum translatum porphyretico mausoleo in maximo templo per Berardum Panormitanum Archiepiscopũ tumulatum fuit. Fuit Fredericus multarum linguarũ peritia præditus, Latinam enim, Græcã, Germanicam, & Sarracenicam exactè calluit. Ad hæc & bonarum artium disciplinas officiosè promouit. Effecit, vt Ptolemæi Almagestum ex Sarracenico idiomate Latinitate donaretur, & ea occasione mathematicæ disciplinæ, quæ multis iam annis Europa exulauerant, velut postliminio redierint. Animi præterea, corporisq; dotibus, ac militia inter Principes sui temporis præclarissimus, laboris patiens, ad pericula subeunda strenuus, inter ipsa discrimina magni consilij, liberalis, magnificus, Regij splẽdoris, quo nullus à Carolo magno, qui Romanum tenuerat Imperium, potentior. Quicquid oriens vel monstruosum, vel pretiosum habuit, ei non defuit. Species animalium à temporibus Cæsarum in Europa non visæ, Asiæ luxus omnis, orientisq; thesaurus, ad fastidium in castris suis exhibebantur. Ob has eius ingẽtes virtutes, & gestorum, animiq; magnitudinem eius sepulchro hoc epithaphiũ imposuerunt. Si probitas, sensus, virtutum gratia, census, Nobilitate orti, possent resistere morti. Nõ foret extinctus Fridericus, qui iacet intus.

DE CONRADO, MANFREDO, ET CORRADINO SICILIAE REGIBVS. CAPVT TERTIVM.

MORTVO Friderico Cæsare Conradus ex Cõstantia eius vxore filius, qui tunc in Germania adhuc agebat, patris testamento Siciliæ Rex sufficitur, Henrico fratre in Hierosolymitanum Regnum euecto. At cum Neapolis, Capua, Aquinũ, Caserta, & pleræq; aliæ ciuitates decedente Friderico in Pontificis potestatem se asseruissent, Manfredus, quem pater Tarenti Principẽ, & Conradi absentis Baliũ instituerat, præsidia in Regno Neapolitano pluribus locis imposuit. Neapolim verò aggressus à Neapolitanis mœnibus exclusus est. Interea Conradus accepta patris morte ad capessendum Siciliæ sibi Regnũ è Germania anno sal. 1251. in Italiã venit. Cui Mãfredus gratulabũdus occurrit, Regẽ salutat, reosq; maiestatis Neapolitanos agit, quippe quod eius absentis procuratori imperium detrectantes, portas clauserint. Corradus illius dictis permotus Neapolim obsidet, quã octauo demũ mense subterraneis sub muro cuniculis per vim, siue fame (vt alij scribunt) in deditionẽ accipit, contraq; datam fidẽ diripit, atq; eius pulcherrima quæq; ornamenta deijcit, Capuã populatur, Aquinũ incendio fœdat, & fautores oẽs ecclesiæ interficit, ac deinde recepto, firmatoq; Regno, Augusti nomen, Imperiũq; in Sueuorũ familia retinere studens in Germaniã redijt, Mãfredo regni cura cõmissa. At cũ ibi oĩa sibi infesta offendisset, animo fractus, relicto domi Corradino filio, quem ex Bauari Ducis filia vxore susceperat, Italiam repetit. Vbi morbo, siue veneno Manfredi dolo sibi per clysteria dato, vt pleriq; memorant, correptus anno suæ electiouis. 16. ibidem absumptus

Digitized by Google

absumptus est. Moriturus Corradinũ filium hæredem, regniq; successorem reliquit, tutoribus illi Bauaris proceribus, quos secum ipse Neapolim duxerat, assignatis. Verùm cum ciuitates Regni Neapolitani à Corrado euersæ, tutores, & puerum Regem odirent, tametsi cæteræ vrbes Corradini partes sequerentur: Mãfredus Siciliæ Regnum ambiens ad artes se conuertit, & à proceribus Neapolitanis, & Siculis procuratorem se dictitans recipi postulabat. His motibus Innocentius Pontifex auditis, confestim cum manu valida Neapolim petit. Cui Manfredus callidè religionem mentitus occurrit, se in fide, officioq; Romanæ sedis futurum offerens, atq; adeo dextrè simulationis, obsequijq; partes cum Pontifice obiuit, vt in eius clientelam receptus, ius Principatus Tarẽtini à Friderico patre acceptum non solũ firmatum à Pontifice meruerit, verùm & nouis alijs honoribus, imminuta tutorum Bauarorũ maxima ex parte authoritate donatus sit. Nec multo pòst Innocentius in ægritudinẽ prolapsus Neapoli decessit. Cuius morte Romana sedes supra duos annos vacua stetit. Manfredus ad Regnum sibi occupandum interpontificium veluti magno sibi adiumẽto oblatũ vidẽs, nihil cunctatus Sarracenos ex Nuceria conducit, & Pontificis copias ad Fogiam Appuliæ vrbem in hyberna deductas, nihilq; hostile metuẽtes repẽte adortus, armis, telis, equis, tormentis, ac omni commeatu exuit. Sypontum in Appulia vrbem ob inclementiam cœli solo æquauit, ac iuxta littus in sinuoso portu nouam vrbem condidit, quam à suo nomine Manfredoniam nũcupauit. Vbi cum campanarum sono plurimum delectaretur, campanam monstruosi ponderis, quæ adhuc miraculo apud exteros in ore est, fundi iussit. Interea Alexander Pontifex Romanæ sedi suffectus statim sub Pontificatus sui initium Octauianum Vbaldinũ Legatum cum magno, iustoq; exercitu ad coercendam Manfredi audaciam emisit. Manfredus viribus inferior cum prælio decertare periculosum duceret, Nuceriam compulsus ad suas iterũ fraudes trãsabijt. Subornati clã ex vrbe ab eo sunt nonnulli emissi, qui cum paulo longius à muris processissent, quosdam alios non minori æstu viros in occursum haberent, qui lugentium habitu ex Sueuia cum literis, quas ipsi confinxerant, adulterinoq; annulo signauerant, venire se dicerent: simulatisq; lachrymis falsò Corradinum defunctum esse nuntiarent. Nec desunt scriptores, qui Mãfredum viros sibi fidos ad Corradinum Sueuiæ enecandum misisse, à quibus puer eiusdem nominis alius veneno extinctus sit, literis prodiderint. Porrò Corradini morte nũtiata, & credita, captus dolo Legatus Romanus vltro soluit obsidionem. Bauari quoq; proceres pueri tutores perinde, ac nullo pupillo existente, cuius tutelam gererent, procul è Regno Neapolitano, ac Siculo delusi, abierunt. Mãfredus quoq; ipse veluti pro defuncto exequias celebrauit, & iusta persoluit, atq; ita contradictoribus fraudulenter Regno prorsus expulsis, nulloq; obsistente rerum potitur. Subinde muneribus veteranis militibus sibi conciliatis, nouoq; ex Africa Sarraceno milite mercede conducto, quasi nulla iam legitima regia stirpe superstite, à Neapolitanis errore detentis anno salutis. 1255. Rex salutatur. Et vt ex affinitate Regum firmius sibi deuinciret Imperium Petro Aragonensi Iacobi Regis Aragonum primogenito inuito patre Constantiam filiam dedit vxorem. Quo rescito Alexander Pontifex Manfredo diris execrato bellum sacrum indicit. Dum hæc Neapoli geruntur, in Sicilia magni quoq; emersere motus. Panormus enim, & cæteræ ferè omnes, præter Messanam, ciuitates Manfredo aduersabantur, & quem Regem recognoscerent, non habebant. Messanenses verò, qui Manfredo adhæserant, Petrum Rubeum Comitem genere Calabrum aduersus Manfredũ noua molientem cum tota familia vrbe expellunt, & Legatis missis Mãfredum ad Siciliam inuadendã hortantur. At non ita multo post Messanenses mutato consilio ab eo deficiunt: & instructo satis iusto exercitu contra eius copias apud Crotonem Calabriæ vrbem hostiliter mo-

uēt. Vbi prælio commisso Manfredenses primò superiores facti Messanensium turbam pluribus eorum cæsis, quibusdam captis, cæteris demum fugatis fundūt. Sed ea clade Messanenses nihilo abiectiores facti, resumptis viribus, mense Aug. qui secutus est, contra Tauromenium oppidum, quod Manfredo adhæserat, mouēt, expugnant, diripiunt, & funditus delent, ac deinde mense Octobri per Legatos Romano Pontifici sese, vrbemq; committunt. Pontifex Ioannem Columnam Archiepiscopum Messanensem Legatum, & Iacobum de Ponte ciuitatis Præfectū instituit. Sub quorum magistratu septem menses Messana gubernata est. Dum in hoc interregno his Sicilia tumultibus laboraret, Henricus Abbas, qui in valle Mazariæ Manfredi Præfectus eius partes tuebatur, conscripto milite contra Panormum venit: quam dedentibus se ciuibus paruo labore adeptus est. Panormo capta, Messana totaq; Sicilia præter Platiam, Ennam, & Aydonē ad Manfredum defecit. Māfredus his cognitis statim Fridericum Lanceam præsidem in Siciliam destinat. Is ex Sicilia, & Calabria comparato exercitu contra Platiam mouet. Qua magna vi capta authores factionis, eosq; omnes, qui Manfredo aduersabantur, trucidat. Ennenses, & Aydonenses audita Platiæ expugnatione, statim & ipsi deditionem fecerunt. Atq; eo modo recepta Sicilia, Manfredus mense Aprili anno sal. 1256. Messanam venit. Vbi maximo honore exceptus, & à populo Rex salutatus, paucis pòst diebus panormum petijt, ibiq; omnibus Siciliæ proceribus, & Prælatis assistentibus decimo mensis Augusti anni sal. 1256. more maiorum sceptri, Regnique; corona redimitus est. Nec diu moratus gaza omni, ac thesauro è Palatio Regio direptis, constitutoq; in Sicilia Friderico Areno Iustitiario, & Friderico Malecta Comite Præfecto, Neapolim reuertitur. Subinde anno sal. 1258. mense Maio Gabbanus Teutonicus, qui à tempore Friderici Cæsaris ex Proceribus vnus Siciliam incolebat, Malectam sibi inuisum inter Drepanum, & Erycem adoritur, ac configit, Mox Erycē ascēdit, ac oppidū capit, & simul cū oppidan is à Māfredo deficit. Fredericus Lancea his cognitis cōtra eos mouet ac magna cæde facta, Gabbāoq; interfecto oppidū capit, eoq; deserto oppidanos ad reliqua Siciliæ loca inhabitāda trāsmisit. Interea mortuo Alexādro Ro. Pont. Vrbanus succesit, qui iniquè ferens Manfredū Siciliæ regnum sibi occupasse, Ludouicū Francorum Regem in Sanctos relatum per Bartolomæum Pignatellum Malphiæ Præsulem nuntium orat, festinet ad se mittere Carolum eius Germanum fratrem Andegauiæ Ducem, cui Siciliæ, Neapolitanumq; Regnum dare habeat in animo. Qui licet iam Corradinū, cui iure hæreditario vtrunq; Regnum debebatur, adhuc viuere non ignoraret, obstare tamen ei dicebat immaturam ætatem ad obsistendum Māfredi viribus imparē, & quòd soboles Fridericorū, indolesq;, quę & Regno fuerat abdicata, ob præteritā Suenorū Ducū in ecclesiā Ro. pfidiā, suspecta sibi esset. Proinde nulla Vrbano aduersus Māfredum, nisi in Gallis spes erat. Ludouicus, & Carolus cōmunicato adinuicē consilio morem Pontifici gerendum esse constituunt, stimulante quoq; Carolum vxore, quæ cum trium Reginarum esset soror, se Comitissam appellari, scribiq; ægrè ferebat. Igitur suggerente Vrbano, Carolus plurima militum manu collecta Philippum Montifortem copiarum Ducem contra Manfredum præmittit, vt viam Romanam per id tempus ab hostis militibus obsessam patefaceret, qua aperta, ipse per Lombardiam omni insidiarum sublato impedimento Romam petere posset. Interea cum Vrbanus tertio Pontificatus sui anno decessisset, Clemens quartus genere Francus Caroli æquè, vt Vrbanus studiosus, vtpote quem gentis coniunctio etiam magis addictum faciebat, succesit. Huius igitur iussu Carolus vocatus triginta cum triremibus Massilia soluens vnà cum Beatrice vxore Hostiam defertur, ac Romæ maximo honore exceptus, adepta prius Senatoria dignitate Siciliæ Regni, ac totius tractus, qui citra fretum vsq;

ad

Digitized by Google

ad confinia Romanæ eccleſiæ protendebatur, præter Beneuentum & Hieruſalem, diadema per Cardinalem Legatum in æde Lateranenſi Clemente ipſo Peruſij agẽte cũ vxore ſimul ſuſcipit, impoſito quadragenum in ſingulos annos milium aureorum, triennio etiam vnoquoq; equi albi, Pontifici in feſto die Petri Apoſtoli numerandorum vectigali. Iureiurando præterea adigitur nullo pacto Imperij nomen ſe aut hæredem, vel vltro delatum acceptaturum, adeo tenebat Pontificem Friderici primi, & ſecundi Imperatorum memoria, & præſentis tẽporis motus, vt diplomate Pontificio dato apud Lateranum. 4. Cal. Iulij anno ſal. 1265. Pontificatus eiuſdem Clementis quarti anno primo conſtat. Interea dum hæc Romæ geruntur, Caroli copiæ ſuperatis alpibus in Lombardiam venerunt, quas inde in Campaniam flectere iuſsit. Ipſe paulo pòſt cum militibus, quos Romæ ex varijs nationibus contraxerat, ſecutus, q̃ primùm ad Lirim fluuium venit, Ceperanum oppidum, vbi Manfredi erant præſidia, abſq; pugna in deditionem accepit, atq; inde ad ſanctum Germanum oppidum, quod Manfredus præſens magnis copijs tuebatur, contendit. Manfredus vbi Carolum aduentare cognouit, paucis militibus apud oppidum relictis in patentibus campis hoſtem expectaturus, Beneuentum vſq; retroceſsit. Ibi Manfredus hoſti obuius, exercitui pugnandi copiam fecit. Conſtitit tamen nonnihil vterq; exercitus, & duces in manifeſto eorũ diſcrimine anxij cum omnia viciſsim eſſent contemplati, pugnam atrociter iniere. Primusq; Carolus cum laboranti ſuorum turmæ ſubueniſſet, proſtratus occubuiſſe eſt creditus. Quæ vox vndiq; in vtroq; audita exercitu Mãfredũ impulit, vt extra ordines audentius pugnaret. Vbi ipſo Carolo comparente interfectus occubuit. Sunt qui ſcribant Neapolitanos Proceres, ac milites, quos ſecum Mãfredus adduxerat, largitionibus à Carolo corruptos ad hoſtes inter dimicandum tranſfugiſſe, vt ita Mãfredus in pugna à ſuis miſerè deſertus, & planè proditus interierit. Tametſi verò Carolus certa ſit victoria potitus, damna tamen non minora victo ſenſit. In Manfredi etenim exercitu ex Germanis ceciderũt meliores quiq;, & ingens numerus ex Sarracenis, & magna militum, Ducumq; Italici generis multitudo capta, Caroli verò totus exercitus concuſſus eſt, & innumera militum omnis ordinis colluuies cæſa multas cohortes deſiderauit. Authores habeo, qui Caroli victoriæ magnopere profuiſſe aſſerant, Ioannem cognomento Ratam Caſertæ Comitem, qui cum violatã ſibi à Manfredo vxorẽ cognouiſſet, eſſetq; eius copiarum Dux conſtitutus, iniuriam domeſticam vlturus cum Carolo clam conuenerit, eiq; intra Regni Neapolitani fines viam patefecerit. Proinde parta Carolus victoria Beneuentum ingreditur, confluentes vndiq; populos in deditionem accipit, progreſſusq; à Regni Proceribus, & populis magno honore excipitur, & Rex agnominatur. Siculi etiam accepta Manfredi morte, & Caroli ſingulari virtute deditionem vltro & ipſi fecerunt. Quorum Meſſanenſes primi Caroli inſigne è mœnibus erexerunt. Interea Corradinus Corradi filius iam adultus anno poſt patris obitum decimo quinto Regnum patrium recepturus maxima cum Germanorum manu Romanis etiam fauentibus, & Henrico eorum Senatore Caſtellæ Regis filio, & Friderico Auſtriæ Duce illius germano fratre Alfonſi Aragonenſium Regis fratribus, Corrado etiam Caputo Antiochiæ Principe Friderici ſecundi Cæſaris ex Friderico filio nepote, Piſanis quoq;, Senenſibus, & Genuenſibus eius ſigna ſequentibus in Italiam deſcendens ad Regni Neapolitani fines vſq; peruenit. Quod vt Clemens Pontifex cognouit, iuuenem miſeratus dixiſſe fertur. Corradinum ad mortem, vt victimam ſacrificio deuotam, trahi. Corradus interim Antiochiæ Princeps in Siciliam pro Corradino recuperandam perrexit. Vbi non parua militum manu ſecum aſſumpta deſcedens, primùm omnium latus meridionale percurrens Saccam oppidum pro Corradino occupat. Vbi coactis maioribus copijs plura alia vicina oppida ab Im-

Digitized by Google

perlo Regis Caroli diſijcit,& ad Corradum deficere facit. Piſani præterea triginta cum triremibus Fridericum Auſtriæ Ducem in Africam tranſuehunt. Vnde cõſcripto non paruo Sarracenorum numero in Siciliam nauigant,atq; eam omnem Panormo, Meſſana, & Syracuſis exceptis,recipiunt, & in fidem Corradini iureſurando adigunt,eiq; Corradum Caputum præficiunt. Dum hæc in Sicilia geruntur:in Regno Neapolitano Nuceria à Carolo deficiens Corradino adhæſit:ſed & aliæ plurimæ vrbes, ac omnium fere incolarum animi ad eundem flectũtur. Quorum mente cognita Corradinus contractis vndiq; viribus ad Fucinum lacum venit. Quod vbi Carolus reſciuit, in Marſis ad oppidum,cui hodie Taliacozzus eſt nomen, illi maximo cum exercitu obuiam factus eſt. Vbi admonitu Alardi veterani ordinum Ductoris,qui ſub Germanis multos annos meruerat,copijs, quas per acies in conſpectũ Corradini eduxit,Magiſtrum militum Regijs inſignibus excultum præfecit,ipſe verò cum delecta manu in colle propinquo tectus delituit,in tempore accurſurus, hac vt arte virium imbecillitatem muniret. Apud Corradinum verò Longobardi,Vmbri,Ethruſci,exules Ligures,Hiſpaniq; in prima ſimul ſtabãt acie, Germani autem in ſubſidijs. His vtrinq; paratis ad prælium ſigna dantur. Tres horas pugnatum eſt acerrimè, tandem verò Magiſter militum cadit. Quo cognito Corradinenſes rati Regem Carolum cecidiſſe victoriam conclamant, ac redintegrato impetu veluti recentes in hoſtes impreſsionem faciunt,fundunt,fugant,ac inſequuntur. Germani,qui ad id tempus quieti ſteterãt, ne ſi victoriæ gloria penes Italos, Hiſpanosq; tota cederet, ipſi ſoli ſegnitiei arguerentur,conſurgunt:& perinde,ac ſi nihil vltrà metuendum eſſet, ſolutis ordinibus feruntur. Tunc Carolus è latebris repentinus ſuperuenit,atq; *in incautos* irruit,omniaq; in formidinem mutat. Quo viſo,tanq̃ miraculo attoniti Germani opprimuntur,cædesq; in victores vertitur. Ad duodecim nanq; Germanorum milia tunc ceciderunt. Capti verò ſunt Fridericus Dux Auſtriæ,& Henricus Romanorum Senator, qui finem cædis fecerunt. Contigit autem hæc ſtrages anno ſalutis. 1268. die. 22. Auguſti,in loco,cui hucuſq; ob id,Victoriæ nomen eſt. Corradinus recepta clade detractis inſignibus Regijs, quibus amictus erat, ealonis habitum mentitus,longinqua fuga Siciliam traiecturus ſibi conſulebat. Vbi verò ad Aſturium peruenit,nauiculam conſpicatus, orat nautam, vt ſe Piſas deuehat, annulum aureum pro naulo ſe daturum, quem loco pecuniæ haberet,pollicetur. Homo & ſpecie annuli,& forma adoleſcentis captus rem clàm non habet, ſed hoſtibus pandit. Concurſu facto Corradinus cum pluribus ex Primatibus comprehenſus ad Carolum viuus deducitur,ac ludibrio afficitur. Quem tandem Carolus, vt omnis ſpes regni ſuis adimeretur, Pontificis conſilio non abſq; infamiæ labe,& contra Regium decus,Neapoli publico iudicio ſecuri percuſſum interimi iuſsit. Hoc pacto Corradinus peremptus nobiliſsimæ, vetuſtiſsimæq; Sueuorum ſtirpi finem dedit, Sueuia natiuo Principe carẽte,& in prouinciam redacta,poſtq̃ diu Imperio præfuit,& annos ſeptuaginta ſex in Sicilia regnauit.

DE CAROLO ANDEGAVENSI SICILIAE REGE, ET GALLORVM OCCISIONE.

CAPVT QVARTVM.

CORRADINO regno pariter, & vita functo, Carolus ab omnibus Proceribus, & plebe facilè ad ſedandam diſcordiam in vrbe Neapoli Rex acclamatur, & qui in eo regno ab eo deſciuerant, in fidem mira celeritate redierunt,

Digitized by Google

runt, vitaq; omnes donati pecunia duntaxat pro suis quisq; facultatibus in præsens mulctati sunt. Donatus Regno sine Carolus mora Guidonem Montisfortis Comitem magna classe instructum ad recipiendam Siciliam mittit. Potiebatur tum adhuc insula, Panormo (vt dixi) Messana, & Syracusis exceptis, Corradus Antiochiæ Princeps, qui post Corradinum cæsum, cum omnes ferè Siciliæ ciuitates sibi addictas, & copias etiam tantæ rei idoneas haberet, Regnum, quod hactenus pro Corradino ministrauerat, vendicare sibi quærebat. Verum vt primum classis Caroli Messanam appulit, omnes fere vrbes mutata voluntate deditionem fecerunt. Quo facto perculsus Corradus ad Centoripen oppidum natura munitum se recepit. Guido recepta insula nihil antiquius habuit, quam Corradum in manu habere. Quare nihil cunctatus contra Centoripen mouit, ac dura eam obsidione cinxit. Post hæc magna vi eandem expugnat, & capto Corrado funditus etiam delet. Corradum verò captum cum plerisq; Proceribus primò oculis, & deinde suspensos vita etiam exuit. Cæso Corrado Siculorum reliqui, qui eius partes paulo antè tutati fuerant, vltro ad Guidonem pro Carolo perfugere. At quia diu, & hostili maximè animo Regnum Carolo detractauerant, Procerum alij exilio, alij rebus plexi sunt. Tributum ad libitum non ex veteri forma, sed tanta acerbitate, & adeo auarè, superbeq; imperatum, vt multi Siculi non solùm fortunis, sed etiã vxoribus, & liberis sint spoliati. Ad plebem præterea in fide continendam, valida præsidia in vrbibus, arcibusq; sunt imposita. Dum hæc in Sicilia geruntur: Ludouicus Francorum Rex cum tribus filijs, & Carolo fratre Romani Pontificis suasu Tunetum vrbem Sarracenorum magna classe impetijt, quam dum obsidet, pestifero apud exteros cœlo pie decessit, Philippo filio natu maximo Rege relicto. Tũ Carolus Siciliæ Rex Tunetensibus libera Christi prædicatione, ac quadragenum milium aureorum nũmorum in singulos annos tributo imperatis, per pestis fortunam in Siciliam repellitur. Cumq; Drepanum in conspectu haberet, repentina tempestate suborta, multæ eius naues vi fluctuum dissectæ, non paucæ etiam sunt obrutæ. Reliqua pars classis quassa vix Drepani portum obtinuit. Mari vexatos terrestris rursus calamitas excepit. Nam Drepani vis morbi iterum in Francos gliscens vires resumpsit. Milites ad luem vitandam naui egressi in Erycem, Marsalam, Salemim, Calatafimim, & Alcamum Drepano proximiora oppida sunt dimissi. Theobaldus verò Nauarræ Rex, Isabella vxor, Guilelmus Flandriæ Comes, & Elisabeth Regina, & complures ex proceribus, & maxima militum pars peste apud Drepanum perierunt. Carolus, & Philippus Reges Drepano discedentes Montem Regalem vrbem petierunt. Vbi viscera Ludouici Frãcorum Regis apud Tunetum defuncti, cuius cadauer classe in Franciam vehebant, in templo maximo religiosè terræ commendauerunt, ac subinde Carolus Panormum venit, anno sui Regni sexto, sal. vero. 1271. Vbi expeditis, & compositis rebus classe cum Philippo Rege ad ciuitatem veterem delati, Viterbium postea deuenerunt. Ibi Vrbano Pontifice defuncto, & Gregorio decimo electo Philippus Franciam versus, Carolus Romam primùm, deinde in Appuliam redijt. Enimuero celeberrimũ erat per ea tẽpora in Italia, & extra, eius nomẽ, cũ Sicilia, & Italia ferme tota eius Imperio pareret. Idem Prætor Romanus magna tũc dignitate magnisq; opibus præcellẽs, idẽ Vicarius Imperij, Ethruscis iura, magistratusq; dabat. Nec eo cõtẽtus extra Italiã titulos sibi extendere iam cœperat; primumq; in Græciam classem ingentem parabat, imperium Francis restituturus. Mortua nanq; Phocensi vxore Carolus Balduini Cæsaris Constantinopolitani nuper expulsi filiam in matrimonium duxit. Quo facto Bizantio potiri maxima sibi Palæologo ab Imperio deiecto, cura inhæsit: classemq; ingentem ad id parare pergit. Interea defuncto Gregorio Pontifice post Innocentium, Adrianum, & Ioannem vigesimum secundum Nicolaus tertius Romanus Pont. suffectus est. Is suspectam habens Caroli potentiam,

potentiam, & quia affinitatem cum eo contrahere recuſauerat, eius opes imminuere ſtatuit. Senatoria, Vicariaq; dignitate ipſum priuat. Duos nouos Reges, & eos ex familia Vrſina, cuius ipſe erat gentilis, in Italia inſtituere, ac vnum Ethruriæ, alterum Longobardiæ præficere, ad arcendos Reges exteros decreuerat. Interea in Sicilia Galli, qui iura, magiſtratusq; dabant, ſuperbia, luxuria, & crudelitate omnia compleuerant, inaudita vectigalia imponebant, intolerabiies obuentiones exigebant, inuita nobilium fœminarum, & diuitum coniugia inibant, ac adulteria etiam in nuptas machinabantur. Sub prætextu præterea laneorum ſubſtragulorum, quæ Iudæi, ac cæteri pro modo ſuarum facultatum militibus, ac miniſtris Regijs iuſſu curiæ exhibere tenebantur, domos ingreſsi ſupellectilem omnem dimouebant, mulieres impudicè tangebant. Secuta inde nefanda crudelitatis exempla, expulſiones ciuium, bonorum publicationes, iudiciaq; priuatorum, ac proſcriptiones non ob aliam cauſam, niſi quia diuites eſſent, fraude, & malis artibus Regnum prædæ loco habebant, plebem, nobilesq; impotenti dominatu exagitabant, & vni tantùm rapinæ, atq; auaritiæ, & libidini ita ſtudebant, vt alienas, nobilesq; fœminas publicè per vim inuadere non vererentur. Septem equidem & decem annos exactiones, exilia, carceres, deportationes, aliasq; illatas à Francis iniurias æquo animo Siculi pauide interim, ſecumq; clàm ſubmurmurantes tolerarunt. Sed vbi Zelotypiæ furor virorum amantium corda percuſsit, factũ eſt murmur impauidum, iniquitatis cauſas, & argumenta publica per nũtios Carolo Regi Viterbij tunc agenti nuntiant. Adminiſtrabatur eo tempore Sicilia ab Herberto Auriliono Caroli Regis generali Præſide, Ioãne. S. Remigio Panormi, & Vallis Mazare, & Thomaſio Buſanto Vallis Neeti præfectis, viris Gallicis. Carolus vbi legationem audiuit, Herberto Præſidi ſub mulcta mandat, vt miniſtros frenet, & à rapinis, ſtuprisq; eos inhibeat, pœnisq; etiam deprehenſos afficiat; vt eius diplomate dato Viterbij anno ſal. 1276. pri. Cal. Aug. Meſſanenſibus, & Siculis tranſmiſſo conſtat. At Franci efferaciores effecti, eadem, & peiora, velut in mandati actorumq; ludibrium, perpetrabant. Siculi ne quid inexpertum reliquiſſe viderentur, coram Pontifice Romano per Bartholomeum Pactenſem Epiſcopum, & Fratrem Bon Ioannem Marinum Dominicanum cauſam ſtudioſè proponunt. Et Bartholomæo quidem munus Legationis intrepide coram ipſo Rege Carolo obiuiſſe, Siculorum annales referunt. Cuius exordium hoc fuiſſe perhibent. Miſerere mei fili Dauid. Filia mea malè à Dœmonio vexatur, quo finito, ſtatim ſuo ordine enormes libidines, rapinas, & cætera id genus Gallorum crimina retulit. Demum Carolum ab iniuſtitia coerceri petit. Diſcedentibus à Pontificis conſpectu Legatis, Caroli miniſtri manus injiciunt. Reuerſi in Siciliã Legati quid ſibi pro legatione obuenerit, in vrbe Meſſana, Siculis hæc irritato aio audientibus palã referũt, Erat eo tẽpore ĩ Sicilia Ioãnes Prochyta, Prochytæ Inſulæ olim Dñs. Cuius vxorẽ paulo ante Galli (vt Petrarcha refert) violauerant, & Mãfredi cõdã Regis ſtudioſiſsimus, callido vir ingenio, & in cõciliandis hominũ animis potẽs. Is & deſiderio priſtinarũ opũ flagrans, & contaminatã à Francis vxoris pudicitiã vlturus, adiecto ad liberandam Siciliam animo clandeſtinam coniurationem cõtra Gallos, Carolumq; toto biennio clàm ſolicitauit, ſociosq; Alanum Leontinũ, Palmerium Abbatem, & Gualtherium Calatagironum, ac pleroſq; alios Siciliæ proceres, quibus ſciebat Frãcos eſſe præ cæteris inuiſos ſibi deligit. Inter eos igitur conuenit, vt Petro Aragonum Regi Siciliam iure vxorio ſibi debitam traderent, ad quod facinus, ſi viribus opus eſſet, Palæologi Conſtantinopolitani Imperatoris, ac Nicolai Pont. Rom. quos conciliandos ipſe ſibi inſtituerat, auxilia offerebat. Proinde cum Palæologo, contra quem claſſem Carolus inſtruebat, rem primùm, mox cum Nicolao Pontifice Aragonenſium ſtudioſiſsimo, ac demum cum Petro Rege tractare, decernunt. Per literas cum his agunt, calamitates ſuas exprimunt,

munt,auxilia petunt.Ioannem autem ad eas perferendas, obeũdamq; Legationẽ nũtiũ eligũt.Ioãnes ſtatim ad iter ſe parat,abiectaq; nobili veſte, vilẽ, religioſãq; induit,ſanctitatis ſimulatione omnia ſibi terra,mariq; peruia,tutaq; facit. Bizantium proficiſcitur, Michaeli Palæologo Caroli contra eum animum , paratam claſſem,& copias cõſcriptas ad eripiẽdũ illi imperiũ aperit.Porrò remediũ vnicũ ſupereſſe longo verborũ ductu declarat, vt Carolus incautus occupetur,& ingẽti mora domi retineatur: habere etenim illum Siculos,qui Hẽrici,Friderici, Mãfredi, Corradi, & Corradini,ſub quibus opibus,& libertate floruerunt,memoria, ac amore adhuc detẽti, Frãcos ſuperbos,crudeles,ſtupratores capitaliter odiãt,nec aliud conentur, q̃ vt ab eis ad Petrum Aragonenſium Regem deficiant , cuius vxor Conſtantia Manfredi Siciliæ Regis filia noctu, & interdiu virum inſtigat, quo mortem Manfredi patris,ac Corradi,& Corradini in homicidam vindicet,& Siciliã dotali ſibi,ac paterno iure debitam repetat.Cæterũ Petrus cũ Carolo viribus ſit inferior,ob id mouere arma nõ audet. Quod ſi Palæologus ei ad claſſem cõtra Carolum parandam pecuniarum ſubſidia præſtaret, fore proculdubio, vt Petrus Carolo Siciliam adimeret, atq; hic bello domeſtico implicitus,longè abſit à Palæologo vexando:cum qui in ſuis defendendis occupetur, aliena infeſtandi facultatem non ſit habiturus. Palæologus ijs auditis,in Carolum totum animo mouetur,quæ Ioannes dixerat, probat,auroq; Petrum adiuturum,literas,& ad eum, & ad Pontificem ſe ſcripturum pollicetur,Ioannemq; ipſum ad patrandum facinus authorem deligit.Ioannes rei gerendæ officio, literisq; à Palæologo acceptis, eadem veſte amictus ad ſuos reuertitur. Quos cum reſponſo Palæologi in ſpem erexiſſet,ſubinde ad Nicolaum Pont.prouolat, eumq; coniurationis in Francos ſociũ, & fautorẽ nullo labore pertrahit, & cũ eo vt Petrus claſſem maximã paret, vt dolus aliquis contra Francos à Siculis repentinus,cruentusq; excogitetur, fœdus pepigit.Atq; inde ſumptis à Pontifice literis Petrum Aragonenſem cõuenit, cum in ſpem Siciliæ vocat,aurumq; Palæologi promittit. Quo facto ad Pontificẽ redit. Vbi cũ illi quæ cũ Petro firmauerat,retuliſſet,Siciliã reuertitur,bonoq; animo eſſe omnes iubet.Nec quicq̃ remoratus Conſtantinopolim iterum ad Palæologum pro auro regreditur, literas illi & Pontificis, & Petri defert. Palæologus Accardum Latinum in rebus gerendis ſolertiſſimum ſibi à ſecretis, virum cum magno auri pondere Ioanni ſocium adiungit.Illi Melitam nauigant.Vbi Ioannes relicto Accardo Drepanum venit, atq; inde Proceres Melitam ad Accardum viſendum traijcere iubet. Quo viſo lætantur,laudibusq; Palæologi & conſilia,& liberalitatem efferunt.Proceribus in Siciliam reuerſis,Ioannes,& Accardus Barchinonam ad Petrum Regem contendunt. Aurum Palæologi ei exhibent: dolumq; excogitant cruentũ,vt Francis cæſis Petrus rerũ in Sicilia potiatur.His paratis,Ioannes ad ſuos rediens à Piſanis nautis obuijs inter nauigãdum Nicolaũ Romanũ Pont.obijſſe,& Martinũ quartum Gallorum ſtudioſiſsimum ſuffectum cognouit. Nouitate rei primùm terretur, ſed mox reſumpto animo curſum proſequitur, & Drepanum applicat. Proceribus conuenta omnia credit. Interea Petrus Rex vt à ſuſpicione inchoati delectus militaris Principum animos auerteret, declarata cauſa ſacri belli,claſſem inſtruit. Apparatu verò bellico inualeſcente Martinus Pont.per nuntium à Petro petit,vt claſsis ſuæ conſilium ei aperiat. Cui cum tempus ferret,id ſedulo ſe facturum reſpondit.Cumq; Pontificis nuntius vrgeret, Cõburerem (inquit Petrus) meam hanc interulam,quam induo,tunicam,ſi eam arcanorum meorum conſciam fore timerem. Carolus etiam Rex idipſum à Petro ſciſcitatur:quòd ſi in Sarracenos bellum pararet,opem ſuam offerebat.At Petrus, nondum quos Sarracenos adoriatur, deliberaſſe, & ſe tantùm ſubſidijs nummarijs indigere reſpondit. Quo audito Carolus (vt ſtudioſi Francorum ſcriptores tradunt) viginti milia aureorum Petro mittit, multo maiora ſe miſſurum, ſi de

Digitized by Google

sacro bello ei constet, pollicitus. Interea dum bellum a Petro paratur, Ioannes Prochyta Panormitanos, Messanēses, ac cæteros Siciliæ viros Principes adit: cum eis arduum facinus tractat, vt vno, eodemq; tempore Franci tota Sicilia gladijs obruantur. Annuere Proceres, & communi consensu tertius dies resurgenti Domino festus decernitur, quo cum primum circa vesperam æreæ campanæ signum auditum fuerit, vbiq; Franci, nullo sexus, ætatis, ordinis discrimine habito, confoderentur. Quo firmato, Ioannes singulas vrbes, oppidaq; circumiens Siculos, quorum apertiora in Francos odia patebant, ad præscriptum facinus hortabatur. Sūt qui referant, quo tutius rem perageret, lymphatum simulasse, ac canna ad aures obuiorum suggerentem Francorum quidem ridiculas voces, Siculorum verò cædem futuram, simulq; diei, & horæ nuntium. Itaq; anno salutis. 1282. Caroli verò Regni. 17. 3. Cal. Aprilis dato signo, ater, funestusq; Francis apparuit interitus. Tota nanq; Sicilia in Francos nil tale vnq̄ veritos insurgente vno temporis momento ad vnum omnes non solùm à prophanis, sed Dominicanis etiam, Frācisc anis, ac cæteris cucullatis monachis trucidantur, paucis ad Spirlingam arcem natura munitissimam salutem sibi quærētibus, qui omnes paulo pòst media sunt consumpti: Vnde natum carmen. Quod Siculis placuit, solùm Spirlinga negauit, qua in re adeo sæuitum est, vt exenteratæ prægnantes, & paruuli, nequid Francici generis in Sicilia supereſſet, saxis illisi sint, duarumq; horarum spatio eo tempore octo Francorum milia occisa fuisse constet. Inde adagio increbuit Siculus vesper. Visebatur ad ætatem vsq; meam Panormi in æde Diuorum Cosmæ, & Damiani, alijsq; vicinis sacellis sacris Francorum cadauerum, ossiumq; congeries, struesq; maxima. Siculorum in Francos hanc sæuitiam, vt frequentior scriptorū authoritas, & fama per manus ducta habet, hactenus recēsuimus. In plerisq; verò Siculorum annalibus, & Siciliæ Regum, Petri præsertim secundi Siciliæ Regis diplomatibus, ac etiam non spernendis authoribus consternationis initium à Panormitanis ortum legimus. Cum etenim tertio Dominicæ resurrectionis die, qui eo anno penultimus Martij dies fuit, ad templum Sancti Spiritus sexcentos ferme passus in meridiem obuersum Panormo recedens (etsi ad Montem regalem quidam falsò scripserint) Panormitanorum frequentia religionis causa de more, qui ad meam vsq; ætatem solenni obseruatione manauit, conueniſſent, Francos ibi, qui magistratus gerebant, iussu Ioannis. S. Remigij vrbis Præfecti causa scrutandi si quis cum telo esset, etiā matronas, virginesq; excussisse, licentiosiusq; pertentasse mulierum sinus accepimus. Quorum vnus cui Drohectus erat nomē, cum in quandam mulierem nobilitate insignem manus iecisset, Panormitanorum in vnum concurrentium subita ira lapidibus primùm obrutus, mox eadem seditione armis ex vrbe correptis Franci omnes per plateas sine discrimine cæsi sæuæ libidinis, & diu toleratæ crudelitatis pœnas dedere. Inde verò ad Ioannis. S. Remigij (qui præerat) arcem impetu facto Panormitani, effractis ianuis irrumpentes, quotquot in ea illius nationis inuenere trucidarunt. Ioannes ipse in facie vulneratus rustici habitum mentitus noctu equester Biccarum oppidum profugiens, eum quidem furorem euasit: sed Panormitani, qui interea Rogerium de Magistro Angelo vrbi ad plebem in officio continendam præfectum constituerant, cęsis domi ad quinq; Francorum milibus, vnà cum Caccabensibus Ioannem. S. Remigiū persecuti sagittis petūt, ac demū interficiūt. Fama Frācorū cædis per vicina Panormo oppida delata, Corilionenses Gallos omnes, qui in eorum oppido erant, vna hora peremerunt, fœdusq; cum Panormitanis inierunt. Peractis his stragis Gallicæ primordijs, Panormitani tres acies instruunt, quarum vnā Cephaledim versus, alteram Ennam, tertiam Calatafimim mittunt, Siciliam omnem ad idem facinus exciturі. Qui Calatafimim venerunt, à Guilelmo Porcelletto Prouinciali genere ob probitatem suam cæteris Francis interfectis, abstinuere incolumemq;

incolumemq; in patriam dimisere. Ea inde voce Siciliam omnem peruagante, ac militibus oppida discurrentibus à nullo Franco temperatum est. Herbertus Sicilia Præses, qui Messanæ adhuc erat, auditis Panormitanæ vrbis motibus, statim per milites, quos in præsidio paratos habebat, ciuitatē in fide continuit, classemq; nouem triremium milite instructam, cui Riccardum de Riso Ducem præfecit, ad obsidendam Panormum misit. Quam Panormitani contraria classe adorti facilè fugarunt. Adiuuit magnopere Siculorum causam Orlandus de Milia Panormitanus miles, qui cum à Rege Carolo Sicilia exulasset, tempore desciticnis Panormum redijt, & accerrimè in Francos sæuijt, ac postmodum Petri, & Friderici Regum fidem fortiter contra hostes tutatus est. Herbertus cognito Panormitanæ aciei ad Tauromenium, quod sub Carolo adhuc stabat, aduentu, milites ad iustum numerum cum Michelotto Gatta genere Franco eorum Duce ad Panormitanos profligandos eò confestim emisit. At Siculi magna vi oppidum adorti pluribus Francorum cæsis, capiunt, Micheletto cum paucis in arcem Scalectę primū, ac deinde Messanam ad arcē Griffoni incolumi sese recipiēte. Interea cum Franci Messanæ petulantius se haberent, Messanenses ira tandem & ipsi conciti contrà exurgunt, & Herberto Præside in Griffoni arcem primùm, mox inde ad Catunā fugato, Duce Bartolomeo Maresçallo viro populari vigesimonono Aprilis die in Francos omnes irruunt, ac sæuiunt, & quotquot in occursu deprehendere, vnà cum Michelotto, & qui cum suis in arce erant, trucidant, deiectisq; Caroli insignibus, crucis vexillum insigne ciuicum erigunt, Panormitanisq; patratū facinus ordine nuntiant, & cum eis fœdus ineunt. Erat Carolus Rex cum hæc in Sicilia fierent, cum Martino Ro. Pont. in Phalisçorū monte oppido, vbi cū fama tantæ cladis nūtia, legatiq; per Montis regalis Archiepiscopum sibi missi, nihil minusq; tale quippiam opperienti rē aperuere, aio primùm cōcidit, ac deinde cū ingentibus copijs, ac numerosa classe, quam ad inuadendum Græcum Imperium in portubus instructam habebat, & Gerardo Parmensi Cardinali Ro. Pont. Legato in Siciliam traijciens, Messanam venit. Messanenses aduētu hostium metu quidem percelluntur: non tamē animorum fœderisq; obliti, Balduino Musono Duce armis instructi, vrbe egressi, in hostes irruere deliberāt. Sed Franci ad remotiora fugam simulantes, ad Cannetum. D. Grægorij mille leuis armaturæ equites in insidijs disponunt, à quibus Messanenses absq; ordine palantes circūuenti, plures cæsi, pleriq; capti sunt. Balduinus cum paucis in vrbem vix incolumis euasit. Messanenses hāc cladem Ducum inertia obuenisse rati, Balduinum, Matthæum, & Baldum de Riso furca suspendunt: Afaymumq; Leōtinum virum impigrum & bello, & vrbi Præfectum sufficiunt. Interea Siculi aduentu Caroli in formidinem adducti, Legatos ad Ro. Pont. pro venia impetranda his verbis miserant: Qui tollis peccata mundi miserere nostri. Quibus facetissimè à Pontifice id solum responsum est: Aue Rex Iudeorum: & dabant ei alapas. Reuersis Legatis, & responsum ridiculum referentibus, cum iam expugnatum esset à Francis Mylę oppidum, Messanenses hac lege deditionem Carolo offerunt: Vt sanciretur præteritorum obliuio: ne maiora vectigalia, quàm Regi Guilelmo secundo persoluerentur. Franci nullo magistratu, neq; militia in Messana potirentur, sed Italici, & Phocensis solùm generis. Gerardus Legatus, & Caroli Regis milites, conditiones oblatas, & deditionem ne aspernaretur, Regem hortabantur. Sed dum ille irę nimium credit, nec annuere festinat: deditionis, pacisq; simul spem omnem amittit. Legatus verò Siciliæ sacris interdicit. Carolus militem omnem, ac tormenta in terram ad Roccam maiorem exponit. Inde ad vineam magnam Regis non longè ab vrbe venit, vrbem durissime terra, & mari obsidet, machinis, tormentisq; mœnia disijcere nititur, durauitq; ab ortu solis ad vesperum vsq; crudelis hæc oppugnatio. Sed Messanenses non impigrius hosti obsistebant. Matronæ ipsæ à belli principio

tipio cultu priori depoſito nihil ſibi reliqui faciebant, quo lapides, & cætera id genus, quæ in hoſtes immitterentur, in mœnia, & propugnacula ſinuoſis veſtibus apportarent, & poculis, alijsq; neceſſarijs viros reficerent, quos cũ lachrymis amplexantes orabant, ne ſacra mœnia, à quibus cunctorum ſalus, & vita pendebat, deſererent, oſtentantes eis vagientes in cunis infantulos, quos, ſi Francorum conatibus cederent, in ſanguinis Francici vindictam ante ora parentum iugulandos dicebant. Quo caſu melius fore bello fortiter mori, quàm crudeliter perire. Quocirca Francos cupiditate necis commilitonum vlciſcendæ, quorum manibus Meſſanenſium imprimis ſanguine parentandum deliberabant, accenſos, Meſſanenſes, quos id non latebat, fœminæ, pueri, ſenes, ægri, valetudinarij, adoleſcentes, iuuenes, ætatis robur, omnis ordo, omnis ætas, omne mortalium genus ardẽtiſsimè propugnabant, nulla munera, nulla onera, nulla pericula detrectantes aderant animo, cõſilio, corpore, aſsiduitate, nec Duce, nec hortatore, nec excitatore egebant: vt nulla multis antè ſeculis acrior aut oppugnatio, aut propugnatio in Sicilia memoria teneatur. Toto igitur die multo vtrinq; ſanguine fuit dimicatum: quouſq; horrida prælia nox diremit. Franci ſeſe in caſtra recipiunt. Meſſanẽſes ſuper mœnibus, & propugnaculis quietem ſibi, quam potuerunt, quæſiere. Illuceſcente verò maiori impetu mari, & terra Franci machinis, tormentis, & miſſilibus iterum vrbem adoriuntur, & tot ſaxis impugnata ſunt mœnia, vt ad ætatẽ vſq; meam in porta ciuitatis, S. Antonio inſcripta meridiem obuerſa eorum veſtigia relicta a Meſſanenſibus referantur. Meſſanenſes non minori ardore obſiſtunt, ac omnia ſufferunt, omnia audent, omnia ſibi certa faciunt, ne in Francorum manus veniant.

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM DE REBVS SICVLIS, POSTERIORIS DECADIS.

LIBER NONVS.

DE PETRO ARAGONENSI SICILIAE REGE.

CAPVT PRIMVM.

INTEREA Petrus Aragonenſium Rex ne ſacræ militiæ profeſsione abuſus ementiendo videretur, Africæ oram circa Hipponem vrbem incendijs vaſtauerat. Mox ad id, cuius gratia cætera ficta, factaq; erant, Siciliam animo ſpectans, in Corſicam delatus expectabat quo Ioannis Prochytæ conſilia, coniuratioq; euaderent. Vbi dum præſtolaretur, per Ioannem ipſum, Guilelmum Meſſaneum, & duos Siciliæ totius Syndicos fidos nuntios defectionem certam, cædemq; factam cognouit. Quo audito magno veluti pignore Siculorum animos ſibi deuinctos ſentiẽs, vt quibus facinore admiſſo nulla ſpes veniæ, gratiæq; à Carolo Rege reſpiciendæ ſupereſſet, duos & ipſe Panormum oratores mittit, Calcerandum Curigles, & Petrum Queraltum, vt Siculi ſibi, & vxori, veluti hæredi Regis Manfredi fidem Regiã iurarent. Regij oratores Panormum appulſi ad templum Diuæ Mariæ de Admirato, quod hodie marturana

Digitized by Google

Marturana dicitur, populum ad concionem accitum de proximo Regis Petri aduentu certiorem reddidere, si tamen prius Siculi fidem illi Regiam sacramento sancirent. Panormitani, ac Siciliæ Proceres, qui vnà ad id eò conuenerant, palam, & iureiurando fidem quæsitam Petro, & Constantię pollicentur, eosq; Siciliæ Reges appellant. His peractis Legati ad Petrum Regẽ redierunt. Qui è vestigio soluens tandem decimo Augusti die, anno salutis. 1282. cum quinquaginta triremium, multarumq; onerariarum classe Drepanum applicuit. Venerunt cum eo plures ex Aragonia proceres, in quorum numero fuit Blascus Alagona Aragonensis rei militaris peritia, prudentia quoq;, & nobilitate insignis. Qui postmodũ multis in Sicilia oppidis à Petro Rege ditatus eius ibidẽ tã nobilis propaginis pater extitit. Venit etiã cũ eo & Guilelmus Raymũdus Mõtecatinus. Petrus Rex cum in Drepanitano sinu vrbis Messanæ obsidionem accepit, nihil cunctatus terrestri itinere Panormum cõtendit. Vbi honore regio exceptus, & Rex ab omnibus salutatus, diademate etiam à Cephaledensi Antistite, quia Panormitanus Archiepiscopus ad Romanum Pont. profectus aberat, magna omnium congratulatione, faustisq; acclamationibus more maiorũ coronatur. Messanẽses aduentu Petri Regis audito elatiores, securioresq; redditi nocte vrbem egressi quà ad colles prominentes est iter, hostes somno, & vino sopitos adorti cædunt; ac gaza, omniq; cõmeatu recepto, omnes Francos, quibus mors pepercit, in fugam conuertẽrũt. Petrus re sacra Panormi pacta, comitijsq; Regijs habitis, Rogeriũ Lauriã quadraginta cum triremibus Messanam præmittit: qui classem Caroli vel occuparet, vel commeatum saltem ex Calabria illi inhiberet. Mox ipse sine mora Messanensibus auxiliaturus cum paucis terrestri itinere Randatium petijt. Vnde statim Nicolaum Palicium, & Andream Prochytam Proceres cum quingẽtis, & eo amplius balistarijs Messanam misit. Qui vrbem ingressi obsessos roborarunt, & Petri aduentu nuntiato non mediocriter erexerunt. Rogerius Lauria interea vigesimo septimo Septembris die fretum cum triremibus ingreditur, classem Caroli adoritur, dissipat, partemq; comburit. Petrus Rex post hæc Ximenium Lunam, Guilelmum Castellum nouum, & Petrum Queraltum ad Carolum Legatos mittit, qui ei referant, vt duorum alterum eligat, vel Siciliam sibi iure optimo debitam sine bello restituere, vel congressum in suis castris ante Messanam expectare. Legati properant, commissum legationis munus exponunt, sed Carolus verbis, classe, & aduentu Petri territus, soluta fœdè obsidione in Calabriam se recipit. Quo audito Petrus è Randatio Messanam tandem venit. Vbi ingenti congratulatione, vt parens, ac veluti numen è cœlo dilapsum in vrbe recipitur. Mox ne fortunæ occasione abuti videretur, triremes quatuor supra viginti parari, & Regis Caroli classem trepidè Neapolim, & absq; ordine contendentem insequi iubet. Classis Petri statim Messana soluit, & partem classis Caroli iuxta Nicotræ littus aggressa, paruo sed miro negotio quadraginta Francorum rates superat, capit, & debito victoriæ ordine Messanam traducit. Petrus hac victoria elatior factus classem rursus instruit: cui Iaymum filiũ suum spurium præficit, literasq; in mari sibi legendas dat, & vt illucescente statim nauiget, imperat. Erant enim iuxta Catunę littora, q̃ ex viciniori Calabriæ parte Messanã cõspiciũt, quingenti Franci equites in insidijs positi. Classe in altum prouecta Iaymus literas legit: quibus sibi à Petro patre iniungitur, hos noctu incautos, & somno sepultos inuadat, Messanamq; re gesta redeat. Iaymus Catunã nauigat, & Francis non repertis contra patris Imperiũ ad Caroli exercitũ progreditur. Vbi in paratas insidias incidens duodecim milites insolenter amisit. Sunt qui scribant, Iaymum peruagato Catunæ littore, & Francis non inuentis, classem hostium sibi obuiam adortum fudisse, fugasseq;, ac pluribus nauigijs captis ingenti rerum

mole onuſtum, ouantemq; Meſſanam eſſe regreſſum. Petrus Rex, quòd mandatũ neglexerat, Iaymum filium Præfectura abdicat, & perpetuo exilio mulctat. Interea Carolus Rex Rhegio mouens in agro Sancti Martini caſtrametatur, vt fuga ſimulata Petrus in Calabriam ad bellum prouocetur. Quo Petrus accepto claſſe confeſtim fretum traijcit, Rhegium nullo obſiſtente capit. Deinde conſcripto cũ milite in Solano agro non longè à S. Martino caſtra & ipſe poſuit. Ibi verò nihil moratus cum per exploratores didiciſſet Raymundum Balſum quingentis cum Francis equitibus iuxta Synopolim oppidum loco, cui à Gruſſana nomen eſt, palantes otio indulgere, ſuis edicit, vt noctu hoſtes incautos occupent. Aragonenſes itaq; , hoſtem adorti caſtra perfringunt , plures trucidant , aliquos capiunt , tandemq; Raymundum ipſum nullo inſigni ab alijs diſcretum cum Gregarijs militibus iugulant. Parta tam inſigni victoria Aragonenſes ad Petrum Regem hoſtium ſpolijs onuſti ouantes reuertuntur. Eodem ferme tempore cum in Siminara oppido plures ex Caroli miniſtris militiæ imperiti abſq; excubijs conſediſſent: Aragonenſes iuſſu Petri hos etiam ex improuiſo aggreſſi veluti oues omnes trucidant. Dum hæc in Calabria geruntur: Conſtantia Petri Regis vxor cum Iacobo, Friderico, Alfonſo, & Iolanda filijs è Catalonia Siciliã venit, & maximo honore, & Regio more Drepani primùm, Panormi poſtea recepta Meſſanam tandem perrexit. Vbi non minori cum aplauſu excepta eſt. Sub idem ferme tempus Henricus, quem Henrichettum appellabant, Claromontanus genere Frãcus, vir bello, & nobilitate clariſsimus cum in Ludouici, & Philippi poſtea filij Francorum Regum odium incidiſſet, Francia diſcedens Caroli Siciliæ Regis militiæ apud Neapolim ſe mancipauit. Erat Henrico vxor forma eximia, & præcellens, quam Carolus vt vidit, efflictim amare cœpit, tandemq; aut imperio, aut pretio corruptam violauit. Quo cognito Henricus ad tempus diſsimulatam iniuriam vlciſci deliberauit. Erat nanq; Carolo filia nubilis pulchritudine nemini inferior, cuius Henricus deflorata virginitate vxoris dedecus vltus, veritusq; Regis iram cum vxore, & Simone filio ad Petrum Aragonenſium, & Siciliæ Regem dum in caſtris contra Carolum eſſet, defecit, à quo & benigniſsimè exceptus eſt, neq; enim illi eius fides poterat eſſe ſuſpecta, cuius contra Carolum tot ignominioſa flagrabant argumenta. Henrichettus is eſt, qui Claromontanæ ſtirpis in Sicilia tam fœliciſsimæ, quam per multa poſtea tempora fortunatiſsimæ (& ſi hoc die extinta ſit) author extitit. Cuius plura in Remp. liberalitatis, ac magnificentiæ adhuc monumenta viſuntur, & nomen ducta per manus fama celebratur. Interea Carolus cum aduerſa omnia ſibi ſuccederẽt, Legatos ad Petrum mittit, grauiter ipſum incuſans, quòd in pace oblitus propinquitatis, affinitatis, amicitiæ, & nominis Regij per nefariam fraudem, furtumq;, & id atrociſsimum auſus fuiſſet Siciliam ſibi à Romano Pontifice ſub annuo vectigali datam inuadere, occupareq;. Petrus ad hæc per ſuos & ipſe Legatos Sigiſmundum Lunam, Guilelmum Caſtellum nouum, & Petrum Queraltum reſpondit. Sibi Regi, Regumq; filio, ac Chriſtiani nominis profeſſori non licuiſſe non moueri miſericordia Siculorum, qui hoſtilia, indignaq; ſub eo paſsi ſe vnum toto terrarum orbe habebãt, cuius opẽ iure ſuo, fidemq; in calamitate per neceſsitatẽ implorarẽt, quòd Cõſtantiã Mãfredi Regis Siciliæ filiã in matrimonio, & ex ea tot liberos haberet, quos opibus auitis fraudari, Regiumq; titulũ amittere paterni affectus ferre nequirent. Quibus accedebat, etiam ſuper Sicilia Corradini auunculi ius, quem ille impiè interfecerat, Nicolao demũ Pontifice identidem ei confirmante. His vtrinq; literis potius aucta exacerbataq; , q̃ leuata ſeu lenita controuerſia, Carolus ita Petro bellum indixit, vt non de imperio, dignitateq; , ſed de ſalute, & in caput eius dimicaturum ſe proclamaret. Qua verborum contentione

tione consensu etiam Martini Rom. Pont. decretum deniq; est, vt singulari certamine, equitibus vterq; centenis armis equestribus inter se causam deciderent: locusq; ab vtroq; Burdegala Vasconiæ vrbs Regi Angliæ, qui vtriq; affinis erat, subdita, iureiurando firmatus, diesq; certaminis ipsis Iunij Calendis anni salutis. 1283. constituitur. Petrus Rex decreto duelli die, relicto in Calabria exercitu in Siciliam venit, & Catanę conuentu cum Proceribus habito vectigalia omnia, quæ Carolus imposuerat, remisit, vt eius adhuc diplomate constat. Cōstantiam Reginam Regni gubernatricē, Iacobū filiū Infantem, quæ dignitas Regi proxima est, Guilelmum Calcerandum Neeti regionis Vicarium, Alaymum Leontinum Magistrum Iustitiarium, Ioānem Prochytam Cancellarium, Rogerium Lauriam classis præfectum, & Admiratum instituit. Subinde Alaymo Buccherium, Palazolum, & Adogribum oppida dedit. Recessurus Sicilia Cataloniam versus Palmerium Abbatem equitem insignem, etsi statura pusillum, secum vt vnum de centenario ad duellum numero duxit. Dum Petrus Rex Cataloniam nauigat, magna a proceribus, qui Petrum Regem vocauerant, seditio exoritur. Gualterius nanq; Caltagironus, Zanus, & Bonioannes, & pleriq; alij (qua causa incertum) à Rege desciscentes, Caltagironū ingressi, cunctos, qui Petri Regis partes sequebantur, interfecere. Quo Iacobus Infans audito, misso exercitu Gualtherium capit, captumq; cum coniuratis in oppido Calthagirono in campo. S. Iuliani ad furcam adegit. Sed & Alaymus Leontinus, qui iure vxorio Ficarræ oppidi dominium tenebat, cū Ioanne Mazarino, & Adenolpho Mineo nepotibus à Rege etiam iam animo defecerant, quos Iacobus, ne aliquid seditionis in Sicilia molirentur, sub suppetiarum specie in Cataloniam ad Petrum Regem misit, & deinde Amataldam Alaymi vxorem Messanæ in arce Griffoni carceri addixit. Quæ cum insolentior esset animo, & desciticnis particeps, dum in carcerem duceretur, in hæc prorupisse verba fertur: Non rectè Petrum agere, qui cum à Siculis in socium ascitus fuerit, Regnū Siciliæ sibi occupauerit, Siculosq; vt seruos contra pacta, & non vt socios habeat. Alaymus audita vxoris captura manifestè in virus erumpit: Carolo Regi scribit, si decē tantum triremes mitteret, se ei Siciliam daturum. Has literas interceptas Petrus Rex dissimulauit, verùm cum alteras eiusdē exempli ad Carolum scriptas per exploratores occupatas recepisset, Alaymo perduellionis crimen imponit. Quod ille prorsus negauit. At veritus ne Garcias Nicosius notarius eius Cancellarius, qui suo iussu ipsas tabellas exarauerat, facinus Regi patefaceret, illum interfecit, caputq; eius mari submersit, corpus verò i suis ædibus sepeliuit. Quod cū Raymundus Marchettus casu reperisset, Regi Petro rem detexit. Sed cum rursum Alaymus hoc negasset, captus est Matthæus Manescalcus Alaymi familiaris, tormentisq; actus fassus est ab Adenolpho Meneo, & Ioanne Mazarino Garciam interfectum vidisse quidem, sed necis causam ignorare. Quare captus subinde Adenolphus crimen prodidit, & Alaymus, eiusq; nepotes in arce Fecuranæ non longè ab Islerda carceri Regis iussu mancipati sunt. Eadem ferme tempestate Martinus Romanus Pontifex Fratrem Pyrronum de Aydono Siculum, & Fratrem Antonium de Monte Appulum Dominicanos Siciliam misit, qui Siculos hortarentur, vt à Petro ad Romanam ecclesiam deficerent. Hi Messanam ad Sanctam Mariam de Scalis aduecti, Guilelmum Maniacis Abbatem, vt à Romano Pontifice in mandatis acceperant, conueniunt, illiusq; opera vtuntur. Porrò re detecta Iacobus Infans Dominicanos capit, muneribus allicit, & vt pacem cum Pontifice tractent, Romam remittit. Guilelmus Abbas Melitam relegatur, nepotibus eius, & plerisq; alijs Messanæ furca mulctatis. Interea statuto duelli die instante Burdegalam vndiq; mortales Angli, Franci, Hispani, Itali, Germaniq; ad famam duorum clarissimorum Regum, qui parua quidem manu, sed infensissimis animis dimicaturi

micaturi ferebantur, confluxerunt. Ex Græcia etiam quàm plurimi, pleriq; partium ſtudio, alij ſpectaculi nobiliſsimi gratia conuenerant. Sed ingentem omnium expectationem neſcio quæ fruſtratio, ludificatioq; excepit. Qui Carolo fauent, ſcribunt indicto die nullum Petrum comparuiſſe, nullum Aragonenſem, ſe loco, & Prætori Ioanni Agriliaco Aquitaniæ Seneſcalco duelli Præfecto, ac Iudici à Regibus ſelecto oſtendiſſe: Carolum verò ex Italia in Vaſconiam profectum loco ab aurora ad ſeram vſq; noctem in armis adſtitiſſe. Qui Petri partes ſequuntur, tradunt: Petrum Catalonia Burdegalam petentē nuntium in itinere habuiſſe, qui Carolum cum quinq; equitum milibus ad duellum properaſſe, atq; inſidias ſibi, non certamen paraſſe, retulit: & ob id Berengarium Crucicolum equitem impigrum præcurſorem ad duelli locum præmiſiſſe, illiq; ſe famulum mentitum adiunxiſſe, atq; Prætori exhibuiſſe. Apud quem conqueſtū de Caroli inſidijs ter detecta veſte campo ad conſtitutum diem circundato, facti ſcriptura teſtibus a Prætore firmata & recepta, in Hiſpaniā reuerſum, eoq; audito Carolum ingemuiſſe: & primùm coram Prætore, poſtmodum coram Ro. Pont. fidē fruſtratā accuſantem, à Martino, qui Caroli erat ſtudioſus, impetraſſe, vt Regno Aragonum Carolo Valeſio Francorum Regis ex Petri ſorore filio contributo, Petrus ipſe diris obiectus prorſuſq; priuatus, bello etiam ſacro impeteretur. Sed cum in relatione ipſa plurimum authores diſſentiant, penes eos ſit fides, qui coràm bellis interfuerunt. In hoc porrò omnes conueniunt, quòd Carolus poſt duelli fruſtrationem in Comitatum Proninciæ reuerſus, claſſem cōtra Siciliam inſtruxerit: Petrus verò contra Melitam inſulam, quæ Caroli adhuc parebat imperio, Manfredum Lanceam miſerit. Is dura obſidione eam ſtatim opprimere cœpit. Quo intellecto Carolus decem & nouem triremes, quibus Guilelmū Cornelium præfecit, eò ad auxiliandū Melitenſibus deſtinat. Quod vbi Rogerius Lauria claſsis Aragonicæ Præfectus reſciuit, confeſtim cum vna & viginti triremibus Melitam & ipſe nauigat. Iamq; Cornelius arcem Melitenſium munierat, & in portu cum ſua claſſe reſidebat, cum Rogerius applicat, & ſigno hoſtem ad prælium extra portum inuitat. Cornelius portu egreſſus claſſem Aragonēſem adoritur. Bellum itaq; horridum ab ortu Solis ad meridiem vſq; vtrinq; acerrimè, & multo cruore committitur. Nondum finis belli imminebat, cum ſex Francorum triremes horrenda pugna conſternatæ fœdè abeunt, & fuga ſibi conſulunt. Cornelius mortem inſignem turpi vitæ præferendam cenſens, nauim Prætoriam Rogerij magno animo, impetuq; inuadit, & per proram in eam aſcendens plures ex Aragonenſibus in mare proijcit, multos occidit, per tranſtra, & remos ad hoſtem peruenit. Rogerius indignatus turbam ſuæ nauis vni viro ceſsiſſe, mox in Cornelium irruit, ſed cum telo ab hoſte pede transfixus cuſpide inhærente immobilis conſtitiſſet, ſtatim ferro educto liberq; factus, illa eadem cuſpide Cornelij vitalia transfodit. Ita Guilelmus Cornelius inſigni ſua morte finem bello dedit. Duce nanq; interfecto cæteræ triremes, & Melitenſes etiam vltro victori ſe dedunt. Rogerius Manfredo Lanceæ Melitæ conſtituto Præfecto, hoſtium abraſis in ludibrium capitibus Meſſanam cum ſignis victricibus regreditur. Carolus, qui Maſsiliæ tunc agebat, rei huius male geſtæ nuntio excandeſcit, claſſemq; , quam parare ibi cœperat, in mare vrget. Rogerius Lauria Melitenſi victoria elatus cum quadraginta & vna triremibus Neapolim poſtea nauigat, cunctaq; infeſta facit. Erat Neapoli Carolus, quem Claudum appellant, Caroli Regis primogenitus Tarenti Princeps, qui hoſtem temere ſua littora inuaſiſſe conſpicatus, ſeptuaginta cum triremibus, quas inſtructas ad omnem euentum habebat, hoſtilem claſſem adoriri ſtatuit. Sed Gerardo Cardinali Parmenſi Legato Rōmani Pontificis, & Proceribus qui aderāt, ab inſtituto eum diſſuadentibus, pauliſper ſe continuit. Inter hæc Lynter à Maſsilia Neapolim

Digitized by Google

polim versus cum literis Caroli Regis patris ad filium incautè nauigãs in manus Rogerij incidit. Apertis literis patrem filio congressum quemlibet cum Rogerio vetare lectum est, quippe quòd vereretur, ne imperitus adolescens à sene prudente interciperetur. Rogerius ea fiducia audentior ad pugnam factus, lyntrem retinuit. Subinde proxima qnæq; littoribus Neapolitanis loca vastans, portũq; aliquando ingressus, hostes ad bellum prouocabat. Carolus & ætatis, & iræ ardore feruidus classem suam cum proceribus inscendens Rogerium callidè tunc fugam vsq; ad Circæum montem simulantem insequitur. Rogerius vbi hostes longè esse à Neapoli videt, rostra nauium retro vertit, ac impetum præstolatur. Datis itaq; signis bellum inter vtranq; classem cõferitur: plures vtrinq; miserabili cæde sternuntur. Aragonica classis ab vtroq; latere vallata hostibus impugnatur. Rogerius socios ad arma, ad bellum, ad victoriam hortatur. Cuius vocibus socij animo erecti in triremes hostium magno ardore inuehuntur: tãdemq; singulæ singulas Frã corum triremes tenent. Habebat Rogerius suæ triremis signiferæ tubicinẽ, Paganum nomine: qui sub vndis diu natura viuebat. Huic munus pollicetur ingens, si triremem Caroli Principis, quæ & velocitate, & commeatu, armorumq; copia captu erat difficilima, terebraret. Is non segniter onus subit, operi se accingit, ac triremem tandem Caroli perforat. Nauis aquis per rimas penetrantibus ad ima sensim descẽdebat. Quo Carolus Princeps cum nullum fugæ superesset remediũ, victus, Rogerio cedit, ac se cum Proceribus omnibus dedit. Captæ sunt cum eo ex triremibus Francorum septuaginta, quadraginta duæ. Commissum est hoc bellũ ad caput Antij prostratæ iam vrbis non longè à Circæo monte, anno sal. 1284. quinto mensis Augusti die. Rogerius parta victoria Beatricem Reginæ Constantiæ sororem, quam Carolus Rex à Manfredi Patris morte Neapoli in vinculis tenebat, impetrauit. Et post hæc Messanam, vbi Regina Constantia Petri vxor, & Iacobus Infans, ac cæteri Proceres belli euentum anxiè præstolabantur, triumphans regreditur. Carolum Principem in arce Mottagriffonis sub custodia teneri iussit: cæteros verò Proceres captiuos per cæteras Siciliæ arces dispersit. Beatricẽ verò Constantiæ Reginæ reddidit. Interea Carolus Rex infœlicis euẽtus ignarus acceptas à Philippo Frãcorũ Rege ingẽtes copias terra, mariq; in Italiã ducebat. Iamq; Corsicã præteruectus Italiæ littora prospectabat: cũ fortè per mercatorem Pisanũ sibi obuium è naui voce edita filij casum cognouit, sed dolorem meritum vultu simulans, classe Neapolim contendit. Quam cum titubantem, ac dissidio fluctuantem reperisset, paruo negotio sedauit, firmauitq;. Post hæc Guilelmum Tornerium cum decem & nouem triremibus ad Melitam repetendã emisit. Quo cognito Rogerius Lauria Constantiæ Reginæ iussu cum duodecim triremibus milite instructis Messana soluens, Francorũ classem nõ longè a Melita adoritur, sæuissimè vtrinq; aliquãdiu pugnatũ ẽ. At demũ occiso Guilelmo & tredecim hostium triremibus captis, ac sex fugatis, Rogerius iterum victor Messanam redijt. Messanenses frequenti victoria elati, tumultu facto arcem Mottagriffoni aggressi Francos multos, qui captiui in ea detinebantur, iniecto igne combusserũt. Sed & ex multis Siciliæ oppidis oratores Messanam venere, qui Carolum Principem è vinculis ob Pontificis sæuitiam, Corradini mortem, & Caroli Regis peruicaciam obtruncandum à Regina deposcebant. Constantia à facinore abhorrens oratoribus, ne incõsulto Rege Petro quicq̃ ageret, sed ab eo interfectũ iri, respondit. Carolus Princeps prudentia Reginæ morte ereptus Cephaledim primùm, & mox in Aragoniã, deinde ad Petrũ Regẽ mittitur. Dũ hæc in Sicilia geruntur: Carolus Rex etsi afflictarũ rerũ tædio plurimũ afficeretur, animo tamen inuictus Appuliã, Calabriã, Lucaniã, Aprutium circuit, ingentemq; militũ numerum conscribit, vt maritimo, & terrestri exercitu Siciliã attẽtaret. Cæterùm cẽtũ quinquaginta octo triremibus ĩstructis, dũ reliqua bello oportuna cõquirit, febre corripitur,

atq; apud Fogiam Appuliæ oppidum, Roberto Comite Atrebatenſi eius germano fratre regni pro Carolo Principe Baylo conſtituto deceſsit: Mortuo Carolo Rege Philippus Francorum Rex Robertum Atrebatenſem continuò ad res Neapolitanas tuendas miſit. Ipſe verò cum Iacobo Petri Aragonenſis fratre, à quo ob Baleares ſibi inſulas denegatas ad Francos transfugerat, & Philippo filio Nauarræ Rege, & Carolo Valeſio, maximaq; procerum Francorum manu ad Regnũ Aragonenſium, quod Valeſio Põtifex proſcripſerat, mouet. Quo cognito Petrus Rex in Põtificis ludibrium, qui nomẽ ei Regium abrogauerat, pater duorum Regnorum, marisq; Dominus vocari voluit. Igitur anno ſal. 1285. pridie idus Maij Perpinianum Francorum exercitus peruenit. Ea vrbs Iacobo Aragonenſi Petri Regis fratri deditionem ſtatim fecit, Francosq; intra mœnia admiſit. Cuius exemplum cætera oppida ſecuta & ipſa per deditionem à Francis ſunt occupata. Contra Gerundam deinde vrbem præſidijs munitiſsimam Philippus venit, atq; eam obſidione cinxit. Sed Petrus Rex obiecit ſe illi maxima vi, atq; arte. Vbi conſerto infenſiſsimo prælio, in quo magna vtriuſq; exercitus pars eſt occiſa. Petrus ipſe conto letaliter vulneratus, ſeſe ex acie recepit. Cuius cum eques quidam Francus equum per habenas apprehendiſſet, ipſe habenis gladio diſciſsis, additisq; calcaribus periculo ſe eripuit. Deinde Villam francam delatus. 3. idus Nouembris ſalutis anno. 1286. ætatis vero ſuæ. 55. Siciliæ vero Regni quarto hominẽ exutus Barchinonæ tumulatus eſt. Moriens quatuor liberos reliquit: Alphonſum, Iacobum, Fridericum, & Petrum, duasq; fœminas Iſabellam, & Iolantem. Alfonſum Aragonũ, ſed Iacobũ Siciliæ hac lege Regẽ inſtituit, vt ipſe Alfonſo, ſi ſine liberis decederet, ĩ Aragonẽſi Regno, In Sicilia vero Fridericus ſuccederet. Iacobo verò fratri Baleares inſulas reſtituit. Paulo pòſt Philippus Frãcorũ Rex & ipſe Gerũda per deditionem accepta morbo vi correptus, Philippo cognomẽto Pulchro filio hærede relicto, moritur. Quo defuncto Rogerius Lauria Francorum claſſem à Piſanis, & Genuenſibus conductam, & poſtea dimiſſam, ad ſe mercede euocat, ſuæq; adiungit, qua deinde reliquam Francorum claſſem, quæ in portu ſtabat, adoritur, atq; profligat. In claſſem præterea aliam, quam Genuenſes, & Piſani publico ære Philippo Regi auxiliarem collegerant, apud Lamellum Liburno portui vicinam inſulam irruit, atq; quinquaginta ex ea triremes partim confregit, partim ſubmerſit. Sic igitur etſi eo bello Petrus Rex interierit, Francis etiam ipſis victoria potitis, calamitas aliaſuper aliam (quod plerunq; ſibi peculiare rerum humanarum habet conditio) ſubſecuta eſt.

DE IACOBO SICILIAE REGE.

CAPVT SECVNDVM.

ROGERIVS Lauria, mortuo Rege Petro, tot victorijs contra Francos inſignis, Siciliam ſua claſſe redire parat. Sed futuræ tempeſtatis ſignis admonitus regreſſum differebat. Vrgente tandẽ Friderico Falcone Meſſanenſi, cui cæteri, Proceres facilè ſuffragabantur, contra votum vela dare ventis compellitur. Vnde ſubinde cum quintum poſt diem Minoricam inſulam appuliſſet, atq; inde tertio die Decembris ſoluens non longè eſſet à Sardinia, ſuborta ventorum, & maris procella plures triremes naufragio amiſit. Vna, qua Fridericus Anſalonus vehebatur, & altera Meſſanẽſium, duæ Auguſtanę, vna Catanenſis, & Saccenſis altera, ſubmerſæ ſunt, cæteræ verò, quæ quadraginta ſuperfuerant laceræ, & trinoctia æquoris vi colliſæ Drepanum applicuerunt.

Digitized by Google

cuerunt. Vnde proceres terreſtri itinere Panormum progreſsi Reginæ Conſtantiæ, eiusq; filijs Petri obitum nuntiauerunt. Siculi nuntio accepto more Regio peractis inferijs Iacobum infantem Petri ſecundogenitum anno ſal. 1286. ſecundo Februarij die Panormi more maiorũ Regia corona, ac diademate, vt Petrus Rex teſtamento reliquerat, decorarunt. Inyćto Cephaledenſi, Philippo Squillacenſi, & Tancredo Neocaſtrenſi Epiſcopis, Archimandrita quoq;. D. Saluatoris Meſſanenſis, & Abbatibus ſuis ſuffraganeis præſentibus. Quo die plures inſtituit aulicos milites, pluresq; immunitates Siculis largitus eſt. Meſſanam poſtea petijt, & Guielmum Calcærandum Calabriæ præfecit. Cuius inertia Caſtrum villarum, & Moranum oppida in hoſtium poteſtatem venere. Ductabat eo ferme tempore pro Rege Carolo in Calabria Manfredus Claromontanus, qui cognita Henrichetti affinis ad Aragonenſes defectione, à Carolo & ipſe deſciuit. Verùm à Morani oppidi Domina dolo inuitatus, & inter cœnandũ captus, cum auro ſe redemiſſet, Iacobo Regi ſe addixit. Nec diu pòſt Iacobus Rex Beltrandum de Cannellis virum impigrum ad Alphonſum fratrem Aragonenſium Regem nuntium miſit, vt Alaymum Leontinum, nepotesq;, quos Petrus pater perduellionis reos in carcerem detruſerat, ſibi traderet. Quibus receptis Beltrandus vt in mandatis habebat, in proſpectu Siciliæ non longè a Sacra inſula, quam Maretimum hodie appellant, pãnis inuolutos in mare ſubmerſit. Interea nouis Frãcorum, & Aragonum Regibus quieſcentibus, Gerardus Parmenſis Cardinalis Pont. Legatus, & Robertus Comes Atrebatenſis in ſpem Siciliæ recipiendæ adducti, claſſem quadraginta triremium peditatu, & equitatu inſtructiſsimam in Appulia ſilenter parant, cui Raynaldum Velinum virum ſtrenuum, & in re militari aſſuetum præficiunt. Raynaldus itaq; in Siciliam prouectus oppidum Auguſtã (licet Catanam falsò quidam ſcribant) viris, qui ad nundinas Leontinum petierant, deſertum, & arcem capit, ac Francicæ ditioni ſubijcit. Fama rei geſtæ ad Iacobum Regem, qui Meſſanæ tũc reſidebat, per certum nuntium defertur, qua motus claſſem, quam in portu habebat, cũ Rogerio Lauria præmiſit, ipſe verò terreſtri itinere Catanam primùm, ac deinde Auguſtam venit. Vix Rogerius Auguſtam applicuit, cum non expectato Iacobi Regis aduentu in oppidum irruit. Franci ex arce erumpentes per patentes plateas diſcurſantes, plures ex Aragonenſibus trucidant, deinde trabibus, vegetibus, ac tabulis vicos impediunt, ac fortiter obſiſtunt, Dominicanis fratribus, qui tredecim numero erant, ſatis rẽ Põtificis adiuuãtibus. Sed Iacobo deinde Rege cum terreſtri exercitu appulſo, Franci animo concidunt, & in arcem cum Raynaldo omnes oppido relicto ſeſe recipiunt. Dominicani & ipſi dum ad arcẽ ſalutem ſibi quærunt, ſex tantùm in arcem incolumes euaſerunt, quinq; ab hoſtibus cæſis, duobus verò captis: quorum alter Capuanus ad Rogerium perductus ingentem propediem Gallorum claſſem Neapoli expectari, aliaq; id genus hoſtium conſilia aperuit. Dum Iacobus Rex arcem obſidet, Rogerius eius iuſſu cum vniuerſa claſſe, & quinq; alijs triremibus, quas poſtremò vrbs Panormus Duce Palmerio Abbate in ſubſidium tranſmiſerat, Meſſanam reuertitur. Vbi & alijs nauibus, quæ ibi erant, ad claſſem additis, contra Neapolim nauigat, inimicorum littora, Iſclam quoq;, & Prochytam inſulas populationibus vexat. Deinde ante Neapolim vexillis explicitis ſeſe hoſtibus oſtentans, ad certamen eos eminus euocabat. Quo viſo Carolus Iunior cognomento Martellus, Comes Atrebatenſis Regni Baylus, Comites Flãdriæ, Brehennæ, Auellini, & Montisfortis cũ pluribus Neapolitanis viris principibus triremes ſeptuaginta, quas in portu habebãt, cũ iuſto cõſcripto milite inſcẽdũt, & in claſsẽ Rogerij, quæ quadraginta nauium erat, irruunt, pugna cruenta vtrinq; cõmiſſa, tandem Siculi ſuperiores facti quadraginta hoſtium triremes capiunt, cæteras verò fugant. Capti in ea pugna ſunt Comites omnes, & Magnus Admiratus cum pluribus proceribus. Rogerius

parta

parta tam insigni victoria, classem cum quatuor captiuorum milibus, & debellatis hostiũ signis, in Siciliam ad Iacobum Regem misit: ipse verò cum triginta solùm triremibus ante Neapolim tanq; victor in ludibrium Francorum sese exhibẽ do moram trahebat. Hac clade Neapolis ciuitas adeo deiecta est, vt ad Iacobum q̃ facilimè fuerit defectura, si hortatorem habuisset. Porrò Rogerius tot victorijs abusus accepta numerosa pecunia inconsulto Rege fœdas cum Francis inducias firmauit. Dum hæc Neapoli geruntur, Raynaldus Velinus, & cæteri equites Franci, qui in arce Augustana obsessi commeatus inopia premebantur, deditionem facere coacti reseratis portis supplices ad Iacobi Regis pedes procubuere. Vbi verò Iacobo Regi inducię, quas Rogerius cum Francis pepigerat, innotuere, Cõsulares Rogerium capitis reum agunt, Ioãne Prochyta, qui primatum in cõcilijs habebat, contrariam ob ingentia, & egregia illius facinora sententiam pronunciante. Rogerius quæstionis contra se motæ ignarus, post firmatas cum hostibus inducias cum captis Comitibus triumphans ad Regem Iacobũ reuertitur. Iacobus Rogerio venia data, captiuos in arces Siciliæ victos præsidijs commisit, Raynaldo Velino pro restitutione arcis Isclę, quam Gironum appellant, dimisso. Guido Montisfortis captiuitatis socius, in morbum veneris vsu leuandum, incidit, sed ne adulterio se contaminaret, mortem vitæ prætulit. Comites Flandriæ, Auellini, & Brehennæ cum Admirato, & Proceribus auro & ipsi se redemerunt. His fœliciter patratis Iacobus Rex anno sal. 1288. classem cum Rogerio ascendens cõtra Caietam soluit. Vnde mutato consilio Beluederum Calabriæ oppidum, quòd parum à littore distat, aggressus duriter obsedit. Parebat id Rogerio Sanguineto qui sub Carolo Rege militabat. Eius hortatu oppidani fame, & siti ad desperationem acti cõtra Iacobi castra machinis lapides emittunt. Iacobus, quò eos à ferocia auerteret Sãguineti liberos, quos obsides pro patre habebat, ad impetita maxime castrorum loca palo affixos imposuit, ratus filiorum amore à lapidum immissione patrem cessaturum. Sed Sanguinetus ne quo modo a Rege Carolo descisscere videretur, Regi quam iurauerat fidem, prognatorum amori antetulit, durioribusq; in easdem partes saxis proiectis percussi filij è vertice pali corruerũt, quorum altero extincto, alterum illæsum fortuna seruauit. Oppidani verò siti superati, deditionem consilio habito facere decreuerant. Sed præter spem obsessis consultum est. Nam repente vis ventorum, pluuia, in mari exorta, & ipsis aquas desideratas exhibuit, & Iacobũ Regẽ, qui cũ tota classe iam pene fluctibus obruebatur, loco cedere coegit. Verùm ante discessum Iacobus Regium facinus gessit. Sanguineti nanq; dolori modum impositurus, alterum filiorum obrutum sericis vestibus ad sepulturam, alterum superstitem ad solatium genitori liberè transmisit. Relicto itaq; Beluedero oppido Caietam rursus nauigat. Præerat vrbis præsidio Auellini Comes is, quẽ paulo antè Iacobus captũ tenuerat, qui cũ descensum Regis, militumq; eius ad littora inhibere conatur, à Catalanis, & Siculis, qui pelago proris obuersis per puppes in terram descenderant, impetitus, cum viribus esset inferior, & carceris non oblitus, infugam vertitur. Cumq; insequentibus Siculis Caietam ingredi nequisset, equum vrgens ad remotiora loca concitato cursu euasit. Siculi suburbium Caietæ, quod Molam vocant, inuadunt, capiunt, populantur, prædamq; ad naues apportant, Iacobus à superiori parte contra ciuitatẽ in monte sua castra metatur, conterminamq; vsq; ad Fundos oppidum regionem excurrens deprædatur, reliquam omnẽ igni, ferroq; consumpsit. Subinde cũ Rex castra vallo, aggeribusq; egregiè muniuisset, Comes Atrebatensis, & cæteri proceres, qui Caroli partes tuebantur, magno exercitu comparato obsessæ vrbi opitulaturi superuenere. Castra posuit Atrebatensis contra Iacobi tentoria non longius, q̃ vnius stadij interuallo. Caieta itaq; vrbs inter classem, & Regis tentoria, Rex inter vrbem, & Atrebatẽsis castra interiacebant: ita vt alter alterũ sine discrimine

Digitized by Google

mine ferè obsideret. Vrbs etenim naturali situ munita expugnari non poterat. Sed & castra Regis in monte dispositа, Comiti Atrebatensi sine sui, suorumq; periculo imminenti adoriri non licebat. Dum in hoc statu Caieta teneretur: nuntij Alfonsi Regis Aragonum, & Regis Angliæ ad Regem, & Atrebatensem Comitem venere, qui pacem, aut inducias saltem etiam Ro. Pont. nomine hortabantur, ac sic inducijs pactis, quò Regi honor deferretur, Atrebatēsis prius castrorū suorum loca deseruit. Triduum pòst Iacobus Rex soluens classe recto cursu in Siciliā redijt. Alfonsus Carolum Principem Tarenti acceptis pro eo obsidibus Ludouico, Roberto, & Philippo eius filijs, libertate donauit. Nicolaus Ro. Pont. qui eius redimendi apud Alfonsum intercessor extiterat, eum mox in Regem Neapolis, & Siciliæ vnxit, & insignibus Regijs more maiorum donauit. Durantibus inducijs Reges Aragonum, & Anglorum, inter Iacobum Regem, & Carolum hunc secundum, pacem, sed frustra tentarūt. Quocirca Iacobus tempus frustra teri, ac vanis pollicitationibus se circumuētum conspiciens, Bernardum Sarrianum misit, qui inducias Carolo Regi renuntiaret. Bernardus munus legationis executus Pasitano, & Asturo oppidis depopulatis prædam ingentem in Siciliam ad Iacobum Regem retulit. Sed anno sal. 1289. inducię per Legatos Ro. Pont. iterum sunt firmatæ. Iacobus interim quinq; naues armis, & commeatu onustas in subsidium Anchonæ vrbis misit: quam eo tempore Sarraceni magna vi oppugnatam demum expugnarunt. Rogerius quoq; Lauria ne sui milites otio tabescerēt, Tolomeccam Sarracenorum oppidum adortus, vi militari cepit. Vnde & seruis, & amplis spolijs onustus in Siciliam cū classe remeauit. Interea inducianum tempore, quo conuenerāt, exacto, circa sal. annum. 1290. dum Iacobus Rex cum classe quadraginta triremū in Calabriā pfectus, Hieracim oppidū, & plurima alia loca paruo negotio occupat, belliq; negotijs detinetur: nuntius ex Aragonia signa mœstitiæ cū atrato habitu, vultuq; tetrico perferēs, superuenit, qui Alfonsi fratris nullo relicto filio obitum, Regnumq;, & iure hæreditario, & Petri testamento, ac voluntate Procerum ad eum pertinere nuntiauit. Quo nuntio reuocatus, relicta mox Calabria Siciliam Iacobus retrò petijt: patefactoq; ibi rerum euentu, ac Friderico fratre, qui tum Infans dicebatur, & qui iure paterni testamenti Siciliæ Regno succedere debebat, Vicario in Sicilia relicto, cū septē triremibus ī Aragoniā, anno sal. 1291. traiecit, quo tēpore inducię rursus, sed nauales dūtaxat inter Reges renouatæ sunt. Quare Iacobus ne terrestrem expeditionem desereret, Blascū Alagonam armis, belloq; assuetum ad prosequenda, quæ in Calabria ipse inceperat, misit. Blascus in Calabriam transfretans contra Guidonem Primeranum Caroli rebus fauentem, & alios nonnullos Proceres victoria insigni potitus, apud Regem Iacobū de re pecuniaria furto ablata accusatur. Recessurus, Friderico Infanti postq; apud Iacobum sibi impositum crimen purgasset, in Siciliam reuerti promisit. Rogerius Lauria durantibus inducijs cum viginti triremibus contra Imperatorem Constantinopolitanum soluit. Sed dum Appuliæ littora præternauigat, Guilelmum Estandardum Francum militem egregium Appuliæ tūc Præfectū inter Licium, & Psitrum oppida in occursum habet, quò tandem in fugam cōuerso, Maluasiam, & Chion insulas populatus est. Inde Methones vrbis littora excurrens, à Methonensibus insidijs excipitur: sed recuperata acie, consertoq; bello, ex Methonensibus plures cæsi, plurimi verò sunt capti. Vnde Rogerius victor apud Clarentianum captiuos milites pretio redimi permisit. Post hæc anno sal. 1293. defuncto Nicolao Ro. sedis Præsule, & Celestino subrogato, huic deinde Pontificatu se abdicanti Bonifacius Francorum studiosus cū successisset, pacē inter Iacobum, & Carolum Regem his conditionibus procurauit. Iacobus Rex ius, quod habet in Siciliæ Regno Carolo cedat, Blancam Caroli filiam repudiata Hispaniæ Regis filia sibi desponsata in vxorem ducat. Carolus Francorum Regis filius iuri

si quod

Digitized by Google

si quod habet ex processu Martini Ro. Pont. in Aragonum Regno, renuntiet. Iacobus Rex à diris absoluatur. Ludouicum, Robertum,& Philippum Caroli filios, & Blancæ vxoris germanos, quos obsides pro patre tenebat, liberet. Atq; ita pax authoritate Pont.firmata est.Igitur Iacobus vndecim postq; regnauit annos,Siciliam Carolo renuntiauit.Subinde anno sal. 1295. Bonifacius Fridericum Infantem cum Rogerio Lauria accersit,remotis arbitris apud Velitrem oppidum cum illis colloquitur. Catharinam è stirpe Regis Francorum, quæ in imperio Constantinopolitano ius habebat, in vxorem cum auro,& copijs,quibus imperium recuperare posset,pro Sicilia ei spopondit.Fridericus cum ijs,si fide tempore præfixo non carerent,consensum præbuisset,in Siciliam cum classe regreditur.Interea tempus inter eos constitutum labitur, & fama quoq; Siciliæ à Iacobo in Carolum translatę percrebuerat. Qua tota Sicilia conturbata,Raymundus Alemanus,Ioānes Prochyta,Matthæus de Thermis,Manfredus Claromōtanus,alijq; proceres,Catalani præsertim metuentes ne rumor hic callidè à Friderico, qui ad regnum aspiraret,exortus esset,in oppida quædam mediterranea communi consilio,vbi rei veritatem expectarent, secesserant. Constantia quoq; Regina vxor Regis Petri,& Iacobi, & Friderici mater accersitis Regni Proceribus cū illis statuit,vt nuntij ad Iacobum Regem,qui de re cognoscerent, legarentur.Igitur Cataldus Russus, Sanctorus Bisala Messauensis, & Hugo Talath oratores ad Regem abiere.Iacobus è vestigio vera ea esse omnia ingenuè,& palàm confessus est.Oratores iniquis & animis,& auribus id responsum accipientes,primò quidem inauditum,horrendumq; esse vasallos fideles à fideli Rege in manibus hostium deseri dixerunt. Verum cum semel, bis, & sæpius Regem orando, obtestandoq; ne fideles Siculos ita contemneret,nihil proficerēt, Legati quò fides eis apud socios constaret, tabellis id sibi Regijs cōsignari efflagitauerunt.Confecto instrumento in Siciliam redierunt. Cum quibus & Blascus Alagona Friderico datę fidei non immemor, tametsi Iacobus aduersaretur,ad Infantem venit. Legati Siciliam reuersi,factum & voce, & scripto Siculis pandunt. Mirantur omnes, demum Rogerius Lauria,& Vinciguerra Palicius, alijq; Primates ad oppidum Caltanixettæ, vbi Raymundus Alemanus tantæ rei incredulus refidebat,conueniunt. Ibi rursus inter eos inito concilio ne in manus Francorum hostium deuenirent,Fridericum Infantem Petri Regis filium in Regem eligere decernunt, anteq; Gallus insulam occupet.Post hæc Catalani, Aragonenses primores omnes, ac omnium ciuitatū, & oppidorum Syndici Catanæ congregantur, & in æde sacra maxima comitia celebrant. Vbi Rogerius Lauria Consularium omnium Princeps Fridericum & testamēto patris,& voto omnium signatum,electumq; Siciliæ Regem, publico nomine pronuntiat.Cuius vocem cæteri omnes prosecuti Regem Fridericum agnoscunt,salutantq;.Interea Bonifacius Ro.Pont.ratus idoneum tempus adesse, quo Siculi Carolum Regem reciperent,Bonifacium Calamandrum virum astutum,& legationibus serijs assuetum ad Siculos,vt Carolum Regem admitterent, Legatum misit.Calamandrus Messanam adueniens, longo verborum ordine, ac solita arte finem dicendi vix fecerat:cum Rogerius Lauria, & Vinciguerra Palicius, & Petrus Ansalonus, cæteriq; Principes editis clamoribus,cōtrà se opponentes, à Siculis iam Fridericum regē electum respondere, strictisq; ensibus mortem etiā illi,ni statim Sicilia discederet, comminati sunt. Calamandrus itaq; è concione elapsus continuò nauigium ascendit, Romamq; ad Bonifacium Pontificem cum responso redijt. Iacobus Rex vbi Carolum sperni a Siculis cognouit, Catalanos omnes, & Aragonenses,qui in Sicilia erant, per literas ad se reuocat. Ex quibus Raymundus Alemanus, Berengarius Vellaragutus,pluresq; alij relicta prouincia Iacobo paruere. At Blascus Alagona,Hugo de Empurijs,& pleriq; alij a Blasco p suasi constantiæ, iustitiæq;, q̃ Imperij obseruantiores in Sicilia ad Friderico regnum

gnum tuendum remanere decreuerunt.

DE FRIDERICO SECVNDO SICILIAE REGE, QVEM FALSO TERTIVM APPELLANT. CAPVT TERTIVM.

FRIDERICVS igitur Petri Aragonum, & Siciliæ Regis tertiogenitus vbi Catanę á Siculis omnibus in Regem electus est, anno salutis. 1296. 7. Cal. Aprilis, qui Annuntiationis virginis, & Christi resurgentis eo anno dies festus fuit, Panormi ritu solenni in ecclesia maiori ab Archiepiscopo Panormitano Regio diademate coronatus est. Vix Regno initiatus per certum nuntium cognouit à Carolo Rege Roccam Imperialem Calabriæ oppidum, quod sub ditione tenebat, obsideri. Quocirca ad bellum, & repellendum hostem paucis Panormitanos hortatus Messanam proficiscitur. Vbi magnifico apparatu receptus, postq̃ Constantiam Reginam genitricem, & Iolantem sororem salutasset, paratam classem cum Rogerio Lauria ascendit, ac Rhegiũ Calabriæ oppidum traijcit. Vbi regio more susceptus contra Squilacium oppidũ Blascum Alagonam cum exercitu, Rogerium verò Lauriam cum classe præmittit, quos ipse paucis pòst diebus secutus eodem peruenit. Oppidum itaq; dura obsidione cingit, ac aquas etiam fluminis præterlabentis per Corradum Lanceam Rogerij sororium populo inhibet. Quibus oppidani prohibiti cum Aragonensibus dimicare coguntur. Conserto bello Squillacenses plurimi cæduntur, cæteri verò fugati cum domum ægrè sese recepissent, tandem deditionem faciunt. Capto Squillacio, & Corrado Lancea ibi Præfecto constituto, contra Catanzarium exercitum mittit. Erat huius oppidi sub Carolo Rege Comes & Dominus Petrus Ruffus, sed Rogerij Lauriæ affinis: qui cum quadraginta dierũ inducias à Friderico impetrasset, nec eo temporis spatio à Carolo Rege, cui per id tempus in Appuliã peculiarem ad id legationẽ destinauerat, auxilia recepisset, cum reliquis Comitatus sui oppidis deditionem facere compulsus est. Fridericus deinde contra Crotonum pergit: stationes ante oppidum ponit. Vbi dũ moraretur, Rogerius Lauria cum Petro Rigibal arcis, & oppidi Præfecto quadraginta dierum inducias Regis nomine & inijt, & iureiurando firmauit. Verùm cum ante elapsum induciarum tempus Siculi milites, orta inter eos & oppidanos singulari contentione, in Crotoniates irruissent, cæsisq́; multis, spoliatisq́; ab arce etiam Petrũ eiecissent: Rogerius fidẽ suam violatam esse ægrè ferens, & in milites, & in Regem etiam oblocutus est. Quod etsi Fridericus ei condonasset, ille tamen turbato remansit animo. Sedato tumultu ipse cum classe, & Arnaldus Pontius cum copijs iussu Regis ad Roccam Imperialem proficiscuntur. Eamq; noctu, Comite Montis fortis & Francis obsidentibus, somno & vino sopitis, omni commeatu, & militum præsidio communiunt. Rogerius mox prædæ studio Pelicorum oppidum, quod Francorum erat horreum, aggreditur, atq; populatur, & subinde ad Roccã imperialem cum Rege regreditur. Quo cognito: Comes, Mõtisfortis metu perculsus obsidionem, quam pro Rege Carolo inceperat, fœdè soluit. Post hæc Fridericus contra S. Seuerinã oppidũ mouens Archiepiscopum, qui eum situ naturali munitũ acriter tutabatur, demũ ad deditionẽ impulit. Russanũ inde adortus, oppidanos, qui asperitate etiam situs confisi acerrimè sese defendebant, populatis, incensisq́; eorum agris dedititios & ipsos in potestatem accepit. Dum hæc fœlici cursu in Calabria geruntur, Petrus Corballes Dominicanus vir eloquentia præclarus à Iacobo Aragonum Rege ad Fridericum fratrem Legatus venit: qui eum à bello contra Carolum auerteret, cui nisi pareret, contra ipsum, Iacobum qui à Romano Pont. Dux ad sacrum bellũ ea conditione electus sit, causam suscepturũ minatur.

Blascus alagona
Rogerius lauria
corradus Lancea

minatur. Fridericus audita legatione, & ad consilium cum proceribus relata, relicto in Calabria Blasco Alagona exercitus Duce, Siciliam repetit. Interea Rogerius Lauria Legationis ignarus Licium Appuliæ oppidum, quod à mari p. m. 10. recedit, per noctem inuadit, ingentemq; inde prædam exportat, mox Hydruntũ vrbem mœnibus nudatam adortus, nullo labore capit, eamq;, quod & bello, & classi satis esset idonea, restitutis muris, & propugnaculis, vallo, & aggere muniuit. Post hæc Brundusium vetustate, & portu vrbem insignem classe appulsus militem omnem in terram exponit, castra ad locum, qui Rosa dicitur, metatus adiacẽtia loca hostiliter suo more vastat, citra pontẽ suos cõsistere iubet, ne Frãcorum insidijs intercipiantur. Sed dum hæc parat, repentè Franci è latebris in Siculos erumpunt. Rogerius cum nulla fugæ spes esset, suos ad defensionem pontis hortatur. Gotfredus Iamuilla Francicæ militiæ Præfectus cum suo nepote magna vi in pontem subit, & Siculis paulisper depulsis, duas eius partes adipiscitur. Quo viso Peregrinus Pactis, & Guilelmus Palloca Siculi, qui sub Rogerio militabant, in hostes irruunt, partem pontis exiguam, quæ sola Siculis propugnaculum, & tu tamen remanserat, magno animo defendunt, eamq; nunc datis, nunc receptis vulneribus immobiles loco tuentur, quousq; Rogerius adueniens equester pluribus sequentibus magno animo se tertium intulit. Ibi tum comminus in ponte angusto cruentissima inter Francos, & Siculos dimicatio exorta est, donec Rogerius, & Gotfredus ipsi duorum exercituum oppositi Duces in pontis ferè medio concurrentes viribus resumptis mutuo inter se vulneribus contenderе. Gotfredus Rogerium claua percussit: Rogerius verò gladio Gotfredum in facie sauciauit, hic accepto vulnere acrius inardescens, ac ferme prævalens equum in Rogerium calcaribus incitatum egit. Equus stimulorum impatiens, primùm insilijt, mox erecto corpore in saltũ relapsus miserabili casu in limũ inscrutabilẽ de ponte cum sessore decidit, Hoc successu Rogerius, & socij aĩo erecti acrius cõtra Francos institere. E castris præterea Siculorum balistarij plurimi aduenientes non exiguam Frãcis cladem attulerũt. Quorum egregia opera factum est, vt Frãci cum pontem transire iaculis inhibentibus nequirent, terga verterint, multisq; suorum impulsu in limo fluuij corruentibus, pontem Siculis deseruerint. Rogerius victor hostes tamen non insequitur: sed iam voti compos ipse in castra regreditur. Vbi suos refouens, captiuos Francos quotquot hac pugna ceperat, pretio redemptos restituit. Refectis corporibus, resumptisq; viribus Rogerius rursus hostes adoriri cũ in aĩo haberet, à Friderico Rege ex insperato cum tota classe in Siciliam accersitus est. Messanam appulsus literas à Iacobo recipit, quibus vt Fridericum ad mutuum cum fratre colloquiũ induceret, monebatur. Rogerius libenti, ac ardenti aĩo causam vel ob id amplectitur, quòd iã secũ ob nõ seruatas Petro Rigibel inducias vt diximus, ad Iacobũ deficere cõstituerat. Eoq; animo Fridericum ad sermonem cum Iacobo conferendum, belloq; item abstinendum pellicere conatur, quod si negligeret, calamitates, vastationes, & atrocia ei bella in Sicilia expectanda præsagit. Fridericus inito super his cum proceribus consilio non parendum Iacobo, & si opus erit, contra eum bellum suscipiendum vno voto, Legato corã audiente, decernit, Legatũq; cũ hoc responso ad fratrẽ remisit. Dum hæc in Sicilia agitantur, in Iscla insula Petro Saluacoxa Friderici Regis Præfecto, ex mãdato Regio à Neapolitanis, qui inde vinum extrahebant, pro quolibet dolio singulos exigente aureos: Neapolitani intolerandum id vectigal rati onerarias nouem armis, & militibus complent, ac contra Iscla mouent. Saluacoxa & ipse naues, quas habebat, Siculis militibus instruit, & eas in hostilem classem irrumpere iubet. Conserto prælio Siculi superiores, ac victores, nõ multo labore quinq; hostium nauibus, & virorum ingenti numero captis, Neapolim cæteras fugarunt, quarum Præfectos Carolus Rex, qui Neapoli tunc erat

immani

immani ſupplicio affecit. Poſt hæc Friderico Meſſanæ agente, Iacobus Rex per literas ſuas Rogeriũ Lauriã ad ſe euocat. Rogerius literas Regi oſtẽdit, ac eundi ab eo poteſtatẽ flagitat: ꝓfuturã hãc ſuã ꝓfectionẽ ſibi ad placãdũ ei Iacobũ pollicetur. Fridericus cõſilio Corradi Lãceæ petitã facultatẽ illi reditũ & officiũ ſpondẽti dedit. Sed cũ Rogerius priusq; diſcederet, Lauriã, Badulatũ, & alia pleraq; oppida, quę ſub ſua ditione ĩ Calabria tenebat, cõſenſu Frederici armis, & cõmeatu ad futura, q̃ præuidebat, bella ꝓmuniret, ab iniquis cõſultoribus Friderico ſuggeritur, ea ratione Rogeriũ oppida corroborare, quod cũ hoſtibus apud Hydruntũ clàm trãſegerit. Cuius rei cũ plura afferrẽtur ĩdicia Rex ei è Calabria pòſt ĩ Siciliã redeunti indignantis animum oſtendit: cauſaq; aperta ob verba vltro, citroq; habita offenſus, diſceſſum etiam inhibet. Sed ſub Manfredi Claromontani, & Vinciguerrę Palicij, quorum apud Regem plurima erat authoritas, fide tandem dimittitur. Rogerius iram vultu diſſimulans Meſſana egreditur, ac defectionis aĩo Caſtrum leonis, Caſtellionem vulgo dictum, Francauillã, Noaram, Tripim, Acim, & pleraq; alia, quæ ſuæ ditionis erant, oppida, reuiſens, commeatu, & præſidijs firmat. Quo cognito fideiuſſores ad eum veniunt, & vt Regi obediat, requirunt. Ipſe ſiue cõmiſſi ſceleris cõſcius, ſiue impoſiti criminis non ignarus, incertum, vt erat indignãtis, ac ſuperbi animi, ne Regem adeat, pluribus cum illis ſe tuetur rationibus: & demũ multa numerata pecunia mulctã, ad quã ꝓ eo, ſi nõ pareret, tenebãtur fideiuſſores, exoluit. Sed Fridericus deteriora metuẽs, vlterius Rogeriũ nõ infeſtat. Sed nec Rogerius Regis partibus contradicit. Inter hæc Cõſtãtia Regina Friderici, & Iacobi Regũ mater, & Iolãda eorũ ſoror, quã Robertus dux Calabriæ Caroli Regis filius cõiugẽ depoſcebat, à Iacobo Rege Pont. iuſſu inuitatę, impetratis à Friderico ſui itineris Ducibus Ioãne Prochyta, & Rogerio Lauria, q̃ iã indignatus à Rege diſcedebat, præfectisq; ſuorũ oppidorũ, vt Ioãni Lauriæ ſuo nepoti ſuo noĩe obedirẽt, mandauerat, Romã venere. Vbi ſtatim celebratis nuptijs Cõſtãtia in vrbe reſedit. Iacobus claſſem cõtra Siciliã inſtructurus in Cataloniã reuertitur. Rogerius verò Lauria Neapolim cũ Rege Carolo petit, bellũ cõtra Fridericum pataturus, & ſubinde velociſsima vectus triremi in Siciliam clàm ad ſeditiones mouendas nauigat. Cuius aduẽtu Fridericus præcognito ad Aeolias inſulas illi parat inſidias: in quas Rogerius incidens ſola fuga euaſit. Quod cum Ioannes Lauria Rogerij nepos, qui Friderico in aula aſsiſtebat, reſciſſet, ſibi timens, inſalutato Rege Meſſana diſcedens Caſtrum Leonis proficiſcitur. Vnde exercitu inſtructus Maſcalim oppidũ Regiũ hoſtiliter incẽdit, ac mox Randatiũ oppidũ diſſeminatis ibi tumultibus capere, ſed fruſtra, tentauit. Fridericus re cognita Rogeriũ Lauriã publicũ hoſtẽ declarat, oppidula, q̃ in Sicilia ille habebat, obſidet, & ĩ primis Caſtrũ Leonis vnà cũ arce triplici obſidiõe cingit, & diuerſis machinis oppugnat. Quod cũ nõ modò natura, ſed arte quoq;, & militibus ſtrenuis Ioãne Lauria, & Guilelmo Pallocta, Thoma Leõtino, & pleriſq; alijs Rogerij vel conſanguineis, vel affinibus, munitũ diu reſtitiſſet: tãdẽ cũ cõmeatus oẽs eis deficeret, & mœnia ictu lapidũ quaſſata corruerẽt, nec vlla de ꝓximo ſpes auxilij ſupeſſet, ĩ deditionẽ hac lege venit, vt incolumes oẽs cũ re familiari ĩ Calabriã regia triremi pduc erẽtur. Frãcauilla, & cętera Rogerij oppida exẽplo Caſtrileonis vltro ſeſe dedidere. Caſtrũ Acis ſolũ ob naturalẽ munitionẽ diutiſsimè obſidionẽ ptulit. Demũ à Friderico excitata ex trabibus, & tabulis iuxta Scopulũ turri, ex qua machina quadã ſaxa ĩ oppidanos, & iacula emittebãtur, obſeſsi ſupra modũ infeſtati in poteſtatẽ Regis deuenere. Ita Rogerius Lauria toto quẽ ĩ Sicilia habebat, principatu exuitur. Sed dum hęc in Sicilia geruntur, Rogerius cum iuſto militum numero, quem à Carolo Rege impetrauerat, in Calabriam profectus partes Friderici nunc ingenio ſubuertere, nunc viribus ſuperare ſatagit tanto ſtudio, vt Blaſcum ipſum Alagonam Friderici in Calabria Vicarium, magnis pollicitationibus ad defectionem

pellicere ſperauerit. Quo cognito, Fridericus Blaſcum in Siciliam reuocauit. Blaſco Calabria diſcedente, Catanzarium vrbs ad Carolum defecit; arce ſola pro Federico hac conditione remanente, vt ſi infra menſis ſpatium ante Catanzarium auxiliarij Frederici milites non aduentarent, in hoſtium manus & ipſa tranſiret. Arcis præfectus ne qua parte fidei ſuæ deeſſet, conditionis formulam, quàm celerrime Friderico miſit. Hic confeſtim Blaſcum Alagonam Guilelmum Raymundum Montecatinum, & Guilelmum Calcerandum ducentis cum equitibus Catanzarium ſub præfixo temporis ſpatio tranſmiſit. Rogerius Lauria, & cum eo Petrus Ruffus Catanzarij Comes, Reforzatus Prouincialis, Malgerius Collipetra, & pleriq; alij primates Caroli Regis cum equitibus ſeptingentis & ipſi Catanzarium conueniunt contra Blaſcum, & Aragonenſes dimicaturi. Blaſcus, & Comes Squillacij cum ſuis è Squillacio egreſſi ad locum, quem incolę Xiropotamum, hoc eſt Siccum fluuium vocant, circiter diei conſtituti veſpertinam horam veniunt, & explicata ſigna exponunt. Rogerius vbi hoſtes aduenisſe videt, cum militum numero triplo præualeret, quaſi victoriæ compos non ſine geſticulatione paratam ad bellum militiam in tres acies diuidit. Quarum primam ipſe, alteram Reforciatus, tertiam Gotfredus Mili ducebat. Blaſcus Alagona cum non haberet milites, quos in partes plures partiretur, vnica tantùm acie contentus ſe medium præbuit, & Guilelmum Calcerandum à dextro, & Guilelmum Raymundum Montecatinum à ſiniſtro cornu habens, Martinum de Olecta, & aliquot ſtrenuos milites in modum cunei cum vexillis præcedere iubet. Nautis præterea, qui relicta claſſe conuenerant ab ea parte, qua torrens eminentiores ripas fecerat, aciei latera obſeruanda, defendendaq; commiſit. Ita vtrinq; dato ſigno pugna incipit. Rogerius à ſuperiori parte prodiens maximo impetu bellum inchoauit, ratus ſe primo impetu in Siculos irrumpendo totam Blaſci aciem diſſipaturum. Verum cum cuneus ducem antecedens, ſignis oppoſitis fortiter obſtitiſſet, Rogerius ab incepto hoc illuſus conſtitit. Reforciatus viriliter ſubſecutus non inueniens per mediam aciem paratum quem ſperabat tranſitum, latera Aragonenſium præteriens, a nautis, qui ea obſeruabant, telorum, & lapidum ictibus impetitus, pluribus ſuorum deſideratis vix ipſe euaſit. Inde cum Gotfredus quoq; quaſi timens bellum adijſſet, acerrima inter partes pugna committitur. Rogerius multitudine militum ſuperior, Blaſcus vero vnitate, ac virtute, non minor, vterq; victoriam ſperabant. Diu ancipiti, & cruento Marte conflictum eſt, quouſq; ſub Rogerio ſaucio equus ictibus perfoſſus occubuit. Tunc Aragonenſium triarij milites, quos ad hoc Blaſcus ordinauerat, ſtrictis gladijs Iacobum de Caſtro Cucco, qui vexillum Rogerij tutabatur, petierunt. Is Rogerio deſtitutus, quem pro mortuo habebat, ſauciatus & ipſe terga vertit, & ad ſuos reditum parat. Blaſcus his viſis ſuos militari hortatione ad victoriam incendens tantum effecit, vt animoſo militum impetu Gotfredus perterritus omnium primus bellum deſeruerit, eumq; cæteri Franci ſubſecuti in trepidam omnes fugam conſenſerint. Reforciatus, & Henricus Synopolus capti ſunt. Sed qui ex militibus ad Reforciati cuſtodiam à Blaſco fuerant deputati muneribus corrupti cum eo profugerunt. Reforciati filius, Vergilius Scodra, Iordanus Amathea, & plures viri Principes, qui cum Rogerio venerant, in hac pugna occubuerũt. Rogerius in brachio vulneratus ad maceriem proximæ vineæ in latebris à Petro Satallata inuẽtus, illiusq; equo inuectus, ad oppidũ Badulatũ noctu incolumis ſe recepit, Petri fidei, & adminiculo non ingratus. Blaſcus fugatis hoſtibus aduerſperaſcẽte Squillaciũ cũ ſpolijs, captiuisq; triũphãs regreditur. Poſt hæc Rogerius ira pcitus nõ victi, ſed victoris vultũ pręſeferẽs apud Regẽ Carolũ Frãcos inertię, ignauiæq; inſimulat, qui Ducem in medio hoſtium ante belli diſcrimẽ

fugientes

Digitized by Google

fugientes reliquerant. Proinde Iacobi Regis Aragonensis auxilio, quod Romano Pontifici spoponderat, opus esse conclusit, si contra Siculos victoriam habere desiderabat. Itaq; suasu Rogerij sub Rege Iacobo classis octuaginta triremium ad Siciliam inuadendam Caroli Regis, & Romani Pontificis impensa collectitio, sed electo milite conferta paratur, & ad Romana littora contendit. Fridericus Rex fama nouæ classis fraternæ audita, classem & ipse sexaginta quatuor triremium struit, electis militibus, equitibus, machinis, & omni commeatu ad bellum oportunis cõplet: Corradumq; de Aurea Genuensem virum impigrum, Regni sui Admiratum constituit, factoq; apparatu Iacobum Regem in suis littoribus inuadere decernit, Classem igitur ascendit, & ante Neapolim explicatis aquilis in conspectu Caroli Regis nauigat, ripasq; Neapolitanas perlustrat. Iacobus fratris aduentu audito illum per Legatos admonet, vt in Siciliam redeat, nec bellorum euentus incertos extra sui regni terminos exquirat. Fridericus germani, quamuis hostilia contra eum parantis, consilio in Siciliam se recipit, locaq; omnia commeatu, & præsidijs munit. Iacobus verò Roma Neapolim petit, cum Carolo Rege de bello communicat, classemq; cum Landulfo Vulcano Cardinali Romani Põtificis Legato inscendẽs in Siciliam traijcit, & ad Pactas oppidum suadente Rogerio Lauria primùm cursum dirigit. Pactenses impares viribus confestim Iacobo se subigunt. Rumor per vniuersam diffunditur Siciliam, stupent Siculi, terrentur Aragones, pauent Catalani, horrent Itali. Rident Franci nouum, & inauditum furoris impetum, fratrem Regem non sui, sed hostis causa, fratris Regis excidio totis viribus imminentem. Nec multo pòst, sub tanti furoris principio Mylatium, Noara, Monfortis, & alia quædam oppida Rogerij persuasu ad Regem Iacobum vltro defecere. Inde in Syracusarum etiã vrbis spem Iacobus adducitur, vrbem terra & mari oppugnat, ac clericos quosdam Syracusanos, qui intra vrbem erant, spe ambitionis corruptos, ad portã ad Arethusam olim ducentem, sed hodie (alia aperta) clausam, sibi prodendam, allicit. Præerat huic vrbi tum Frederici nomine Ioannes de Claromonte vir animo impiger, qui proditionis tractatu cognito clericos statim omnes in vincula coniectos confessosq; ad supplicium pertraxit. Interea Buxema, Palazolus, Sortinum, Ferula, & Bucherum oppida non longè à Syracusis mediterranea, metu belli Iacobo Regi deditionem fecerunt. Sed paucis pòst diebus Bucherum, cum ad fidem Friderici resilijsset, Comes Vrgelli cum electa militum manu à Iacobo Rege missus magna vi illud est adortus. At incolæ magno nisu saxis, durisq; silicibus oppidum acerrimè quidem defenderunt. Sed cum frustratos hostes cum omni exercitu inde abire perpulissent: metu futuræ alterius alicuius oppugnationis perculsi, vt qui nullo duce rem gerebant, noctu abeuntes oppidum deseruerunt, quod colonis prorsus vacuum remansit. Fridericus interea his cognitis ne fortè Franci, qui Syracusas adhuc obsidebant, prædæ auidi in loca propinqua excurrerent, Catanam vrbem sibi sedem belli constituit, Blasco Alagona non impigrè loca obsidioni proxima noctu, & interdiu perlustrante, ac defendente. Sub idẽ tẽpus Ioãnes Barresius nobilitate præclarus, cuius maiores, vt eius gẽtiles prædicãt, cũ Rogerio Normanno Siciliæ Comite iam multo antè ad propulsandos ab insula Sarracenos ex Francia traiecerant, metune belli, an procliuiori in Iacobum voluntate incertum, cũm oppidis Petrapretia, Naso, Rayhalmuto, Monte Nauno, & Capite Orlandi, quæ in Sicilia ab initio ipse tenuerat, deserta Friderici fide ad Iacobum defecit, simulq; maximæ in Sicilia turbationis author extitit. Franci receptis hisce oppidis prædæ cupidi Petrampretiam contendunt, vnde proxima loca deprædarentur. Sed Blascus his cognitis priusq; latius venenum serperet, in Cerratano oppido Francis parat insidias: in quas noctu imbribus, &

tonitruis ingruētibus incidētes, capti sunt Aluarus Comitis Vrgellēsis germanus frater, Berēgarius, & Raymūdus Ceprerus, cū maiori parte eorū, qui illorū signa, vel equites, vel pedites sequebātur. Quos oēs ī victoriæ signū ad Fridericū Regē, Proceres quidā sub diligēti custodia, populares verò vinctos lōgo agmine Blascus Catanam traduxit. Post hæc Pactarū vrbis incolæ ad Friderici Regis fidem reuertuntur, & arcem, quæ ciuitati supereminet, obsident. Regemq; ad expugnationē inuitant. Quocirca Fridericus eò Messanenses aliquot, sub Benecasa Eustasio, Catalanos vero sub Hugone de Empurijs, & Catanenses plures sub Neapolione Caputo sine mora immittit. Iacobus audita Pactensium inconstantia, Ioannem Lauriam cū viginti triremibus, & cōmeatu necessario, Rogerium verò terrestri itinere cum equitibus trecentis confestim eodem destinat. Sed Aragonenses, & Siculi Rogerij aduentu cognito, omissa arcis obsidione, in vrbem se recipiunt. Ille vero cum primum Pactas venisset, arcem præsidio firmat, nihilq; moratus Syracusas recurrit. Ioannes Lauria paulo pòst cū triremiū classe & ipse Pactas veniēs postq̄ arcem cōmeatu muniuisset, cū per fretū absq; ordine, & nimis temere nauigaret à decem & septem Frederici triremibus, dissipatis omnibus captus, cum decemet septem triremibus in manus hostium venit, & cum cæteris captiuis in arcem Mottagriffoni detrusus est. Post hæc Ganges oppidum vltro ad Iacobum Regem defecit, quod & Thomas Prochyta, Ioannes Barresius, Beltrandus Cannellus illud munientes in fide continebant. Henricus vero Vintimilius Giracij Comes, & Matthæus de Thermis Magister Iustitiarius, qui Friderici partes sequebantur, illud cum iusta militum manu duriter obsidentes, agros excurrebant, nec quicq̄ tutum hostibus relinquebant. Iacobus interea audita classis Ioannis Lauriæ clade animo fractus, præsertim quòd decem & octo milia militum postq̄ in Siciliam venerat, partim gladio, partim morbo, & egestate è suo exercitu perdidisset, consensu Legati, & omnium Procerum relicta Sicilia Neapolim classe repetit. Fridericus hoste discedente Ioannem Lauriam, & Iacobum de Rosa bello nauali captos veluti proditores capite punit, & deinde Duce Manfredo Claromontano Petrapretiam, & Gangem per deditionem accipit, Thoma Prochyta, Ioanne Barresio, & Beltrando Cannello liberè Neapolim ad Iacobum remissis. Sortinum quoq;, Palazolus, Ferula, & alia oppida, à Iacobo vltro in Friderici fidem redierunt, Mylis, Monforte, & alijs quibusdam, quæ in regione Nemorum ad Iacobum defecerant, in perfidia remanentibus. Postmodum Iacobus vt Neapolim rediit, à Francis omnibus ignauiæ abiectiq; animi accusatus, quòd succumbere turpiter, q̄ germani iniurias vlcisci maluerit, nullius bene gestæ rei in Sicilia dedecus resarciendum ducens, exercitum reparat, quinquaginta & sex triremes instruit, Italos, Catalanos, & Francos lectissimos quosq; deligit, Robertum Ducem Calabriæ, & Philippum Tarenti Principem Caroli Regis filios tanq̄ rerum patrandarum futuros testes classem ascendere iubet, & in Siciliam nauigat. Fridericus his cognitis cum quadraginta triremium classe & Blasco Alagona, Hugone de Empurijs, Vinciguerra Palicio, & Gumbaldo de Intentijs, & cæteris optimatibus præcipuis nauale prælium commissurus egreditur, à quo Matthæus de Thermis cum suis triremibus ex regione Mazaræ superuenturus propediem expectabatur. Iam vtraq; classis littora capitis Orlandi, & oppidi Sancti Marci aduenerat, cum Siculi prædæ auidi Matthæo de Thermis, qui iam Cephaledis littora tetigerat non expectato, temere hostes adorti sunt. Fridericus porrò ne absq; ordine dimicaret, triremē signiferā, qua ipse vehebatur, in medio, à dextris autē decē & nouē, & à sinistris viginti, triremes reliquas disponit. Raymūdus Crebellis Comes Garsiliati, Vgo de Empurijs, Comes Squillacij ordinū principes creati; vexillum verò Garsias Sancius Regis alumnus obseruandū cū triarijs militibus

Digitized by Google

tibus accepit. Inter quos cœtus Rex ipſe nunc hos, nunc illos inſtruens inſigni triremi cunctisq; præſtantior videbatur. His paratis Friderici claſsis contra claſſem Regis Iacobi remigabat. Iacobus equos, & viros inualidos, qui nauali bello impedimento potius, q̃ auxilio forent, in terram exponit: milites, quos in oppidis regionis Nemorum abiens reliquerat, in naues introducit, ac cætera ad bellum pro momento neceſſaria congerit. Signo deinde dato prælium atrox ab ortu diei vſq; ad horam ſextam varia fortuna pertractum eſt. Inter hæc Gumbaldus de Intentijs, qui vni dumtaxat triremi præerat, labore conſumptus obijt. Cuius ſtatim nauis ab hoſtibus eſt capta. Mandauerat Iacobus Rogerij conſilio, vt triremes ſex validiſsimæ vniuerſam Siculorum claſſem à puppibus impugnarent. Siculi hanc belli ineuitabilem perniciem, qua acceptis à tergo improuiſis vulneribus ſternebãtur, cũ perferre nequirent, pedetẽtim cœperunt bello cedere: primęq; ſex triremes ea cauſa à bello receſſerũt. Fridericus Rex viſa ſuorũ inclinatione nõ mediocriter turbatur, cumq; ſuos ad reſiſtendum magnis vocibus fruſtra hortatus eſſet, ſiue animi, ſiue intolerabili æſtu oppreſſus, quaſi exanimis concidit, atq; iam iam ſtatim moriturus cenſebatur. Tum Bernardus Crebellis cognito regis diſcrimine, remorum beneficio, regiam puppim ſtatim extra bellum, & periculum deduxit. Quod vt Blaſcus de Alagona vidit, Ferrandum Peris de Arbes ſignifer rum ſuum vt vexillũ implicet, iubet. At ille magno, & forti animo vir: Dij te perdant (inquit) qui cum ignominia bellum deſeris, nec plura locutus, abiecta galea, tandiu caput ad propinquiorem triremis partem illiſit, quouſq; examinatus die altero vitam effudit. Vinciguerra Palicius poſtq̃ triremim ſuam à quatuor Rogerij triremibus non æquo marte deuictam conſpexit, in ſcapham tum forte propinquam deſiliens euaſit. Alfrancus de Sancto Baſilio, & plures alij proceres relicto bello Regem ſecuti ſunt. Petrus vero Saluacoxa cum triremi ſua, & Iſcla Inſula cui præerat, ad Regẽ Carolũ defecit. Inter hęc cũ Rex duodecim cũ triremibus Meſſanã verſus ſopitus diſceſsiſſet: cædes incipit. Catalani, & Aragonẽſes, qui p parte Iacobi erãt, in ſingulas Friderici triremes, quæ remanſerant, ferociſsimè irruunt, mixtam cum vulgo nobilitatem, inter eosq; Corradum Lanceam, trucidant. Vnde plures Siculorum ne in manus hoſtium inciderent, in mare ſe præcipitarunt. Rogerius Lauria Ioannis nepotis mortem vlturus triremes Meſſanenſes omnes euertit, pluresq; nobiles, ac Fridericum Rubeum, Pyrrhonum Tubens, Anſalonum, & Raymundum de Anſalone, Iacobum Scordiam, Iacobum Capitium, pluresq; alios Principes viros Meſſanenſes, quos viuos in triremibus reperit ad vindictam gladijs confodit. Captiui reliqui ad conſpectum Iacobi longo ordine pertracti ſunt. Sed nec incruenta Iacobo Regi fuit hæc victoria. Nam plures ex ſuis proceribus, & popularibus hoc prælio perijſſe compertum eſt. Interea Fridericus Rex veluti à ſomno experrectus, & ad ſe reuerſus vt bello ereptum ſe videt: Reddite (inquit) me hoſtibus, ne vita indecora Rex viuat. Verum proceribus ipſi fortitudinem in aduerſis, & ſuam non ſibi, ſed publico commodo ſalutem tuendam commendantibus cum debellatæ claſsis reliquijs Meſſanæ portum petijt. Iam fama tantæ cladis Meſſanam ante Regis aduentum præuenerat. Quocirca Meſſanenſes, cum Regem, quem iam interfectum verebantur, incolumẽ cõſpexere, ſedato dolore nihil ſe perdidiſſe teſtati ſunt. Quin etiam lenito aliquantum luctu publico, Siculi omnes ad Regem conuenerunt, bona oĩa in reparationẽ belli, Regniq; defenſionẽ offerẽtes. Rex porrò curato corpore ſtatim per loca oĩa Præfectos decernit, vt ab incurſione hoſtium præſeruentur. Et quia Corradus Lancea hoc bello occubuerat, Vinceguerram Palicium eius loco Cancellarium ſubſtituit: Nicolaum, & Damianum illius germanos fratres Meſſanæ vrbi, & arci præfecit. Et deinde Ennam, vt rebus Siciliæ maturius conſulere poſſet, profectus eſt. Iacobus confecto bello cum maximam ſuorum in victoria cladem

didicit, nihil se vicisse prætestatus, aduocato Roberto Calabriæ Duce, & Philippo Tarenti Principe, alijsq; Francis principibus, qui cum eo aderant, palàm, & publico sermone fidem se Romano Pontifici, & Carolo Regi contra Siculos pactam persoluisse, ac deinceps ad ardua Regni sui negotia auocari, nec exteris diutius bellis vexari posse asseruit. Post hæc cum Friderico facta quorundam captiuorum commutatione, quos præterea iure gentium deuinctos habebat, simul & capta oppida omnia Roberto Calabriæ Duci contulit, atq; Rogerio Lauriæ, cæterisq; viris strenuis Siciliam iam conquassatam, facile, vti ipse rebatur, subiciendam reliquit. Post hæc Neapolim ad Carolum Regẽ contendit, à quò indignè susceptus assumpta secum Regina Constantia consorte ob sui imprudentiam Francis minimè gratus, & ob impietatem Siculis etiam inuisus, in Cataloniam regressus est. Iacobo Rege abeunte anno sal. 1299. Robertus Dux Calabriæ cum classe in Siciliam rediens Randatium oppidum nequicq̃ obsedit, Randatiensibus ei seriò obsistentibus. Vnde re infecta mouens, Adranum per deditionem accepit. Castrum Leonis vero, & Rocella ad Rogerium Lauriam, cui antea suberàt, reuertuntur. Robertus capto Adrano proximum Paternionis oppidum & arcem, quam Manfredus Malecta Comes Friderici Regis Camerarius tenebat, militibus cinxit. Sed Manfredus homo vecors, & ignauus nullo belli expectato periculo, altero obsidionis die non modò se dedidit: sed & vt beneficiorum à Friderico receptorum immemor, & proditor, ad hostes defecit. Subinde Rogerius Lauria cum Ioanne Callaro, Thomasio Lalia, & Ioanne Landolina Vizinensibus, qui paulo antè nauali bello capti fuerant, Vizinim oppidum clam petit. Et dum oppidani oppugnationem fortiter sustinentes, mœnia, & propugnacula parant, Ioannes Callarus muros, quà facilior erat ascẽsus, subijt, & ab incolis cõseruatus, ac ĩ oppidũ introductus cum populo egit, vt non expectato prælio ad Robertum Ducem transirẽt. Bucherium quoq; oppidum vltro ad eum conuenit. Rogerius his gestis ad Ducẽ, à quo antè Palagoniam suum oppidulum expectabatur, redijt: iunctisq; agminibus castra contra Claromontem oppidum mouent. Oppidani quia primum mœnia egregiè tuebantur, cum deinde deditionem offerrent, inauditi debellatis muris ad vnum omnes cæduntur, eorum inteſtina dilacerantur, semineces exuuntur, lactentes, & paruuli faxis alliduntur, prægnantibus ex vtero fœtus eripiuntur, nec quicq̃ illis ab hostibus crudelitatis intermissum, quinimo & oppidum funditus deletum est. His gestis Catanampetentes, quam eo tempore Blascus Alagona pro Friderico tutabatur, in vineis arenarum non procul ab vrbe castrametati vrbem obsidẽt: sed post triduum (vt constans fama fuit) acceptis à Vergilio de Scordia, quem Fridericus patrem patriæ appellare solebat, promissionis de prodenda eis vrbe literis, soluta obsidione ante Aydonum oppidum consilio incolarum transfugarum castra transferunt, inferiorem oppidi partem inuadunt, & populantur, mox contra eos, qui ad superiorem arcem confugerant, oppugnationẽ dirigunt. Præerat huic arci Inuentus de Obiectis, qui cum eis, qui pro tuenda patria eò fecesserant, strenuè partes tutabatur. Franci ad eam, quam Benenati portam vocant, magna addita materia ignem immittunt. Inuentus inter hos motus vt nec timori, ita nec periculis occurrere ignarus, collectis hinc inde lapidibus succrescente flamma portas ab interiori parte firmauit, reliquos belli casus nox superueniens interrupit, nisi quòd ad hostes in castra redeuntes ex obsessis plures salutis, q̃ honoris cupidiores transiere: reliqui vigilantes sua mœnia defendunt. Illucescente verò cum paratam aciem dux contra oppidum dirigeret: Inuẽtus ab ignobili, & inconstanti plebe ad deditionem inclinata, lacessitus, ne proditionis infamiam incurreret, cum solus patriam aduersantibus incolis defendere non posset, clam profugiens, oppidum in ciuium manibus deseruit. Ita Dux Aydono potitus est. Post hæc contra Platiam mouet. Quo cognito Guilelmus

Calcerandus

Calcerādus, & Palmerius abbas ſtrenui Duces cū pluribus equitibus p̄ medias hoſtium turmas in oppidum penetrarunt. Dux in planicie Sancti Gegorgij, Rogerius verò ad fontem iuxta oppidum caſtra ponunt, incolas lenitate primùm, mox minis ad cedendum hortantur. Sed cū Platienſes, qui ſe mori potius, q̄ deditionē ignominioſam facere velle reſpōderant, Ducē, ea parte, vbi ædis eſt ſacra, quā Patrem ſanctum appellant, machinis, & miſsilibus non ſine obſidentium magna ſtrage fortiter repuliſſent, in caſtra regreſsi hoſtes, fœdè inde Paternionem rediere. Fridericus his cognitis Catanam venit: & Blaſcum Alagonam vrbi præficere voluit. Sed hic vt erat animo integer, & qui iam a Vergilio Scordia Duci de tradēda ſibi vrbe factam promiſsionem ſibi manifeſtam, Regi crediderat, ſuſpectos præmetuſē caſus Præfecturam renuit. Quocirca Fridericus Hugonem de Empurijs nullius in Vergilium ſuſpicionis præmonitum, Præfectum Catanæ conſtituit, excitatisq; ad fidem Catanenſibus, & Vergilio, vt erat facundus, luculenter, & fraudulenter pro populo reſpondente, Leontinum, Syracuſas, & alia præſtantiora regionis Neeti, & hoſtibus viciniora loca petijt, quibus munitis ad Ennam reuerſus eſt. Vergilius Scordia Friderico iter ingreſſo quod ſcelerata mente conceperat, id ad euentum perducere cupiēs, quo omne impedimentum ſubmoueret, cum Neapolione Caputo, qui cum ſimultates execrabiles eo vſq; geſſerat, pacem inijt, & in prodendæ vrbis ſocietatē eū iurare coegit. Interea Fridericus cum Duce per inſulam diſcurrente aperto campo congredi decernens Hugoni ſcribit, vt ſeptingentos milites ex Catanenſibus præcipuos ſibi deligat. Hugo vt Regi obediret, Vergilium Scordiam de ea re conſuluit, qui patrandi facinoris accepta occaſione, rem ad populum in templo Diuæ Agathæ poſtridie referendam ſe cenſere reſpondit. Cuius conſilio libenter Præfectus aſſentiens, ipſe quæ ad concilium, Vergilius quæ ad facinus videbantur oportuna, parauit, noctu ad coniuratores accedens quid quiſq; eo die, qua arte, quoue ordine acturus eſſet, eis decernit. Illuceſcente verò Vergilius in habitu Romanæ pacis togatus ad Hugonis ædes accedit, eumq; ad templum comitatur. Neapolio quoq; cum coniuratis eodem nō vno agmine conuenit. Concione igitur referta, edicto iam ſilentio, iuſſa Regis ab Hugone exponūtur. Vix ille dicendi finem fecerat, cum Florius popularis, & perditæ temeritatis homo, & coniuratorum vnus ſtricto enſe pacem ingeminans, in Hugonem irruit, eius faciem pluribus ictibus ferit, quo principio coniurati inualeſcente pacis clamore eductis gladijs ad facinus confluentes Florium ſequūtur, Hugonem capiunt, & in carcerem detrudunt, cateruatimq; per ciuitatem diſcurrentes pacem, quam ignorabant, occurrentes omnes conclamare compellunt. Plebs ignara patriam ſub fraudulentæ pacis inuolucro prodi, ſublatis vocibus & ipſa ſæpius pacem repetebat, eoq; aſtu a coniuratis decepta eſt. Cumq; ad littus, quod Portum Sarracenum vocant, peruenisſent, in tria nauigia parata Hugonem cum ſuis comitibus Vergilius aſcendere, atq; in Tauromenitanas oras transfretare iuſsit. Quo ablegato, coniurati ciuitatem ſibi occupant, Hugonis ſpolia deprædantur, Bartholomeum de Iſola, Philippum Brunum, pluresq; alios Friderici Regis miniſtros cum omni ſuppellectile vrbe liberè abire permittunt, ac tum deniq; Ducem ipſum cum Francis, qui è propinquo rei euentum præſtolabantur, ad vrbem euocant. Mox igitur Robertus vt erat paratus accedit, & cum pompa ciuitatem ingreſſus magno cum honore ſuſcipitur. Qui coniuratis in rei patratæ premium oppida, arcesq; multorum in feuda depoſcentibus, non abſq; calliditate, quæ non tenebat, vti erant, poſtulata concedit. Vt primum ad Siculorum aures Catanam ad manus Ducis peruenisſe perlatum eſt: Neetum oppidum, quod Hugolinus Callarus à Friderico ſacro fonte leuatus pro Rege tenebat, multa vi compulſus Duci dedidit. Buxema, Ferula, Palazolus, & Caſſarus oppidula eidem adhæſerunt. Regebat per ea tempora Raguſam oppidum Hericus de Sancto Stephano

pro

pro Manfredo Claromontano illius, & plurium oppidorum Comite. Hunc Petrus Auenellus, Ioannes Pedeuillanus,& Franciſcus Balena ex inopinato capiũt, pugionibus confodiunt,parataq; Caroli Regis ſigna ſuper mœnibus locant, atq; celeriter aduocato Guilelmo Eſtendardo Regis Mareſcallo oppidum tradunt. Dum omnes ferme regionis Neeti ciuitates,& oppida hoſtibus, & inteſtinis bellis circumquaq; infrementibus æſtuarent, Carolus, qui Neapoli adhuc erat,ne occaſionem datam negligeret,regionem Mazaræ, quæ tumultuum expers tota adhuc in Frederici Regis fide perſtabat, claſſe adoriri deliberat. Itaq; Neapoli quadraginta triremium claſſem optimo milite iuſtruit,cui Philippum filium Tarenti Principem ſeptingentis cum militibus,ac Petro Saluacoxa viro ſtrenuo Duce,& Viceadmirato præficit,& contra Siciliam ad Lilybœum promontorium, ac Drepanum nauigare iubet. Princeps claſſe inuectus Lilybœum applicat,militem in terram exponit,agros omnes nulla militum vi in occurſum prodeunte, populatur.Fridericus Rex de his certior factus,Guilelmo Calcerando Ennæ Præfecto in oppoſitum Ducis,qui non longè inde aberat,relicto,ipſe peditatu, ac equitatu inſtructus,Lilybœum properat,Principi,& hoſtibus improuiſus occurrit. Princeps vt exercitum contra ſe venientem vidit, ad Mazaræ Falconariam caſtrametatur,ac in tres acies exercitum diuidit, vexilla explicat, & ad imminens bellum ſe componit. Primam aciem, cui Brolius Bronzus eius Mareſcallus præerat, ad turbam peditum excipiendam locat. Secundam quia nulla Regia ſigna adhuc apparebant, contra ſigna Blaſci de Alagona decernit. Tertiam Rogerio de Sancto Seuerino Comiti Marſici contra ſigna Ioannis Claromõtani Comitis, Vinciguerræ Palicij,Matthæi de Thermis,Bernardi Queralti,Farinati de Obertis, & Ennẽſium,qui cum Rege quaſi communi marte ad hoc bellum conuenerant,commiſit. Fridericus nihilo ſegnius vniuerſum exercitum authore Blaſco in ttes acies & ipſe diuiſit.Ipſe in medio,Blaſcum cum Almugaueris ad ſiniſtram, cæteras vero cohortes ſibi ad dexteram adeſſe iuſsit.Princeps ſolum Blaſcum cum Siculis in campum prodijſſe,& ob id victoriam in manu ſe habere ratus,ſigna accelerat, impetuq; contra Blaſcum fertur.Rogerius quoq; in eam,contra quam deputatus erat, aciem ſe intulit.Princeps primùm contra totam penè Blaſci aciem ita ſe impulit vt vexillum eius nunc huc,nunc illuc caſum continuè minaretur.Sed cum illius cuneum,vti ſperabat,diſsipare nõ poſſet,ad eam partem, qua Rogerius Comes penetrauerat,ſe conuertit.Blaſcus verò nihil territus, hoſtes à tergo adoritur, ac tũ demum iubente Rege,quem ad pugnam Blaſcus euocauerat, vexillarius ſigna Regia explicat.Rex ipſe prior è tãto agmine ſtimulis equũ vrget:quẽ equites,qui ſecum erant addicti, licet numero pauci magno animo inſequuntur. Commixtæ vtrinq; acies acerrime concurrunt. Rex dum nunc ferrea claua, nunc gladio hoſtes paſsim ſibi obuios impetit,deijcitq;, ipſe in dextera, & in facie aliquot ictibus fauciatur. Princeps etiam quocunq; graditur,enſe micat.Blaſcus nunc bellũ intendit,nunc ad Almugaueros rediens ad citandos equos hortatibns inſiſtit. Almugaueri equos cõtra eos mutilis lanceis tãto niſu immiſere, vt plures ex equis Regiæ partis perempti ſint.Inter hos conflictus Princeps, & Martinus Peris de Ros fortè fortuna inſcij in alterum concurrunt. Martinus Principem vt proſternat,claua impetit: Princeps illum per loricam hamis conſertam bis inter mentũ & labium repetitis ictibus pugione percuſsit.Martinus acceptis vulneribus incãdeſcens,cum non videret, quà Principem poſſet vulnerare, diu perluſtrans per extremam tandem caſsidis oram leui vulnere in facie Principem ferit,ac ſubinde cõſertis brachijs cum illo humi ſe præcipitẽ deijcit. Princeps veritus ne ab ignobili occideretur,edita voce Principis nomen prodit. Quo audito Martinus conſtitit,manumq; ab ictu retrahens Blaſcum è propinquo cum hoſtibus præliantẽ aduocat, eiq; Principem iacere ſignificat. Ad quem cum Blaſcus Dominicum

Gilium

Digitized by Google

Gilium & Arnaldum Fuſterium Almugaueros in Corradini mortis vltionem trucidandum miſiſſet, rumore in campis exorto ducentos hoſtium milites, quos pro maiori parte Neapolitana miſerat ciuitas, ad eminentem loci tumulũ ſub nouo vexillo conueniſſe, ac ad bellum ſe paraſſe. Blaſcus non immemor pari bellandi aſtu Corradinũ debellato Rege Carolo perijſſe, nil ratus egiſſe, ſi quicq̃ vincendũ ſupereſſet, cum Ioanne de Claromonte, ac pleriſq; , qui aderant, intacto Principe in illos irruit. Rex caſu Principis cognito, necari illum prohibuit, & depoſitis armis ad ſe adduci mandat. Adductum Petro Tuſculiano, & pleriſq; probatæ fidei proceribus ſeruandum, cuſtodiendumq; committit. Rogerius Sanſeuerinus Comes cum Principi capto nulla fugæ ſpes ſupereſſet, illico captiuum & ipſe ſe præbuit. Vrolius verò Principis Mareſcallus in ſuorũ ſtrage pluribus vulneribus cõfoſſus eſt inuentus. Milites ducenti, quorum ſuprà meminimus, non expectatis vulneribus fugientes comprehenſi ſunt. In quorum numero Petrus Saluacoxa inuentus cum mille vncias prò ſui redemptione fruſtra polliceretur, à Giletto viro magnanimo in ſarcaſmo illuſus, in proditionis belliq; pœnam iugulatus eſt. Atq; ita Fridericus victor, hoſtium ſpolia militibus diſtribuit. Princeps ad arcem Cephaledi ſeruandus abducitur. Rogerius Sanſeuerinus Comes ad Erycis arcem, Bartholomeus, & Sergius Siginulphus Comes, cæteriq; Proceres ad alias Siciliæ munitiſsimas arces in compedibus ſunt tranſmiſsi. Qui verò in claſſe Principis remanſerunt, proſpecto eminus totius belli exitu, aſſumptisq; noctu ijs, qui manus Siculorum euaſerãt, Neapolim contendentes infœlicem Carolo belli euẽtum retulerunt. Dum hæc ad Falconaram Mazaræ geruntur, Dux Calabriæ qui Catanæ reſidebat, cum Philippum fratrem claſſe ad Lilybœum appuliſſe cognouit, calamitatis neſcius Ludouicum Ducis Sueuiæ fratrem, Rogerium Lauriam, Thomaſium Sanſeuerinum Rogerij Comitis patrem, Gualterium Brehennæ Comitem, Arianæ Comitem, Hugonẽ de Balſo, aliosq; Proceres, ac milites ſtrenuos Cardinalis Parmenſis Pontificis Legati, qui cum Duce erat, cæterorumq;, qui aderant cõſilio, in comitatum ſuum adſciſcens, in occurſum Principis, vt vires viribus iũgeret, ire parat. Sed vix diſceſſerãt, cũ accepto infœlicis pugnę nũtio Catanã reuocati ſunt. Fridericus verò parta victoria loca regionis Mazaræ poſtq̃ muniuit, ad Ennam ſe retulit. Interea Rogerius Lauria Neapolim ad Carolum Regem pro bello reſumendo petiturus, Ducẽ vt nullo pacto ſe abſente in bellũ deſcẽdat, inhibet, ne fortè fraude circumuentus interciperetur. Erat inter Friderici familiares Montanerius Soſa, qui in Gallani oppidi arce, cui ipſe præerat, Carolũ Marolettum Francum genere virum nobilem ex ijs, qui cum Principe apud Falconaram ſuccubuerant, captiuum habebat. Hunc ille ſubornatis verbis quæ cũ Blaſco Alagona compoſuerat, eò perduxit, vt literas ad Ducem Catanam daret, quibus à Montanerio arcem Gallani munitiſsimam, & inexpugnabilem ei citra bellum traditum iri ſignificabat. Dux literarum fide cum Legato & Proceribus conſilio, diſcuſſa, ne forte fraus aliqua ſcriptis ſubeſſet, memor monitorum Rogerij Lauriæ ipſum Montanerium Catanam ad ſe mitti, quò res accuratius tranſigatur reſcribit. Montanerius nepotem ſuum virum & fraude & aſtu non imparem Catanam remittit, Cuius verbis Dux allectus Gualterium Breennæ Comitem, Gotfredum Mili, Iacobum Bruxonum, Ioannem Ianuillam, Oliuerium Blinzonum, Robertum Coruaium, Ioannem Trulardum, Gualterium Noc, & Thomam Prochytam Gallani antea Dominum, aliosq; optimates cum electis militibus ſub dicti nepotis ductu ad facinus patrandum expedit. Quæ cum per Montanerij nuntios Blaſcus cognouiſſet, confeſtim cum Guilelmo Calcerando militem colligit, exercitum ſtruit, ac in latebris Francis tranſituris inſidias ponit. Iam Franci ad locum ferme aduenerant, quibus nepos: ne fortè (inquit) ſubitus veſter aduentus exitio ſit Montanerio, aduentum veſtrum illi vt prænuntiem eſt neceſſe, dimiſſuſq;

dimiſſuſq; Blaſco hoſtis aduentum inſinuat. Blaſcus indecorum ſibi per inſidias vincere ratus, exorto ſole ſigna mouet. Franci viſo Blaſco & ipſi aciem parant. At ille qua parte ſolis radij micaturi erant, exercitum dirigit: nec bellum intulit, ſed diſpoſitis hinc inde in ſepis modum Almugaueris, alijsq; peditibus, temerarios Gallorum auſus, quos iam prænouerat, expectauit. Franci eminẽtem locum v, nde tutius fuerant conflicturi, deſerentes, curſu præcipiti ſigno dato in Siculos irrumpunt. Siculi pedites in equites Francos intenti, miſsilibus magnam illorum ſtragem edunt, equis vulneribus in ferociam actis ſeſſores interram proſternẽtibus. Sed & lapidibus quoq; a Siculis proiectis magna Francorum occiſio contigit. Vnde Franci vndiq; circunſepti cum ad victoriæ ſpem nulla eis virtus prodeſſet, ad mortis vltionem pugnare incipiunt. Strictis igitur pugionibus cum Siculis vltro ſe iungunt, vexillum Guilelmi Calcerãdi quod prius eis occurrerat, impetu proſternunt. Sed cum Siculi omnes ſub Blaſci vexillum conueniſſent, in Frãcos ſe dirigunt, atq; eos ſummis viribus ſuperant, eorũ equos cędunt, ſeſſores deturbant, atq; ita Francorũ virtus demũ cedit. Solus Breennæ Comes cum paucis in ſaxum immobilem aſcendit, ne in plebeias manus incideret. Vnde gladium, quo vitam tuebatur, Blaſco in ſignum deditionis tranſmiſit. Signifer verò eius ſaucius cum per inimicas acies ante obitum vexillum Comiti reddere conaretur, vt à Siculis circundatum illum vidit, euaginato enſe in hoſtes irruens, fortiter occubuit. Blaſcus potitus victoria Meneum petijt, in cuius arce Comitem Brennæ carceri addixit. Montanerius voti compos occiſos Gallos vendere ſtuduit, quos ſua calliditate viuentes paulo antè deceperat. Coxit nanq; gentilium more eorum cadauera, quorum reliquias agnati pretio poſtmodum redemerunt. Carolus Marolettus qui in arce Gallani detinebatur, tantæ cladis ſe authorem cenſens, ad parietem proximum caput illiſit, & deinde omni cibo abſtinens inedia vitam finiuit. Fama huius belli per Siciliam diffuſa Francorum ſtudioſis terrorem, Friderici verò gaudium animosq; addidit. Interea Rogerius Lauria quadringentos milites Etruſcos, quibus Raynerius Bõdelmontius vici Dominus Florentinus militia præclarus præerat, in Siciliam contra Siculos nauigio à Carolo Rege ſibi attributos tranſuexit, atq; inde Neapolim alios milites adducturus cum feſtinatione perrexit. Siculi quoq; tot elati ſucceſsibus claſſem viginti ſeptem triremium ſtruunt, quibus quinq; Genuenſium naues in omnem fortunam vltro ſe addixerunt. Claſſem Corradus de Auria Friderici Admiratus, Ioannes de Claromonte, Palmerius abbas, Henricus de Inciſa, Benecaſa de Euſtaſio, Pelegrinus de Pactis, & pleriq; alij Siculi proceres aſcendunt, ac Neapolitana littora cum hoſtis nullus appareret populationibus vexat. Corradus demum per Caduceatorem Rogerium Lauriam, qui claſſem quadraginta triremium paratam habebat, ad prælium inuitat. Rogerius, qui cunctatione contra Siculos opus eſſe ſciebat, cum de proximo duodecim triremes alias expectaret, ſe non eſſe ad prælium paratũ reſpondit. Recuſante prælium Rogerio, Siculi ad inſulas, quæ contra Neapolim obiacent, remigantes, illinc hoſtilem claſſem numero ſuperiorem in opprobrium obſidere decernunt. Interea triremes duodecim à Rogerio expectatæ, ſeptemq; aliæ naues à Genuẽſibus ei miſſæ, Neapolim adueniunt. Quibus expeditis Rogerius Siculorum claſſem aggredi ſtatuit, & Neapoli Põtiã verſus, vbi claſsis Sicula erat, ſoluit. Siculi vt Rogerij claſſem, quæ ſexaginta ferme triremibus conſtabat, proſpexere, cum ea congrediendum dubitabant. Pleriq; abſq; belli periculo, & dedecore, Siciliam repetendam eſſe, alij verò vel ob id, quòd Francos bis antè ad eadem littora duplicato numero ſuperiores viciſſent, pro Regis gloria dimicãdum omnino eſſe conſuluerunt. Horum igitur ſententia præualuit. Proinde ad arma Siculi concurrunt, ad belli ordinem ſe componunt. Corradus Auria victoriam certò ſperans ſi primo conflictu vexillum hoſtium obrueret, ſigniferam ſuorum triremem,

Digitized by Google

triremem,in Rogerium Lauriam direxit.Sed Rogerius impetum contrauenientis triremis astutè deflexit.Ibi tum ingenti nautarũ clamore bellum inter vtranq; classem conseritur.Triremes Genuensium,quæ Siculis se addixerant, primo prælio secesserunt.Miserabilis subinde vtrinq; fit cædes. Iamq; Siculæ triremes, quæ vigintiseptem duntaxat numero erant, a Francorum sexaginta circunseptæ, vix illarum impetum ferẽtes, cedere cœperunt. Bencasa de Eustasio raptis spolijs,& captiuis ex vna hostium triremi,quam primo congressu deuicerat,primus omniũ à pugna discesit. Quem concito remigio sex aliæ triremes sunt secutæ. Cætera Siculorum classis quanq̃ acerrimè dimicasset, vltro in manus hostium deuenit. Ioannes Claromõtanus, Palmerius Abbas,Peregrinus de Pactis,Henricus de Incisa,Rogerius de Matino cum pluribus Principibus hoc bello sunt capti. Sola triremis signifera, qua Corradus Aurea Admiratus vehebatur,bello,& strage in defessa adhuc cedere nesciens propugnabat. Quocirca Rogerius eam rostris cõplurium triremium hinc inde allidere conatur. Quibus non proficientibus,iubet illi auersam triremem adiungi,& ignem adijcere,vt quàm ferro domuisse non poterat,flammis superaret. Quo demum metu Corradus Rogerio se victum, & debellata Friderici Regis signa,dedit. Rogerius ne omnem crudelitatis materiam prorsus à se abdicare videretur,insignes balistarios Genuenses, qui tunc in signifera Siculorum triremi reperti sunt,in vltionem patratæ in suos stragis,manibus, oculisq; mulctauit,victorq; Neapolim ad Carolum Regem nauigat. Carolus horum procerum captiuorum occasione magnam oppidorum partem, quibus illi præerant,in suam fidem transituros sperans, eos nũc pollicitationibus,nunc minis ad sententiam pertrahere conatur. Sed cum frustra laboraret, quos tenaciores est expertus,in castris Neapoli custodiendos retinuit: quos verò ad flectendũ molliores existimabat,eos in Siciliam ducẽdos Rogerio tradidit. Vbi Palmerius Abbas vnus ex ijs,quos Rogerius vana spe in Siciliam ttansuexerat, malè curatis vulneribus in mari iuxta Catanensiũ littora interijt.Cuius inferijs hostes parẽtarunt,& in maiori ecclesia sepulturæ corpus tradiderũt. Nec multo pòst Rogerius Frãcauillę oppidum,quod à Corrado Aurea minis sibi restitui frustra postulabat. Fridericus Rex ne Corradum ea causa interfici ab hoste contingeret, illi reddidit Interea Iacobus Matarazus, & Ioannes Henricus Assorini plebei cum ob mortem duorum militum coram Friderico Rege delati essent, ne debitam luerent pœnam,composito tractatu sub noctis silentium introductis hostibus Assorum oppidum tradiderunt. Sed non diu pòst cum resilire quærerent, à plebe tumultuãte in medio foro in frusta dissecti sunt.Sub idem ferme tempus Guilelmus oppidi Rahal Ioãnis Dominus nullius impulsu à Friderico Rege sola vesania ductus ad Ducem defecit,illiq; oppidum tradidit.Fridericus ne illud in medio Siciliæ situm circumadiacentia suo contagio labefactaret,repentina obsidione vallatum,oppugnatumq; demum in deditionem recepit. Mercenarius etiam quidam Zabe oppiduli incola,& custos, hostibus pretio patriam vendidit: à quibus ipse ea parte,qua proditioni aditum patefecerat,ob noctis tenebras incognitus nondum accepta pecunia peremptus est.In Delia quoq; oppidulo duo facinorosi homines,vnus Iob, alter verò Robertus nomine arcis Præfectum, cuius vxorem, filiamq; deperibant,interficiunt,votoq; potiti,ad hostes cum oppidulo,& arce deficiunt.Verùm anteq̃ præsidio Ducis oppidum daretur, Delianus quidam proditores exosus Berengarium de Intentijs militem Friderici studiosissimum clam per posticum noctu introduxit,cuins virtute oppidum ad Fridericum resilijt,authoresq; sceleris in furcam adacti sunt.Sed cum tot sibi proditiones malè cessisse Dux comperiret, cum proceribus communicato consilio Siculos tot bellis indomitos colloquijs allicere tentauit.Assumptoq; Cardinali Legato, & Rogerio Lauria classe ad vicina littoribus oppida flectenda frustra nauigauit. Interea cum triremis

triremis vna Rogerij Catana ſoluens, quæ Henricum Inciſam militem Saccitanũ captiuum,& maximam pecuniæ ſummam portabat,ad claſſem properaret,anteq̃ eò remorum ſtudijs peruenisſet,ab vna Siculorum triremi,quam obuiam habuit, ſingulari certamine victa, & Henricus libertatem conſecutus eſt. Deinde etiam dum Rogerius ſeptentrionale Siciliæ latus, Dux verò meridionale percurrunt. Ille ad Thermas oppidum in claſſem Siculam,cui Manfredus de Claromonte, & Hugo de Empurijs præerant,incidens vix hoſtium manus euaſit. Vnde ira percitus,quà venerat, regrediens Tauromenium inuaſit,& diripuit. Sed & paulo pòſt cum Dux Camerinæ littora,Rogerius verò Blori æquora ſub cancri ſydere perluſtrant:ſubita tempeſtate ille viginti duarum, hic vero quinq; triremium horrendum naufragium fecere. Sub idem ferme tempus Petrus de Caltagirone, Gualterius Bellandus,Guido Filingerius,& Petrus Frumentinus Panormitani proceres à Francis pecunia corrupti in Regis vitam coniurarunt. Quorum facinore per Todam Formentini vxorem detecto,& à captis coniuratis per tormenta exacto,Frumentino Rex ob Todæ amorem indulſit: Petrum Caltagironum authorem ſceleris capite,cæteros verò exilio tantùm mulctauit. Poſt hæc annonæ caritate Siciliã vexante,Dux,& Rogerius Meſſanam obſident, caſtra primùm ad Roccam maiorem,ſubinde ad Catunam metantur,ſed Blaſco Alagona hinc fruges ex cõfinibus afferente,inde Rogerio Brunduſio Templariorum ordinis milite cum duodecim triremibus ex regione Mazarę iuſſu Regis commeatum apportante,vrbs & fame, & obſidione leuata eſt. Quo tempore Blaſcus non ſine Regis,& Siculorum omniũ mœrore febre correptus Meſſanę obijt. Quo decedente Nicolaum Palicium Meſſanæ,& militiæ Præfectum Fridericus inſtituit. Et inde Randatium verſus diſcedens Caſtrũ Leonis in poteſtatẽ recepit. Poſt hæc vrgẽte fame dũ apud Syracuſas in arce, quam turrim Maniacis appellant, ageret, intercedente Iolanda Ducis vxore, & Regis germana induciæ per ſex mẽſes pactæ ſunt. Quarum fiducia Robertus Dux relictis Catanę Iolanda vxore, & Ludouico filio, quem ex ea in ea vrbe ſuſceperat,& Guilelmo Palloćto Præfecto conſtituto, cũ Rogerio Lauria Neapolim ad Carolũ Regẽ profectus,geſta ei in Sicilia narrauit. Elapſo deinde inducíarum tempore Fridericus Rex Aydonum oppidum obſidione, & machinis expugnauit,& paulo pòſt Raguſam Manfredo Claromonti ſuo Comiti ex Francis receptum,reſtituit. Vbi cum eſſet Rex,Riccardum Paſſanetum incorruptæ fidei virum, qui nullo munere à Guilelmo Palloćta ſororio à Friderico abduci potuit, Garſiliati Comitatus titulo inſigniuit. Interea Bonifacio Ro.eccleſiam regente maxima à Francis contra Siciliam claſsis inſtruitur, cui Carolus Regis Francorũ germanus frater præficitur, quem ſecuti Robertus Dux Calabriæ, Raymundus Berengarius, & pleriq; alij Franci proceres anno ſal. 1302. è Neapoli ſoluerunt, ac Rogerij Lauriæ ductu in Siciliam ad regionem Mazaræ nauigant. Vbi authore Simone Alderiſio Thermitano dolone, an metu, incertum, Thermas oppidum ſine prælio capiunt. Quo cognito Fridericus ſine mora Politium hoſtibus propin quum oppidum profectus ſedem ibi delegit. Carolus Thermis egreſſus Caccamũ obſidet, ſed à Ioanne Claromontano, quem ad illius defenſionem Rex præmiſerat,ſoluta ſtatione fœdè repulſus diſceſsit. Atq; inde contra Politium mouens bellum Friderico per caduceatorem indicit. Quod cum Fridericus abnueret,cõtra Corilionem proficiſcitur, atq; magna vi oppidum adoritur. Sed Hugone de Empurijs,& Berengario de Intentijs,qui ſub auſpicijs Friderici oppidum tuebãtur,omni opera obſiſtentibus cum magna Francorum ſtrage, atq; obitu etiam fratris Ducis Bramantis, quem mulier quædam è mœnibus iactu lapidis occiderat,turpiter expulſus dum contra Saccam terreſtri, & maritimo exercitu mouet, Caſtrum ad mare de Gulfo oppidulum nullo ferè labore ſubigit: Saccamq; inde terra,& mari ptinaciſsimè obſidet. Præerat oppido Fridericus de Inciſa indigena genere,

Digitized by Google

genere,& militia insignis. Is vnà cum cæteris oppidanis toto nisu obsistebat. Quorum cognita obsidione Rex Caltabellotam properat, obsessis opitulaturus. Interea Iolanda Ducis Roberti vxor, & Friderici Regis soror, quæ inter maritũ, & germanum fratrem pacem tractabat, apud Thermas oppidum immatura, & vtriq; lachrymabili morte decessit. Sæua præterea, ac dira pestis è corrupto aere Frãcorũ equos, vniuersumq; exercitum inuasit. Fridericus Rex commodam sibi victoriæ occasionem non negligens hostibus defatigatis bellũ inferre decreuit. Ex Castro nouo igitur, alijsq; vicinis oppidis comparatis militibus ingẽtem exercitũ struit. Quo cognito Carolus Gallici exercitus ductor, attendensq; quòd vel obsidionẽ soluere, vel cum maximo suorum periculo bellum intra castra expectare sibi esset necessarium, quod vtrunq; ob agnationis iura nihil nisi miserandũ euentum portendebat, tum sibi etiam ad repetendum Constantinopolitanum Imperium tempus instare considerans, pacem inter Ducem Robertũ, Carolumq; patrẽ, & Fridericum Regẽ in prædio quodã inter Calatabellotam, & Saccam, vbi Mappalia erãt Friderico & Carolo ipso vtroq; centeno cum milite, ac Roberto Duce, Rogerio Lauria, Vinciguerra Palicio, ac cæteris vtriusq; partis proceribus conuenientibus his conditionibus firmauit, vt Fridericus Aleonoram Caroli Regis filiam vxorẽ ducat, Siciliam cum adiacentibus insulis dum viuit, possideat. Calabria omnis, Appulia, & Campania Carolo liberè cedat, restitutis hinc inde proprio Regi in vtroq; regno captis oppidis. Princeps Tarenti, & alij bello vtrinq; capti libertate donentur. Comites, Barones cæteriq; proceres, qui ad hostẽ defecerant, vt agnoscerent posteritas premia, quæ debentur ijs, qui fidem suis Principibus frangere nõ verentur, rebus, ac bonis omnibus, quibus in violatis Regnis potiebantur, perpetuò priuentur. Rogerio tantùm Lauriæ castrum Acis in Sicilia, & Vinciguerræ Palicio oppidum Calannæ, Mottam mori, & Massam in littoribus Calabriæ tenere liceat. Firmata his fœderibus pace, publico metu soluti Carolus, & Robertus Dux cum omnibus Francis classem ingressi Sacca soluunt, & per meridionale latus Catanam petunt. Fridericus verò Calatabellotta discedẽs Suteram venit. Vnde Principem Tarenti, qui in arce captiuus detinebatur, solutum secum Leontinũ adduxit. Quo intellecto Robertus è Catana Leontinum ad Regem accessit, atq; inde Fridericus ipse Catanam iam triennio amissam petens medius inter Ducẽ, & Principem veluti triumphans introductus Catanenses defectionis, quam non sua, sed coniuratorum culpa perpetrauerant, veniam precantes facilè in gratiam recepit. Quos vt magis secum amore deuinciret, Catanæ resedit. Restitutisq; ibi hinc inde captiuis, oppidis, atq; arcibus, Rogerius Lauria cum pro Aci oppidulo Regi iuramentũ præstitisset, classe, Carolus verò cum Duce, & Principe, cæterisq; primatibus terrestri itinere Messanam petunt. Vnde cadauere Iolandæ ex Thermis oppido asportato cum Gerardo Cardinali Legato Neapolim ad Carolũ Regem proficiscuntur. Carolus Rex, & Bonifacius Romanus Pont. pacem ratam habent, atq; veris initio Carolus Aleonorã filiam Friderico spõsam Regio apparatu terrestri itinere Messanam mittit. Porrò Sicilia tot bellorum motibus libera in militum Catalanorũ, Aragonensium, Calabrorũ, & Siculorũ rapinas, & depræda tiones incidit. Quos Fridericus vt insulã expurgaret, cõtra Turcas, qui Constantinopolim infestabant, auxiliares misit. Post hæc verò cũ Carolus Rex cõtra Imperatorẽ Cõstãtinopolitanũ bellũ ob ius, quod in eo imperio habebat, moueret, Ferdinandus Regis Maioricæ filius à patre Imperatori in auxiliũ cum classe instructa transmissus inter præliandum captus Neapolim in carcerẽ abducitur, ad quẽ visendũ cũ Friderici patrui uoĩe Raymũdus Mõtanerius venisset, à Roberto Calabriæ Duce, qui patre Carolo Rege iã defuncto in Regno successerat, apprehẽsus, tormẽtis affectus, & longa carceris pẽssura cõtritus est. Sed qua causa, incertũ: licet non defuerint, qui quod tũ Neapoli à suo Rege defectionẽ clã tentauerit, detentũ

Digitized by Google

fuisse Montanerium perdiderint. Contigit præterea, vt post duodecimũ initæ inter eos pacis annũ, & sal. 1313. Henricus Sueuus septimus Romanorũ Imperator designatus Romæ diademate Imperij à Ro. Pont. de more coronaretur, ac tũ Robertũ Regẽ, quia per Ioannẽ fratrem plura Imperij oppida cũ multa strage hostiliter erepta tenuerat, cõtumacẽ, & criminis reũ, hostemq; Romani Imperij declarauit: eoq; nomine contra eũ proscriptionis publicata sententia, quoscunq; Reges, qui ei pacta sub quacunq; verborum forma & spõsiones fecissent, quouis etiã iureiurando firmatas, ab onere obligationis Imperiali authoritate absoluit, Regemq; Fridericũ præ cæteris in Admiratũ imperij electũ ad bellũ ei inferendũ, Regnumq; Neapolitanũ, quod tenebat, inuadendum excitauit. Hinc igitur antiquæ, atq; obducti vulneris cicatrix inter Fridericũ, & Robertũ renouata est. Fridericus partim Montanerij iniuriã prætexens, partim vt Imperatoris mandato pareret, Messanæ ingenti, ac numerosa classe structa in Calabriã transfretat, primũq; Rhegij ciuitatem non diu obsessam primo impetu capit. Vnde Calannã oppidum in sublimi situm colle, ac Mottam mori. S. Nuciti, Scylli, & Blancaria oppida vltro non expectato belli periculo per deditionẽ accipit. Dũ hæc in Calabria geruntur, Manfredus Claromontanus Comes ab Henrico Imperatore ad Fridericũ Regem mittitur, vt suspensa Calabriæ inuasione cũ parata classe Caietã nauiget. Vnde iũctis Imperatoris viribus, & Lambi de Aurea Genuẽsis classe, Roberti Regnũ inuadere incipiat. Fridericus nuntio accepto confestim classem ascendens recto cursu Caietam cursum dirigit. Verùm cum non longè a Strongile vna Aeoliarum insula iter prosequitur, Palaginus Trusellus scapha vectus cũ mœroris signis obuius Hẽricum Imperatorẽ apud Vicũ, cui Bõconuentũ nomen est, non longè a Senis morbo correptũ decessisse nuntiauit. Rex repentino hoc casu perculsus consultò Pisas, vbi partes Imperij residebant, cepto cursu cõtendit, vbi à Pisanis, & Teutonibus Regio more, sed funebri est exceptus. Sed vbi Teutones iam mœrore consternatos, & ob id ad bellum contra hostem minus aptos, Pisanos etiam labantes conspexit, ne Robertus aut corpori suo insidias, aut contra Siciliam bellum pararet, ad regnũ tuendum quàm citissimè cõuolauit. Robertus audita Imperatoris morte classem, quam in occursum Henrici parauerat, contra Siciliam dirigit. Sed ante recessum, euentus præcognoscendi cupidus dæmonem de bello cõsulit. Cui, Siciliam capies, spoliaq; ab ea referes Dæmon respondit. Hoc vaticiniũ Robertus, Proceresq; non ambiguum arbitrati læti recipiũt: eiusq; fiducia anno sal. 1314. mense Augusto Robertus Rex, Philippus Tarenti Princeps, & Raymũdus Berlengarius germani classem militibus, & omni commeatu instructam inscẽdunt, & ad littus, quod inter Hiccarim oppidulum, & Castrum ad mare de gulfo interiacet, applicant. Ibi in terram milites expositi, ac excursantes agros, Alcamẽsem mulierculam fugientem insequuntur, captamq; ad Robertum regem adducunt. Sciscitatur Rex nomen, genus, & fugę causam. Illa Siciliam sibi nomen esse, genus humile, fuga salutem sibi quæsiuisse respondit. Quo Robertus adimpletum Dæmonis verbũ, seq; ludificatũ cõtinuò cognouit. Belli tamen incepti nõ pertæsus Castrũ ad mare oppidũ obsidet, ac paucis horis Raymũdo Blãco oppidi Præfecto pecunia corrupto per deditionẽ accipit. Raymundus amisso oppido nõ ratus suũ scelus, quod clã cõmiserat, ad Regẽ penetrasse, pfricta frõte ad Fridericũ, pfici scitur. Quẽ Rex cũ tribus q ei ad facinus patrãdũ cõsenserãt, capite puniuit. Robertus Castro ad mare capto, atq; munito, Drepanũ petẽs terrestri naualiq; exercitu circũsedit. Porrò Fridericus ne hostiles copię liberè p Siciliã discurrerẽt, accitis Regni proceribus, & militibus cũ Ferdinãdo Balearũ ĩsularũ Regis filio ad Erycẽ vrbẽ festinat. Quo accesu factũ ẽ, vt Frãci neq; tutò ab obsidiõe discedere, neq; vicina littora puagare posset. Erat iter Frãcos Galeacius vir militia, & aio ĩsignis. Is armis toto corpore micans primus oppidũ aliquot cum militibus adoriri, atq;

aggere

aggere ſub mœnibus excitato conſiſtere auſus eſt. Cui cum ex Drepano ſex viri clypeati primo concurſu in hominem tela eminus iacientes erumperent, fruſtratiſq; iactibus, comminus hoſtem petere cogerentur, Galeacius claua propugnans hos ſternendo, illos eijciendo tametſi ex mœnibus ſecũdo & tertio in eum hoſtes conueniſſent, illæſus ipſe perſtitit. Quem cum viribus ſuperare nequirent, ad inſidias ſe conuertunt. Indignum nãq; rati tot viros vni Gallo ſuccumbere, ferreum è muris aduncum inſtrumentum excogitarunt, Arrampantum a Frãcis vocatum, quod telo impoſitum in Galeacium incautum, turbæ ſub mœnibus propellendæ intendentẽ, iniecere: quo ille implicitus demum in hoſtium manus venit, quem mox non viribus, ſed ingenio humi proſtrauerunt, & quem viuentem non poterant, proiectum diuerſis vulneribus confodiunt, ac demum occidunt. Robertus Rex viri inſignis cadauer multo pretio redimere conatus à Drepanitis repulſam paſſus eſt. Interea hyeme ſæuiente cum Franci nullis, vel raris tugurijs defenderẽtur, imbribus madefacti, ac commeatu etiam deficiente inedia laborabant. Quo effectum eſt, vt in morbos varios inciderint. Fridericus hoſtium vires confractas conſpiciens terra, & mari, vno eodemq; tempore eos inuadere decernit. Claſſem igitur ſexaginta quinq; triremium, quam in portu Meſſanæ paratam habebat, Panormum venire iubet, milite complet, eiq; Ioannem Claromontanũ præficit: atq; vt Bonagiæ oram acceleret, imperat. Terreſtrem quoq; exercitum per montis Erycini decliuia duxit. Robertus de Siculæ claſsis aduentu certior factus claſſem ſuam & ipſe ad bellum parat, eiq; terreſtres copias colligatis pontibus coniungit. Dum ſeſe hoc modo ad certamen Reges accingunt, repentinus Auſter Siculorum claſſem adoritur, quæ ad vitandum naufragium vento cedere coacta, in Panormitana littora in columis quidem ipſa, ſed a nautis commeatus defectu, tempeſtatisq; impatientia deſeritur. Nec minus apud Erycem in caſtris annona defecit. Sed nihilo ſecius in ſtationibus, nauibusq; Roberti ſæuitum eſt, plures nãq; triremes, ac Gerardus quoq; Coriliani Comes, alijq; complures Proceres, & nautarum ingens multitudo eo naufragio perierunt. Idcirco Reges neceſsitate compulſi quatuordecim menſium inducias firmarunt. Robertus tot malis attritus terreſtri itinere Meſſanam, atq; inde claſſe, quam ex naufragio ereptã inuenit, Neapolim profectus eſt. Fridericus abactis hoſtibus ad loca rei frumentariæ minus indiga conceſsit. Inducíarum deinde tempore elapſo Caſtrũ ad mare de Gulfo obſidet, expugnat, ac funditus delet. Robertus horũ ignarus claſſem triginta duarum triremium, vt Caſtro ad mare ſuccurrat, parari iubet. Cui Rogerium de Caſtro Cucco Præfectũ inſtituit. Is vero cum ſuſcepto itinere littus inter Mylas, & Oliuerium attigiſſet, vbi euerſum oppidum comperit, Neapolim ad Robertum Regem reuertitur. At neq; multo pòſt Robertus claſſem eandem Thoma Marchiano Squillacij comite Admirato cõſtituto cõtra Lilybæũ mittit. Thomas Marſalã oppidũ dura obſidione premit, ſed Frãciſco Vintimilio Giracij Comite, & Giliberto Appello oppidũ ſtrenuè tutantibus, Thomas fœde inde ſoluit, & ad littora Caſtri ad mare claſſem trãſmittit. Ipſe verò terreſtri exercitu Siciliã excurrit, Salemi oppidũ fruſtra aggreditur, agrosq; eius vaſtat, & incẽdit. Caſtrũ veterañ quoq; oppidũ viris deſertũ diripit. Mazarã poſtea ꝓfectus dũ peditatu, & equitatu cuncta populatur, Bartholomeus Saginulphus Comes, & Bartholomeus de Mõte aperto, qui Mazaræ præerãt, vrbe egreſsi cũ equitibus palantes Frãcos terga vertere cogũt. Frãci pedites varijs ſpolijs ditati, ne ab equitibus Mazarẽſibus, in quos inciderãt, caperentur, in manus ſuorũ captiuorũ ſe dedidere. Saccã deinde Thomas ꝓfecturus arcẽ Burgettum fruſtra oppugnat. His geſtis Caſtri ad mare ripas, quò claſſem p̃miſerat, petit. Vbi claſſem inſcẽdẽs in Panormitana littora delatus milites ĩ terrã exponit, ſegetes, arboresq;, ac palmas ingẽtes, q̃ iuxta põtẽ Admirati erãt, ſuccidit, incenditq;, agrosq; omnes vſq; ad Soloentum excurrens

incendio fœdat. Inde ad Messanensium littora nauigat, pari modo in agros sæuiens: nec diu moratus metu classis Siculæ, quæ cum Friderico rege Messanæ consistebat, relicta Sicilia Neapolim refugit. Post hæc anno sal. 1317. defuncto Clemente Romano Pont. Ioannes vigesimus secundus sufficitur, qui pacem inter Fridericum, & Robertum Reges his legibus proposuit, vt Fridericus Rhegium, & cætera Calabriæ oppida Henrici Imperatoris nomine occupata Pontifici restituat, & freti angustiæ Roberti, & Friderici Regnorũ sint termini. Cum his conditionibus Stephanum Episcopum Tercensem, & Petrum textorem singularis prudentiæ viros ad Fridericum Legatos misit. Paruit Fridericus Pontifici, & oppida sibi restituit. Quæ ille recepta continuò Francorum Præfectis administranda dedit. At cum pax à Pontifice per Legatos decreta differretur, Fridericus Franciscum Panormitanum Archiepiscopum, & Franciscum Vintimilium cum quinq; triremibus pro pace sibi ab eo promissa oratores mittit, qui tergiuersationibus à Pontifice, vel Robertum, vel eius nuntium ad diem præfixum expectari respondẽte, decepti, cũ nec Rex, nec quisq̃ ex eius Legatis adesset, re infecta in Siciliã sunt regressi. Interea Genuæ orta inter de Aurea, & Spinulos Gibellinos vrbe expulsos, & Grimaldos, Fiscos, & Malaucellos Guelfos, qui dominabantur, seditione: Guelfi Robertum ad sua auxilia. Gibelliui verò Fridericum euocarunt. Anno itaq; sal. 1320. Fridericus Rex cum quadraginta triremium classe contra Genuam soluit. Sed dum littora Calabriæ excurrit, Policastrum oppidum euertit. Deinde oppidum Vultirum non longè à Genua inuadit, ciues in eo Guelphos trucidat, ipsamq; postea Genuam adortus frustra præualentibus Guelfis oppugnat. Tandem labore attritus in Siciliam cum classe reuertitur. Vbi pecuniæ egestate coactus ad prouentus sacros manus iniecit: quo a Pontifice diris vnà cum Siculis omnibus execratus est. Qui subinde anno sal. 1321. Petrum primogenitum conuenientibus Panormi Siciliæ proceribus consortem Regni asciuit, ac diademate insigniuit. Robertus anno postmodum sal. 1325. centum & tredecim triremes præter naues onerarias parat, Ludouicum Calabriæ Ducem, quem ex Iolanda Friderici sorore susceperat, contra Panormum classi præficit. Cuius aduentu præcognito Fridericus Rex Blascum de Alagona illius superioris Blasci, qui quondam sub grauioribus periculis causam Siculorum fortiter tutatus fuerat, nepotem, Petrum Antiochiam Cancellarium, Ioannem Claromontanum Iuniorem, quem paulo ante Motycæ Comitem instituerat, & Simonẽ Valguarnerã, pluresq; alios primates, ac sexcentos equites selectissimos Panormum præmisit. Erant præterea in eadem vrbe Ioannes Claromontanus senior, qui longo tempore Panormo præfuerat, Matthæus de Sclafano, Nicolaus, & Henricus de Abbate germani fratres, Ioãnes de Carauellis, alijq; Panormitani ciues, & populares animo integro, & impigro, belloq; assueti, qui omnes hostiũ aduentũ impauidis animis expectabant. Tandemq; Ludouicus, quem plurimi Neapolitani proceres sunt secuti, Panormum appellit, milites in terrã exponit, agrum Panormitanũ, & Cubã Regiũ pomarium vastat, arbores domesticas succidit, ædes sacras, quæ extra mœnia stabant, diruit, ex quarum ruinis aggeres excitauit. Deinde partem vrbis veterem, quam Cassarum appellant, magna vi adoritur, machinis omnibus, missilibus, arietibus vrbem toto triduo concutit. Ad portas etiã Thermarũ, Græcorum, Mazaræ, & Ycarinis bellatores adhibet. Cathenã præterea, quæ vrbis portum claudit magna vi infringere conatur. Ioannes Claromõtanus, ac cæteri optimates, ciuesq; inuictis animis, viribusq; obsistebant: propugnacula, mœnia, portasq; nõ modò tutabantur, & stationes seruabant, sed in hostes quoq; lapidès, sagittas, ignes, & cætera bellicæ artis instrumenta viriliter eijciebant. Proinde vtrinq; efferato congressu dimicabatur, sed in vrbe bellum intestinum fames excitauit. Cui cum Ioannes de Claromonte, qui suis primùm, ac deinde

vniuersis

vniuersis vrbis horreis apertis, frumentisq; populo famescenti moderata largitione distributis pro virili succurrisset, ipsa fortuna præsentius remedium concinnauit. Robertus nanq; Rex obsidionem in longum pertrahi animaduertens, veritus ne filio, & classi siniſtri aliquid euentus accideret, per literas soluere stationes, Siciliamq; inde populari, & incendi iubet. Dux patris iussa, licet ægrè exequitur, obsidionem soluit, Siciliam excurrit, per segetes, agros, vineta, à regione Mazaræ ad Syracusas, & Messanam vsq; flammis, ferroq; crudeliter grassatur, ac inde Neapolim reuertitur. Sed non diu Sicilia quieuit. Siquidem anno salutis. 1326. Robertus Rex Beltrandum de Blasco Montis Canosi Comitem, & eius sororium cum classe octuaginta triremium cõtra insulam rursus mittit, ad promõtoriũ Soloanti ille applicat, Thermas oppidũ petit, suburbium populatur, & exurit. Inde Messanam nauigat, quam prætergressus Acim oppidum capit, incẽdit, & in cinerem vertit. Inde Thermas eodem cursu regressus milite in terram exposito Ciminnã. 6. p. m. à mari distãs oppidũ tẽdit, inuadit, diripit, & igne vastat. Panormitanis postea agris leuia damna inferens Neapolim ad Robertũ Regẽ recurrit. Anno deinde sal. 1327. cum Robertus animo firmatum haberet singulis annis circa messis tempora Siculorum agros flammis exurere, vt rei frumentariæ cladibus attriti ad deditionem vltro Siculi compellerentur. Rogerium Sanguinetum Coriliani Comitem cum classe ad comburenda Siciliæ arua transmisit, & post eum Barbauayram Genuensem cum triremibus decem & nouem. Huius aduentus cũ circa oppidũ Augustã percrebuisset, Blascus Alagona, qui Catanæ præerat, Augustam petijt, noctuq; ad locum latebrosum, quo ad mare ex oppido hostis trãsiturus erat, in insidijs delituit. Igitur dum ille cum nautis ad mare contendit, Blascus cum militibus è latebris egressus, reditu hostibus præcluso eos fugam potius, q̃ arma parantes adoritur. Vbi inter nautas, & milites bello inæquali conserto plurimi Genuenses trucidantur: Barbauayra multis vulneribus confossus capitur, & duro carceri mancipatur, classis verò inordinato remige paucis militibus, & sine Duce Neapolim ad suos euasit. Post hæc anno salutis. 1328. Fridericus Rex Ludouico Duci Bauariæ, qui Romanorum Imperator electus contra Fridericum Ducem Austriæ coelectum Imperatorem competitionis nomine sæuissimum bellum gerebat, adhæsit. Cui cum Imperator abrogato Ioanne vigesimo secundo Romano Pontifice, Nicolaum Franciscanum, quem eccclesiæ Romanæ suffecerat, adorandum proponeret, Fridericus ab Ioanne tametsi Roberti studiosissimo sibiq; infensissimo nunq̃ abhorruit sed libere imperatori rescripsit, se cum eo in temporalibus, & non in spiritualibus fœdus inijsse. Subinde Fridericus iussu eiusdem Imperatoris cum quadraginta triremibus paratis, quibus Genuensium triginta triremes sunt additæ, contra Robertum Regem Petrum filium confestim misit. Quem Ioannes de Claromonte, Blascus de Alagona, Matthæus Palicius, Rogerius Passanetus, Matthæus de Sclafano, Petrus Lancea, Russus Rubeus cum nõnullis alijs Siciliæ primoribus sunt secuti. Petrus Igitur littora primùm Caietana, & Isclæ insulæ attingẽs cuncta incendio absumit, oppidum deinde Asturum oppugnatũ ad deditionem compulit, ac demum in Corradini vltionem igne perdidit, Nactunũ quoq; oppidũ, quod ab eius domina viro orbata vicino Asturæ metu perculsa acceptum Petrus, sub eius tutela reliquerat, Genuẽses præfecti humanitatem Petri irridẽtes, cum triremibus triginta adorti ad fundamenta vsq; concremarunt. Dum hæc geruntur: nuntius repente Petro aduenit, Ludouicum Roma egressum Cornetum petijsse, vrbemq; Romam Imperatori Friderico coelecto cessisse. Petrus, qui consulto Ludouicum adire decreuerat, vi tempestatis coactus ad Herculis portum aliquandiu constitit, atq; ibi ne stationem in otio haberet, non longè a portu Vrbitellum lacu circunseptum oppidum, scaphis è littore ad lacum vsq; in humeros

Digitized by Google

apportatis, quibus ad mœnia traiecit, magna vi aggreditur, oppugnat, ac ignem in portas oppidi immittit, oppidanisq; contrà se opponentibus quidem, & Siculos è muris eijcere, ignesq; extinguere frustra conantibus, quà turma bellatorũ, & nautarum foris prævalebat, vi misilium, machinarumq; capit, populatur, & flãmis incendit. Contra insulam postea, & arcem Telamonis Petrus profectus non minus sæuijt. Post hæc anno sal. 1329. Friderici imperio. 4. Cal. Iulij. Aetna Siciliæ mons mire conflagrauit. Subinde anno sal. 1333. Ioannes, & Blascus filij Caleocti Floriaci Franci arcem Castri ad mare Panormi Roberto Regi prodere statuunt, pacta cum Rege mercede, & duabus triremibus ad id clam ab eo missis. Erat etenim alter eorum ob commissum crimen in ea arce carceri addictus, quo cum alter frequenter uisendi fratris prætextu conueniret, ex ijs, qui stipendio ducti arcem custodiebant, cõiurationis socios plures conciliauit. Cum quibus ob seruata oportunitate Præfectum noctu nulla suspicione præcautum, illiusq; comitem interficiunt. Cuius facti mox ex arcis muro per faces dato signo, triremes Roberti duæ, quæ ad montis Peregrini littora aduenerant, statim adsunt, milites, & ad bellum oportuna, quæ attulerant, in arcem ingerunt, eamq; capiunt. Quo paulo pòst Robertus triremes sex alias commeatu, & militibus instructas ad munitionem trãsmisit. Quo cognito Fridericus Rex è Messana statim Petrum de Antiochia, & Ioannem Claromontanũ Panormum misit. Qui machinis, & missilibus arcem aggressi muris euersis eo pacto arcem receperunt, vt liberè Franci cum octo triremibus, quas habebant, Neapolim reuerterentur. Sed restituta arce Franci inter abeundum littora Siciliæ meridionalia percurrentes inter Alicatam, & terram nouam milites in terram exposuerunt, & mediterranea ingressi Buteram oppidum repente adoriuntur. Quod è periculo frequens Siculorum accurrẽtium multitudo vix eripuit. Post hæc anno sal. 1334. defuncto Ioanne vigesimo secundo Romano Pont. extinctis ante obitum censuris, & diris, quibus Siciliam implicuerat, sacra omnia, ac Missæ, quibus Friderico & Siculis per multos annos fuerat interdictum, vbiq; celebrari cœperunt. Ad Benedictum Romanum Pontificem post Ioannem electum, quem ante initum Pontificatũ sui stultioſum Fridericus cognouerat, oratores deinde pro pace cum Roberto componenda pluries misit. Sed Benedictus non minus, q̃ anteceſſores Friderici causam abhorrebat. Interea Franciscus Vintimilius Giracij Comes Constantiam Ioannis Claromontani Motycæ Comitis sororem vxorem duxit, qua ob sterilitatem repudiata, pellicem vxorem sibi adsciuit. Sed Ioannes cum iniuriã vlciſci animo statuisset, & Frãciscus apud Regem authoritate cæteros Proceres anteiret, ira percitus relicta Sicilia ad Ludouicum Imperatorem se contulit, & paulo pòst pluribus Teutonibus ab eo impetratis ad iniuriam vindicandam redijt. Sed Fridericus Rex aduocato Francisco Comite, & Ioanne Claromontano seniori Ioãnis Comitis patruo reconciliationem tractare cœpit. Ioannes verò & contra datam Regi fidem Franciscum Panormi inuadit, ac gladijs non quidem letaliter ferit. Quod cum Franciscus apud Regem questus, in eum, cuius fide protectus deambulabat, iniuriam reijceret: Fridericus clientelæ iudicio Ioannem exilio mulctat, qui cum in sua se recepisset oppida, Fridericusq; Rex contra contumacem bellum pararet, Aleonorę Reginæ, quę reditum ei pollicebatur, consilio, relictis Regi oppidis ad Ludouicum profugit. Sed cum tandem Ludouico etiam intercedente reditum in Siciliã à Rege impetrare non potuisset, desperatione ductus ad Roberti Regis stipendia defecit. Robertus huius apud Siculos fauore fretus statim classem instruit, cui Coriliani Comitem, & Ioannem ipsum præficit, ac contra Fridericum anno salutis. 1335. emittit. Siciliam aduecti milites ad Manescalcum fl. quem Magnum hodie appellant, non longè à Thermis in terram exponunt: Brucatum oppidum illi imminens tentando operam amittunt. Inde terrestri itinere magno cum exercitu

abeuntes

Digitized by Google

abeuntes regionem Mazaræ excurrunt, cunctaq; ibi hostiliter populantur. Alicatam postea Petri Lanceæ, & Martini Capicij, aliorumq; militum præsidio munitã frustra obsident, & oppugnant. Soluta obsidione Agrigentinis, & Saccitanis eorũ agrorum vastatione, incendijsq; plurima damna intulerunt. Marsalæ postea, & Drepani agros peragrantes obuia quæq; ferro & igne absumebant. Ad Panormitana demum littora venientes cum ibi sexdecim Catalanorum triremes, quibus Raymundus Peralta præerat, offendissent, seu metu perculsi, seu belli tædio affecti Panormitanis agris intactis Neapolim ad Robertum redierunt. Ioannes Claromontanus quamprimum Neapolitana littora attigit, insalutato Rege ad Ludouicum Imperatorem reuersus est. Interea Fridericus Panormi mœnia restaurat, & amplificat, Petro eius filio rem perurgente, Guilelmoq; Tagliauia, & Raynaldo Iaconia militibus operi præpositis. Saccam præterea oppidum amplificatis mœnibus in eam formam, qua est hodie, redegit. Eadem ferè tempestate in Lotophagite, Gerborum insula hodie dicta, quæ Friderici Regis imperio parebat, cum Siculi Sarracenos vectigalibus plus æquo vexantes, primorum quendam inter eos virum auri ditissimum, quo auaritiæ suæ satisfacerent, sine vlla vel indicijs declarata proditionis suspicione, falsò insimulatum morte mulctassent, Sarraceni corã Friderico Rege iniurias suas conquesti, & ab eo, quippe qui iam aulicorum rationibus circumuentus, suorum facta omnia rata, firmaq; habebat, inauditi conceptum mentis vulnus Punica fraude tantisper prætexerunt, dum Gerbos reuersi populum ad seditionem (excusso Friderici imperio) concitauerunt, ac Regi Tuneti se subigentes, Christianos, qui iam ad arcem se receperant, obsederunt. Fridericus his per certum nuntium cognitis triremes quinq;, & nauigia alia ad suorum subsidia militibus instruit, Raymundum Peraltam classi præficit, & ad insulã mittit, Raymundus cum classe ad arcem obsessam applicat, in obsidentes Sarracenos irruit, rẽ dissipat, hostes depellit, arcẽ ipse septuaginta cũ militibus ingreditur, obsessis opem fert, & animos facit. Iamq; Sarraceni metu perterriti ad Friderici fidem reuerti animo statuerant, sed mox: Martinus Coxa ex Iscla oriundus à Roberto Rege missus cum sexdecim triremibus adest: & inito cum Sarracenis fœdere arcem cum illis oppugnat, duas ex quinq; Raymundi triremibus, ac naues alias capit, sæuam Siculorum cędem facit, machinas, munitiones, & arma, quæ in triremibus captis repperit, Sarracenis in Christianorum excidium pretio vendidit. Quo facto Neapolim triremibus, spolijs, captiuisq; infando bello captis ad Robertum victor impudens redijt. Raymundus quoq; spe amissa, clàm obsessis relictis arce egreditur, & cum tribus triremibus in Siciliam reuertitur. Sarraceni ita adiuti resumptis viribus arcem magis, magisq; oppugnant, ex obsessis plures occidunt. Inter quos & Petrus cognomento Sarroca cecidit, quem Fridericus arci iam olim præfecerat. Christiani obsessi annis duobus, & mensibus sex vltra q̃ natura pati videbatur, obsidionem pertulerunt, donec tandem pluribus fame interemptis, qui superfuerant vix ossibus hærentes, arce capta in manus Sarracenorum deuenerunt. Nec multo pòst in Sicilia Fridericus Rex dum Ennam petit, in ipso itinere Ioannem filium, Marchionem Randatij, Menei Comitem Vallis Castrileonis, Francauillæ, Traynæq; Dominum, Guilelmum alium filium Caltasimi, & oppidorum vsq; ad Iulianam adiacentium Ducem, Fridericum Antiochia Petri filium nobili exortum genere, cuius patrem licet egenum, & peregrinum in Siciliam aduenientem Rex educauerat, & pluribus honoribus insigniuerat, Capitij Comitem, & Franciscum Vintimilium Giracij Comitem instituit. Ennam deinde, vbi cum summo desiderio æstiuare solebat, appulsus, sexagesimũ quintum agens annum senio, & labore confectus morbo letali corripitur. Quem vt sensit, Catanam statim lectica se apportari iussit. Sed ægritudine in itinere inualescente, vix Paternionem venit, cum ædem. D. Ioannis Hierosolymitani nõ procul

ab

ab oppido ingressus, sumptis de more sacris, anno sui regni quadragesimo, salutis verò. 1336. 12. Cal. Iulij decessit, princeps, cui & ob ingentes animi dotes, & obseruatam maximis laboribus insulam, Siculi adhuc plurimum debent. Eo ægrotante, inter Austrum, & occidentem cometa Regis obitus præsagus apparuit. Donatus quoq; Brundusius medica arte insignis Regem in templo Hierosolymitano interiturũ multo antè vaticinatus edixerat. Catanã cadauer deductum, in arce vrbis primaria, quam ab Vrsino vocant, noctu deponitur. Illucescente postea ad templum maximum. D. Agathæ sacrum, Siculorum longo ordine, regio more tumulatum, hoc disticho adhuc insignitum cernitur.

Sicaniæ populi mœrent, cœlestia gaudent
Numina, terra gemit, Rex Fredericus obit.

DE PETRO SECVNDO SICILIAE REGE. CAPVT QVARTVM.

PERACTO publici, ac Regij luctus funere, Petrus eius filius huius nominis secundus maximo omnium gaudio Siciliæ Rex salutatur. Qui suscepto statim Regno liberalitate, & humanitate Siculos ad sui amorem pellexit, vt regnum, quod pater multo labore tutatus fuerat, benignitate sibi conseruaret. Russum Rubeum Messanensem, Matthæũ Palicium, Guilelmum Raymundum Montecatinum, & Scalonum de Vbertis Comitatus titulis in eodem templo maximo Catanensi vexillum singulis Regio more tribuens insigniuit. Nec diu hæc quies Regno stetit. Nam disidia inter Franciscum Vintimilium Giracij, & Isclæ maioris Comitem, & Matthæum Palicium, Ioannemq; Claromontanũ sub Friderico Rege cœpta, quæ illius imperio subsederant, sub nouo imperio foras erupere, adeo, vt in Franciſci caput Matthæus, & Ioannes conspirantes, nihil nisi occasionem quærerent, qua hostem insidijs interciperent. Petrus Rex odiorum inter suos ignarus pro componendis Siciliæ rebus conuentum Catanæ proceribus indicit, quò ex industria à Damiano Palicio Regis Cancellario, & Matthæo Palicio Comite, Magistro Rationali germanis fratribus Regis collateralibus, Franciscus Regis nomine per literas vt coram adesset, accersitus, Catanam quidem, veritus ne illorum fraudibus, quorum exploratissimum habebat animum, se inferret, venire distulit, secreto tamen per literas Regi se purgãs ad S. Anastasiæ arcẽ, quam Mottã appellãt, se cõtulit: vbi aduentum eius se expectaturũ præmiserat. At dũ Mottæ agit, ex aulicis Regijs pleriq; eius amici cõiurationẽ à Palicijs cũ Ioãne Claromõtano initã, paratasq; ei insidias aperiunt, & vt sibi cõsulat, monẽt. Quibus ipse auditis Mottã minimè sibi tutã sedẽ ratus, Frãciscum filium, quem Golisani Comitẽ constituerat, & ob impubertatem Siculo more Franciſchellum vocabat, periculoso morbo correptum simulat: quò se vocari paterno affectu dictitans, non expectato Regis responso Giracium cõcessit. Displicuit quidem Regi discessus iste festinus, animumq; nonnihil ab eo alienauit. Sed cum Franciscus vt Giracium appulit, Regis iram occupauit. Paliciorum coniurationem in se omnem per certum nuntium illi credidisset, recepit Rex benignè iustam excusationem. Quocirca conuersus ad componendam inter eos affinitatis etiam vinculis pacem, Messanæ, vbi conuentum habiturus erat, Franciscum sua fide vt adesset, hortatur, & vt sibi fidelitatis iuramentum præberet, scripsit. Sed hic (qua ratione incertum) Messanam ire noluit. Hinc iustiorem in se Regis iram concitauit. Celebrato concilio cum Catanam Rex reuersus esset, Frãciscus

Digitized by Google

ciſcus Catanam Franciſchellum filium, qui pro patre apud Regem cauſam ageret, miſit. Rex Franciſchellum ſtatim cum proceribus omnibus, qui cum eo venerant, in arce Catanenſi carceri addixit. Venerat cum Franciſchello Romoaldus Ruſſus Cephaledenſis Franciſci Comitis oeconomus. Hunc Rex Paliciorum ſuggeſtione torquet vt pertinaciæ Franciſci cauſam ab eo ediſceret. Ille Franciſcũ Comitem, & Fridericum Antiochiam Capitij Comitẽ in Regem coniuraſſe, & ad Robertum Regem defeciſſe confictam proditionis cauſam, ordinem, ac literas Roberti, & Franciſci vltro, citroq; tranſmiſſas tormentis actus patefecit. Quibus cognitis Franciſcus animo conſternitur, & veniæ deſperatione cum oppidis, Caſtro Bono, Goliſano, Gratterio, Giracio, Pollina, Monte Sancti Angeli, Maluicino, Tuſa, Caronia, Caſtellucio, Sancto Mauro, Petralia ſuperiore, Petralia inferiore, Gangio, Sperlinga, Pettineo, Bilicio, Phiſaule, & Criſtia quæ ſub ſua ditione habebat, anno ſalutis. 1337. à Petro Rege deſciuit, & ſubinde oppidum Rahal Ioannis, quod Regi parebat, auxilio, atq; tractatu vicinorum Gangenſium inuadit, fibiq; occupat. Fridericus quoq; Antiochia, qui oppida Miſtrettam, Capitium, Serrauallem, Guzettam, Caſtrum ad mare de Gulfo, Burgettum, Caltabillottam, Calatubum ſub ſe tenebat, cognita Romoaldi confeſsione confeſtim & ipſe cum ſuis, & Margarita de Oſulo eius vxore, & Franciſco & Simone de Antiochia cõſobrinis ſuis à Rege defecit. Petrus Rex cõperto proditionis facinore, illorum repreſſurus audaciam, Franciſchello, Romoaldo, & cæteris Franciſci miniſtris ſub Rogerij Paſſaneti Comitis cuſtodia in arce Leontina relictis, Nicoſiam cum exercitu contendit. Vbi in publico procerum conuentu Franciſcum Vintimiliũ proditorem in area D. Nicolai per Blaſcũ Alagonam Siciliæ Magiſtrum Iuſtitiarium, ac Iudices magnæ regiæ curiæ ſalutis anno. 1337. pridie Cal. Ian. perduellionis reum agit. Vbi etiam Ioannes Claromontanus Motycæ Comes per Fridericum Siciliæ Regem Petri Patrem olim damnatus recognitis a Rege illius libellis à crimine, & labe eodem die abſolutus Motycæ Comitatum, & Raguſam oppidum, & cætera, quæ antea poſsidebat, præter oppidum, & arcem Caccabi recepit. Poſtridie verò, qui ſecũdus Ianuarij dies extitit, Rex Fridericum Antiochiam, Franciſcum Antiochiam, & Manuelem, Frãciſcum, Aldoinum, Philippum, Iordanum, Fridericum, cæterosq; Franciſci Giracij Comitis filios proſcripſit, ac proditores per ſentẽtiam in eadem area declarauit. Quibus geſtis Catanam reuerſus oppidum Calatabillottæ, Calatubum, Caſtrum ad mare de Gulfo, Burgettum, & pleraq; alia Friderici oppida Raymundo Peralto Regis conſanguineo, Regniq; Aragonum Admirato ſub titulo Comitatus Calatabilottæ tradidit, prout eius diplomate dato Catanæ decimo Ian. die. 1337. conſtat. Subinde inſtructo exercitu contra Franciſcum Vintimilium, qui in arce Giracij ſe munierat, ex Catana ſigna mouet. Cumq; Nicoſiã veniſſet, Sperlingam petijt, paruoq; negotio eã expugnauit. Gangiũ ſequenti die, qui Ianuarij vltimus fuit, pfectus per deditionẽ accepit. Cuius exẽplo Goliſanũ, & vtraq; Petralia ei ſe ſubmiſere. Giraciũ mox, vbi Frãciſcus cũ duobus filijs, & Roberto Cãpulo Meſſanenſi Cephaledenſi Epiſcopo totius proditionis authore ſe munierat, venit: Franciſcum per nuntios ad deditionem hortatur. Quam ille ea lege amplectebatur, vt Rex cum omni ſuo exercitu præter Palicios oppidum ingrederetur. Cui rei cum Rex per literas annuiſſet, Robertus Cephaledẽſis Epiſcopus cõtumelijs in Franciſcum verſus Regijs literis diſciſsis fraudem ſubeſſe, nec Regi credendum clamitat, ſed vitam armis defendendam ſuadet. His Franciſcus ſtimulis agitatus mutato conſilio ad arma ruit, oppidum, & arcẽ ad bellum parat. Quo cognito Rex oppido appropinquat, oppidani viſo Rege nomen eius inuocant, ad cuius fidem ſe paratos conclamant. Franciſcus contrà equo inſiliens, claua ferrea plebem in ſua fide continere fruſtra anniteus, cum magis, magisq; multitudinem

à ſe

à se ad Regem inclinari videt, ne a suis quidem tutus, in arcem, quam munitissimam habebat, se per viam arctam, quæ iuxta ædem. D. Iuliani est, recipere tentat. Sed cum lignorum, ac vegetum strue impeditam penetrare nequisset, quid in tãto rerum discrimine agendum sibi esset, prorsus ignarus, fugam, quam Oliuerius Bulturachius ex familiaribus vnus cõsuluerat, extra oppidum capit. Sed dum salu ti studet, ab hostibus agnoscitur, quem statim Franciscus Valguarnera è Regijs militibus Catalanus genere insecutus, euadere per deuia conatum, in præceps cum equo dilapsum in loco mille passus ab oppido distanti comperit, siue (vt alij scribunt) à duobus adolescentibus militiæ rudibus, in quos inciderat, trucidatũ armis spoliauit, corpusq; eius adhuc palpitans multis ictibus pugione cõfodit, ac veluti à se captũ & occisum ad caudã equi vinctum ad Regem pro mœnibus oppidi adhuc cum exercitu herentem, detulit. Vbi humi proiectum, atq; nudum in frusta milites secant, oculos euellunt, caput, nares, manus, & pedes præcidunt, tãtaq; in mortuũ crudelitate sæuierunt, vt ne visceribus quidem pepercerint. Quorum sæuitiam abominatus Rogerius Passanetus Comes cadauer ita in frusta secatum in æde. D. Bartholomei consensu Regis tumulari curauit. Giracienses audita Comitis morte statim apertis portis Regi se dedere. Qui cum exercitu oppidum ingressus, arceq; potitus maximam auri vim ibi repertam militibus distribuit: Emanuelem Francisci filium in Menei arcem detrusit, cęteros quoq; vtriusq; sexus illius liberos in alijs Siciliæ arcibus carceri addixit, Romoaldo Cephaledẽsi Episcopo præcipuo factionis capite edomito. Rex deinde contra Mistrettam exercitum mouet. Vbi Fridericus, & Franciscus Antiochia alij perduelles se præsidijs munierant. Hi clade Francisci cognita statim ea lege Regi cesserunt, vt liberè sibi quo vellent, Sicilia abeundi facultas daretur. Qua habita, sexto id. Febru. Thermas veniunt, atq; inde sumpto nauigio Amalphiam, & mox Neapolim ad Robertum Regem se conferunt. Is Friderici aduentu mirum in modum gauisus eum excepit q̃ benignissimè, sperans hoc Duce aliquando se Sicilia potiturum. Dum huic bello fœlicibus auspicijs Petrus incumbit. 4. Februarij die ex Elisabeth Regina Catanæ Ludouicum filium suscipit, cuius gaudij testimonio Rex Catanam reuersus vrbem natalem ab hospitum, & militum in proprijs ædibus solita hospitalitate, & vectigalibus liberam fecit, prout eius diplomate dato Catanæ constat. Et Elisabeth Reginæ in dotis augmentum Comitatum Giracij contulit. Damianum Palicium regni Cancellarium, Vicariumq; instituit. Nec interea minus Fridericus Antiochia Neapoli Roberti Regis animum ad Siciliam capessendam incendere destitit. Qui statim quinquaginta triremium classem instruxit, illiq; Carolum Artum Spurium fratrem præfecit, cui Fridericum Antiochiã, Aldoynum Vintimilium Francisci Comitis filium, Comitem S. Seuerini, Comitem Coriolani, ac ducentos alios equites cum delecta militum manu socios addidit. Neapoli igitur illi soluunt, & secũdo vento ad littus, cui Manisalco olim, & Auricellæ, sed Rocellæ hodie corruptum est nomen, non longè à Cephaledi mense Maio applicant. Militem omnem in terram exponunt, Golisanum petunt, & paruo labore capiunt. Sequenti die Gratterium proficiscuntur. Oppidani vt Aldoynum viderunt, quem Francisco patre viuente dominum agnouerant, confestim portas oppidi aperiunt, atq; in illius fidem redeũt. Inde Brucatum veniũt, oppidum capiunt, & postremò Montem S. Angeli etiam adipiscuntur. Captis his oppidis, & omni cõmeatu munitis, terrestriq; exercitu apud Brucatum in illius, & aliorum oppidorũ præsidium relicto, Carolus cum classe, & proceribus ad maiorem bello futuro vim contrahendam Neapolim ad Robertum redeunt. Vnde militum, armorum, & commeatus omnis magna instructi copia mense Iunio, Rege regressum vrgente in Siciliam, & circa Thermarum littora rediuere. Vbi expositis ad bellum necessarijs, oppidum obsident, oppidani aquæ inopia deuicti

octo

Digitized by Google

octo dierum inducijs impetratis elapſiſq; deditionem fecerunt, arce duntaxat inuicta acerrime obſiſtente, quam cum aliquandiu hoſtes fruſtra oppugnaſſent, menſe Aug. omnibus oppidi ædificijs ſolo æquatis obſidionem ſoluerunt. Erat eo tempore Thermæ oppidum exile, ſed muro cinctum, quod hodie Terrã veterem appellant. Interea Matthæus, & Damianus Palicij germani fratres cum multa dignitatum inſolentia Regem Petrum ad votum penè gubernarent, non modò in cæteros Proceres, ſed in Ioannem quoq; Randatij Marchionem, & Ducem, Regis germanum fratrem, quem Guilelmus Frederici Regis Infans, Athenarum & Neopatriæ Dux, Calatafimi Comes, & Neeti Dominus, apud Panormum decedens, & in templo maximo tumulatus, ſuorum omnium iurium heredem reliquerat, odia exercere incipiunt. Hinc vt Rogerium Paſſanetum de medio tollerent, Regi ſuggerunt: quippe qui ingentem Franciſci Vintimilij theſaurum, captiuorum, quos ſub cuſtodia Leontini habuerat, conſilio repertum, iniuſto titulo, cum ad Regem optimè attineat, poſſideret. Petrus eo inſtinctu ſtatim per literas Paſſanetum ad ſe aduocat. Rogerius, quem hæ Paliciorum inſidiæ non latebant, Regi non obtẽperauit, ſed in arcem Leontinam delectis cum militibus cum inſigni Regis in edito loco nihilominus erecto ſe recepit. Quo audito Aleonora Regis mater, quæ Catanæ tunc agebat, coactis copijs Leontinum petijt, Rogerium ab hac deſcitione reuocatura. Sed illo in ſua pertinacia perſiſtente Catanam eſt reuerſa. Petrus, qui tunc Ennæ erat, de Rogerij defectione edoctus, Blaſcum Alagonam iuſto cum exercitu contra eum mittit. Blaſcus Leontinum profectus cum verbis nihil proficeret, magna vi arcem aggreditur. Cui Rogerius dum ſtrenuè obſiſtit, clam nuntios ad Carolum Artum Neapolitanæ claſſis, quæ adhuc Thermarum littora circũſiſtebat, Præfectũ, mittit, arcẽq; illi ſi adſit, pollicetur. Quod vbi Blaſcus cognouit, machinam ex lapidibus editam arci obiecit, atq; inde Rogerium duriſsimè preſsit. Rogerius tantæ belli moli impar, cum neq; à Carolo ſuppetias ſperaret, promiſſa à Blaſco Rogerelli ſui filij ſocero Regis nomine venia, reſtituta arce eius ſe manibus, fideiq; dedit. Atq; ita cum Blaſco Ennam ad Regem concedens contumaciam in Palicios ſibi offenſos reiecit. Petrus etſi prima fronte Blaſci promiſſum improbaſſet, mox tamen conſiderata Blaſci erga patrem ſuum antiqua, & inconcuſſa fide, Paſſaneto condonauit. Nec quicq̃ moratus ad recipienda oppida ab hoſtibus occupata ſe conuertit. Ingentem exercitũ comparat, eumq; ſub Blaſci & Petri Lanceæ præfectura contra hoſtes deſtinat. Hoſtes viſo exercitu metu perculſi naues inſcendunt, ac fœdè inde ſoluunt. Blaſcus fugatis hoſtibus Bruccatum, quod hoſtium erat præſidium, magna vi adoritur, ac tandem (Roberti militibus liberè cum duabus triremibus Neapolim dimiſsis) per deditionem recipit. Gratterium poſtea profectus obſidet. Vbi etſi Petrum Lanceam ſagitta confoſſum amiſerit, oppidum tamen non multo labore recuperauit, Goliſanum quoq;, ac cætera oppida, quæ à Rege deſciuerant, ordine cepit. Dum hæc in Sicilia geruntur; Fridericus Antiochia, qui cum claſſe Caroli ex Thermis Neapolim redierat, Robertum vrget, vt claſſem contra Mylas dirigat futurum, vt eo oppido capto Meſſana ipſa, cui in agro Mylenſi omnes opes, atq; annonæ conſiſtunt, in poteſtatem veniat. Paratam igitur claſſem Robertus à Frederico perſuaſus contra Mylas mittit. Proinde hoſtes menſe Iunio excitatis aggeribus anno ſalutis. 1338. oppidum obſident, atq; oppugnant. Sed incolis omni opera ſe defendentibus obſidio vſq; ad menſem Octobris protracta eſt. Tandẽ Petri Regis auxilijs deſtituti eogente fame Mylenſes deditionem fecerunt. Quo capto, hoſtes vicina oppida varijs populationibus deprædabantur. Poſt hæc anno ſalutis. 1340. menſe Aprili Benedictus Romanus Pontifex, vt pacem inter Robertum, & Petrum Reges iniret, Robertum Conſtantinopolitanum Patriarcham, & Epiſcopum Vaſionenſem Legatos ad Petrum Regem miſit. Sed Legati

cum

cum tribus triremibus Meſſanæ portum ingreſsi à Meſſanenſibus miſsilibus, & machinis repelluntur. Quocirca ira perciti diplomate Pontificio ad littus relicto Siciliam omnem diris execrant. Eodem ferme tempore Robertus Rex claſſem, cui Gotfredum Marzanum Comitem Squillacenſem præfecit, contra Liparam miſit. Quo cognito Petrus Rolandum Aragonium ſpurium fratrem cum. 23. triremibus in auxilium miſit. Sed cum Liparenſes ſuppetijs non indigerent, Rolandus Roberti claſſem adoritur, à qua ſuperatus, & cum multis Proceribus captus eſt. Cuius cladis indignatione commotus Petrus, qui eius, ac Siculorum aliorum iniuria amiſſam claſſem arbitrabatur, Rolandum fratrem redimere noluit. Ita Rolandus carcere à Francis vexabatur. Erat eo tempore Meſſana mulier quædam Camiola Turringa nomine ditiſsima, quæ Rolandi audita calamitate viſa eſt videre viam à fortuna ſibi paratam, vt Regij ſanguinis virum ſperaret. Itaq; miſsis nuntijs, & per procuratores matrimonio inter eos firmato ipſum duabus auri vnciarum milibus Camiola redemit. Reuerſus Meſſanam Rolandus deſponſationem abnegauit: vtpote ſanguine Regio ortus humili ortam loco, & genere deſpiciens. Mulier iuſto compulſa dolore Rolandum ad Tribunal conuincit. Coactus igitur in publico cõuentu totius vrbis nuptias cum ea celebraturus aduenit. At Camiola vbi honori ſatisfecit, in Rolandum conuerſa commemoratis ſuis in eum meritis, illiusq; in ſe, quòd tam impudenter fidem violaſſet, ingenti ingratitudine, palàm ſe nuptijs tam ignaui hominis renuntiare dixit, atq; pro nuptijs Deo ſe dicauit. Poſt hæc Petrus Rex Mylas recuperare, & hoſtes inde pellere ſtatuit. Coactũ igitur peditum ingentem, equitum verò bis milium exercitũ, cui Blaſcus Alagona Comes, Raymundus Peralta Comes, Henricus, & Fridericus Claromontani germani fratres, & multi alij proceres præerant, contra Mylas dirigit. Siculi ædificato iuxta mœnia vico, quem Terramnouam vocabant, vbi commodè ſe recipere poſſent, oppidum maximis animis aggrediuntur, atq; machinis, & miſsilibus adeo vehementer oppugnant, vt oppidani deſperatis auxilijs iam tum de delenda vrbe conſilium facerent. Sed dum conſultant, Fridericus Antiochia, qui ferreis inſtrumentis cuniculos ſuis cum militibus fodiebat, à Siculis circumuentus occiditur. Quo cęſo Franci poſtq̃ tribus menſibus ſatis ſtrenuè reſtitiſſent, fame oppreſsi menſe eiuſdem anni Auguſto oppidũ Regi tradiderunt. Recuperatis Mylis, Petrus Fridericum Antiochiã conſanguineum ſuum ad ædem ſacram oppidi. S. Luciæ non longè à Mylis peracto funere tumulari iuſsit. Superatis hoſtibus, & receptis oppidis, quæ à Rege deſciuerant, Matthæus, & Damianus Palicij germani fratres ad tantum ſuperbiæ culmen ſunt euecti, vt in Proceres ſuſceptum odiũ proſequentes eos vel ſibi ſubijcere, vel perduellionis impoſito crimine perdere quærerent: tantumq; effecerunt, vt nullus magiſtratum gerere, vel conſequi poſſet, niſi Paliciorum ſtudioſus: ac ne Ioanni quidem Duci Regis fratri, quem ſuſpectum reddiderant, aditus ad Petrum pateret. Veriti itaq; Palicij ne Duce reconciliato primas partes, quas ipſi cum Rege habebant, amitterent, Ioanni, qui tum fortè ad ſalutandum Regem è Catana Panormum properabat, acceſſum interdicunt, Regis etiam nomine literis ne ſub capitis mulcta Panormum veniret, publicatis. Id verò vt prætextum haberet, ſuggeſſerant Regi illum olim cum Franciſco Vintimilio, & Friderico Antiochia in coniurationis partem conceſsiſſe, vt Rege mortuo ipſe in Regnum vocaretur. quocirca animaduerſione opus eſſe, ne Panormum veniens perempto fratre, ipſe à Siculis Rex ſalutaretur. Ioannes tam dura actione cognita, Fridericum Mantuã militem ad Regem miſit: per quem ſuam innocentiam, & Paliciorum fraudem explicaret. At cum neq; hoc modo Regis animus ſedaretur: Dux optima militum Catanenſium manu Panormum ad Regem per vim ſibi aditum parare conſtituit. Vt verò e Catana Platiam venit, Palicij, quos eius aduentus non latebat, alias ei literas Regio nomine ſcripſerunt,

Digitized by Google

ſcripſerunt,ne vlterius ſub pœna capitis progrederetur,quod nuntios Rex ipſe ei quid facto opus eſſet,indicaturos miſiſſet. Poſtmodũ tantũ Regi perſuaſere,vt Panormitanũ Archiepiſcopũ,& Raymundũ Peraltã Calatabelottæ Comitem, quos ipſi priuatim inſtruxerant,vt omnino cũ eo agerent,ne in Regis conſpectũ prodiret,ſi ſalutẽ ſociorũ cuperent,Rex ad Ioannem miſerit. Platiam nuntij tardius ingreſsi cum Duce eo veſpere colloqui non potuere.Raymundus,cui Paliciorũ fraudes plurimũ diſplicebant,noctu ruſticum mẽtitus ad Ducẽ accedit, Paliciorũ cũcta aperit: Regis animũ bonum eſſe enarrat,& vt Panormum feſtinet, conſulit, ſi his technis ſe eripere deſideret: nec pluribus moratus ad ſua Raymundus redijt. Illuceſcente nuntij Ducẽ adeunt,Regis nomine eum ſaluere iubent, & demũ quæ in mandatis habebant,exponunt,& ne Panormum accedat, Regia interdictione inhibent.At Dux Paliciorum has eſſe inſidias, & Regẽ germanũ ſibi charum ſemper habuiſſe,vt ne ſua quidem erga eũ fides vel ſuſpecta vnq̃ eſſe potuerit,idq; omnibus conſtantiſsimum, ſatis prudenter reſpondit: & propterea tutum ſibi ad eũ acceſſum habere, quod ſi vita ab eo priuaretur,cauſam Deo ſe cõmittere. Nuncij ad Regem reuerſi Ducis reſponſum retulerunt. Quo audito Rex,vt affectus poſtulabat,quaſi geſtiens nonnihil ridere viſus eſt. Quod vt animaduertere Palicij,qui aderant,vix ſeſe continebant,quin Regẽ ipſum cõuicijs aggrederẽtur. Porrò Ducem veluti contumacẽ morte plectendum apertis vocibus proclamarunt. At Rex turbato aĩo,vultuq; ad eos: ſi Ioannes (inquit) Dux ad nos veniet, nunquid hoſtis aduenietꝰcaro etenim noſtra,& frater eſt. Quibus dictis,& Palicijs relictis aĩo irarũ pleno,& quaſi minaci aulã ingreditur. Palicij vbi ſilentiũ ſibi impoſitum, & immutatũ Regis aĩum vident,iam perijſſe ſe detecta fraude rati, conſiliũ de ſalute ineunt.Igitur Ioannes Dux Platia diſcedens Panormũ venit.Cui Petrus Rex ad Admirati pontem quingentos ab vrbe paſſus occurrit, maximoq; fratrẽ honore excepit. Quo viſo Panormitani oẽs maximam de pace inter germanos inita lætitiam concepere. Et Palicios,quorũ fraudes omnibus erant perſpectiſsimæ, arguẽtes morte etiã dignos cenſent,qui inter Regẽ,& fratrẽ ſimultates poſuerint. Palicij hinc Ducis ,& Regis irã, inde verò plebis furorem veriti ſtatim ad Palatium, quod Sclauorũ adhuc dicitur,Palatio Regio tũ à ſeptentrione annexũ cõfugiunt, ibiq; ſe muniunt. Interea Dux poſtq̃ à Rege ipſo Paliciorum iniurias exactiſsimè didicit,incẽditur.Sed & plebs vt Regẽ, & Ducẽ in Palicios cõcitatos vidit, interficiẽdos eos eſſe per vrbẽ diſcurrẽs editis vocibus cõclamat. Acceptis itaq; ſignis Regijs furore correptus populus Paliciorũ domos aggreditur, effractisq; portis irrumpit,diripit,& Matthæum, Damianumq;,ac cæteros Palicios ad perdendum per Palatij penetralia inquirũt.Verum Eliſabeth Regina,quæ eos diligebat, cum Petro Rege,& Duce egit,ne interficerentur,ſed Sicilia exularent. Atq; ita Palicij triremem Genuenſem,quæ fortè in portu erat,aſcendunt, atq; menſe Iunio anno ſalutis. 1340. Panormo ſoluentes Piſas nauigant. Mox Palatium ipſorum ſolo æquatum,bonaq; militibus à Rege diſtributa: oppida Scaloris, Aſſorũ nimirum, & Gatta, tum ea quoq;, quæ Matthæo parebant, Ioãni Duci à Rege ſunt tradita: Cancellariatus munus,quod Damiani erat, in Raymundum Peraltam translatũ eſt. Protonotariatus officiũ, quod Scalorus Comes adminiſtrabat,Timæo,Turtureto militi conceſſum eſt. His geſtis Petrus Rex Siciliam peragrare, ac oppida omnia luſtrare voluit. Cumq; ad Calaxibettam oppidum, quod contra Ennam eſt,peruenijſſet,morbo correptus. 1342. ſexto idus Aug.cum ſexdecim regnaſſet annos,Ludouico,Ioanne,& Friderico filijs relictis,& Ioanne fratre Ludouici,quẽ ſucceſſorem in Regno declarauit,Baylo conſtituto fato eſt functus.Cuius corpus poſtmodum Panormum translatum in æde maxima conditum eſt.

DE LVDOVICO SICILIAE REGE.

CAPVT QVINTVM.

PETRO defuncto Ludouicus filius annos natus quinq; & menſes ſeptem in Regno ſuccedit, pro quo cum tantæ moli per ætatem non eſſet idoneus & Ioannes Dux Randatij patruus adminiſtrationi ſupereſſet, pleriq; proceres, qui Paliciorum adhuc partes ſequebantur, Eliſabetthæ Reginæ perſuaſerunt, vt Ludouicus tametſi impubes Regia corona donaretur, quippe quòd non eſſet tutũ Principatũ apud Ioannẽ manere, quem ipſe Regio ſanguine exortus ambitionis ſtimulis agitatus ſibi aliquando poſſet præſcribere. Horum itaq; conſilio Eliſabeth Regina Ludouicum anno ſalutis. 1342. 8. Decembris. 11. Indit. Panormi in eccleſia maiori à Siculis Regẽ ſalutatum, ab Ioanne Tolono Franciſcano genere Catalano Andrauillæ Peloponneſiacæ ciuitatis Epiſcopo diademate more Regio perungi, & coronari fecit, Panormitano Archiepiſcopo, & cæteris Siciliæ Epiſcopis ob Pontificis Ro. execrationes, quibus vniuerſa adhuc Sicilia tenebatur, id munus exercere recuſantibus. Ludouicum diademate inſignitum mater Margaritæ Teutonicæ ſuæ affiui, & Martini de S. Stephano militis vxori educandum dedit. Interea verò cũ Ludouici ætas Imperij molem non ſufferret, Ioannes Dux & Petri teſtamento, & Procerũ cõſenſu Vicario noĩe regnũ adhuc maxima prudentia moderabatur. At cum paulo pòſt Syracuſis eſſet, in ægritudinem incidit. Erat ei Iudex aſſeſſor Ioannes Magna iureconſultus patria Meſſanenſis Paliciorum ſtudioſus. Qui cum Catanæ vnà cum alijs Ioannis miniſtris moram ageret, diuulgata Ducis valetudine, idoneam ad res nouas oportunitatem nactus, qua etiam Palicios in patriam reduceret, è veſtigio noctu Catana diſcedens, Paternionem oppidum primùm, mox Randatium, ac demum peruagando Meſſanam petit. Vbi Ioannem Ducem Meſſanenſiũ hoſtem obijſſe voce edita proclamauit. Hoc rumore Meſſanæ diſperſo, Falconus de Falconibus cum cæteris Paliciæ factionis in ſeditionem acti, ad domum Fridrici Callari vrbis Strategi Ducis obſequentiſsimi irruũt, & portis effractis eum capiunt, & occidunt. Cuius loco Strategum alterum Paliciæ gentis inſtituunt. Subinde ciuitatem omnem excurrentes Ducis amicos comprehendunt, deprædantur, & interficiunt, Paliciorum ſtudioſos vrbi præficiunt. Quarto deinde die Ducis aduentum metuentes, arcem S. Saluatoris inuadunt, eaq; potitæ deiectis Ludouici Regis inſignibus Roberti Regis vexilla extollunt, arcem tormentis, & milite muniunt, & Præfecto Ducis ſubmoto ex Palicijs alterum euehunt, nouos in vrbe veteribus abdicatis iudices inſtituũt. Ita tota ciuitas in nouo magiſtratu, ac nouis hiſce motibus totis diebus quindecim ſtetit. Interea rumor per Siciliam vagatus ad Ioannem Ducem peruaſit, qui vt primùm Syracuſis conualuit, magno itinere Catanam venit, exercitum comparat, atq; Meſſanã petit, & per portã, quæ à Diuo Antonio nomen habet, nemine obſiſtente vrbem cum copijs ingreditur, viaq; regia, quam patria lingua magiſtram rugam appellant, incedens Palatium adit. Falconus, & cæteri ſeditioſi præcognito Ducis aduentu ſubita fuga in arcem D. Saluatoris ad ſocios ſeſe recipiunt. Vbi iam cõplures Roberti Regis milites ab eis e Neapoli accerſiti præſidio erant. Ioannes vrbe potitus, ac nonnullis è Paliciorũ factione captis, iugulatiſq;, ſubinde ad arcẽ S. Saluatoris copias educit, milites in quatuor acies diuidit. Quarum vni Raymundum Vallarauthum militẽ præficit, alteri Frãciſcũ Valguarnerã, tertiæ ſuos domeſticos, quartę verò pleriq; Meſſanenſes à mari præerant, quos Palicij infinitis propè iniurijs ante laceſſerant. Proinde prima acies neceſſarijs cũ belli inſtrumentis ad muros ſe dirigit. Quæ licet ſtrenuè muros concuteret, a Frãcis tamẽ, qui in arce erant, lapidibus impetiti

ſuccubuiſſent,

ſuccubuiſſent,ni Vualguarnera cum ſecunda acie ſuccurrens vim populſaſſet. Nec ita multo pòſt Meſſanenſes, qui à mari aciem habebant, intrepidi & ipſi arcem adoriuntur,ac magna vi muros quatiunt.At Franci,qui neq; animo, neq; viribus erant inferiores,irritos eorũ labores faciebant. Demum Ioannes Dux, & cæteri proceres naues duas,quæ in portu erant,quarum altera Genuenſis, Catalana erat altera,armis,& milite cõplent,atq; arci ex ea parte pro Sambuca incũbunt.Igitur lapides,ſagittasq; in Francos arcẽ egregiè tutantes immittunt.Alij muros ferreis inſtrumentis ſubruunt,pleriq; ignes portis inijciunt,magnamq; hoſtium ſtragem edunt. Falconus vbi rem ſuam inclinare,& ſe inferiorẽ cognoſcit,noctu arce clam egreſſus,ſcapham,quam paratam habebat,inſcendens in Calabriam traiecto freto aufugit.Siculi perfractis portis,& muris diſiectis arcẽ ingrediũtur,victoriã cõclamant,hoſtes quotquot occurrunt, interficiunt,cuncta diripiunt. Duos Falconis filios in arce captos per ciuitatem diſſitos perimunt. Capta Saluatoris arce, & ſuperatis hoſtibus Ioannes Dux nihil ſe viciſſe ratus,niſi Ioannem Magnã aſſeſſorem, ſeditionis authorem in manibus haberet, preconis voce per ciuitatẽ edixit,qui Ioãnẽ Magnã exhiberet,centũ florenis eũ ſe donaturũ.Ioãnes vbi preconio ſe proſcriptum ſenſit,in arca quadam domus,in quam fugerat,ſe abdidit.Vbi ab ancilla cõſcia proditus,& captus,per vicos ciuitatis ad equi caudam ludibrioſe flagris ad furcam pertractus eſt: cæteris coniuratis pro modo culpæ, vel morte,vel exilio, vel carcere mulctatis. Atq; inde Ioannes Dux Corradum de Aurea vrbis Strategũ inſtituit:atq; optimo magiſtratu Meſſanam inſtaurauit. Dũ hæc in Sicilia geruntur,Robertus Rex Neapoli moritur.Cui Ioãna ex Carolo tertio Roberti filio,qui patre viuente deceſſerat,eius neptis,Andreæ Ludouici Regis Vngariæ filio cõſobrino nupta,in Regno ſucceſsit.Qua paulo poſt Andrea viro ob ignauiã in Auerſa vrbe necato,& alteri conſobrino Tarenti Principi nupta,Ludouicus Vngariæ Rex filij mortem vlturus, contra Appuliam ingreſſus cuncta vaſtabat,atq; oppida ſibi occupabat.Quo Regina territa, ne hinc Siculo, inde Vngaro contrà irruente,Regnum amitteret,cum Clemente Ro.Pont.egit, vt induciæ annorum trium inter ipſam,& Siculos inirentur. Igitur Sandalus Imbriada genere nobilis,& patria Neapolitanus,& Archiepiſcopus Amalphitanus nũtij à Ro. Põt. ad Ioannem Ducẽ pro inducijs firmandis mittuntur.At Dux recuſata belli intermiſsione,vt inquieta,& plerunq; perfida,certã perpetuamq; pacẽ petijt,ad quam vt Ro.Pont.flecteret,per eoſdem nuntios bona eccleſiaſtica, quæ hactenus occupauerat,ſuo iuri reſtituit. Quibus ita remiſsis officioſa legatorum relatione,atq; opera, pax demũ inter Ioannã, & Ludouicũ Regẽ,omnesq; Siciliæ proceres anno ſal. 1347. pridie nonas Nouẽbris his pactis inita eſt. Vt Siciliæ Regnũ perpetuò apud Ludouicum eſſet,qui pro annuo cenſu ad vnciarum tria milia Romano Põtifici in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli, Reginæ Ioannæ nomine pendenda teneretur. Vt idem ſi Regnum Neapolitanum ab hoſte quandoq; inuaderetur,claſſem triremium quindecim ad trimeſtre cum ſoluto milite auxiliares mitteret. Ioanna verò Regina ius ſi quod in Sicilia,& inſulis obiacentibus habebat, Ludouico in perpetuum cederet. Romanus quoq; Pontifex Siculos,& Regem à diris,& præteritorum annorum cenſibus abſolueret, pacemq; probaret. Poſt hæc peſtis vniuerſum penè orbem, & in primis Italiam depaſta Meſſanam quoq; primùm,& poſtmodum Catanam graſſando peruaſit. Cuius metu Ioannes Dux ad Maſcalas Regium oppidum profugus in æde Diui Andreæ ſacra, quam ipſe erexerat, reſedit, ibiq; morbo correptus paulo pòſt deceſsit anno ſalutis. 1348. Aprili menſe, & ad eccleſiam maiorem Catanæ eodem ſarcophago, quo Fridericus Rex pater tumulatus eſt. Cuius mors Siculis omnibus plurimum diſplicuit:tum quòd prudentiſsimè Regnũ adminiſtrauerat, tum quòd virtutibus omnibus polleret. Ioanne mortuo, & in eius locum Blaſco

Alagona Regis Baylo subrogato, sedataq; peste Ludouicus cum Elisabeth Regina Messanam profectus Alagonæ suasu Fridericum Ioannis filium Athenarum Ducem, & Randatij Marchionem declarauit. Elisabeth verò, quæ Paliciorum amorē toto adhuc animo spirabat, vt Messanam venit, Pisas nuntios misit, per quos Matthæum, & Damianum Palicios in Siciliam defuncto Duce reuocabat. Sed inter hæc Pisis Damiano extincto solus Matthæus duabus cum triremibus mense Iunio Messanam properauit. Cui quidem Blascus, qui vrbem octingentis cum equitibus tutabatur, veteris seditionis non immemor ingressum prohibuit. At cum Messanenses ob id tacitè sibi infensos, & Reginæ animum ad Palicios inclinatum animaduertit, quò plebis tumultum sedaret, sumpto secum Ludouico Rege, & Regina, ac Rolando Aragonio (cuius meminimus) Messanæ gubernaculis relictis. Catanam petiturus Tauromenium venit. Vnde omnibus ciuitatibus sub capitis mulcta scripsit, ne vel Palicios, vel eorum triremes reciperent. At cum Catanæ adhuc pestis sæuiret, Thomæi Turtureti clarissimi medici consilio Elisabeth cum Ludouico Rege adhuc impubere ad oppidum Montē Albanū anno sal. 1348. mēse Iulio Blasco adhuc Catanæ agente secesserunt. Palicij Reginæ recessu percepto, ad littus Pactarum, quod Monti Albano subest, cum triremibus nauigant. ad quos Regina, vt primum de aduentu eorum certior facta est, clam profecta longos inter se, ac clandestinos sermones habuere. Vnde tandem ipsa cum Rege Messanam, Palicij verò Panormum cum triremibus petiere. Erant Panormi tum Hēricus, & Fridercius Claromontani germani fratres Comitis Matthæi Palicij ex sorore nepotes, qui Panormum vrbem, ac cætera circùm oppida suo arbitrio gubernabant. Palicij Panormum ingressi, Blascum Alagonam, & Proceres Friderici Randatij Marchionis studiosos, quos communi nomine Catalanos eo tēpore vocabant, in eos sæuijsse, enarrant, atq; vt remedium priusq̄ virus vlterius serperet, adhibeant, consulunt, hortantur, & vrgent. Et ad id primum vt ciuitates in Blascum excitarent suadent. Horum igitur communi suggestione Panormus omniū prima seditionibus repletur, in Catalanos irruit, & quotquot obuios habet, occidit, vitamq; Claromontanis, & Palicijs editis vocibus proclamat. Vulgatis Panormi motibus vicinæ ciuitates Drepanum, Marsala, Mazara, Sacca, Agrigentū, & omnis Mazaræ regio Panormi æmulatione in eundē furorem pertrahuntur. Catalanos omnes, & eos pręsertim, quos Duci Ioanni familiares cognouerāt, interficiunt, bona diripiunt, ædes diruunt, & facultates Paliciorum omnes, ac oppida Ioanni Duci nuper à Rege Petro donata, Claromontanis, Palicijsq;, quibus iā se subegerant, restituūt. Erāt in oppido Terranoua pleriq; Paliciorū studiosi, quibus ad defectionē oppidanos sollicitantibus, Terranoua statim & ipsa à Rege desciscit, Claromontanisq; se subijcit. Narus pręterea oppidū (quod à Petri Lanceę filia dotis nomine acceptū Artalis Alagona Blasci filius tenebat) identidē imitatur, Regē abhorret, Claromontanis, Palicijsq; se subijcit. Blascus qui Catanę erat his cognitis, cōmuni & improuiso malo perculsus, confestim magna militū manu eò cōtendit, oppidū obsidet, ac oppugnat. Sed cū oppidanis arduus oppidi situs faueret, agris incensis, ac populatis soluta obsidione, & bobus, ac ouibus inde abactis ob ægritudinē, ī quā incidit, Catanā reuersus est. Vbi restaurata valetudine veritus, quod futurū pręuidebat, vrbē munit, custodes disponit, milites per loca distribuit, atq; arcē opere, ac pręsidio q̄ diligētissimè firmat. Interea Claromōtani, & Palicij, qui totā ꝓpe Mazarę regionē sibi occupauerāt, Panormi peditū, ac equitum exercitū cōparant, Messanā versus recto itinere pergunt, oppida interiacētia inuadunt. Thermas ingressi summo honore recipiūtur, nec minori a Caltabuturē sibus. Politiū petentes à Vinciguerra viro Principe, eorū studioso benigne excepti, oppidanos obsistentes, & Regis fidē defendētes multa strage affecerunt, ac magna tādē vi captā arcē muniere. Giraciū, qd' Elisabet Reginę ditiōis erat, magno

Narus in Petri Lanceæ ditione.

honore

honore eos excepit, Cephaledis, deinde,& Enna vltro se eis subdidere. Nicosiã copiarũ metus coegit,& Argyrã quoq; oppidã paruo labore habuere. Sed nõnihil arx victoribus obstitit. Erat etenim arcis Præfectus Ferraronus Bellus genere Catalanus, qui situ editissimo & ĩ totũ oppidũ ꝓminenti fretus hostes simul, deditiosq; oppidanos adeo lapidibus vexabat, vt relictis domibus in inferiorẽ partẽ migrare cogerentur. Tandem commeatus, & aquæ inopia victus deditionem ea lege fecit, vt Catanam cum suis libere peteret. Proinde capta, & munita arce, Gallanum, & Troynam proficiscuntur. Quibus potiti Randatium etiam adepti sunt. Quo vulgato, oppidula omnia, quæ in agro Mylensi sunt, & Mylæ etiam ipsæ, ac Nasus, Pittineus, Mistretta, quæ Blasco Alagonæ fuberat, Tauromenium quoq;, Castrum Leonis, & Francauilla, ac tota ferme Sicilia præter Catanam, Acim, Paternionẽ, Meneũ,& Platiã, quæ Regis ditionẽ sub Blasci tamen Alagonæ auspicijs constanter agnoscebant, ad Claromontanos & Palicios defecere. Interea cum rumor vndiq; tantæ defectionis Messanam peruenisset, Rolandus Aragonius cum Regina de rebus gerendis consilium capit; periculum imminens exponit, quid facto in tanto rerum turbine opus sit, inquirit. Regina, quæ Palicijs fauebat, contra viribus superiores non eundum censet. Rolandus ex his verbis Reginæ animum habens exploratissimum non diutius præsenti in periculo cunctandum ratus, è vestigio Messana cum suis recedens Catanam petijt. Sed & Messanenses plurimi Paliciorum osores secessum sibi vel in Calabriam, vel Catanam quęsierunt. Catalani quoq;, quorum Messanæ non parua erat multitudo, Catanam etiam se contulerunt. Quos omnes Blascus benignissimè excepit. Interea Palicij,& Claromontani cum exercitu Messanam appropinquant. Quibus Messanenses ardentissimo studio occurrentes Matthæum Comitem, cuius præcipuè erant studiosissimi, veluti Regem excipiunt. Quem & ipsa Regina vnà cum Palicijs cæteris tanto gaudio recepit, vt cum externa indicia ad sui studij explicationem nõ sufficerent, per affinitatẽ suæ voluntatis affectũ testata sit. Margaritam nanq; Teutonicam Regis & consanguineam, & nutricem, quæ Martino de Sancto Stephano olim nupserat, ei aduenienti statim vxorem dedit. Nuptię igitur publicæ celebratæ: Messana ciuitas tota in lætitiam effusa est: Matthæus ad Comitatum restituitur: Margarita Comitissa appellata: & deniq; Ludouicus Rex sub Matthæi curam redactus est. Mira profectò rerum mutatio. Matthæus hoc successu elatus, nec coaceruandarum opum negligendam occasionem ratus Messanenses properè ad concionem vocat. Regis egestatem à Blasco Alagona tot seculorum calamitatibus, per quas vectigalia Regi solui non potuerunt, vindicãdam proponit. Indulgendum quidem esse Siculis, & exactionibus aliquot annis abstinendum. Sed vt præsentibus necessitatibus occurratur, a ditioribus sibi subueniendum esse. Approbant omnes vel inuiti Matthæi consilium. Soluta à diuitibus maxima Regi pecunia Matthæus fit ditissimus. Dũ hæc Messanæ geruntur: Blascus Alagona Palicios contra se Catanam venturos veritus Rolandum Aragonum vrbis Præfectum constituit: atq; ad arcem, vbi Ioannis Ducis thesaurus absconditus erat, profectus, maximã auri copiam accipit, sine mora milites cogit, exercitũ cõparat, vrbẽ munit, excubias ponit. Interea his iã bellis indictis oppidorũ inter se certamina excitantur Leontini Catanenses agros vastãt, Catanenses Leontinos è diuerso populantur. Tauromenitani ad Mascalas vsq; oppidum, quod Blasco suberat, excurrunt. Ita Sicilia armis tota concutitur. Blascus Catanam circumquaq; propugnaculis excitatis in omnem euentũ,& grauiorem præsertim, quam res præsens præsagiebat, munierat. Igitur Tauromenitani, & Caltabianenses, qui impetiti semel ab excursionibus quieuerant, rursus Mascalas aggrediuntur, expugnant, diripiunt, & iniecto igne funditus delent: deinde amœnissimos Catanæ agros exurunt, vllásq; eius passim

ferro, atq; incendijs fœdant. Randatienſes quoq; alia parte prata omnia, ac ſegetes, & oppidula Catanenſis nemoris deprædantur, & incendunt. Mattthæus Paliçius, Henricus, & Fridericus Claromontani Meſſanæ quinq; triremes Genuenſes, quæ in portu aderant, propria impenſa milite, & armis completas, contra Catanam educunt, vrbemq; aliquandiu mari fruſtra obſident. Regina tametſi ad Palicios inclinaret, à bellis tamen hiſce inteſtinis inter proceres abhorrens, ad pacem tractandum adducta eſt. Eo itaq; nomine Blaſcum Alagonam ad ſe Tauromenium vocat. At ille inſidias timens mille cum militibus eò profectus extra ciuitatem conſtitit, ibiq; tum pax vltro citroq; nuntijs miſsis, & remiſsis iam ad compoſitionem venerat; cum Franciſcus Valguarnera Catalanus, exercitus Blaſci Mareſcallus, concitatioris ingenij vir, cui nihil præter bellum placere videbatur, Rogerium Notum Reginæ nuntium facto impetu occidit. Quod illa iniquo ferens animo, atq; eò moleſtiori, quòd mandato Blaſci factum ſuſpicaretur, in Blaſcum, quẽ fœdifragũ vocabat, debacchata Meſſanã pergit, triremes duas inſtructas Catanam mittit, atq; vrbem obſidet. Blaſcus re cognita nullo Tauromenitanis agris, quòd Regij iuris erant, illato damno ſtatim Catanã reuertitur, eãq; primum, mox cætera ſibi ſubiecta oppida præſidijs munit. Erant eo tempore in Meſſanæ portu triremes Genuenſes duæ, quas Blaſcus mercede conductas cum frumento, & omni commeatu Catanam miſit. Porrò Regina grauiſsimũ bellum Catanæ minata, Siculos ad Leontinum conuocat, Henricum, & Fridericum Claromontanos ad exercitum comparandum ad regionem Mazaræ citato curſu dirigit. Palicij Meſſanæ claſſem inſtruunt, & Leontinũ milites tranſmittunt, ac ſubinde & ipſi exercitum contra Catanam mouent, caſtra in conſpectu vrbis, vbi ſtagnum eſt maritimum, quòd mea ætate Yhalicium Sarracenicè dicitur, metantur. Atq; inde variæ Reginales copiæ agros circumquaq; hoſtiles adortæ populantur, armenta, frugesq; abſumunt, ſegetes incendunt, vrbem autem, quòd mœnibus, militibus, commeatu, & rebus omnibus ad bellum oportunis eſſet munitiſsima, oppugnare non audent. Quo Regina cognito Meſſanæ ſex alias triremes parat, eas cum Lodouico Rege inſcendit, coramq; ipſa vrbi vanam aliquandiu è mari obſidionem intendit. Qua fruſtrata in terram deſcendit, atq; deinde cum vniuerſo exercitu, cui Matthæus Palicius præerat, eã aggreditur. Sed Blaſcus minimè territus, quippe qui ſelectos habebat milites, non expectato hoſtium aduentu, Franciſcum Valguarneram cum copijs obliqua via contra eos emittit. Ad verticem igitur, qui vernaculè hucuſq; Segium, latinè verò obſidio dicitur, Franciſcus hoſtes adoritur. Sed illi fortiter obſiſtunt, nouiſq; continuo auxilijs a Matthæo Palicio qui in Caſtris remanſerat augentur. Cum totis itaq; vtrinq; viribus certaretur, nec mediocris vtrobiq; cædes facta eſſet, effectum tandem eſt, vt Catanenſes multitudine equorum oppreſsi, Capto & occiſo Guilelmo Peralta Raymundi filio Calatabellottæ Comite, & in Aede Diui Dominici tumulato, ſuperati fuerint. Franciſcus, inclinatam aciem ſuam videns, deſertisq; militibus, fuga ad vrbem ſalutem ſibi quærens, a plæbe, quæ cum armis in idipſum exierat, veluti rei militaris ignarus ab ingreſſu prohibitus eſt. Nicolaus Lauria, & Fridericus Mantuanus milites, qui à prælio redierant, per poſticum in vrbem penetrarunt. At Blaſcus ipſe veritus ne hoſtes victoriæ inſolentiam in vrbis exitium proſequerentur, arce egreſſus quid hoſtes molirentur ſpeculaturus, vbi littus arenoſum percurriſſet, ad palmam domeſticam, quæ ibidem erat, aliquantiſper conſtitit. Nec multo pòſt Palicij victores vrbi appropinquant, quorum impetus Catanenſes ſtrenuo occurſu acerrimè reprimunt, Soldanus Cataldus patria Meneninus Reginalis miles captæ vrbis falſa perſuaſione motus, ſolicitato equo ad mœnia perrexit, ibiq; in hoſtium manus dilapſus, cum cognoſceretur, captus, cæſus, in æde Diui Leonardi non longè ab vrbis portu humatus eſt. Blaſcus

inde

inde resumptis animis cum suis prælio se immiscuit, & in hostes assumpta ferocia leonis instar irruit. Maxima porrò in ea pugna orta est confusio. Nam simul atq; hostes vim sentientes contra ire vehementius cœpere, ex motu tot peditum, equitumq; ingens in altum puluis euectus, & conglobatio densa inter decertantes facta impediebant, ne aut se inuicem, aut sua signa cognoscerent. Hinc Blascus promiscue & hostes, & suos interficiebat. At Paliciorum q̃ plurimi, qui in ciuitatem veluti victores perrexerant, vbi temeritate sua delusi ad castra reuertũtur, à Catanẽsibus, qui in vrbem remeabant, intercepti occubuere. Atq; ita finito certamine, quod circa decimum tertium Cal. Iunij eo anno contigisse perhibetur, in quo & Bonifacius Alfonsi Melitæ Comitis filius Blasci familiaris in potestatem hostium iure belli concessit, victoria tamen postremò apud Catanenses manente, Blascus cum suis ad vrbem reuertitur. Rumor inter præliandum exortus de Matthæo Palicio interfecto falsò proditus, ad vanam tantum Catanenses extulerat lætitiam, vt ignibus noctu per totam vrbem accensis, ridendum hosti spectaculum præberent. Qui & ipsi ne superati viderentur, triumphalibus flammis noctem celebrantes ciuitati ludibrium opposuere. At cum in dies quinquaginta duos obsidio protracta nullam victoriæ spem aliunde suppeditaret, iniecto tandem castris igne, soluta obsidione fœdè inde Leontinum retro abiere. Liberata vrbe, & duabus triremibus Genuensibus mercenarijs Genuam discedentibus, Catalanę octo ex Catalonia Catanam applicuerunt. Has igitur Blascus æqua mercede conductas, & militibus instructas contra Messanam mittit. Messanenses nihilo impigriores classis aduentu redditi, cum sex triremes paratas, instructasq; iam ante haberent, callidè duas ex eis contrà duntaxat expediunt. Quibus visis Catalani sine vlla aliarum suspicione Messanensibus cum tribus tantum triremibus sese oppouunt. At pugna conserta cum iam proximi victoriæ viderentur, mox superuenientibus reliquis Messanensium triremibus quatuor, quibus optimum quenq; militem, & ad nauale bellum exercitatissimum imposuerant, Catalani inferiores numero facti & ipsi reliquas suas quinq;, quæ non longè erant, ad certamen conuocant, quibus accedentibus cruẽrum vtrinq; factum est bellum. Veruntamen cum Messanensium classi speculatoriæ plurimæ militibus instructæ è portu missæ adderentur, quæ balistis, alijsq; bellicis instrumentis Catalanos maximè lædebant, maximamq; cædem ex eis faciebant, inclinata re in Calabriam primùm salutem, postmodum in Cataloniam sibi redemere. Sub idem tempus Nicolaus Lauria, Guilelmus Montecatinus, & Gotfredus de Fimecca Catanẽses milites cũ Rhegium ad Nicolai ipsius cum Abbatis Nicolai filia nuptias nauigio traiecissent, in reditu à Constantino, & pluribus alijs Paliciorum studiosis duabus cum triremibus inuasi, omnes intercepti sunt, præter Nicolaũ, qui in mare se submersit. Cuius deinde corpus è fluctibus extractum, & per Messanæ vrbis vias ex equi cauda ad ludibrium circumquaq; protractum, ad extremum concrematum est. Guilelmus verò Montecatinus, & Gotfredus Matthæi Palicij iussu veneno in carcere sunt interfecti. Post hæc mense Aprili Catalanorum ingens manus, quibus Ioannes Aragonius Sancij Friderici Siciliæ Regis germani fratris filius præerat, Troynam oppidum, quod iam Palicijs (vt diximus) se subdiderat, noctu per insidias, atq; ex improuiso oppidanis nil tale expectantibus ingressi capiunt, & incendunt. Sed cum capto oppido sine præsidijs segnius excubias facerent, ab oppidanis portis clausis repente occupati sunt. Aragonius ipse vnà cum Gallani Domino, ac quinquaginta ferme alij equites genere clari extra oppidum salutem quęsituri, cum portas reperissent clausas, per vicos cursitãtes lapidibus è fenestris à mulieribus obruti, atq; perempti sunt. Troynẽsibus trucidatorum hostium spolijs ditatis. Parta hac victoria, & Matthęo Palicio, qui per id tempus Leontini agebat per oppidanos nuntiata, Rogerius

Teutonicus,

Teutonicus, & qui partes Paliciorum sequebantur, animo elati Adranum, quod Catalanorum ditionis erat, magna vi adoriũtur, ac cæso in ea oppugnatione Nicolao Aquino arcis Præfecto, oppidum simul, & arcem capiunt. Capto Adrano Franciscus Castellus cum plerisq; alijs Catanensibus Leontinum petit, patriamq; Matthæo Palicio prodere pollicetur. Suggeritq;, vt Manfredum Claromontanũ, & Rogerium Teutonicum centum cum equitibus Adranum secum mittat, quibus se Catanam viris desertam tradere confideret. Igitur Manfredus Claromontanus, & Rogerius Teutonicus à Matthæo centum cum equitibus, & Lodouici Regis literis missi Adranum veniunt. Mox Paternionem petentes agros vsq; ad olieta nemine obsistente excurrunt, & ingenti omnium rerum capta præda Adranum reuertũtur. Blascus his cognitis fortissimos ex Catanensibus milites trecentos deligit, eosq; non longè a Paternione in insidijs ponit, mox villicos plures Adranum versus palantes præmittit. Manfredus, Rogerius, & Palicij per exploratores de villicorum aduentu certiores facti, paucos, atq; incautos adoriuntur. At illi vsq; ad locum insidiarum Palicijs insequentibus fugam simularunt: vbi repentè Catanenses è latebris erumpentes in hostes irruunt. Palicij ex improuiso imperiti fugam capessunt, quos Catanenses ad scalam vsq; Adrani insecuti grauissimo impetu exceptos, maxima demum strage afficiunt. In quo quinquaginta propè Palicij milites præter ingentem peditum multitudinem confossi mortem oppetiere. Franciscus Castellus cum viuus in Catanensium manus veniisset, in conferta hostium multitudine meritò interfectus est. Cuius cadauer Conrado Spatafore Nicolai Lauriæ leuiro traditum, per Catanæ vrbis vias ad equi caudam maxima cum ignominia primum pertractum, deinde pyra accensa frustatim incisum, extra portam Acis, vbi. D. Pancratij est ædes, combustum est. Quo facto Blascus etsi militum Catanensium fortitudinem, atq; robur mirum in modum laudauerit, sæuitiam tamen combusti corporis perhorruit. Dum hæc apud Catanam geruntur, Rolandus Aragonius, & Ioannes Landolina cum cæteris militibus de Lãdolinã, qui à Palicijs cum Neetum oppidum expugnarent, inde fuerant expulsi collecto ex vicinis oppidis milite, dum Præfecti, quem Palicij capto oppido constituerant, tum forte demortui Senatus & oppidani in æde. D. Francisci inferias agerent, Neetum pergunt, & effractis magna vi oppidi portis, nemine prohibente ingrediuntur, perq; vicos excurrentes Aragonam, & Landolinam conclamando oppidum sibi occupant. Neetini vbi captum oppidum animaduertunt, supplices & ipsi vel inuiti ad easdem acclamationes concurrunt. Atq; ita recepto munitoq; oppido Ioannes Landolina præfectus constituitur. Dum in eo turbine res Siculorum essent: Matthæus Palicius laborum pertæsus pacem cum Blasco, suadẽtibus etiam amicis, inire decernit. Itaq; Philippum Cypirò Messanensem Regiæ tum curiæ Iudicem cum pacis legibus ad Blascum Catanam misit. Interea Platienses exules cum plerisq; ciuibus Paliciorum studiosis coniurati ex improuiso Platiam oppidum capiunt. Qua causa Adamonus Capitinus oppidi Præfectus vt & tempori, & discrimini cederet, compositis sarcinulis vna cum vxore, & liberis fuga elapsus ad Calatanixettam oppidum salutem sibi quæsiuit. Seditiosi vero nouos veteribus abrogatis magistratus creant, oppidum Paliciorum imperio cessuri omni parte muniunt. Quod vbi Blasco nuntiatum est: etsi minus grauatè tulisset, nec deessent, qui proditionis Matthæum Palicium ob id insimularent, & Philippum, cæterosq; eius nuntios carceri addicendos censerent: ipse prudenter, factum dissimulans, Legatos cum pacis legibus iuramento suo firmatis ad Mattheum Palicium liberos, nec non muneribus donatos, & cum eis Guilelmum Cardonam suo nomine ad Regem misit. Is igitur pace vtrinq; iam firmata literas à Ludouico Rege fœderis confirmatorias reuersus Blasco detulit, ac Messanæ Regis statuto pax per totam vrbem publicatur, statimq; Blasco veluti Friderici

Ducis

Digitized by Google

Ducis Ioannis filij tutori oppida, Randatium, Francauilla. Bizinis & Troyna, proprio vero nomine Miſtretta, Naſu, sCaput Orlandi, quæ Matthæus ſibi occupauerat, ſunt reſtituta. Caroniam vero, non niſi Monte Albano, & Butterio, quæ ſui iuris erant, redemptã, adeptus eſt. Conſtitutus eſt præterea Blaſcus Regni Magiſter Iuſtitiarius, quouſq; Ludouicus Rex pubertatis annos foret ingreſſus, cõceſſumq; vt Matthæus Palicius, Manfredus, & Fridericus, cæteriq; proceres Claromontani in oppidis ſibi ſubiectis ius dicerent, ſed limitatum. Ita Sicilia à motibus, qui eo tempore eam diſciderant, quieuit, ac ſopitis factionibus Siculi omnes ad ſua quiſq; ſtudia mira animorum alacritate ſe contulere. Cæterum non multo poſt nouus eam furor excepit. Nam cum Artalis Alagona Blaſci filius, vt Ioannẽ de Viles Franciſci Valguaneræ ſocium Alicatam, quæ regij tunc erat iuris, vnde exulabat, reduceret, coacto militum numero, hoſtili impetu cõtra fœdus ingreſſus, militibus oppidum diripiendum expoſuit. In cuius direptione frumenti ſalmas ſupra ter mille repertas, quæ Friderici Claromontani erant, Catanam, quæ annonæ caritate premebatur, deferendas penes ſe retinuit. Quo cognito Fridericus, & cæteri Claromontani facinus in Artalem, & Blaſcum coniecerunt, viamq; iam inde ad vindicandam iniuriam perquirebant. Dum igitur Artalis frumentũ Catanam aſportare ſtudet, veritus ne à Claromontanis in itinere ſibi auferretur, fidem à Manfredo Claromõtano, qui eo tempore Leontino, & Syracuſis præerat, per literas impetrat, vt vel mari, vel terra per ſubiectas ei regiones Catanam frumenta tuto poſsit deuehere. Qua fide, nauigia frumento onuſta Alicata ſoluunt, curſuq; proſpero Syracuſas applicant. At vbi portum veluti amicum ingreſſa ſtationes obſeruant, Syracuſani ſtatim in rates fœderis violatorum impetum faciũt, nautas capiunt, frumenta diripiunt, atq; ipſa deniq; nauigia prædę exponũt. Qua re Blaſcus turbatus literas è veſtigio, nuntioſq; ad Manfredum, qui Leontini tum agebat, mittit, cum eo queritur, & de fœdere violato expoſtulat. Manfredus paucis, & modeſtè reſpondit: poſt fidem datam ſub capitis mulcta à Rege ſibi iniunctum fuiſſe, vt ſi ea frumenta Syracuſas fuiſſent apportata, pro Friderico Claromontano, cuius erant, retineret. Proinde Blaſcũ potius fœderis violati arguẽdum, qui in eo facinore authoritatem in inuadenda pacis tempore Alicata conſenſumq; pſtiterit. His, atq; alijs id genus vltro, citroq; iniurijs occulto modo diſcordię radices reſurgere iam cœpere: Subinde Scalorus Vbertinus Comes, Aſſori Dominus, Spirlinguam, quam ſub imperio quoq; tenebat, feſtum Domini diem natalem cum vxore celebraturus ſelectis Aſſorinis militibus inſtructus petijt. Verùm cum ab eo Aſſorini Spirlingam profecti reditum ad patriam minime impetraſſent, clam ab eo receſſerunt: quos ille cum indignatione inſecutus, pluribus affecit contumelijs. At illi diſsimulato ad tempus odio vbi Aſſorum ſunt reuerſi, ab eo omnes deſciſcere ſtatuunt. Quo pręcognito Comes quo ſceleratum facinus conſilio pręuerteret, Aſſorum venit, benignumq; ſe, ac humanum plebi ſimulans arcem ingreditur, eamq; opere, & militibus firmat. Sub idem tempus Ennenſes pleriq; viri in oppido primarij cognomento Bibitelli, Iouenci Lęti qui tum Ennę pręerat, Scalori ſtudioſi, mores, inſolentiamq; peroſi, vt prefectura ipſius liberarentur, Ennam Artali Alagonę tradere proponunt. Igitur Artalem Alagonam ad ſe accerſunt, imperiumq; Ennę offerunt. Ille confeſtim ſexaginta equitibus ſecum aſſumptis, eò approperat. Vbi à Bibitellis cęteriſq; cõiuratis patefactis portis, oppidum ingreditur, atq; occupat, Bibitellis Alagonam vna voce acclamantibus. Iouencus viſa ſeditione metu perculſus cum ſuis in arcem continuò ſe recipit. Alagonenſes verò oppido potiti omnia ſuperbia, luxuria, & auaritia ſibi ſubij ciunt. Quod videntes Ennenſes in hoſpites exacerbati cum numero ſuperiores eſſent, reſumptis animis, armisq; in ſeditioſos irruunt, pluresq; trucidant. Artalis vt plebis furorem euaderet, populo ſe dedit, quo decẽ cũ ſocijs dumtaxat ſeruato

cæteros

Digitized by Google

cæteros omnes ferro peremerunt. Dum hæc apud Ennam geruntur, Assorini vicinorum æmulatione eadem vi in Scalorum mouentur, arcem obsident, oppugnãt, ac demum capiunt. Scalorus Comes vt plebis iram mulceret, Albertum Mantuanum populo acceptissimum arcis, & oppidi præfectum sua authoritate instituit. Sed cum neq; eo pacto plebs conquiesceret, sed insolentior in dies fieret, & ad mortem eum magnis vocibus appellarent, Scalorus ne in eorum manus veniret, per posticum clam arce egressus in priuatam domum quandam se abdidit, dum ad Blascum Catanam euadere posset. Sed proditus tãdã feroci Assorinorũ impetu captus, occisus, dilaniatus, atq; in partes diuersas dissectus est. Post hæc dum inter Catanam, & Tauromenium orta iam pridem discordia nõdum desciuisset, sed Catanenses Tauromenitanos agros continue popularentur & incenderent, Tauromenitani à Blasco Alagona, Regis, & Matthei Palicij, qui Messanæ tunc erãt, consensu, sex mensium inducias impetrarunt. Quo exemplo pleriq; Proceres simul, & religionis Franciscanæ professores hortati, pacem inter Blascum, & Matthæum tractare cœperunt. Sed cum Matthæus in conditionibus peteret, ne quis ex Meslanensibus sibi inuisus Meslanæ habitaret, tum nequis oppidorum Dominus prouentus ex illis sibi debitos, aliàs, q̃ per procuratorem exigere posset, quo usq; Rex ex ephœbis exisset, infecta pax remansit. Quo tempore etiam cum Leontini per nuntios inducias à Blasco petijssent, repulsam passi abiere. Subinde Saucij Aragonij nepotes, qui oppida quedam in regione Demini gubernabant, Blasci auxilijs destituti, presiq; egestate, per literas descitionis narrata causa, Messanæ ad Regem, & Matrhæum Palicium defecerunt, eoq; nomine oppidum S. Marci, quod sub eorum potestate regebatur, Matthæi dominio cessit. Panormus eo tempore cum à Manfredo Claromontano Motyce Comite regeretur, & Paliciorum esset studiosa, à Matthæo Sclafano Adrani Comite, & Ciminnæ domino, qui Catalanorũ partes sequebatur, ob Ciminnæ vicinitatẽ, vbi morabatur, agrorum populationibus per leuis armaturæ equites vexabatur. Qua causa irritatus Manfredus, qui tunc temporis non tam Vicario, q̃ proprio nõmiue Panormo præesse videbatur, bellum contra Matthæum Sclafanum mouere statuit, vt illi ad sua defendenda occupato, aliena infestandi facultatem adimeret. Erat Manfredo fortè Laurentius Murra familiaris, cuius fideli opera, & eius pater, & ipse sæpenumero Manfredus vsus fuerat. Huic ex composito simulatam obijcit culpam, cuius indignatione totus in eũ exardere fingens, velut iure damnatum ad Drepanitas relegat. Displicuit ea res Manfredi studiosis artem ignorantibus, vel ex eo quòd Laurentium probatæ semper erga Claromontanos fuisse fidei constantissimum erat, tantumq; effecere, vt post aliquot dies Manfredus ægrè tamen se exorari confingens, ab exilio eum Panormum reuocaret Panormum reuersus cum simulandi, ac dissimulandi artem optimè calleret, contra Manfredum Comitem frequenter obloquendo, ingratitudinisq; ipsum insimulando, cum recẽs ei exiliũ ad leuandam apud Catalanos doli suspicionem satis esset, quos Claromontani nominis osores cognoscebat, eos facilè omnes ad se alliciebat. Ac primùm quidẽ in Roberti Bondij, qui dũ Blasci, Catalanorumq; partibus faueret, Panormo & ipse a Manfredo exulauerat, consuetudinem admittitur, coramq; eo sæpe in Manfredum inuectus, Panormum hoc intestino bello prope desolatam, Manfredum ad summas opes ea causa, ciuesq; ad extremã inopiam redactos querebatur, atq; ea ratione satius sibi videri cum omnibus, & præsertim Catalanis pacem habere: proinde extinguendam esse scintillam, anteq̃ in ignem, maioremq; deinde flammam exardescẽs reliqua incenderet. Idq; vt fieret, q̃ citissimè omnem suam operam, fidem, ac fortunas, dum Panormum ea calamitate eriperet, liberaliter pollicebatur. His Robertus auditis tametsi primum eius verbis non nimium tribueret, vt vero eũ frequenter eadem tamẽ, & maiora etiã animo irato repetere videt,

ratus

Digitized by Google

ratus exilij indignatione commotum in Manfredum flagrare, fidem illi adhibet. Quocirca cum ſocijs, quorum ingens erat numerus, communicato, approbatoq; coniurationis conſilio cum Laurentio conſpirat, ac de patrandæ rei q̃ maximè idoneo tempore conſultat, conueniṫq;. Anni itaq;. 1351. decimo tertio Decembris die, coniurati, Laurentius quidem fraudulenter, Robertus, & ſocij ex animo vexillo Regis ſubleuato aliquādiu in foro noctu conſiſtunt, mox illuceſcente per vrbem vitam Regi, plebiq; editis vocibus precantes palam excurrunt, rectaq; ad Palatium, vbi Manfredus morabatur, contendunt, plebs nouitatis auida ad vocū æmulationem, ſocietatemq; facinoris ſine negotio excitatur, atq; ad Palatium ruit. Sed vbi ingredi non licuit (nam Manfredus plebis furorem timens integra re familiari ſeſe in arcem receperat) ad priuatas vtilitates conuertuntur, palātesq; per vicos, alij alias domos aggrediūtur, fortunas Genuenſium mercatorū diripiunt, Claromontanorum, atq; Paliciorum bona prædantur, deniq; nulla re alia, quàm prædæ ſtudio occupantur. Panormitani Proceres magnitudine, ac nouitate facti commoti hi quidem, ad quorum domos raptores peruaſerant, timore perculſi extra vrbē fugerunt, cōiuratis per vrbē ſæuiētibus & graſſantibus: reliqui verò quotquot capi potuere, ad magnā Comitis Matthæi Sclafani domum, quam nuper à fronte Palatij Regij, & maximi templi à fundamentis ſumptuoſo, ac ſuperbo opere excitauerat, vbi & Laurentius diuertebat, vincti pertrahuntur & carceri mancipantur. Mox Laurentius à coniuratis vrbis Prefectus (quem Capitanium vocant) ſubrogatur. Ita Panormo vrbe occupata, Laurentius, & Robertus Bandus coniurationis authores, & qui manifeſtè vrbem tenebant, annonæ caritate vrbem vel maximè præmi videntes, ad concionem populum vocant, annonæ inopiam exponunt, diſcrimē maximum ni de re frumentaria vrbi hoſtibus circunſeptæ prouideatur, declarant. Porrò vnicum refugium ſupereſſe, vt à Blaſco Alagona, qui ditiſsimus erat, & Catanæ vrbi frumenti locupletiſsimæ dominabatur, annona peteretur, nec non potentiæ eius vrbs vniuerſa ab hoſtibus tuenda committeretur, populus conſilium approbat, miſsisq; cum literis ad Blaſcum nuntijs benigne ab illo annona promittitur. Quin Blaſcus ipſe magna ob legationem lætitia affectus huic iam inde totis animis inhiabat, vt Panormo potiretur, Robertus etiam Bandus, qui opum opinione in diuerſis Europæ partibus negotiabatur, in Sardiniam nauem frumentatum deſtinat. Sed & Laurentius ſimulatis excubijs vrbem munit, aduea, quæ ad obſidionem forent oportuna callidè præparat: eoq; facto ad Matthæum Sclafanum Comitem, & Franciſcum Vintimilium Franciſci quōdā Garaci Comitis filiū, eosq; milites, qui in oppido Acriſtiæ ſe tutabātur, ac cæteros Catalanos nūtios ſimul, & literas trāſmittit, per quos libertatē Panormitanæ vrbi reſtitutā, Māfredū Claromōtanum palatio concluſum, ac cætera omnia, quæ facta fuerant (præter fraudem) exponebat, eos ſubinde hortatus, vt vrbem regiam contra hoſtes Palicios, & Claromontanos, ac coram à tanto rerum diſcrimine ſeruare feſtinent. Franciſcus Vintimilius, & germani eius fratres Legationi ſine vlla fraudis ſuſpicione fidem adhibent, nimioq; gaudio effuſi è veſtigio Panormum proficiſcuntur. Vbi à Laurentio, cæterisq; coniuratis magnificè excepti rerum exitum expectauere. At Matthæus Sclafanus conſultius res ſuas agit. Panormum enim accedere periculoſiſsimum ratus, Ciminnæ ſe continet. Milites quoq;, qui in Acriſtia oppido erant, veriti ne per inſidias interciperentur, Panormum ire & ipſi recuſant. Porrò Simon Claromontanus Comes, Manfredi Comitis filius, qui Raguſæ agebat, totius commenti non ignarus, & Māfredus alter Claromontanus, qui Præfecturam apud Leontinos (vt meminimus) gerebat, collecto militum numero Agrigentum veniunt, auctaq; ibi copiarum multitudine Caccabum iter cum ſignis intendunt, Matthæi Sclafani aduē tum ad eius perniciem præſtolaturi. Quo non aduenīente Panormum verſus

pergunt,

Digitized by Google

pergunt,& non longè ab vrbe hoſtilem obſidionẽ ſimulantes caſtra locant,opportunitatemq; patrandi contra Sclafanum facinoris, ſi veniſſet, expectant. Sed vbi per literas illum non venturum didicerũt, veriti ne coniuratione detecta ab hoſtibus ipſi per inſidias interficerentur, clam etiam a Laurentio vocati noctu intra Panormum ſe recipiunt,arcemq; maritimam per poſticum ingrediuntur.Laurentius q̃ primum cognito eorum aduentu per tenebras ruſticum etiam mentitus ad Manfredum Comitem, qui in Palatio Regio latebat, accedit, Simonis filij aduentũ defert. Manfredus vbi ſuos aduenisſe didicit, non amplius cunctandum cum Laurentio decernit,ſed ad proximam lucem facinori diem conſtituit. Igitur illuceſcente dum Panormitani nihil tale metuentes quieta omnia arbitrarentur, ex arce maritima Simon,& cætera Claromontanorum cohors repentè erumpũt, totam vrbem excurrunt, atq; editis vocibus vitam Regi,& populo præcantes ad Matthæi Sclafani Comitisædes, vbi Laurentius Murra vrbis Præfectus hoſpitabatur, accedunt.Laurẽtius vbi Claromontanos aduenisſe cognouit,cum eis conglobatur,eductiſq; etiam his Claromontanis, & Palicijs, quos fraudulenter ibi carceri addixerat,aciem auget. Igitur maxima militum manus,quos Simon ducebat,ad Franciſci Vintimilij ædes proſiliunt. Ille primum quidem inopinato inſultu perculſus,quod viribus diffideret,cum ſuis omnibus fugam arripuit : ſed Claromontanis audacter inſequentibus,Vintimilij pedes firmant.qui & ſi numero inferiores eſſent, animo tamen in propulſando aliquãdiu periculo non impares,Claromontanos fortiter arcebant.Ad extremum cedunt,& inter eos Franciſcus ſtrenue pugnans occubuit:ſed & cæteri Catalani,qui cum Vintimilijs erant, fugæ ſe tradidere. Quos Claromontani inſecuti opprimunt, cædunt, pleroſq; etiam fugæ intentos in præcipitia cogunt. Milites Panormitani,qui in prima vrbis defectione ad ſuccurrendum venerant,atrocitate facinoris perterriti, animo cõcidunt, fugaq; etiam ſalutem ſibi quærunt. Sed cũ ad vrbis portam progreſsi, vectibus ferreis clauſam eã inueniẽtes effringere cõtẽderẽt, ſuperueniẽtibus hoſtibus in eodẽ loco opprimuntur.Claromontani parta hac victoria vrbem totam excurſantes,magnis,ac elatis vocibus:Moriantur Catalani pacis violatores, conclamabant: & quotquot eis occurrebant, ſæuè interficiebant. Mox in Robertũ Bandi,qui principio motuum timore actus in penetralibus domus latebat,ædes irruunt.quem tandem repertum,captumq;, & ludibrijs ferme innumeris affectũ cum cohors occidere vellet, Simon,& Laurentius prohibuere, vicinumq; iã morti cum pleriſq; alijs in carcerem trudunt,domum eius proſcribunt, fortunas diripiunt.Inde ad Ioannem Cuſmerium militem Blaſci Alagonæ ſtudioſiſsimum cõuerſi eũ capiunt, tormentisq; ab eo ſocios exquirunt: quos oẽs ille poſtq̃ vel inuitus indicaſſet,inter cruciatus interijt. Quo mortuo in ſocios,quorum magnus erat numerus,ferũtur,occidunt, domoſq; eorum vi,ac rapinis,incendijsq; inuadunt. Atq; ita violatæ ad Alicatam pacis iniuriam Claromontani ferociter vlti ſunt.Habuit hæc Panormum ſeditio anno ſalutis. 1352. 7. Cal.Februarij. Interea nauis,quam Robertus ad frumentandum miſerat,è Sardinia bis mille frumẽti ſalmis onuſta eodem applicuit.Porrò nautæ rerum ignari cum Robertum, cui commeatus ferebatur,fruſtra quærerẽt, & inde iam ſoluere pararent,à ſeditioſis Bandus è carcere eductus ad littus nautis oſtenditur, receptoq; in vrbem frumẽto,duobus florenorum milibus redemptus dimittitur. Fama tam ſæuæ perturbationis per Siciliam vulgata, tota inſula in ſeditiones & ipſa abijt, ac fame quoq; laborare cœpit.Poſt hæc Ludouicus Rex cum iam decimum quintum ætatis annum compleſſet, nuntio Guilelmo Miliuia Tauromenitano ſimul & literis Iuratos Catanenſes Meſſanam ad regni comitia euocauit. Guilelmus Catanam appulſus ſtatim capitur,& carceri mancipatur, quòd lege ibi cautum erat, ne cui aut magiſtratui iniuſſu Blaſci literas recipere, aut tabellario deferre liceret.

Porrò

Porrò allatis Blaſco literis reſponſum eſt: Nõ eſſe Iuratis ad Regẽ ob aſsiſtentes eius lateri Palicios tutũ acceſſum. Quòd ſi vel eis ſubmiſsis ſuſpicionẽ tolleret, vel Catanã ipſe veniret, præſtò & Senatũ, & ciues oẽs ad mandatum affuturos. Per ea tẽpora cum famis neceſsitate inter Catanenſes, & Leontinos decẽ & nouẽ mẽſium induciæ anno ſal. 1352. diæ quinto Maij eſſent factæ, quibus & Bizinẽſes, & Menenini, qui Blaſco parebant, ſe addixerãt. Vix totũ mẽſem vnũ fœdus ſtetit. Nã cũ pleriq; Bizinenſes oppidũ Manfredo Claromõtano Leontini præfecto tradere ꝓmiſiſſent, ne Manfredus perfidiæ inſimularetur, ſi perſeuerãtibus inducijs Bizinũ occupaſſet, prætextũ ad iniuriã inuenit, quòd ſe abſente Leontini inducias inire nõ poterãt. Solutis itaq; inducijs magna militũ manu Bizinũ adortus prodi torũ auxilio oppidũ occupauit. Verũ authore poſtea Ludouico Rege inter Claromõtanos, & Palicios ex vna, & Blaſcũ, & Catalanos ex altera publicæ induciæ per totũ menſẽ Aug. factæ ſunt. Interea triremis Catalanorũ vna, è Pelopõneſo Catanã applicuit. Quæ Meſſanenſiũ triremẽ fortè præternauigantẽ adoritur, Meſſanẽſibuſq; occiſis capit. Subinde Meſſanã nauigãs nauigiũ quoddã frumento onuſtũ in fretoinuadit, & Catanam deducit. At Catanenſes ne violati fœderis arguerentur, Catalanis littore interdicũt, & nauigiũ vnà cum præda coemptũ Meſſanã ad Dñm mittunt. Catalana verò triremis tribus alijs nauigijs ſecũ aſſumptis Auguſtã nauigat, nauiculas quaſdam mulieribus, & viris onuſtas in portu capit, hominesq; oẽs interficit. Auguſtani apud Mãfredum Claromõtanũ Syracuſis tunc agẽtẽ de hac iniuria cõqueruntur. Qui eueſtigio triremẽ vnã, quã in portu paratã militibuſq; inſtructã habebat, cõtra emittit. Syracuſani vix e portu ſoluerãt, cũ in Catalanorũ nauigia incidunt, triremẽ adoriuntur, irruunt, ac expugnãt, & magna hoſtiũ cæde facta prædaq; quinq; florenorũ miliũ capta victores ſuorũ iniurias vlti Syracuſas redeunt. Tres verò Catalanorũ naues dũ triremes dimicarẽt fuga ſalutẽ ſibi querẽtes, meridionaleq; Siciliæ littus populãdo excurrẽtes, ĩ duas triremes Genuẽſes incidunt, capiũtur, amiſſiſq; nautis, ſimul & ſpolijs, fluctibus obruuntur. Eodẽ ferme tẽpore cũ Veneti cũ Catalanis triremibus auxiliaribus contra Perã Genuẽſiũ tũ oppidũ ſoluiſſent, & prælio conferto victoria penes Genuenſes ſtetiſſet, Genuenſis claſsis pluribus Catalanorum locis depopulatis, Meſſanam quoq;, ac reliquam Siciliam populati ſunt. Deinde Pantallariam inſulam à Sarracenis tũc habitatã, ſed Friderico Athenarũ Duci, Ioãnis Patris teſtamento ſubiectã, a Friderico Rege Aleonorę vxori, & ab ea poſtea decedẽte Ioãni traditã, trãſuecti oppidũ atq; arcẽ expugnãt, Barbaros occidũt, ꝑdant. Poſt hęc, Ludouico Rege authore, inter Blaſcũ, & Claromõtanos, & Palicios, pax eſt inita: quã quo diu turnior eſſet, affinitatibus etiã firmari placuit. Nã Fridericus Claromõtanus Mãfredi Comitis germanus frater, Hẽrico Rubeo Comiti, qui eo tẽpore agẽte Matthæo Palicio Sicilia exulabat, filiã ſuã vxorẽ dedit, nuptijs ſolennibus per triduũ Agrigenti, ad Friderici ædes epulo etiã publico celebratis. Matthæus Palicius Simoni Claromõtano Mãfredi Comitis prognato filiã matrimonio iunxit, eiq; nuptias Meſſanæ ꝑſente Rege magnificas celebrauit. Verũ paucis poſtea interiectis diebus Meſſanẽſes pleriq; viri Patritij Matthęi ob occupatas ab eo ꝑ vim fortunas ſuas oſores, Agrigẽtũ ꝓfecti Fridericũ Claromõtanũ cõmonefaciũt, Matthęũ plura cõtra Claromõtanos moliri, Regiq; ĩuiſos ſuis ſermonibus quotidie eos reddere: hortãturq; Meſſanã vt petat, Regẽq;, q ꝑ ætatẽ rerũ diſcrimina nõ ꝑſpiceret, ad capeſſendã ꝓ ſeditionũ ꝓfligatione regni iuriſdictionẽ impellat. Fridericus his dictis incẽſus collecta nobiliũ multitudine Leõtinũ primũ, mox Mottã. S. Anaſtaſiæ, & deinde Tauromeniũ venit. Vbi cũ Simone Comite nepote de rebus gerẽdis cõſultat. Matthęus Palicius, quẽ æmulorũ machinatiões nõ latebãt, vbi aduẽtũ Friderici cognouit, quò aĩum eius leniret, Petrũ filiũ magno cũ Procerũ numero ad cũ mittit, hortatus, ſi ſaluté cuperet, vt omiſſo ſeditioſorũ hoĩum comitatu, ſuo, & Simõis Comitis cœtu Meſſanã ĩgrediat. Quocirca ille Meſſanẽſibus ad Tauromenium

Henricus Rubeus.

niũ relictis cũ Simone Comite,& Petro Matthæi filio iter persecutus Messanã ad Regẽ venit,atq; maximo honore susceptus est.Regẽ postea ad prouinciã visitãdã multis rationibus exhortatus est.Cũq; regi inopia esset impedimento,Simõ Comes vncias mille regi obtulit, neq; sibi deinceps defuturus. Atq; ita decreto ad mensem Maium Regis itinere, Fridericus triremi conscensa, Proceribusq; ad Regẽ comitandũ dimissis,Agrigentũ reuersus est. Ludouicus verò Rex mense Maio profectionẽ ingressus cũ sorore germana.D.Claræ Messanensis Abbatissa, Ioanne, & Friderico fratribus,Margarita Teutonica eius alumna Matthæi Palicij vxore, Petro Palicio Matthæi primogenito,& Frãcisco Palicio Comite Matthæi consobrino, ac pluribus alijs proceribus Tauromeniũ venit. Ibi Hẽricus Rubeus qui post exilij reuocationẽ nondũ Regẽ inuiserat,suasu Manfredi Claromontani cum paucis inermis ad Regẽ perductus,benigne suscipitur. Interea Castrũ oppidũ in planitie Mylensi situm facta seditione à Rege desciuit. Ad quod Ludouicus Rex repetendũ Henricũ Rubeũ misit.At ille animi prõptitudinẽ, & fidẽ suã incorruptã erga Regẽ prius exponens,mox,quòd armis tunc, & militibus careret,pro illis parandis Catanã eũ petere necesse fore respondit.Aegrè tulit Henrici excusationẽ Rex,& in illũ cõmotus est,quẽ multis verbis qui astabant,pceres paulo pòst demulserunt.Hẽrico Catanã profecto, Ludouicus ipse Rex coactis copijs Mylas versus ad Castrũ expugnandũ perrexit.Sed per certũ nũtiũ de recepto per Corradum Spataforã oppido certior factus,Tauromeniũ redijt. Hẽricus verò de Castri recuperatione incertus, vt Regi gratificaretur,& Messanã,vnde erat oriundus,cũ honore reuerteretur,collecto ex Catanensibus, & Messanensibus armatorũ iusto numero in agros Mylenses impetũ fecit,deinde Castrũ peteus vt receptũ cognouit,socia arma cũ Spatafora iungens oẽm Mylarũ regionẽ ad.D.Gregorij de Gypso vsq; cœnobiũ,hostiliter deprædãdo populatus est. Post hæc Abbatissa Regis soror ad Mascalas agens Blascũ Alagonã accersit,vt cũ Rege, quẽ ille post bellorũ pcellas nõ viderat,loqueret.Sed ille, cũ Claromõtanos, & Palicios velle, vt octo dũtaxat Proceribus comitatus,& corã ipsis Regẽ alloqueretur intellexisset, ridiculã comitatẽ illudẽs,re infecta,& venia ab Abbatissa impetrata Catanã reuersus est.Porrò anteq̃ abiret,Ioannes Regis germanus morbo correptus die. 22. Iunij mortẽ obijt. Quã tñ Palitij,& Claromõtani veriti ne à Blasci militibus seditio aliqua excitaret, vsq; ad discessum eius celauerunt. At tũ demũ more regio inferijs peractis,Messanæ cũ Ludouico Rege eo pfecto corpus eius in maiori ecclesia tumularũt. Interea Henricus Rubeus iter inceptũ citato cursu Messanã versus intendẽs ad tẽplũ.D.Sepulchro dicatũ irrupit.Cuius aduẽtu Messanẽses vario metu perterriti quisq; sibi timet:Et Matthæus præsertim Palicius veterum iniuriarum memoria, nõ mediocriter pculsus,ad sedãdos motus,q eius accessu ĩ ciuitate posset exoriri,Regẽ,q ĩ officio populũ cõtineret,p vrbẽ obequitare fecit:ac deinde p nũtios Regios Hẽrico mãdari, ne Messanẽses offẽderet.Ille ne quã volũtatis suspicionẽ moueret,Regis cõtinuò iussa amplexus, castra inde ad.fl.vsq;.S.Stephãi cognomẽto paruuli remouit.Vbi dũ p dies aliquot stationes agit,Simõ Claromõtanus Comes,Frãciscus Palicius & ipse Comes intolerabilis Matthæi pfidiæ pertesi,suadente,atq; etiã comitãte Abbatissa perpetuã cũ Rubeo societatẽ ineũt.At Rex noua hæc maiorũ bellorũ initia anteq̃ increscerẽt,suffocãda ratus,authorẽ se ipse pacis pbuit.Pro qua firmãda cũ Abbatissæ.Comitũq; noĩe, q adhuc ad.S.Stephãi.fl.erãt,Corradus Spatafora ad Regẽ Legatus accessisset Matthęus Palicius recessuro insidias parauerat,qbus vocis huius cõceptæ(hora est)signo dato,ex ĩprouiso opprimeretur.Igitur dũ peracto Legationis munere intra mœnia ad. D.Ioãnis cognomẽto militis suburbiũ Corradus puenit, à Palicijs,hora ẽ, ex cõposito cõclamãtibus,repẽte ex occulto eductis gladijs ĩpetit. Qui vt p insidias ad mortẽ se circumuentũ videt,quod vnum eo periculo supererat subsidiũ,frequentatis, & ingeminatis vocibus ne innocentẽ, & pacis nuntiũ occidi patiatur, plebem implorat.

plorat. Meſſanenſes itaq; ad tã miſeras voces confeſtim exciti in tumultũ abeũt: conglobatiq; è gladiatorũ manibus erepto Corrado vitã Regi, populoq;, ac mortem Matthæo Palicio, vt ꝓditori, pacisq; hoſti cõcepto preconio imprecãtur. Ad hanc horrendã, meritamq; vocẽ mulieres ædibus egreſſæ cũ populo ſe iũgunt, Regisq; vexillo ab earũ vna elato, ad portã. D. Antonij ꝓgrediuntur. Quã cũ peſſulis obductam cõperiſſent, vectibus ſecuri conciſis aditũ oĩbus præbuerunt. Matthæus clã furori cedens cũ vxore, & liberis in Regis Palatiũ deſerta vrbe ſe recepit: vbi Regis nomen ſibi munimento fore confidebat. Magiſtratus oĩs metu cõterritus fugã arripuit. Abbatiſſa verò, & Comites, qui Legati reditũ præſtolabãtur, percepto ciuitatis motu non ſine magno militũ præſidio circunſcpti inermes tamen ipſi in vrbẽ nemine prohibente ingrediuntur. Vbi cũ pauliſper cõquieuiſſent, ciuitatẽ, ne ad prædationes conuerteretur, diligẽtibus, armatisq; per noctẽ excubijs, & militibus inſtructis tuebantur. Poſterò verò die, ne defectu magiſtratus in licentiã perrũperet, Nicolaũ Cæſariũ Strategũ inſtituunt, edicũtq; per preconẽ ſub capitis mulcta, ne cui vel minima irrogetur iniuria, quod eo momento ab oĩbus in tanto rerũ tumultu obſeruatũ fuiſſe non eſt indignũ admiratione. Sequenti porrò die, qui duodecimus Cal. Aug. perhibetur, hora ferme duodecima (mirũ viſu) dũ quieta viderentur oĩa, mulierũ noua rurſus exoritur cõmotio, & prælato Regis vexillo in Matthęũ inuecta ad Palatiũ euaginatis enſibus accurrũt, ianuas ſibi aperiri, dediq; ad necẽ Matthæũ Paliciũ infeſto agmine poſtulantes. Quas cũ è feneſtris Ludouicus Rex bonis verbis mulcere, ac mitigare conaretur, exſperata etiã mulierũ audacia, minis, atq; demũ igne ad ianuas exurẽdas iniecto, ni Matthęus dedat, Regẽ terrẽt. Quibus Rex interritus, ꝑ poſticũ piculo ſe eripe coactus ẽ. Eoq; demũ egreſſo, Hẽricus Rubeus ex Comitibus ſolus, & ꝓmiſcua Meſſanẽſis plebs eadẽ porta in Palatiũ irruẽtes ſubtili inueſtigatione Matthæũ Paliciũ inquirunt. Quo nõ inuẽto in quendã eius familiarẽ, ac portitorẽ incidũt, irruũt, ac trucidare pergunt. At ille ſupplex vitam ſuam precatur, polliceturq; locum, vbi Matthæus Palicius & ſui latebant eis ſe oſtenſurum. Igitur eo duce ad locum accedunt. Is erat aula ſubterranea, quam ſibi Aleonora Siciliæ olim Regina ad terremotus, qui Meſſanæ frequentes ſunt, & tonitrua vitanda fabricauerat, vbi Matthæum inuenere. Qui vnà cum Margarita Teutonica vxore, & liberis à plebe promiſcua captus, & Rubeo præſentatus, ſupplex quidem, & ad pedes eius prouolutus veniam precabatur: ſed ab irruentibus mulieribus, & plebe, Hẽrici mãdato cũ ſuis oĩbus iterfectus, ac ſubinde traiectis fune tibijs, equisq; in diuerſã raptantibus per vrbẽ diſtractus eſt. Vxoris quoq;, eadauer adeo ignominioſè affectũ eſt, vt nõ modò Barbaris, ſed tygribus ipſis horrori eſſe potuerit. Caput Matthæi, & brachium Meſſanenſes pleriq; poſtridie Catanã ad Blaſcũ rẽ ei gratã facere rati detulerũt. At ille viſis mẽbris gemitu, & lachrymis caſum inimici proſecutus eſt: Catanenſibus interim tota vrbe gratulantibus. Et ne naturæ deeſſet, honorifico funere, ingentiq; exequiarũ apparatu ea mẽbra ad. D. Dominici ædẽ, q̃ iuxta Arcẽ erat, tumulari iuſsit. Interea Meſſanẽſes occiſorũ corpora iecto igne extra vrbis mœnia cõcremarũt. At eorũ, ac Margaritæ præſertim mortẽ Ludouicus Rex ægerrimo aĩo, ac lachrymis etiã obortis pertulit. Qui cũ Simonẽ, & Frãciſcũ Comites Matthæi necis inſimulaſſet, illiq; in Henricũ hoſtẽ culpã conieciſſent, ſe vero, quod ſemper lateri Regis aſtiterint, & nũq̃ ab eo diſceſſerint, excuſauerint, tam Henrico, vt inimico, q̃ illis, vti inſontibus pepercit. Nec multo pòſt Rex inſalutatis Henrico, & Simone triremẽ cũ Friderico fratre inſcendens Catanam eſt profectus, ibiq; à Blaſco, totaq; ciuitate pro dignitate exceptus eſt. Eius diſceſſu Meſſanæ patefacto Abbatiſſa, & cæteræ Regis ſorores Henrico Rubeo, & Simone Claromontano comitantibus Catanã & ipſæ terreſtri itinere petiere. At Simon nõ ſatis adhuc ſibi placatũ Regis animũ metuens, deſerto Comi-

tatu ad Mottã. S. Anaſtaſiæ, cuius Hēricus erat Dñs, ſeceſsit, vbi ſe tueretur. Vnde à Rege accerſitus cũ parere recuſaret, in cõtumaciam incidit, atq; inde ſuffugiens Leontinum petijt. Vbi quæ acciderant Manfredo Claromontano expoſuit. Hic his cognitis oppidi ſtatim mœnia diruta reficit, vxorẽ, & rẽ familiarẽ veritus ne Rex bellum contra ipſum, & Simonẽ moueret, Syracuſas tranſmittit. Poſt hæc Ludouicus cupiens procerũ diſcordias extinguere, ſenſimq; nomẽ Claromõtanũ, & Paliciũ ſubmittere. Abbatiſſam publico conſenſu Vicariam regni cõſtituit, & inter Proceres oẽs Rolãdũ Aragonũ, Regis Patruũ, Buccheri Dñm, Ioãnẽ Barreſium Guilelmũ Cardonã, Corradũ Spataforã, Franciſcũ Vintimiliũ, Matthæũ Montecatinum, & alios numero quingentos & eo plures, inter quos qualiſcunq; ſimultas interuenerat, pacẽ firmauit. Ac ſubinde Simonẽ Claromontanũ, pmiſſa etiam per Abbatiſſam venia ad ſe vocauit. At ille in ſentẽtia pertinax obedire noluit. Cuius rebellione Rex adeo in Claromontanos excanduit, vt aliquando cũ ad venandũ perrexiſſet, in bouẽ incidens, quẽ agricolæ Claromontẽ nominabant, ſtatim eum enſe iugulauerit, inhibens inſuper illico ne Claromontano noĩe amplius ſub capitis pœna vterẽtur. Erat præterea eo tẽpore Caltagironũ oppidũ iuris quidẽ Regij, ſed Simonis Comitis arbitratu regebatur, veluti & maior Siciliæ oppidorum pars Claromontanis vel ſuo vel Regio noĩe ſubibant. Simon veritus ne publicata eius contumacia Caltagironum à ſe deficeret, magno equitum numero illuc acceſsit: ſolitoq; honore ſuſceptus eſt, vbi oppidanos in ſua fide ſtabiles, & Catalanorũ oſores vidit, Nicoſiam, quod Blaſcus Regio noĩe tenebat ad expugnandum cũ exercitu perrexit. Erat eo tẽpore oppidi, & arcis Præfectus Rogerius Teutonicus miles Regis perq̃ neceſſarius, qui nõ defectionis, ſed ſalutis conſilio, hinc exercitus Claromontani, inde plebis quoq; Claromõtanorũ ſtudioſæ metu perculſus cũ reſiſtere non poſſet, relicto Simoni oppido clã ad Gallianũ prius, & poſtea Catanã ſeceſsit. Quo audito Mãfredus de Modica Caltagironẽſis, genere clarus, & inuicta erga Regẽ fide re familiari collecta, & vxore, liberisq; aſſumptis ſibi timẽs noctu & ipſe Caltagirono abiens Catanã ſe cõtulit. Vbi cũ aliquandiu quieuiſſet, paucis ſibi à Rege datis militibus inſtructus Caltagironũ redijt, paruoq; illud negotio expulſis Claromõtanis Regis noĩe recepit, & Guilelmo Cardona Præfecto conſtituto præſidiarijs, quos à Blaſco per Artalẽ acceperat, egregiè muniuit. Dũ hæc apud Caltagironũ aguntur: Leõtini in agrũ Catanẽſem excurrentes cũcta vaſtabãt, & populabãtur, magnisq; armẽtis inde abactis incẽdijs etiã fœdabãt. Quo Rex cognito cũ exercitu ad Teriã. fl. venit, Leõtino bellũ moturus. Sed à Blaſco, & cæteris Proceribus dehortatus ẽ. Sub idẽ tẽpus & Mylæ oppidũ, quod Regiũ erat Nicolao Cæſario authore ad Claromontanos defecerat, quò Rex ſtatim magno exercitu inſtructus, pfecturus, Caltabianũ prius, ac deinde Caſtrũ venit. Vnde à Rege fecialibus Mylenſes acceptis, facile deditionẽ fecere. Atq; inde Ludouicus Rex Mylas ingreſſus cũ Nicolaũ Cæſariũ, q arcẽ pſidio munitã tenebat, ad deditionẽ fruſtra eſſet hortatus, in foro publico eũ cũ ſocijs pduellionis reos declarauit. Quo in arce cognito obſeſsi perduellioni contumelias, ac ludibria ætiã Regi adhibẽt. Inſigne nãq; Regis, ac caſtrẽſe vexillũ, quod fidei ſignũ ẽ, ad arcis muros efferunt: deinde vitã Regi, & Abbatiſſæ effuſis vocibus imprecantur. Quibus auditis cũ obſidentes arci appropinquaſſent, multis acclamationibus obſeſsi Claromontis nomẽ ad cœlũ efferunt, ſtatimq; in Regis ludibriũ, necnõ iniuriã ingẽtes lapides, ac belli machinas in domos oppidi, quæ arci ſuberant, ac in Regios milites reijciũt, deiectisq; ex arce Regijs inſignibus Claromõtana rurſus vexilla efferunt. Rex vbi arcẽ natura, & arte inexpugnabilẽ videt, Henrico Rubeo cũ copijs in oppido relicto, Catanã redijt. Henricus verò munito oppido, & relicto ibi non contemnendo præſidio Meſſanam petijt. Nicolaus Cæſarius cognito Henrici diſceſſu cum Aſtaſio ſanctæ Luciæ oppidi Præfecto Claromontanorum etiam ſtudioſo

dioſi de repetendis Mylis per literas conuenit. Igitur ad Cal. Nouembris Aſtaſius magno cũ equitatu, ac peditatu eò accedẽs machinis muros aggreditur. Quos cũ oppidani repentino impetu perculſi remiſsius defenderent, ab hoſtibus mox auctis animis portis effractis oppidum captum, deprædatumq; Claromontanis redditur. Ludouicus Rex accepta Mylarum clade, & Claromontanos in dies à ſe deſciſcere, nec regijs oppidis abſtinere conſpiciens apud Catanam, nouam in eos proſcriptionis ſententiam tam Procerum, quam curiæ conſilio pronuntiat. Eodem ferme tempore Argyra oppidum ad Claromontanos defecit. Quod paulo poſt, Rex cum Abbatiſſa, Blaſco, & cæteris proceribus eo profectus, fugatis Claromontanis Agyreneisq; ſe dedentibus, recepit. Interea Ioannes Saccanus Regis hoſtis, q oppidũ fluminis Niſi Claromõtanorũ nomine tenebat, coactis copijs oppidulum Scalettam, & Cœnobium Sanctæ Mariæ de Rocca amatoris abrogato Regis Dominio Claromontanis ſubdidit. Leontini quoq; nouas in agros Catanenſes excurſiones facere, armenta abigere, ſegetes vſq; ad Mortam Sanctæ Anaſtaſiæ incendere non diſtiterunt. Ludouicus Argyra oppido præſidijs munito ad reliqua amiſſa oppida recipienda ſe comparat: Calaxibettam oppidum petit, vbi ab oppidanis benignè ſuſceptus, Tauim vicinum inde oppidulum per nuntios etiam recipit. Ad Ennam poſtea Claromontanorum oppidum progreſſus cum conſilio potius, q̃ armis ad illud repetendũ opus ſibi fore cognoſceret, Abatiſſam ad mulcendos incolas cum duobus nuntijs præmiſit. Sed Ennenſes captis, trucidatiſq; nuntijs, Abbatiſſæ etiã contumelijs affectæ mortem comminantur. Rex conſilio fruſtratus Catanam, vnde venerat, redijt. Poſt hæc Frãciſcus Palicius Comes, qui a Rege cum Simone deſciuerat, ne nihil contra Regem egiſſe videretur, Meſſanam vnde erat oriundus, inuadere, atq; incendere decernit. Sed cum vires ad tantum facinus ſibi non ſufficerent, agricolam quendã, qui ſibi portam vrbis de Muſellis dictã orientẽ, ac Cœnobiũ S. Saluatoris reſpicientẽ, effringeret, auro ſubornatũ præmittit, ipſe triremi, & nauigio cum militibus ad facinus idoneis vectus in freto ruſticum præſtolabatur. At dũ ille portã imprudẽtius ſecuri effringit, bubulcus quidã, qui fortè ea nocte foris obdormierat, ictuũ ſtrepitu experrectus rẽ videt, viſam mox Damiano Saglinpipi, quẽ Rubeus regio nomine vrbi Præfectũ ſubrogauerat, properè denuntiat. Quo nuntio Damianus excitus ſtatim ad portã accurrẽs, ruſticũ adhuc in ciuitatis exitiũ occupatũ capit, tormẽtisq; rẽ oẽm, & cõiuratos etiã ab eo extorquet. Quos cũ illucescente oẽs in vincula coegiſſet, Matthæus Caciola Catapanus ciuitatis cõiurationis & ipſe particeps Damianũ obiurgãs, quòd ciues abſq; legũ ordine carceribus mancipaſſet, à Damiani militibus apparitoribus impetu facto confoditur. Ita tũ Meſſana vnius ruſtici indicio & Damiani prudentia ab incurſu, & incẽdio ſeruata eſt. Interea verò Rex a Tauromenitanis Catana accerſitus, eò paratus ſe cõtulit; & primũ quidẽ turrim Maluicinũ, quã inter duas Tauromenij arces veluti inferioris frenũ a Matthæo Palicio erectã Claromõtani tenebant, magno niſu cepit. mox Ioãnes Amodeus miles Claromõtanorũ noïe arcis inferioris Præfectus metu perterritus arcẽ Regi reſtituit, quã Ludouicus receptã Berẽgario de Monterubeo Catalano cuſtodiendã cõmiſit. Atq; inde ad arcẽ ſuperiorẽ, quæ Mola dicitur, expugnandã magno militũ numero ꝓfectus eſt, ſed capto tantũ vico cũ arcis ſitus natura munitiſsimus eſſet, & inexpugnabilis, & ob id obſidio in longum protraheretur, vel inuitus Tauromenium redijt. Sed paucis pòſt diebus, quibus ſe Tauromenij continebat, Nicolaus Mutabenius Meſſanenſis Molæ Præfectus mutato repente animo Regis nomen edita voce vocare cœpit, accerſitoq; ad ſe Ioanne Pariſio Meſſanenſi Regis familiari arcem ſe dediturum ſpondit, ſi Rex ipſum Ioannem præficiat. Quo repudiato, cum Andream Rubeum militem Meſſanenſem Rex præferret, Nicolao in ſententia perſtante,

Andrew Rubeus.

Rex obsidione circa arcem relicta Catanam secessit. Eodem ferme tempore Falcus Cubertus Catalanus genere arcis Calatrasis præfectus Claromontanos Regis hostes ludificaturus, cum Perribono Calandrino Corilionensi Regis studioso, qui arcem Patitarum à fundamentis erexerat, fraudem confert, simultatem simulant, singulari certamine pugnant. Quo Falcus à Perribono superatus, in tetrum carcerem conijcitur. Præerat eo tempore Mazaræ Claromontanorum nomine Ioannes Grapheus Partannæ oppidi Dominus. Ab hoc Perribonus auxilia petit: quibus à Catalanis in Calatrasi existentibus multa ob iniuriam Falco illatam cõtra molientibus vel se tueri, vel illos expugnare posset. Grapheus ne insidijs caperetur, nuntios ad Falcum videndum mittit. A quibus vbi rem didicit, fidem adhibet, equitesq; quinquaginta Perribono auxiliares mittit. Qui Patitarũ profecti à Perribono perfidè & capiuntur, & interficiuntur. Sub idem tempus Artalis Alagona Blasci filius magno cum equitum numero præclari alicuius contra Claromontanos facinoris patrandi consilio, Sortinum oppidum, quod Perelli de Modica Regis familiaris ditiõis erat, & à Syracusanis in dies excurrebatur, tacite perrexit. Inde cum palantes Syracusani de eius aduentu ignari suo more prædis distraherentur, præmisso exploratore Bartolino, & ab hostibus capto, in eos irruit, hostes improuiso malo perculsi, cum numero essent inferiores, relicto Bartolino, & præda, in fugam vertuntur. Quos Artalis insequens multa clade affecit, plurimos oppressit, reliquos cepit, pauci pedibus salutem sibi redemerunt. Fuit inter captiuos Franciscus de Modica Friderici de Modica Sortini olim Dñi ex pellice pgnatus, qui decedente patre iure hæreditario Sortini principatũ ambiebat, cuius actio iam inde à tempore Petri secundi Siciliæ Regis contra Perellum, qui vt Friderici germani fratris filius ei successerat, in magna Regis curia pependerat. Hunc ab Artali captum, & Sortini carceri addictum post dira tormenta Perelli vxor laqueo suffocauit, atq; ex alto arcis muro in terram præcipitem dedit. Ludouicus Rex percepto hoc Artalis stratagemate, Syracusanos ea clade animo deiectos arbitratus, cõtra vrbem Syracusas mouet. At Syracusanis strenue vrbem tutãtibus, Rex fœde inde discedẽs Sortinum prius, Palazolum postea venit. Sed ab oppidanis, qui Claromontani erant, non receptus, Neetum petijt. Vbi magno honore receptus, Catanã deinde est reuersus. Interea Regij milites, qui Molã arcem obsidebant, turrim ligneam lapidibus refertam erigunt, quos inde in arcẽ mitterent. Claromontani per noctem Manfredo Grugno authore turrim incendunt, eoq; etiam duce Molæ vicum recipiunt. Deinde coniuratione cum quibusdam Tauromenitanis facta, cũ Tauromeniũ capere sperarent, proditione detecta, coniurati omnes simul cum Manfredo à Regijs militibus trucidati, atq; in frusta dissecti sunt. Post hæc Claromontani, qui a Ludouico Rege desciuerant, triremes quatuor militibus instructas ab Aloysio Neapolitano Rege, ad Siciliam inuadendam impetrant, atq; Messanã veniunt, nulloq; belli facto periculo Euphemiã Ludouici Regis sororem alloqui petunt. Quo minimè concesso, ad arma veniũt, lapidibus, balistis, atq; alijs bellorum monumẽtis ciuitatis muros infestant, sed à Messanensibus fortiter repulsi fœdè inde Rhegium reuertuntur. Neq; multo pòst ciues Policienses Claromontanorum, quibus subeerant, non ferentes iniurias, ad Franciscum Vintimilium Giracij Comitem missis nuntijs oppidum Regis nomine illi offerunt. Quo Franciscus armatorũ collecto idoneo numero profectus, pactis cum oppidanis legibus, sub auroram per patentes portas oppidum ingreditur: eoq; potitus ad arcem oppugnandam procedit. Quam cum diu fruſtra impetijsset, monacus quidam, qui in arce deditionem obsessis fruſtra persuaserat, datis è specula Francisco signis, funeq; ab arce in terram dimissa, per tenebras Frãciſci milites attraxit. Atq; ita demum arcis custodibus, Præfectoq; captis, admissoq; per portam Francisco, Politiũ, & arx in Regis potestatem venere. Inde misso

contra

Digitized by Google

contra Naſum oppidum exercitu per deditionem illud etiam recepit, Franciſci Palicij vxore & liberis, qui ibi ſe tuebantur, Catanã tranſmiſsis. Thermas poſtea Cephaledim, & Sanctam Luciam oppida cepit. Interea triremes quatuor Neapolitanæ ad Syclis oppidi littora applicant. Ibi Franciſcus Palicius, & cæteri Claromõtani, qui cum Aloyſio Rege fœdus datis etiam obſidibus obfirmauerant, claſſe inſcenſa Catanam petunt. Vbi cum in Ludouicum Regem etiam audientem contumelioſa verba euomuiſſent, Neapolim ad Aloyſium nauigant, & cum eo coram conſilia cõferunt. Atq; inde poſtea cũ ijſdẽ nauibus, quibus Myletus Comes præerat, cõmunitis, Siciliã repetunt, Mylisq; milites in terrã exponũt. Quo viſo Nicolaus Cæſarius, cuius paulo ante meminimus, arcis Mylenſis Præfectus, oppidum, & arcem vncijs quinquaginta ſupra mille claſsis Nauarcho vendidit, & cum claſſe in Calabriam traiecit. Interea Nicolaus Mutabenius miles Meſſanenſis arcem, Molamq; oppidulum, cui præſidebat, Eufemiæ Ludouici Regis ſorori, quam Infantiſſam appellabant, Regis nomine liberè dedidit. Nec multo interiecto tẽpore apud Ennã repente tumultus Philippo Raya iurecõſulto authore exoritur. Ciues nãq; Claromõtanos exoſi Ludouicũ clamãt, eiusq; ſigna explicãt, & per vicos circunducunt, oppidi Præfectus, & vniuerſa Claromontana factio in tanta rerum mutatione cauti ne à Rege interficerentur, Regium nomen & ipſi inuocant. Eoq; motu conglobati ad arcem, quam veterem vocant, oppugnandam concurrũt. Sed arcis præfectus licet inopinato metu territus vexillum Regis extuliſſet, ſtrenuè tamen obſtitit. Præfectus etiam vrbis, qui Claromontanus erat, cum ſocijs etſi Regem per oppidi vicos acclamaret, facto concurſu ad arcem nouam, quam Fridericus ſecundus Siciliæ Rex erexerat, venit, quem Præfectus arcis Claromontanus apertis foribus intus recepit. In eo tumultu cum Philippus Raya, qui populi motus author exiterat, eſſet, ab oppidi Præfecto lancea tranſixus occubuit. Oppidani hoc viſo ira perciti toto in Claromontanos impetu mouentur, obuios quoſq; occidũt, bona eorũ diripiunt, ac Regis nomine oppidũ tenent. At cum Præfectum oppidi eſſent delecturi, qui partes Regis ſequebantur, Calaxibettanis, qui probatæ fidei habebantur, Præfecturam deferendam cenſebant: qui verò ſimulatè in obſequium Regis conuenerãt, non aduenã, ſed ciuem præficiendum reclamant, atq; Theobaldum Bibitellum Ennenſem virum ſtrenuum Claromontanis inuiſum, quorum inuidia adhuc exulabat, dolo proponũt, cui abſenti duos ad ſuas fraudes ſubornatos ſubrogant; per quos priuſq; ille aduenire, oppidum Claromontanis redderent. Illos tamen plebs, ſimulatione decepta, fraudis omnis ignara, approbauit. Interea ſubrogati in populo quidem fortiter, ac iuſtè Magiſtratum gerunt, ſed clam à Platienſibus Claromontanis vicinis auxilia contra oppidanos Regios ſolicitant. Calaxibettani ſub hæc vulgatis vicinorum motibus, Ennam ad tutandam Regis dignitatem conuolant. Sed ab Ennenſibus promiſcuè clauſis portis retro pelluntur, a Regijs quidem veritis ne abrogato Theobaldo, quem propediem præſtolabantur, aduena in Præfectum deligeretur, à Claromontanis verò, ne ſuorum conſiliorum hoſtes reciperentur. Inter hæc ex Platia Claromontani auxiliares ſuperueniunt, & patefactis per ſubrogatos portis ingreſsi impetu per vicos feruntur, Claromontanorum nomen conclamant, inuocant, efferunt, vexillum explicant, continuoq; ſtatum oppidi immutant. Præfectus nanq; vrbis, & qui paulo ante cum eo in arcem nouam ſe receperant, ſtatim ex arce proſilientes, ſocia arma cum Platienſibus iungunt, in regios irruunt, cædunt, domos populantur, ac magna demum edita ſtrage incendijs conſumunt. Arcis quoq; veteris Præfectus Regis inſigni ſubmoto Claromontanum erigit. Plebs inconſtans hoſtibus circunſepta, cum inferior eſſet, mutatis repente animis Claromontanos & ipſi conclamant, Regis nomen contumelijs afficiunt, paucis exceptis, qui fuga ad Calaxibettam dilapſi ſunt. In Enna ad Claromontanos

romontanos rursus defecit. Dum hæc apud Ennam geruntur: Panormum triremes Neapolitanæ à Manfredo Comite accitæ applicant, summaq; congratulatione excipiuntur. Policienses, & qui pauci in regione Mazaræ regij erant, aduentu classis Aloysij cognito per nuntios Ludouicũ, qui Catanæ erat, frustra vrgent, vt Panormũ omnino repetat, ne vrbe Regia amissa totius Regni sequatur excidiũ. Eodem ferme tempore Simon, & Manfredus alter, Claromontani Leõtino coactis copijs egressi Catanam aggredi deliberant. Quorum insidias ad locum, qui Pantanus hodie dicitur, caute dispositas, vt Blascus Alagona cognouit, militum Catanensium opera loco pulsas in Leontinum fugauit. Interea Iacobus quoq; Claromontanus Simonis patruus, qui Nicosiam supramodum vectigalibus premebat, ab oppidanis in furorem actis, pulsus, in arcem se recepit. Quo statim Rex ab eisdem euocatus affuit, regioq; honore susceptus est. Cũq; arcẽ magnis viribus esset aggressus, & expugnatu difficilem eã cerneret, Rogerio Teutonico milite in suum locum ibi suffecto, Catanam redijt. At non multo pòst Iacobus viriũ suarum probè conscius, dimissa per deditionem Rogerio arce, Spirlingam, quæ Claromontanis quoq; auspicijs regebatur, concesit. Sub idem etiam tempus Ludouicus Rex Caltabianum oppidum absq; arce recepit. Quam postea Artalis Alagona expugnauit. Quo progressu animo erectus Leõtinum, quod totius seditionis fuerat initium, subiugare deliberat. Eoq; consilio Catanæ magnum exercitũ, & ad oppugnationem necessaria quæq, comparat. Manfredus è diuerso & ipse ad obsistendum oportuna instruit, plebem ad propugnandum longa oratione hortatur. Cui à Francisco Cantello, se in Sarracenorum potius, q̃ in Catalanorum manus venire, paratos esse plebis nomine responsum est. Ludouicus interea Artalẽ Alagonam cum Guidone Vintimilio, ducentisq; equitibus Leontinum præmisit, quos ipse vnà cum Blasco Alagona, Ioanne Luna, Rolando Aragonio, Francisco Vintimilio Comite, Manuele Comite, & cæteris Regni Proceribus secutus castra contra Leontinum mouit. Artalis dum cepto itineri intendit, ad villam cui eo tempore a Siluestro erat nomen, peruenit. Vnde exploratores expediuit, qui ad flumen. S. Leonardi progressi Manfredi milites in insidijs positos deprehendũt, ac statim Artali renuntiant. Quo accepto Guido prior cũ socijs, ac mox Artalis cũ suis in hostes egrediuntur, irruunt, turbant, cædunt, magnaq; edita strage, qui superfuerant ad Leõtini vsq; muros insequuntur. Superueniens interea Ludouicus Rex ad Vineam Receputi à Receputo vno ab vrbe lapide distantem castrametatus, Leontinum obsidet. Manfredus instante periculo mœnia reficit, milites distribuit, excubias ordinat, omniaq; ad obsidionem perferendam accommoda comparat. Sed illucescente Ludouicus inde mouens oppido appropinquat, eaq; parte, qua cœnobium. D. Francisci est, stationes facit. Vbi cũ Manfredi aliquot equites ad custodiam essent, eos Guido cum non contemnenda militum manu aggressus, partem trucidat, partem in fugam vertit, eosq; ad arcem vsq;, quæ Battifollis dicebatur, nemine ex oppido ad resistendum egresso, aut belli signum ostendente, insecutus est. Eodem quoq; die Regij milites segetes secant, vineas incendunt, cunctaq; inuenta prædæ exponunt. Postridie verò domos omnes, ac molendina oppido vicina diruunt, flammisq; crudeliter absumunt, Quam sæuitiam magna in oppido, sed maior in exercitu Regis fames subsecuta est, adeo, vt obsidione soluta, & propugnaculis incensis fœdè inde discedere, & Catanam cum exercitu media consumpto, Rex reuerti coactus sit. Quod vbi Manfredus animaduertit, ipse Leontino cum militibus egressus vt iacturam iactura vlciscceretur, Catanẽ ses agros ad Mottam, & Paternionem vsq;, ac deinde eam partem, quæ Syracusas vergit, ad Curcuracium vsq; oppidulum, nec non Sortini, Oxini, & Militelli arua inuadens incendio absumpsit, abductaq; inde omnis generis armenta, gregesq; abduxit. Interea Ludouicus Rex Damianum Saliupipi militem cum triremi

Neapolim

Digitized by Google

Neapolim ad Aloysium Regem misit, querens cum eo, de oppidis quæ in Sicilia sibi nullo inter eos flagrante odio occupasset. Ad quæ respõsum est: Iure id factũ, cum Siciliam sibi deberi certissimum foret. Damianus audito Regis animo Neapolitanam in reditu oram populatus, nauem etiam inde salmarum frumenti mille onustam, & complures mercatores in ea captos Messanam detulit. Ludouicus accepto Aloysij responso ad bellũ futurum totum se parat, loca Siciliæ munit, Damianum Salinpipi, & Rolandum Aragonium ad Regem Aragonum in Sardinia tunc agentem pro auxilio mittit. A quo triginta triremes instructæ post Cirthæ bellum sunt promissæ. Interea dũ Ludouicus hæc parat, Gilius Staitus Messanensis miles, & Nicolaus Muntulenus Tripim, & pleraq; alia Mylensis agri oppidula simulata etiam Regis morte, vt facilius populi deficerent, pro Rege Aloysio frustra aggrediuntur. In Enna præterea Arcis veteris Præfectus arcem, & oppidum Ludouico vltro dedere decreuit. Eoq; animo Rogerium Teutonicum Argyræ tũc Præfectum, & Ioannem Barresium Militelli Dominum ad se cum militibus accersitos noctu in arcem recepit. Qui postq; arcem sunt ingressi illucescente militibus instructi arce egressi Regis vexillo prælato, editis vocibus vitam Regi optant, per vicos excurrunt, & oppidum capiunt. Plebs hac voce conterrita Regi quoq; statim adhæsit. Ita Enna in potestatem Regis venit, nullo tamen ex Claromontanis occiso. At paulo pòst pleriq; Ennẽses, quorum Hẽricus Rascagallus Dux erat simulato Regis obitu oppidum Claromontanis per proditionem reddere decernunt, milites ex Platia missis per nuntium literis accersunt. Sed interceptis per exploratores cum tabellario literis, Rogerius Teutonicus captos coniuratores, qui connumerato Duce viginti fuere, omnes in medio foro furca suspendit, quorum corpora in partes dissecta per vicos proiecit. Post hæc Simon Claromontanus Comes à plerisq; Neetinis accitus Neetum cum iusta armatorũ manu custodibus dormientibus clam ingreditur. Sed cum per vicos Claromontanum nomen inclamando cum suis vsq; ad ædem. D. Francisci excurrisset, Ioannes Landolina oppidi præfectus pluresq; alij strepitu excitati, assumptis armis domoq; egressi contraria acclamatione apud excitos rei nouitate ciues, tantum effecerunt, vt in exitium Claromontanorum, voces ingeminando, hostium non inceptum modo frustrati sint, sed etiam per oppidum discurrentes insecuti, ex ipsis centum quinquaginta trucidauerint. Quorum è muris eiecta cadauera sepultura caruere: vbi Simõ quidem cum paucis fuga salutem sibi quæsiuit. Capti verò complures die sequenti in publico forò à Ioanne Landolina omnes suffocati sunt. Sed ea clade Simon interritus, cum electis militibus Misilindinum oppidũ ab oppidanis plerisq; inuitatus aggressus, paruo labore potitus est. Vbi Berlingarium Inglorã oppidi Præfectum, qui cum pluribus in arcem se receperat, captum contumeliosè trucidauit. Cæterum Henricus Rubeus Comes, qui nomine Regis Messanam regebat vt littoralia Siciliæ tuta ab hostibus redderet, tres triremes ædificauit, cum quibus tres naues frumento refertas, quas eo fortè tempore Comes Auellini vnà cum tribus triremibus à Rege Aloysio e Neapoli Panormum missus Mylas vento coactus perduxerat, non sine magna belli gloria cepit, pluribusq; Neapolitanis, qui in eis erant, cæsis cum maxima rei frumentariæ præda Messanam honorificè reuersus est. Iisdem deinde Henricus Syracusanam oram excurrens, plura Myleti Comitis, qui Aloysij Regis Neapolitani nomine post fœdus cum Claromontanis initum Syracusis præerat, nauigia cepit: vniuersumq; mare Siculum ab hostibus tutum reddidit. Quo etiam tempore Artalis Alagona cum centum leuioris armaturæ equitibus Castrum oppidum profectus, iunctisq; ibi cum Guilelmo Marescalco milite Castri Regis Ludouici nomine Præfecto, qui centum & ipse equites, pedites verò multos habebat, viribus, ad cœnobium Sancti Philippi à plana positis insidijs Agros Mylenses excurrit, ac

cuncta

cũcta depredatur. Mylenſes laceſsiti, armis accincti oppido egreſsi hoſtes vſq; ad locum inſidiarum inſequũtur. Tunc repente ex inſidijs milites proſiliũt, & in Mylenſes ferũtur, cedũt, fugãt, quos Catalani inſecuti occidũt. Cæſorũ porrò equitũ numerus circiter centũ, captorũ verò ſexaginta repertus eſt. Poſt hęc cũ Claromõtani falſo Regis obitu Siciliã impleſſent: Rex ad extinguẽdos falſos hos rumores Ennã petere cõſtituit. Platiẽſes profectionis Regiæ ad Ennam, quæ vicina eis eſt, fama audita ne primi ipſi rebellionis pœnas darent, callide à Claromontanorum ſe abdicare imperio, regiq; ſubijci decreuerant. Sed patefacti eorum conſilij authores à Claromontanis compræhenſi, laqueis damnati ſunt. Interea Rex paratis ad iter neceſſarijs Catana diſcedens Ennam profectus eſt. Eodem ferme tempore plures Platienſes populares egreſsi agros Caltagironenſes excurſionibus vexabant. Quo cognito Rolandus Aragonius, qui tum apud Meneum erat, militibus inſtructus contra egreditur, atq; cẽtum ferme ex eis cędit, totidemq; capit. Inter captiuos porrò Ioannes Branchifortis Mazareni oppidi Dominus fuit, Regis rebellis, qui ad Aloyſium Regem Neapolitanum cum Claromontanis defecerat. Apud hunc literæ ad Aloyſium Regem, ab Agyreneis & Calaxibettanis plæriſq; ſcriptæ ſunt repertæ, quibus eorum oppida Aloyſio offerebant. Qui omnes à Rolando capti, ac Ludouico traditi, ad Ennã furcam ſubiere. Vulgata Platienſium apud Caltagironum clade, Mongelinæ arcis Præfectus Claromontanus Meneum oppidum, vnde Rolandus cum militibus fuerat egreſſus, præſidio carere ratus milites ad populandos eius agros emiſit. Erat inter milites Philippus Ciruiglarius Paternionenſis, qui cum inde à Regis fide ad hoſtes deſciuiſſet, promiſerat Corrado Lanceæ Mongelini oppidi olim Domino illius reſtitutionem ſi ducenti floreni ei perſoluerentur. Nec aliud, q̃ occaſio expectabatur. Qua iam commodum oblata, Mongelinenſibus ſocijs Meneum ad prædandum profectis, Philippus lento gradu, quod equum tum ferreis calcibus exutum ad expeditionem ineptum quereretur, incedebat. Oppidi Præfectus pro veris verba Philippi arbitratus, quo illum ſibi deuinctum redderet, ſumpto ipſe malleo clauos illius equo incuſſurus, dum pauliſper curuus, vt eſt artis, huic operæ incumbit, proditorie a Philippo ictus confoditur. Præfecto occiſo, vxor eius, quæ in arce erat, portas clauſit, occiſo, & occiſore relicto in arcis area. At Philippi vxor, quæ in arce cum ſola Præfecti vxore erat, ſtatim marito ianuas arcis aperuit. Philippus continuò ab vxore intromiſſus arcem ſibi occupat. Quam cum Matthæus Ruſticus Caltagironenſis Conradi ſtudioſus cognita occupatione, Corradi nomine non ſoluto reſtitutionis premio a Philippo poſtularet, reddere ille noluit. Interea Rolandus Aragonius contentioni ſuperueniens, ſoluta Philippo pecunia Regis Ludouici nomine arcẽ obtinuit, fruſtraq; eã ſibi poſtmodũ reddi Corradus, qui Catanæ erat, annixus eſt. His ſucceſsibus Ludouicus Rex animo erectus ex Enna Platiam petijt, ratus per deditionem ſe oppido potiturum. Quo cognito Platienſes foſsis in itinere, quo Rex tranſiturus erat, excauatis, clauos in ſupinum trabibus infixos ſumma puluere cælatos diſpoſuere, vt per eos equi Regij offenſi, equites in foſſas proſternerent. Quorum arte Rex percepta ſoluta obſidione Ennam reuerſus, & inde Politium profectus eſt. Interea Leontini Claromontanam ſæuitiam exoſi Ludouico Regi vrbem cedere decernunt, centumq; circiter ex primoribus ad id coniurati nuntium Catanam ad Blaſcum mittunt, milites ad rem patrandã petunt. Sed ille Rege abſente, & in Regione Mazaræ agente, auxilia mittere noluit. Vulgata per oppidum proditione, & cognitis coniuratis, eos omnes Manfredus furca ſuſpendit. Interea Ludouicus Rex Cameratam, cui Manfredus de Aurea præerat, quem & ſubinde Othobono fratre contumaciæ nomine abdicato in Admirati dignitatem ſuffecerat, venit, deinde Drepanum, Erycem, Calatafimum, & pleraq; illius regionis oppida Riccardo Abbate Duce per deditionem adeptus,

Catanam

Catanam reuersus est. Sed & sub idem tempus Falconus de Falconibus totius seditionis author, qui Regi Aloysio iam paulo antè adhæserat, triremi vna, & duobus nauigijs instructus Neapoli Messanam venit. Cumq; in conspectu vrbis esset, in qualibet naui quatuor noctu accensis facibus, vt Messanensibus se magno cum nauium numero venisse ostenderet, in portum ingreditur, ac Palicios, & Claromontanos editis vocibus conclamat. Sed Messanenses interriti statim ad arma concurrunt, sagittis, alijsq; belli munimentis ex mœnibus illũ incessendo, pluribus eius militibus, ac nautis interfectis inde abire compellunt. Dũ hæc Messanæ geruntur, Syracusas nauis Genuensis cum plerisq; mercatoribus applicat. Quos Manfredus Claromontanus ad prandium inuitat, vncias mille pro defendendis à Catalanis Syracusis mutuo petit, ab Aloysio Rege Neapolitano statim cum Neapolim applicuerint, restituendas. Quas illi negantes minis, & carceribus demum reddere sunt coacti. Per ea quoq; tempora Rolandus Aragonius è Meneo agro cui præerat, in Claromontanos cum militari cohorte palantum more euagatus, à Simonis Raguſæ Comitis insidijs occupatus, fœda suorum nonaginta militũ clade affectus est. Sub hæc, Syracusani è primoribus pleriq; Claromontani imperij impatientes ad Ludouicum Regem deficere, & patriam Tyrannide liberare decernentes, sacramento se ad facinus egregium tempore idoneo patrandum adigunt. Quo Manfredus Claromõtanus cognito, vt tempestiua remedia principijs submitteret, intempesta nocte Zimbardum de Asso coniurationis illius præ reliquis maximè suspectũ capit, tormẽtisq; ad rẽ aperiendã agit. At ille tanq̃ naturali linguæ vitio, sermonisq; defectu impeditus, nihil aperit, omnia negat, tormenta deridet, & liber dimittitur. Manfredus nihilominus oẽs, quorum nomina suspecta haberet, ad Augustam oppidum ad quadrimestre relegat, eoq; elapso demum reuocat. Erant hi viri principes numero viginti, qui Syracusas reuersi non modò a consilio non abstinuere, sed ad rem maturandam magis etiam accensi centum ad suam sententiam alios pellexere, breuiq; occasionẽ, quam fors attulit, arripientes, tandẽ rem sunt agressi. Inter hæc enim Christiani pleriq;, qui pyraticam exercebant, maxima capta præda Syracusas appulsi portũ noctu ingrediuntur: vbi tympana, & æs pulsantes noctem lætitia insomnem transibant. Vrbis vigiles, ac custodes dum vrbem de more circuunt, ædes fortè Ponzecti, qui coniuratorum Princeps erat, prætereuntes, non esse ea (de inusitatis pyratarum ludicris intelligentes) diutius ferenda, sed Præfecto aperienda ingeminabant. Ponzecti vxor, quæ è fenestris eam comminantium vocem excepérat, ad coniurationis facinus interpretata, illico ancillam ad maritum, qui in cõcilio coniuratorio domo aberat, accersendum mittit. Qui cum socijs reuersus, vbi relata à muliere audiuere, & si primũ aĩo conciderint, mox tamen, ne in manus Mãfredi hostis venirent, audẽtiores facti ea nocte facinus peragere deliberãt. Igitur ad Francisci Ciadonæ cõiurationis socij domũ cõueniunt, ibiq; renouato fœdere omnes armis instructi & se inuicem ad liberandam patriam hortati, vt primum solitum matutinale signum ex cãpano ære. D. Francisci accepere, pro tuba illud, signoq; militari interprætati more Christiano Cruce fronte muniti, explicato Regis vexillo domo effunduntur, vrbemq; tacitè excurrendo Claromontanorum domos recta ad cædem petunt. Et Thomasij Martini Manfredi familiaris primæ ædes oblatæ sunt, eum Manfredi nomine vocant, excitant, rogantq;, vt ad nuncia, quæ Neapolitana nauis eo momento attulerat, excipienda approperet, solicitãt. Thomasius nihil hostile suspicatus statim surrexit, equum sibi parari famulo iussit, ad aream domus descendit. Vbi apertis foribus repente à coniuratis irruentibus confoditur, qui cum percussus retro in cubiculum se proripuisset, coniurati eum secuti iteratis ictibus confecere. Fuerat hic Catalani cuiusdam spurio semine prognatus, qui cũ Syracusas venit Regis Neapolitani studio addictus coactis

per

per gradus dignitatibus, vrbis Præfecti consultor est factus, opibusq; tum ex iniquis causis, tum ex vxoris nobilis dote, tum demum ex falsis primorum ciuium accusationibus, proscriptionibusq; congestis insignis est reditus. Porrò eo occiso, coniurati ad domum Franciſci de Placentia, qui Manfredi Claromontani absentis nomine demandatam Præfecturam gerebat, progrediuntur. At cum sub auroram ægrè ianuas absq; vicinorum concitatione sese effracturos sperarent, aperte, ac palam rem agere statuunt. Igitur editis vocibus pacem conclamant, Regi Ludouico, & populo vitam comprecantur. Ad has voces concurrentes cæteri coniurationis socij numerum augent. Plebs etiam ad tumultus excita & ipsa confluit. Matthæus, & Alderisius Aretij, & cæteri, qui Claromontanis adherebãt, ad domum Manfredi cateruatim prosiliũt. Sed vbi manifestè Regios vrbem tenere cernunt, temere obsistere non audent. At Frãciscus de Placentia præ tumultu e lecto nudatus ad fenestram caput egerens iaculo statim salutatus est. Quo signo circumuentum se à Syracusanis intelligens tumultuariè vestibus corpori iniectis præceps ex aula ad penetralia descendit, atq; inde cum ne ibi quidem sibi satis fideret, ad domunculam subterraneã latebras quæsiuit. Sed effractis per Regios securi vectibus repertus, familiari omni eius re omnibus ad prædam exposita pugionibus confossus interijt. His gestis iam illucescente, ad domum Ioannis Syracusij Iureconsulti, & Præfecti Iudicis discurrunt. Ille rumore præcognito ad vicinam cuiusdam Sacerdotis ædem salutem sibi quæsiuit. At cũ in eius domibus non esset repertus, ad sacerdotis domum concurritur. Vbi inuentus statim dilaniatur. Erat hic ille Ioannes, qui cum Roberto Pomico Iudice ad Aloysium Regem Neapolim profectus ibi & pro Syracusanis authoramentum, perfidamq; alieno Regi fidem præstiterat, reuersusq; plebem contra Ludouicum subuertebat: cuius inter alia illud ad populum ꝓphetæ dictum celebratur. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Hoc interfecto ad Nicolaum Sauoyam eorum collegam, qui ne in morte quidem collegium deseruit, pergunt, eũq; interficiunt. Quatuor hisce totius defectionis authoribus, pluribusq; postea eiusdem factionis socijs è medio sublatis, vrbs in eorum potestatem facile venit, proiectoq; Regis Neapolitani vexillo, Ludouici insigne per mœnia erigunt, ac Franciscum Saluagium Regio nomine vrbis administrationi præstituunt, & per vicos circũducunt. Subinde cum eo ad arcem Maniacis explicatis Regis signis expugnandam accedunt: quam Iacobus Podileporus illius præfectus sine vi apertis statim ianuis, illis dedidit. Alteram quoq; arcem Maryhetti appellatam, quæ Neapolitani Regis nomine militibus Calabris erat munita, licet diu reluctantem, pactis tandem inducijs, elapsisq; sat commodè obtinuere. Rolandus Aragonius vbi vrbem captam audiuit, cum Perello de Modica Sortini Domino, ducentisq; equitibus Syracusas venit, atq; idoneo ꝑsidio vrbẽ firmant. Post hæc Robertũ Pozicũ Iudicem, Franciscum de Aurobello, Lanzelotum de Sancta Sophia, & Andream de Taranto Claromontanorum studiosos, vt aduersariorum incolatu vrbem purgarent, capiunt, vinctosq; Catanam ad Regem mittunt. Ludouicus nuntio captæ vrbis accepto ingentem equitum, ac peditum numerum, quem contra Leontinũ parauerat, cum Artali Alagona Syracusas in præsidium transmisit. Munitis itaq; opere, & præsidio Syracusis, atq; Rolando Aragonio cum vicaria Regis authoritate ibidem relicto, Artalis Catanam regredi statuit. Quod vbi Manfredus Claromontanus Leontini resciuit, per insidias eum intercipere quærit, duas acies instruit. primę, quę ducentorum erat equitum, præerant Corradus Malatacca genere Thuscus, Ioannes Septimus Ragusanus, Matthęus Vaccaria, & Matthęus Iuenis Catanenses, secundam vero, quę quadringentos equites continebat, Simon, & Manfredus ipsi Claromontani ductabant. Ac deinde septuaginta milites loco, qui orientem respiciens eo tempore patria lingua Specus Rigitanorum appellabatur,

Digitized by Google

labatur, insidijs locat. Interea Artalis Alagona insidiarum ignarus, Syracusis cum suis Catanam versus iter ingreditur. Verum cum fraudulentam Manfredi naturam, vti semper, ita maxime tum suspectam haberet, cum ad villam Sylvestri peruenit, exploratores ad visenda loca, explorandaq; hostis consilia, apparatūq; equites emissarios aliquot expediuit. Qui cum ad collis cuiusdam verticem hostium equitum acies conspexissent, statimq; renuntiassent, Artalis ad bellum se parat. Milites suos in duas & ipse acies distribuit. Vnam, in qua centum quinquaginta equites percensebantur, Ioannes Landolina, Rogerius Teutonicus, Berardus Spatafora, & Guilelmus Spatafora Rocellæ Dominus regebant. Alteram verò, quæ ex ducentis quinquaginta cataphractis constabat, Artalis ipse dirigebat. Eoq; pacto dispositus vterq; exercitus, cum ad conspectum prodiere, aliquandiu constitit. Postmodum Claromontanis appropinquantibus, in planitie quadā, vbi ædicula vetustissima erat Diuæ Mariæ sacra, anteq̄ ad colles ventū esset, Artalis Rogerij Teutonici consilio certamen fortiter inchoat. Igitur Regij in Claromontanorum primam aciem irruunt, & è diuerso illi in hos maximo impetu feruntur, vtraq; acies strenuè pugnat, sed Claromontani acerrimè Regios premebant. In ea pugna Berardus Spatafora ictu lanceæ in gutture percutitur, fractisq; loricæ squamis vnà cum equo in terram decidit: fratris tamen ope in eundem equum, quem à fuga retinuerat, reuersus, nō minori animo ad prælium redijt, fortemq; in hostes operam nauauit. Cumq; iam superantibus Claromontanis prima Regis acies inclinare visa esset, Artalis prudentia, & Rogerij Teutonici generoso robore q̄ primum restituta est, contritisq; hostibus superior euasit. Nā Artalis in turmas hostium se ingerit, bellum reparat, suos vires resumere facit, hostes premit, eorumq; magnam stragem edit. Et licet Simon, & Māfredus cum suis arma iungere, & illis succurrere pergerent, & atrociter dimicarent, e diuerso Rogerius Teutonicus è vestigio inter hostes se ingerit, plures eorum sternit, adeoq; strenuè pugnat, vt eo die suo ipse brachio supra quinquaginta hostes occiderit, victoriamq; demum Regijs pepererit. Simon etenim, & Manfredus, viso Artalis animo, & Rogerij robore, fugam capessere omnium primi compelluntur, quos Cæteri Claromontani sequuti nihilo impigrius omnes terga verterunt. Sed Regijs eos vsq; ad Palmerium, quod non longe à Leontino aberat, cædendo insequentibus, Manfredus per loca aspera, & difficilia discurrens ad turrim Pantani salutem sibi quæsiuit. Simon verò laxatis habenis cursu velocissimo Leontinum redijt. Quo eodem vespere & Manfredus peruenit. Reliqui verò, qui cladi superfuerūt, fuga & ipsi seruati sunt. Cæsi sunt in eo bello ex Claromōtanis supra ducētos equites, capti verò circiter quinquaginta, & inter eos Ioannes Septimus, & Ioannes Reciputus Leontinus. In quo vno prælio Leontinorum vires, Claromontanorum potentiam, ac Regis Neapolitani in Sicilia imperium concidisse visum est. In nullo nanq; alio bello Claromontanorum tanta clades, sanguinisq; effusio facta memoratur. Ea proinde victoria Ludouicus Rex animo elatus ad Leontinū subigendum se conuertit. At cum sibi res nummaria deesset, Catanenses tarenorum decem per singulas frumenti salmas vectigali sibi impositō, tantum breui auri confecere, vt sufficienti commeatu instructus ad id bellum Rex sexcentos equites, peditumq; ingentem numerum in Leontinensem obsidionem eduxerit. Erat in eo exercitu Blascus Alagona, Artalis Alagona, Ioannes de Luna Catanensis Præsul Regio genere exortus, Matthæus Mōtecatinus, & alij ferè oēs Regni Proceres. Cumq; fames valida Siciliam premeret: equites dum obsidione Leontinum vexarent, segetes terebant, & frumenta per Siciliæ oppida distribuebant. Leontini verò cum annona indigerent, ea parte, quæ ædem Diuæ Mariæ à Roccadia respicit, egressi frumentatum ibant. Igitur Regis exercitus cum pro mœnibus esset, oppidum maximè premebat, è contrà Leontini è muris Regios balistis

vexabant, freti Manfredi, & Simonis Claromontanorum equitibus, qui ad quadringentos erant, & ſtrenuè oppidum defendebant. Cumq; equites Regis muris eſſent propinqui, Manfredus veritus ne populus in ſeditionem moueretur, ad cõcionẽ plebẽ vocat, ſuſpectisq; captis, & carceri mãcipatis, in ſingulis vicis fidiſſimos quoſq; milites diſpoſuit, qui, ſi opus eſſet, ſeditioſorum hominum frænare poſſent audaciam. Ita Leontini & extra à Rege obſidebantur, & intra tyrannide præmebantur. Interea Rolãdus Aragonius apud Syracuſas Alderiſium Aretium, Andriolum etiam Aretium, & Matthæum Campiſanum Claromontanæ factionis iamdudum ſuſpectos, exilio ad Sortinum mulctare decreuerat. Quo illi cognito, ne a plebe palam inuaderentur, nauicula noctu inſcenſa ad Anapum fl. quo Sortinum iter eſt, in terram deſcendunt. Vbi a Regijs cogniti, inuaſi, trucidatiq; vix tãdem ſepulturam inuenere. Interea Nicolaus etiam Lancea Regius miles Buxemã cum equitibus excurrens in equitatum Simonis Comitis à Raguſanis miſſum incidit, quem non multo labore miſerè fudit, oppreſsitq;. In oppido quoq; Bizino oppidani pleriq;, quos iam Claromontanæ Tyrannidis pertæſum fuerat, tumultu excitato, inuocatoq; Regis nomine in arce veteri ſe muniunt, & Ludouici auxilium implorant. Quo cum Rolandus Aragonius, Ioannes Landolina, & Bucherij Dominus cum copijs à Rege miſsi, tardius adueniſſent, à Barone Iulfi Claromontano, qui eos in oppido præuenerat, ab ingreſſu impediti ſunt. Cumq; nihil Regij exili obſidione proficerent, Rolandus Aragonius inde diſcedens ad Regem, qui & ipſe rei pecuniarię inopia Leontino Catanam fœdè reuerti coactus fuerat, venit. Bizinenſes coniurati, qui arcem Regis nomine tenebant vna cum arce ab hoſtibus capti, mortem penderũt. Proinde Simon, & Manfredus Claromontani poſt diſceſſum Regis Leontino in Meneum, Sortinum, Neetum, Calta gironum, & vicina alia Regis oppida egreſsi, frumenta quęcunq; ſiue in agris, ſiue in horreis inuenerunt, deprædati Leontinum detulerunt. Sed omnes hos bellorum motus multo etiam ſæuior clades ſecuta eſt. Nam circa id. Maij per omnem ferè Siciliam innumera locuſtarum, quos Siculi patria lingua grillos cognominant, multitudo inſolitæ magnitudinis, ac incertæ originis, in Catanæ præſertim regione apparuit. Quæ ſegetes, vineta, nemora, hortos, atq; arbores omnes tum domeſticas, tum ſylueſtres, earumq; etiam cortices amaros vſq; ad radices vno vbiq; die depaſtæ, repentino vento in turmas, acieſq; ſe diſciderunt, atq; aliquandiu per aera delatæ ipſum etiam cœlum obtegere ſunt viſæ. Poſtremò eodẽ flatu impulſæ in Ionium mare cunctis rem miratu digniſsimam cernentibus, ſubmerſæ ſunt. Quorum poſtea corporibus in aceruum redactis, atq; à fluctibus ad littora expulſis, inauditus putor ita aerem infecit, vt ſæua peſtis ſubſecuta omnem propè Siciliam toto menſe Iulio populata ſit. Qua Fridericus Dux Athenarum, & Neopatriæ, Randatij Marchio apud Catanam, Matthæus quoq; Sclafanus Adrani Comes relictis Guilelmo Peralto citra, ſed Matthæo Montecatino vltra fluuium Salſam hæredibus, per ea tempora apud Cluſam, pluresq; alij Siciliæ Proceres paſsim, atq; innumera plebis multitudo ſubitò confecti deceſſere. Ludouicus Rex ſalutem ſibi quærens Acim primum, Maſcalas deinde, ac deniq; Meſſanam perrexit. Porrò ſedata peſte, in oppido Aydono pleriq; ex oppidanis primoribus ſæuo Claromontanorum iugo oppreſsi Regi Ludouico oppidum tradere ſtatuunt. Quorum conſilio Platienſibus, qui Claromontani erant, vt diximus, patefacto, eoq; nomine quinquaginta illuc inde equitibus ad tutelam oppidi miſsis, coniurati veriti ne in manus hoſtium venirent, ſumptis repente armis in tumultum abiere, frequentesq; per oppidum fauſtis pro Ludouico contra Claromõtanos vocibus, plebẽ vniuerſam ad ſe pellexere, cuius auxilio in hoſtes irruendo, cædendo, prædandoq; obuios quoſq;, ac equites domũ Platienſes exitij metu equis, atq; armis relictis, raptim in arcem confugere coegerunt.

coegerunt. Sed & postridie ibidem Rogerius Teutonicus magno militum numero suffultus Regis nomine affuit, Prefectumq; oppido ex ciuibus virum strenuum deligit. Cæterum cum Claromontanorum potentiam timens Blascum Alagonã Catanæ agentem pro auxilijs solicitasset, nec ille tot bellis attritus succurrere posset: Simon Claromontanus de eorum angustijs factus certior iusto peditatu, ac equitatu instructus Aydonum conuolauit: oppidumq; ingressus per vim occupauit, atq; coniuratos Regiosq; ferro, atq; igne absumpsit. Rogerius Teutonicus his visis cum pedester esset, suffurato equo relictis socijs fuga salutem sibi redemit. Dum hæc ibi geruntur: Ludouicus Rex Messanæ Fridericum germanum fratrem Athenarum, & Neopatriæ Ducem instituit: atq; inde postmodum lue extincta Catanam reuersus est. Post aliquot verò dies recreandi animi gratia Acim petijt. Vbi statim in morbum letalem lapsus die decimosexto Octobris anno salutis. 1355. decem & septem natus annos, duodecim vero Regno potitus Friderico fratre in Regnum suffecto fato functus est. Eius cadauer eodem die Catanam extra mœnia ad ædem. D. Mariæ Lagrandi asportatum, die verò sequenti longo Procerum, ac ciuium omnium ordine ad templum maximum. D. Agathæ traductũ, more Regio tumulatum est. Quarto deinde die, qui vigesimus mensis Octobris dies fuit, Blascus Alagona Catanæ & ipse febre correptus Artali, Blasco, & Ioanne relictis filijs decessit, atq; in maximo quoq; templo sepulturæ est traditus.

DE FRIDERICO TERTIO SICILIAE REGE, QVEM SIMPLICEM APPELLABANT. CAPVT SEXTVM.

MORTVO Ludouico, Fridericus eius germanus frater cognomento Simplex tredecim tum natus annos grauiter adhuc Messanæ decumbens in Siciliæ Regnum, hæreditario iure successit. Qui vt primùm conualuit, Proceres omnes, atq; vrbium, oppidorumq; omnium Syndicos ad Comitia de more Messanam conuocauit. Quo dum Riccardus Abbas Drepanita naui sua cursum tendit, sæua tempestate suborta ad littus Panormitanum seruatis nauigantibus fœdum naufragium passus in Claromontanorum manus venit, captusq; cum socijs in carcerem detrusus est. Proinde habitis ad nonum Cal. Decembris apud Messanam Comitijs, præstitoq; Regi ab omnibus fidei auctoramento, Eufemia Regis germana soror à Rege totius conuentus consilio Regni Vicaria est instituta. Interea Aloysia Comitissa Matthæi Sclafani filia, & Guilelmi Peraltę vxor, dum Sclafanum, cuius erat domina, ad lugẽdam Ludouici Regis mortem, soluẽdasq; defuncto inferias extra mœnia ad ædem. D. Mariæ pergit. Matthæus Monte catinus eius ex sorore nepos oppidum inuadit, ac sibi, quòd materno sibi iure debitũ assereret, occupat. Eodem ferme tempore Bonifacius Aragonius Petri secundi Siciliæ Regis consobrinus, arcis, & vrbis Pactarum, ac Tyndaridis etiam præfectus, a Sancio Aragonio consobrino, vtriusq; oppidi Præfectura eodem penè fraudis genere exuitur. Nam cum Bonifacius quosdam Pactenses exilio mulctasset, & illi eius arméta perfregissent, Sancio consobrino, qui oppido. S. Marci præerat, Pactarum commissa præfectura, ad vlciscendam iniuriam cõtra exules militibus instructus egreditur. sed ciuibus id ægre ferentibus, & aduersus eum vna cum exulibus irruentibus, ipse factus inferior, cũ in arcẽ fuga contenderet, a Sancio cum Pactensibus in eius vitam fœdere coniuncto præclusis foribus, & arce & oppido expellitur, ac deinde Tyndaris, quæ illius etiam præfecturæ erat, priuatur & Friderico Regi, traditur. Dum hæc ad pactas geruntur, Blascus Artalis germanus frater oppidi Montis Albani paterno iure Dominus, submoto Ioanne Arloco Catanensem quendam oppido præfecit. Quod cum Arlocus iniquo tulisset animo, & contra Blascum

aloysia comitissa Sclafani filia et peralte uxor:

obloqui non ceſſaret, Blaſcus eum à Præfecto bonis ſpoliari, vinctumq; ad ſe duci iubet. Porro dum vinctus Catanam ducitur, ab vrbe. p. m. filius eius milite ſuffultus in miniſtros patrem ducentes irruit, vitāq; Regi, Rubeis, ac populo precatus fugientes inſequitur, duobusq; interfectis, atq; liberato patre ad oppidum pergens Montem Albanum capit, abrogatoq; Catanēſi Præfecto arce etiam potitur. Sub idem tempus Ioannes Alagona tertius iſtorum frater Naſi oppidi dominus, principatu a præfecto ſuo, & plebe ex tumultu repente excitato deijcitur. Quod tamen paulo pòſt per oppidanos facti penitentia ductos confoſſo pugionibus Præfecto recepit. Poſt hæc durantibus adhuc inter Catanenſes, & Leontinos diſſidijs Artalis Alagona, & Manfredus Claromontanus & ſuo, & Regis nomine inter Claromōtanos inducias fecere. Verū paulo poſt Guilelmo Maneſcalco milite Caſtri oppidi, & Arcis prefecto apud Catanam ad ſolennia. D. Agathæ feſta agē te, pleriq; oppidani Claromōtanorum ſtudioſi accitis Mylenſibus amicis Caſtrū oppidum occupant, & Aloyſio Regi Neapolitano tradunt. Eodem ferme tempore Franciſcus Vintimilius ſuſpectum habens Philippum fratrem magno militum numero Policium, cui hic præerat, inuadit, capit, præfectoq; occiſo arcem etiam expugnat, & occupat. Oliuerius deinde Protonotarius miles Meſſanenſis vnà cū Philippo Cipero, Thomaſio Bufalo magnæ regiæ curiæ iudicibus, & pleriſq; alijs inito cum Regis hoſtibus fœdere oppidum ſanctæ Luciæ ad Regem Neapolitanum deficere coniurauerat. Quo Henricus Rubeus Meſſanæ Præſes cognito, eos ad ſe accerſit. At illi eo ſpreto ad Eufemiam Regis ſororem, & regni Vicariam rem deferunt. Quod Henricus ægre ferens, ad Regem Meſſanæ rem ducere decreuit. Sed neq; id illi ex ſententia ceſsit. Nam Vicaria, & Franciſco Vintimilio authoribus Rex Randatium profecturus Tauromenium venit. Vnde expetente Artali Alagona, inuitis Henrico Rubeo, Vicaria, & Franciſco Vintimilio Catanam perrexit. Quo facto Henricus adeo in Artalem odio exarſit, vt fœdus cum Friderico Claromontano, & Friderico Vintimilio in eius perniciem Eufemiæ etiam conſenſu inierit, ac deinde confœderati facto agmine Siciliam excurrentes Aſſarum, Ennam, Miſtrettam, Caſtrum Leonis, Francauillam, Abolam. S. Lúciam, Nicoſiam, Arcem Caſiblim, & arcem Tauromenij inferiorem cepere, quorum exemplo & complura alia oppida ad eorum etiam imperium transfugere. Sed interea Mazarenſes Claromontanorum vexationes peroſi, ad Georgium Graffæum, qui apud Marſalenſes exulabat, vt cum militibus Mazaram ad vrbem Friderici Regis nomine per deditionem recipiendam vt veniat mittunt. Georgius congregatis equitibus ducentis confeſtim eò contendit. Verum cum iam vrbi appropinquaret, contra hoſtium occurſus militum inſidias diſponit. Interea Mazarenſis Præfectus præcognito hoſtis aduentu milites inſtruit, atq; vrbe egreſſus aduenientes excipit: eosq; vſq; ad vallem dedita opera fugientes inſequitur. Vbi tum è latebris Graffei milites egreſsi Præfectum vnà cum ſuis adorti ad fugā continuò compulere. Quos Georgius vſq; ad ciuitatis mœnia inſecutus cædit paucis exceptis, qui per ſtagnum ſalutem ſunt adepti. Georgius vbi ad vrbem venit, portas reſeratas videt, factoq; impetu vrbem ingreditur, eamq; Regijs, qui eum accerſierant, occurrentibus, atq; auxiliantibus occupat. Verum nō diuturna ea lætitia fuit. Nā cum poſtmodum Criſtienſibus Catalanis auxilia petentibus quotquot milites habebat, vel reluctantibus Mazarēſibus miſiſſet, Fridericus Claromontanus coacta militum manu vrbem præſidio vacuam adortus breui expugnauit, militibnsq; in prædam expoſuit. Interea & Manfredus Friderici frater armatorum acie inſtructus Caſiblim arcem aggredi pergit. Cuius aduentu Rolandus Aragonius, qui eam tenebat, præcognito, cum viribus inferiorē ſe cognoſceret, arce triginta cū equitibus deſerta Syracuſas aufugit. Atq; ita Māfredus nullo labore Caſibli capta Syracuſas mouet, eius agros populatur, demumq;

Digitized by Google

demũq; ſuburbanis domibus incẽſis, vrbẽ terra militibus, nauigio mari obſidẽs, ingreſſum omnibus, egreſſumq; interdixit. Syracuſani obſidione preſsi Catanã, p ſuppetijs nuntios cũ tribus nauiculis exploratorijs mittũt. Sed nũtij cũ auxilia nõ impetraſſent, duobus nauigijs, quæ in Catanæ portu fortè erant, per vim captis, armatisq; Syracuſas curſum intendunt, atq; in itinere Auguſtanorum agris, in quos deſcenderant, incendio fœdatis Syracuſas tandem applicant, nauigium Claromontanorum fugant, portum ſubeunt, vrbemq; mari liberant. Quo facto Manfredus terreſtri etiam obſidione ſoluta ad arcem Caſiblis reuerti coactus eſt. Nec multo pòſt Matthæus Ruſticus miles Caltagironenſis impetratis ab Ioanne Barreſio Militelli Domino vigintiquinq; equitibus, & pluribus alijs à ſe coactis Raguſam venit, eius agros vaſtat, atq; ingenti inde armentorum, aliarumq; rerũ capta præda Caltagironum redijt. At cum in ſuam rem propenſior, iniquè prædã diſtribuiſſet, equites Militellani ei ſe contumelioſi oppoſuere. In quos ille irruens ſpoliatos multis vulneribus confodit. Cuius facinoris conſcientia Regis indignationem veritus per ſeditionem ſupplicium declinare deliberat. Igitur armatorũ multitudine fretus Caltagironi motus excitat, vicosq; peruagatus frequentatis & eis publicis vocibus Vicariam viuere, Rubeos, & plebem conclamitat, Friderici Regis a proceribus ob eius inſcitiam contempti nomen, & imperium abrogat, oppido potitur. Sed paucis pòſt diebus à ſuis ipſe propinquis, qui factioni non adhæſerant, impetitus merita morte facinoroſam vitam perdidit, & ad Friderici Regẽ oppidũ redijt. Poſt hæc Hẽricus Rubeus numeroſo, & peditatu & equitatu cõparato cũ Euphemia Vicaria, & Franciſco Vintimilio Troynã venit, vbi ex ſeditioſorum, & obæratorum colluuione mirum in modum aucto exercitu, ad Artalẽ cum Rege ad Paternionem agentem Legatos deſtinauit, vt aut Regem ei liberũ exhiberet, aut cruentum bellum expectaret. Nec tamen inter hæc reſpouſum præſtolatus, iter proſequitur, Mottam Sanctæ Anaſtaſiæ venit: atq; inde quod futurũ erat, prudentia militari præſagiens iuxta ædem. D. Ioannis à medio campo in inſidijs ſubſidet. In, quas poſtmodũ Catanẽſes à Rege in ſubſidiũ vocati multos eorũ improuiſo illapſi turpiter fugãt. Qui ad ædẽ. S. Chriſtophori. m. p. à Paternione diſtantem euaſere. Capti verò plurimi, & inter eos Iacobum Lamiã, Ioãnẽ Lamiã milites Regis domeſticos, omnesq; Regios, Rubeus libertate donauit, Rogerium autẽ Muſtaciũ, & cæteros carceri addixit. Artalis in ea clade cũ pecunijs ad bellũ oportunis indigeret, Catanam noctu reuertitur, vectigal conſenſu plebis ſuper frumentis imponit. Quod cum ciues ægrè ob inopiam perſoluerent, breui abrogauit. Porrò Henricus cum militibus interea agros Catanenſes excurrit, vineta, ſegetes, ac oliueta ea parte, vbi ſtagnum eſt, quod Gurgitem Paternionis vernacu lè vocant, igne, omnia vaſtat. Sed & villici Catanenſes, qui vicatim Aetnã incolũt, Matthæum Vaccariam Artalis domeſticum virum flagitioſum occidunt. Nec mul tum abfuit, quin Artalem ipſum, quum fortè Paternionem ad Regem rediturus per nemus incederet, rati quòd Vaccariæ mortem vlturus contra ipſos veniſſet, in ipſum, velut hoſtem toto impetu irruentes in eo æſtu interfecerint: contra quẽ etiam mox cum Henrico Rubeo confœderati nouo in Catanenſes agros impetu feruntur, atq; decem ferme boum, pecorumq; milia abacta ad Rubeum deduxere. Sed paulo pòſt hortatu Præfecti Catanenſis præmiſſa de male actis venia deſerto Henrico Catanam conuenere, & ad Artalis pedes prouoluti veniam obtinuere: factaq; prædæ reſtitutione ex publica ſeditione, odijsq; capitalibus magnam repente amicitiam cum Artali contraxere. Qua immutatione offenſus Rubeus cum vniuerſa factione Paternionem oppidum noctu inuadere ſtatuit. Quod vbi Artalis per ipſius Henrici familiarem quendam cognouit, Stephanum Romanum Meſſanenſem, & Paternionenſem incolam coniurationis participem cepit, ac tormentorum vi rem omnem ab eo extorſit.

oppidumq; præsidio, & opere muniuit. Cuius illi potiundi spe ita frustrati, suburbium primùm, agrosq; eius circumiacentes, incendio consumpserunt, subinde cum pagi Valcurrentis Domino Henrici consobrino, trecentisq; equitibus, ac peditatu idoneo progressi, Catanenses etiam agros incenderunt. Sed Catanenses è diuerso illis aliò versis, cum armis egressi, in Mottam, vbi Valcurrentis Dominus se tuebatur, acceptas iniurias refuderunt, & pluribus, quàm acceperant, damnis affecere. Interea Henricus, & Franciscus mutatis repente animis, sed qua causa incertum, cum Vicaria Mylas profecti Nicolaum Cæsarium, & Iacobum Aloysium milites Messanenses, qui Neapolitani Regis nomine id oppidum tenebãt, promissa eis defectionis impunitate, ad Regis Friderici fidem pertrahunt, atq; oppidum Regis nomine recipiunt. Cumq; milites, qui arcis præsidio, & turri magnæ præerant, deditionem facere nollent, eos Nicolaus, & eius milites magna vi expugnatos ad vnum omnes occidere. Capto Mylis oppido, & cognito immanitatis horrore, cætera quoq; in eius planitie sita oppida in Regis Friderici potestatẽ vltro deuenere. His gestis Vicaria, Hẽricus, Frãciscus, & Nicolaus Cæsarius, ac cæteri proceres Messanam appulsi maximo cum honore recipiuntur, & subinde Hẽricus cum Artali inducias facit, & Franciscum Vintimilium Strategum Messanæ instituit. Porrò cum Henricus Mottam D. Anastasiæ perrexisset, Messanenses pertęsi eius regiminis, qui luxuria, auaritia, & crudelitate vrbem fœdauerat, Cæsario adherent, eumq; sibi ducem contra Henricum deligunt, ac Philippum Cipero, & Thomasium Bufalum magnæ Regiæ curiæ Iudices, & omnes proceres, qui ab Henrico exulauerant, in vrbem introducunt, ac repente plebs, populusq; Messanensis cum Duce pridie Cal. Iulias motu publico inclamata Friderici vita, ac Rubeorum morte, in Rubeos omnes, quorum Messanæ non contemnenda erat manus, extreme sæuitum est. Nam effractis, direptis, incẽsisq; eorum ædibus, quotquot inuenti sunt rubro sanguine fœdati interiere. In eo tumultu Franciscus Vintimilius, quem Strategum ante profectionem suam Henricus ciuitati præfecerat, metu perculsus ad Tauromenium fuga salutem inuenit. Damianus Sallinpipi miles Henrici consultor desertis fœderatis omnibus Catanam petijt. Guilelmus Rubeus Henrici germanus frater ad Sauocæ arcem confugit. Pleriq; in arce vel Matragriffoni, vel D. Saluatoris se tutati sunt, nec quisq; eo die è Rubeorum [illegible] Messanæ superfuit. Henricus his cognitis ira percitus Neerum petit, Præfectum hortatur, vt abnegato Friderici Regis nomine oppidum tradat. Sed ab oppidanis expulsus Caltagironum perrexit. Vbi etiam oppido tentato fœdè expulsus, Mottam regreditur, atq; inducias, quas cum Artali, & Catanensibus fecerat, apertè rumpit. Tauromenium deinde ad Franciscum Vintimilium Comitem venit, iunctisq; cum eo armis, coactisq; militibus contra Messanam simul mouent. At Messanenses simul magno animo contrà egrediuntur, in eos irruunt [illegible]; vsq; ad arcem Scalettæ insequuntur, inuadunt, occidunt, Ducibus ad Sauocam fugatis. Vbi Franciscus relicto Henrico Giracium se contulit. Messanenses [illegible] Rubeis, Artalem Alagonam per certos nuntios ad se conuocant. Qui confestim eo cum selecto militum numero profectus honorificè susceptus est, & subinde 5. Cal. Aug. cum Vicaria Catanam reuersus Regi sororem reconciliauit. Nec multo post, Simon, ac cæteri Claromontani Nicolao Cæsario intercedente cum Rege gratiam iniere. Sed ea pax à pleriſq; Catalanis pyraticam in Sicilia exercentibus, qui Simonis nuntios, quos ad Regem Catanam nauigio Augustano miserat, interceptos Syracusis vendiderunt, turbata est. Ea nanq; iniuria in nouas iras excitati Claromontani, & Leontini, inducias, quas cum Catanensibus pepigerant, violarunt: agros eorum adorti hostiliter incendere. Post hæc Artalis educto exercitu contra Mo[illegible]m S. Anastasiæ Henrici Asylum mouet, & pro mœnibus castra locat. Machina postea constructa oppidum oppugnat: sed

Digitized by Google

oppidanis strenuè se defendentibus, quibus & situs opitulabatur, soluta obsidione, agrisq; eorum vastatis, & incensis Catanam repetijt. Post hæc Fridericus Rex, Artalis, & Vicaria magno exercitu cõtra Caltabianũ mouẽt, vbi dũ essent, Rex Castrum Leonis, Francauillam, & Randatium oppida, quæ duce Gilio Statella à Friderico Rege ad Henricum, & Franciscum nuper desciuerant, oppidanis vltro se dedentibus recepit, auctusq; hijs victorijs Catanam inde redijt. Quibus cognitis Henricus cum labi, atq; in deterius in dies ruere res suas videret, pacem cum Friderico, & Manfredo Claromontanis contra Regem inijt, & cum eis, ducentisq; equitibus Mottam venit, in agros Catanenses totis viribus effunditur, & ad tumulum à medio Campo cognominatum tandem constitit. Quo percepto Artalis cataphracto & ipse milite comitatus contrà egressus, locata per sagittę iactũ ab eorum castris statione sua, ad certamen hostes prouocabat. At illi cum se inferiores cognoscerent, discrimen veriti fœdo inde discessu abierunt. At Franciscus Vintimilius vbi Henricum cum Claromontanis contra Regem fœderatũ cognouit, è diuerso ad Regem ipse cum Emanuele, & Riccardo germanis fratribus statim se transtulit. Qui cum postea Regi, cui maximè gratus erat, Henricum Rubeũ per Riccardum fratrem reconciliare studeret, Rubeus in sua pertinacia perseuerans Riecardum compositionis internuntium per insidias cepit, & carceri addixit, & nonnisi Leontinorum plurium, qui Catanæ, & Menei vincti à Rege detinebantur, commutatione, libertati restituit. Post hęc pleriq; Syracusani cum Syracusas Regi Neapolitano tradere decreuissent, & ad id triremes duæ è Calabria ad frumenti Emporium Augnuni nominatum à Neapolitano missæ appulissent, Rolandus Aragonius, qui Syracusis præerat, cognita coniuratione, eius authores, & participes omnes è vestigio compræhensos furca suspendit. Quo facto triremes Neapolim sunt reuersæ. Dum hæc Syracusis geruntur, Nicolaus Cæsarius, qui Messanæ præerat, sola incõstantia ductus, cum Messana vrbe à Friderico Rege ad Aloysium hac arte defecit. Nam tametsi Regis nomine vrbi præesset, Mattagriffoni tamẽ arx à Rubei ppinquis strenuè adhuc tenebatur. Quã cũ expugnari posse viribus diffideret, ad fraudem sibi postmodum exitiosam trausijt. Friderico itaq; Claromontano Regis hosti scribit, se Claromontanorũ nomine Messanã tenere, & vt ab Henrico Rubeo Mattagriffonum arcem, sine qua vrbem expugnatu fore facilem asserebat, impetret, hortatur. Cuius Fridericus verbis captus ab Henrico arcem habet, eamq; Nicolao credit. Is ea recepta, amotoq; statim Rubeorum insigni, quod rubeus cum stella in medio campus est, Regis signa erigit. Sed omnia hæc simulatè, vt animum officij prætextu celaret. Nam cum Aloysio Rege clã interea transigit. Cuius cum ad facinus patrandum auxilia habuisset, Cal. Ian. vnà cum Gilio Stayto Messanẽsi milite edito nocturno per vrbem tumultu, perfidum animum, coniurationemq; hostilem prodidit. Vbi pellecta in Aloysij fidem, Regisq; Friderici odium plebs, palàm cum eo, ac toto cõiuratorũ agmine, in Corradi Lanceæ, quem ibi Fridericus Rex Admiratum habebat, ædes impetum faciunt, fortunas diripiunt, domum incendunt: ad arcem dein. D. Saluatoris progressi magnum Aloysij Senescallum, qui pridie ad id eò clàm è Neapoli conuenerat, Regio honore excipiunt, atq; in vrbem publica gratulatione, ac ciuium pompa introducunt, vrbis claues, ac imperium Regis nomine tradũt. Deinde ad Palatium Regiũ delati Blancam, & Violantam Friderici Regis sorores, quæ ibi morabantur, capiunt, & aliquandiu sub custodia detentas Rhegium ad Aloysium Regem, & Ioannam eius vxorem, qui cognita Messanæ defectione eò e Neapoli applicuerant, Philippi Ciperi Iudicis, & Petri Ciperi eius germani fratris sub custodia transmiserunt, quas Aloysius Rex honestissimè susceptt. Nec multo post Aloysius Rex priorum hominem mentitus Messanam cum triremi traiecit, atq; in Palatio prãsus est. Quo resciro Messanenses cateruatim ad eum visendum confluxere. Sed ipse

cum

cum eorum fidem exploratam adhuc non haberet, ſtatim triremem Rhegium reuerſurus aſcendit, atq; ex alta demum puppi ſeſe populo eminus oſtendit. Tum repente tota ciuitas, viri Principes, ac conferta quorũuis hominũ multitudo cũ nauigijs Rhegium vſq; ſecuti ipſum ibi, atq; Ioannam vxorem Siciliæ Reges aperte conſalutant, gratulanturq;, & vt Meſſanam veniant, vna voce omnes comprecantur. Igitur. 7. Cal. Ian. Aloyſius, & Ioanna Reges Meſſanam veniunt. Vbi Regio honore, fauſtiſq; populi acclamationibus excepti ſumma poteſtatis initia ſuſceperunt. Die ſequenti, qui Natalis Domino feſtus fuit, Nicolaum Cæſarium totius coniurationis authorem Comitatus titulo Montis Albani oppidi inſigniuit, nec non Tripi, & Naſo oppidis ditauit: plerosq; etiam Meſſanẽſes Regios milites cõſtituit. Ita Meſſana vrbs ciuibus agentibus ſuo ſe veteri hoſti vltro ſubijcit. Ea fama per vicinas regiones diuulgata Simon Claromontanus Comes Manfredum, qui Leontino adhuc dominabatur, totius ſuæ ſtirpis, factionisq; nomine ad Aloyſium præmittit. Dein ipſe cum magno militum numero Meſſanam ad eum venit, vt Regem ſalutat, ſimul & adorat. At cum Blancam Friderici Regis ſororem, quã captiuam Aloyſius apud Rhegium tenebat, in vxorem ambiret: Aloyſius veritus ne hoc ei matrimonium ad captandam vxorio iure Siciliam officeret, conſenſum ei ad nuptias recuſauit. Qua repulſa exanimatus Simon à Friderico Rege per literas Matthæi Palicij filiam ſibi olim ante bella deſponſatam petijt. Sed dum illa Friderico aſſentiente ad iter ſe parat, Simon Meſſanæ morbo correptus. 16. Cal. Aprilis deceſsit. Quo mortuo Mãfredus cum cæteris Claromontanis, qui Meſſanæ erant, duabus cum triremibus, ac vndecim prędatorijs nauibus frumento onuſtis Meſſana diſcedunt, atq; Catanam præteruecti, vbi ex alto Aloyſij nomen ingeminantes Friderico illudebant, Leontinum, quod annonæ tum caritate premebatur, applicant. Sed interea Marrazanus Manfredi à ſecretis dum Meſſana Leontinum redit, ad Cataná interceptus, & tormentis actus multa hoſtiũ arcana Friderico Regi prodidit. Quod vbi Manfredus cognouit, iniuriæ contumelia quinq; milites Friderici Regis ſtudioſos furca ſuſpendit. Poſt hæc Sancius Aragonius Pactis vrbe Aloyſio prodita ſocia arma cum Neapolitanis iungit. S. Philadelphum oppidum petit, eius agros populatur, boumq; inde, ac pecorum ad viginti circiter milia prædam capit. Sed & eodem ferme tempore Aloyſius ipſe Nicolaum Cæſarium, Gilium Staytum, ac equites mille, totidemq; pedites, quibus magnus eius Maneſcalcus præerat, ad Mõtem albanum oppidum, circumuicina Friderici loca depopulatum miſit. Quo Fridericus Rex cognito Artalem Alagonam centum cũ equitibus ad hoſtium iter explorandum direxit. Porrò Aloyſij Milites poſtq; plurima damna vicinis Monti Albano, & Pactis vrbi intulerunt, contra Frãcauillam, & Caſtrum Leonis mouent. Quod cũ fruſtra oppugnaſſent, Linguã groſſam oppidulum petentes nullo labore ceperunt. Maſcalas deinde, atq; mox Rigitanũ vicum excurrunt. Artalis vbi hoſtes veniſſe per exploratores didicit, & ipſe cum exercitu eò ſe contulit, atq; verticem Niſetum nomine occupauit. Quo dum in eum ſtatim hoſtes irruptionem parant, Artalis victoriæ deſperatione actus inde diſcedens Catanam retro abijt. Cuius diſceſſu prælio fruſtrati hoſtes, inflammatos ad bellum animos ad Acim oppidulum explicuere. Quod tametſi valido præſidio munitum, terreſtri, maritimaq; obſidione adorti effractis ſubinde portis expugnant, viros quotquot reperiunt, trucidant, virgines ſtuprant, matronas violant, bona diripiunt, arce potiuntur, & nihil ſibi ad extremas iniurias reliqui faciunt. Poſt hæc viros omnes Aetnenſes vſq; ad trium Caſtanearum vicum inuadunt, rapinisq;, & incendio fœdant, ac demum ingenti hominum, rerumq; omnium præda expleti ad Acim oppidum reuertuntur. Fridericus Rex his auditis confeſtim Franciſcum Vintimiliũ, aliosq; Siciliæ Proceres, necnon milites quotquot ad bellum aptos habebat, Catanam ad ſe vocat. Vbi equites ſupra mille, pedites

pedites verò ad tria milia sunt connumerati. Sed in hoc apparatu, hostium nomine per Caduceatorem bellum nostris indicitur. Quod cũ Catanenses annuissent, pro loco pugnæ ædiculæ. D. Mariæ à turbi cognominatæ planities, diesq; prælij vigesimus quintus Maij ea lege, vt liber esset ad aream vtrisq; accessus, dictus est. Verum hostes cum fortè se viribus inferiores viderent, pugnam quidem detrecta runt: obsidionem tamen vrbi & naualem, & terrestrem intulere. Interea duæ Catalanorum triremes cum vna naui Catanam ex insperato cum superuenissent, Artalis inopinato auxilio erectus, duo & ipse nauigia, quæ ad terram erant subducta, continuò parari iubet. Atq; ita quinq; nauigiorum instructa classe contra quatuor hostium triremes dimicare decernit. Triremem signiferam noctu Artalis ascendit: decemq; in ea faces, vt eorum splendore maiorem classis numerum hostibus simularet, accendi facit. Subinde ad portum Onginæ, vbi & hostium classis in alto mari consistebat, cursum dirigit ibiq; dato belli signo in hostes primus irruit. Quem cæteri non minori ardore secuti magnis vocibus Alagonam iterantes, bellum intentant, hostes è contra acerrimè propugnant, nostros balistis, & lapidibus vrgent, Siculos, & Catalanos, & ipsum Artalem in primis vulnerant. Qui repentino, nec letali ictu irritatus in vindictam animo incenditur, primus omniũ in vnam eorum triremem inscendit, suisq; ad eandem audaciam proruentibus magnam in aduersarios stragem edit. Quorum plures ne in Siculorum manus venirent, in mare se dijciunt: interquos Antonius Grimaldus Genuensis præceps se submersit. Cuius triremis, & altera quoq; Liparensis cum Antonio Rubeo captæ sunt tertia, quæ ex Iscla venerat, remorum velocitate periculum euasit. Captæ etiã naues hostium duæ, quæ è Castro maris Neapolitani aduenerant. Hostes autem omnes (centum exceptis) cæsi fuerunt, quorum sanguine infectum mare ruborem induit. Artalis porrò hac insigni victoria potitus, facta prædæ, ac pecuniæ inter milites distributione, Catanã cum triremibus reuersus cũ maximo honore, populiq; acclamationibus tanq; ciuitatis seruator receptus est. Hostes verò, qui terra vrbem circuierant, intellecta suorum strage, præ timore cõterriti soluta obsidione, Messanam versus inde recedunt. Quos cum Siculi lento gradu incedere viderent, Guido Vintimilius, Corradus Spatafora, & Nicolaus Lancea cum centum equitibus in postremam eorum aciem impetum faciunt. Sed hostes retrouersi acerrimè se defendunt. Vbi Corradus imprudenter sese globo immiscens, cæsis, prostratisq; pluribus ipse tandẽ à Teutonico quodam milite, perrupta bipennis ictu casside, letaliter vulneratus in ceruicem equi dilapsus fortiter occubuit. Quo amisso fracti Siculi Catanam reuertũtur. Sed non eò fœlicius cum hostibus actũ est. Nam cum in trãsitu ad Mascalas castra posuissent, villici Aetnæi facto maximo armatorũ numero primam eornm aciem, cui magnus Marescallus præerat, exceperunt, atq; ad Mascalas, strenue eos, retro abigunt. Quorum fuga peruulgata Tauromenitani, Castellionenses, Caltabianenses, Linguagrossenses vno omnes agmine egressi in secundam, & tertiam eorum aciem adeo vires exercuere, vt eo bello supra duo hostiũ milia interẽpta sint, & magna pars capta, & inter eos Raymnndus Balzus vir genere clarus, & Aloysij Regis Camerarius maior ad arcem Francauillam carceri sit addictus, qua in victoria tantum & prædæ, & spoliorum fuit acquisitum, vt ad mutandã villicorum omniũ conditionẽ, ditãdòsq; milites suffecerit, quos deinceps in sericis vestibus, ac purpura indutos videre non iniucundum erat. Inter hæc Henricus Rubeus nuntiata Corradi morte confestim Tauromenium prouolans, Regis nomine oppidi, & arcis Præfecturam sibi occupat. Quo postmodum & Fridericus cum Vicaria, Artali, cæterisq; Proceribus, qui Catanæ erant, ad cognitam hostilis cladis famam conuenit. Vbi inter Artalem, & Henricum Rubeum composita pace Raymundo Balzo, vt eius commutatione sorores adhuc captiuas ab Aloysio Rege reciperet, Francauillam

cauillam perrexit. Sed Ioannes Mangiauacca oppidi arcisq; Præfectus captiuum Regi promittere noluit, nisi si commutatio non fieret, pro illius redemptione sex florenorum milia pollicerētur, fideiubente Berardo Spatafora, cui vt de præstatione cautus esset, aurea Regis corona in pignus, & Raymundus in custodiam dari debuerat. Sed frustratum est subito interuentu Regis consilium. Nam dum hæc geruntur, Franciscus Vintimilius Comes magna vi ab arce Francauilla Raymundum rapuit, & secum detinuit. Qua ratione Friderico in tam manifesto procerū contemptu, cum solo nomine Regem ageret, simplicis, ac auriti nomen accesit: qua iniuria Rex affectus Catanam se recepit. Post hæc cum Andreas Tarantus spurius Casiblis Claromontanorum nomine Præfectus, Syracusas crebris excursionibus infestaret, Rolandus Aragonius ad fastidium vsq; lacessitus, assumpto sufficienti comitatu contra Casiblim mouet, noctu custodibus somno captis sui milites rupem Castro prominentem scalis inscendunt, mox arce tentata vnam eius turrim effractis magna vi portis capiunt, Regisq; ex ea insigne erigunt. Cumq; aliam deinde turrim eminentiorem essent aggressi, paruo negotio occupassent, nisi accipiter armatorum strepitu experrectus sublatis vocibus Præfectum, & arcis custodes excitasset. Qui vbi hostes arcem ingressos vident, tribus facibus de more accēsis vicinos amicos ad ferendas suppetias inuocāt, atq; ita Aragonij ab incepto interturbant. Sed cū solus Ioānes Milana Buxemæ oppidi pro Claromōtanis Præfectus in auxilium egressus, visis Regis insignibus serò, quippe quòd expugnatam iam arcem crederet, se venisse ratus, retro militem duxisset, Rolandus resumptis viribus alteram tandem turrim oppugnādo obtinuit. Ex qua Andreas in aliam turrim munitissimam profugus fortiter adhuc, ac strenuè se defendebat. Inter hæc triremes Catalanorum duæ, quarum etiam opera Artalis ad Acim hostes superauerat, littori Casiblis applicant, milites in terram exponunt, arcem petunt, expugnant, ingrediuntur: Andream, ac cæteros eius præsidiarios milites capiunt, cuncta diripiunt, ac prædam inter se diuidunt. Sed & Ioannes Landolina Neeti oppidi pro Friderico Rege Præfectus eodem cum copijs Rolando auxiliaturus superuenit. Qui vbi oppidum captum offendit, Andreæ Taranto communi hosti aurē, & maxillā rescidit, rescissas secū in victoriæ signū Neetū detulit. Rolādus verò oppido præsidijs regijs munito, Syracusas & ipse cum captiuis triumphator redijt. Vbi Andreas Tarantus plebi in ludibrium expositus tota vrbe traductus miserè trucidatus est. Subinde Fridericus Rex cū Vicaria, & Artali è Catana Gallanum venit, vt ibi tutum ad se Proceres habere possent accessum. Sed interea Fridericus Claromontanus Aloysio Regi fidem iuraturus cum duabus triremibus Panormo Messanam venit. Cui Aloysius extra mœnia ad locum vsq; Columnarum appellatum cum Regia familia, ac Principum omnium, ciuiumq; caterua obuiam factus summam benignitatem exhibuit. Post hęc Guilelmus Manisgallus Messanensis miles excogitata ad Henricum intercipiendum industria, se ei Castrum, & Tripim, quę Aloysij nomine tenebat oppida, Regi Friderico dediturum, si vel ipse veniat, vel eò milites ad id opus idoneos mitteret, scribit. Henricus eius verbis captus centum circiter equites, pedites verò ad multo maiorem numerum eò expedit. Quos Guilelmus benignè susceptos, atq; opipara cœna expletos per cubicula etiam distincta disposuit. Sed noctu dormientes cum militibus, & oppidanis adortus omnes, prēter paucos, quos captos Messanam destinauit, miserè interfecit, eorumq; spolijs ditatus, Regi Aloysio proditione acceptus est redditus. Post hęc Aloysius Rex Nicolao Cesario, & Angelo Comite constitutis Messanę Prefectis, & Messanensibus quibusdam suspectis in mare demersis, plerisq; interfectis, multis etiam secum assumptis, cum Ioanna Regina Neapolim se retulit. Cum quo post discessum Ioannes Mangiauacca extremę sortis homo, & qui ex famulo humili ad oppidorum gubernacula Friderici beneficio ascenderat,

perfidum

perfidum fœdus inijt, & in Calabriam pluries ad eius congressum traiecit, nec in Francauilla quenq; Friderici Regis studiosum ingredi passus, oppidum opere, & præsidio munit, & cõtra Siculos vicinos incursiones, ac prædatiões agere, & mox Castrum Leonem obsidere, eius agros vastare, atq; armenta prædari, & palàm etiam contra Regios bellum gerere cœpit. Nicolaus quoq; eius germanus frater, oppidum fl. Nisi, cui Ioannis nomine præerat, Neapolitano tradere quærit, plebemq; Friderici studiosam duris vectigalibus opprimit. Quibus moti oppidani tumultum excitant, in eum insurgunt, capiunt, vinctumq; ad Henricum Rubeum Tauromenium deducunt, à quo cum duobus alijs germanis eius fratribus tetrum in carcerem detrusus est. Post hæc Pactenses defectionis, quam ad Aloysium Regem fecerant, pertesi, erectis Friderici Regis insignibus rursus ei adhæserunt. Sed cum arcem, quæ Aloysio parebat, obsiderent, auxiliaq; per certos nuntios à Friderico petijssent, dũ suppetias expectant, Sãcius Aragonius pro Aloysio cum copijs eò festinato itinere profectus vrbem populatus, incendio demum cõsumpsit, ac deseruit. Guilelmus deinde Manescallus per internũtios Friderico Regi se subdidit, sublatisq; ex arce, & oppido Tripis Aloysij Regis insignibus, Friderici vexilla erigit, necnon hostium agros ad Messanam vsq; excurrens populatur & incendit. Cuius repentinæ mutationis causa hæc à scriptoribus traditur. Erat ei Bartolinus miles satis domesticus, qui cum Nicolao Cæsario Tripim se traditurũ promisisset, signumq; patrandi facinoris tres flammas in arce accendendas dedisset, quibus conspicatis ad oppidum capiẽdum mitteret, Guilelmi famulum quẽdam auro promisso ad Domini necem solicitat. Is etsi oretenus facturum se quod petit, promisisset, Guilelmo tamen è vestigio rem omnem credidit. Quo nuntio consternatus Guilelmus Bartolinum capit, atq; ab eo facinus, vt à famulo didicerat, tormentis extorquet, doloq; dolum egregiè illudit. Nam per noctem præfixa hora tres faces ad arcem incendit. Quo signo statim à Nicolao missos ad arcẽ milites cepit, quos ad Fridericum Regem Randatium misit. Vbi Bartolinus capitis reus miserè per vicos oppidi traductus horrendo mortis genere, cæteri verò in furca vitam finiere. Interea etiã Artalis Alagona cum pluries à Ioanne Mangiauacca Regis nomine Francauillam frustra requisisset, cum magnis copijs Castrum Leonis petijt, ac rursus oppidum ab eo poposcit. Ioannes bellum sibi imminere videns deditionem fecit, & Friderico Regi adhæsit. Posthæc cum Leontini fame premerentur, inter eos, & Catanenses, ac oppida Aloysij, & Friderici Regum inducię conuenere. Quibus ex parte Friderici Regis hæc comprehensa sunt oppida, Catana, Syracusæ, Sortinum, Neetum, Casiblis, Bucherium, Ferula, Assorum, Argyra, Nicosia, Gallanum, Enna, Adranum, Paternio, Acis, Meneum, Tauromenium, Caltabianum, & Castrum Leonis, ex parte Aloysij Regis, Leontinum, Buxema, Palazolum, Raguſa cum suo Comitatu, Bizinum, Caltagironis, Platia, & Augusta: Motta verò. S. Anastasiæ cum Henrici Rubei Comitis vtriusq; eo tempore partis amici iuris esset, meritò præterita est. Hę inducię a. 13. Cal. Decẽbris vsq; ad decimum sextum Cal. Aprilis perseuerarunt, ac tum Artalis Alagona, qui Friderici Regis nomine eas non firmauerat, terrestri exercitu iustaq; expeditione Leontinum est aggressus. Interea Guilelmus Menescalcus animo inconstans ad Regis Aloysij imperium est reuersus. cuius inconstantiam Comes Angelus, Nicolaus Cęsarius, & cęteri proceres, admirati, & si eum recepissent, Magistrum tamen Guilelmum eum vocabant, quem paulo pòst ob frequentes desciciones, & nouam seditionem Messanę tentatam Nicolaus carceri mancipauit. Quo casu Tripis Prefectus cum oppido simul ad Fridericum Regem defecit. Eodem ferme tempore Rogerius Teutonicus Gallani Dominus cum nimis durè oppidanos præmeret, in eum illi coniurarunt. Quo cognito Rogerius ad arcem coniurationis authores vocat. Illi, qui primores erant, oppidi, iuramento

ramento firmati: arcem petunt, & in Rogerium impetu facto eum capiunt, vinciunt, verberant, & oppido expellunt, Friderici Regis nomine inuocato. Erat eo tempore Fridericus cum Vicaria Cephaledi: qui vbi hæc audiuit, Præfectum oppidi ab eo institutum Gallianum misit, cui oppidani libenter, ac statim oppidum dediderunt. Rogerius Teutonicus Galliano expulsus cum vxore, & liberis Aflorum petijt. Dum hæc ad Gallianum geruntur: Artalis Alagona post ruptas inducias 14. Cal Maias Regis nomine comparato equitum, ac peditum ingenti exercitu contra Leontinum venit, atq; iuxta fl. S. Leonardi castrametatus est. Leontini cognito Regij exercitus aduentu timore perculsi, ne hostes eorum segetem incenderent, Manfredum Claromontanum hortantur, vt vel inducias in tres menses petat, vel tributum hostibus soluat. Manfredus magno animo vir Leontinis prius reprehensis, ad bellum se parat, ac trecentis cum equitibus contra Artalem egreditur. Sed illo in eum irruente, metu percitus Leontinum regressus est. Erant etenim in exercitu Regio equites supra mille, pedites verò, præsertim Catanenses innumeri. His se adiunxit Rolandus Aragonius cum magna Syracusanorum militum manu. Randatium oppidum milites complures ad hoc bellum gerendum Regi misit. Bucherij Dominus, qui idem Regius erat Marescallus, cũ magno militum numero & ipse venit. Ioannes Mangiauacca ex oppido Francauillæ decem equites misit, quorum quinq; cũ ab hostibus intercepti fuissent, alios quinq; eorum loco suppleuit. Ioannes Landolinus cum trecentis equitibus ex Neeto & ipse accessit. Ita ex pluribus oppidis Regius exercitus coactus ingens erat. Interea per certum nuntium Artali significatur, exploratores, quos ipse ad oppidum Meneũ submiserat, captos ab hostibus fuisse. Quocirca eo repente cum paucis militibus accessit, in hostes irruit, eosq; cum præda simul cepit, partaq; victoria eodem die Leontinum ad castra reuertitur. Post hæc agros Leontinos vastat, segetes secat, incendit. Quæ cum Mãfredum vastatio commouisset, Artali aureos mille per Franciscanum quendam, vt obsidionẽ solueret, misit. Quo cõtempto, ac perinde, vt re ridicula spreto, Artalis duriori obsidione vrbem adeo presit, vt Leõtini cõmeatu omni destituerentur. Quorum egestatem Perellus de Modica Sortini Dominus Friderici Regis studiosus miseratus, magnã eis frumenti, ac farinæ copiã misit. Quod & si Artalis resciuerit, distulit tamen vlcisci. Artalis vero vt ad inediã Leontinos deduceret, segetes circum mœnia omnes incendit, atq; ad eam famem oppidanos perduxit, vt multi ex illis nocte profugientes ad vicina oppida, & Catanam quoq; sese reciperent. Manfredus neq; ob id quidẽ animo deijciebatur, sed acerrimè obsidionem tolerabat. Quod Artalis videns more impatiens, & desperata victoria obsidionem soluit, ac contra Caltagironum, Platiam, & alia vicina oppida, quæ Aloysio Regi parebant, cum exercitu petijt. Quibus statim per deditionem receptis, & Caltagironi Matthæo Montecatino, Platiæ verò Guidone Vintimilio Præfectis, Catanam cum copijs redijt. At cum Guido satis superbè magistratum gereret, à Platiensibus est electus, & in eius locum Corradus Lancea suffectus. Artalis paulo pòst Catanam discedens contra Bizinum copias mouit, & cum frustra oppidum Bizinensibus strenuè defendentibus oppugnasset, agros omnes vastauit simul, & incẽdit. Dum hęc Artalis gerit, Claromõtani coactis copijs Leõtino egressi contra Neetum proficiscuntur. Cumq; ad Castellutium arcem peruenissent, positis ibi insidijs agros Neetinos excurrunt, ac populantur. Quo cognito Ioannes Lãdolinus cõtra eos militibus instructus egreditur, atq; illos paulatim vsq; ad Castellucium se defendentes retrofugat. Tum repente ex insidijs hostes egressi in Neetinos irruunt, Ioannem capiunt, armis spoliant, trucidant, caputq; eius à corpore abscidunt. Artalis his cognitis obsidione Bizini soluta Neetum venit. Vbi Manfredo Alagona eius germano fratre Præfecto constituto ad Abolam obsidendam perrexit. Eodem ferme tempore Gilius Staitus Messana

Matthæus de Montecatino.

nauigio

nauigio ducentis militibus, quos ei Rex Aloysius miserat instructo vectus Augustam prius, Leontinũ deinde Claromõtanis auxiliaturus aduenit. Qui cognita Artalis è Catana absentia vires suas cũ Manfredo coniungẽs Catanam vterq; simul petunt, eius agros populantur, ac inde mœnibus vrbis appropinquant, sagittis Catanenses plurimũ vexant, & Leontinũ redeunt. Sed in regressu arcem à Catanensibus iuxta Teriam. fl. constructã Bicoccã vernaculè dictã funditus diruunt. Interea Fridericus Rex ex Cephaledi Thermas, deinde Politiũ, ac demũ Ennã cũ Frãciſco Vintimilio venit. Vbi Corradus Lãcea Platiæ Præfectus ſub capitis mulcta ob Guidonis expulſionem in ius à Rege vocatur. Sed ille ſibi timens Ennã petere noluit: ſed Platiæ, vnde ſibi origo erat, gentilium, & cõterraneorum fauore ſe continuit. Quamobrẽ à Rege præconis voce apud Ennã exilio mulctatur. Deinde Franciſcus Comes, & Guido Vintimilij iuſſu Regis cũ copijs contra Platiã veniunt. Sed oppidanis magno aĩo contra eos egreſsis, cum & viribus, & numero eſſent inferiores, Ennam ſunt reuerſi. Sub idem ferme tẽpus Gilius Staitus & Claromõtani, & Aloyſij Regis milites, qui Catanenſes damnis affecerant, Adranũ vſq; cuncta vaſtantes excurrunt. Ad vicũ deinde Spanò cognominatũ per aſpera, & inacceſſa Aetnæ mõtis itinera, quæ nullus ãtea (quod quidẽ memoriæ ſit proditũ) emenſus fuerat, veniunt, cuncta diripiunt, ac pecus deprædantur. Berardus Spatafora his cognitis ducentis cũ militibus reuertentibus non longè à Paternione occurrit, eosq; adoritur. At hoſtes metu perculſi relicta præda in fugã vertuntur, & ad ſuos redeunt. Interea Caltagironenſes contra Matthæũ Montecatinũ eorum Præfectũ coniurationem ineunt. Quod vbi Artalis, qui Abola Meneum venerat, audiuit, Caltagironum petijt, coniuratosq; oẽs captos vltimo ſupplicio affecit. Interea Guilelmus Prætioſus, Randatij Friderici Regis nomine Præfectus dũ nimis crudeliter oppidum adminiſtrat, à Ioanne Spatafora vterino eius fratre occiditur, poſt quẽ Ioannes oppidi ſibi Præfecturam occupauit. Ita Fridericus Rex à Siculis quotidie contemnitur. Proceres nanq; eius ad libidiné oĩa habent, oppida diripiunt, ſpoliant, regiones, atq; imperia vſurpant, Regemq; ipſum paupertate præmentes ludibrio habent. Poſt hæc Abola oppidũ, Caſtellutiũ. Palatiũ Adriani, & Bibona, quæ à Claromontanis tenebantur, Friderico Regi vltro ſe dediderunt. Eodẽ ferme tẽpore cũ Corilio oppidũ Aloyſio Regi adhæſiſſet, & à Friderico Claromontano regeretur, Fridericus Rex cũ Franciſco Vintimilio, & ſexcentis militibus, quibus Drepanitæ multi, & ex Criſtia oppido vna Catalanorum cohors ſe adiunxerant, contra Corilionẽ mouit. Fridericus Claromõtanus audito Regis aduentu in arcẽ ſe recipit, eãq; omni opere, & pſidio munit. Corilionenſes, q partẽ oppidi inferiorẽ incolebant, aduẽtanti Regi occurrunt, ſeq; ei vltro dedunt, & ſimul cum Rege ſuperiorẽ oppidi partẽ oppugnant. Sed cũ Claromõtani fortiter ſe defenderent, & oppugnatio diuturna videretur, inter Regẽ, & Fridericũ aliquot menſium inducię, quas paulo pòſt Mãfredus Claromõtanus violauit, ſunt factæ. Suterẽſes inter hæc ſuũ Præfectũ excitatò tumultu interficiunt, aliũq; ſibi præficiunt. Caltagironẽſes quoq; Matthæo Mõtecatino expulſo Præfectũ aliũ ſibi deligũt. Matthæus Mõtecatinus Caltagirono deſtitutus Curcaraciũ oppidũ, quod ſui iuris erat, venit, atq; inde Sortinũ, qd Perelli de Modica ſibi cõiũctiſsimi, ditionis erat, p pditionẽ occupare tẽtat. Quò cognito Perellus & arce, & oppido munito Curcuraciũ magna vi aggrediť, ac ſtatim capit, hac itaq; arte artẽ deluſit. Salemis oppidũ ſub idẽ tẽpus anno ſal. 1359. mẽſe Feb. qd Aloyſij Regis, & Claromõtanorũ partes ſequebat, à Riccardo Abbate, q Drepani Friderici Regis noĩe pſidebat, à primoribus oppidi accerſito, & cũ valida manu aduenięte, apertis ſibi portis ab oppidanis, Fridericũ viuere cõclamãtibus capiť. Sed Claromõtani, q plures erãt numero, his cognitis, eos iter ipſas tenebras aſcẽſis, & cõglobati portã oppidi poccupare cõtẽdũt, nulſũq; ide vel ingredi, vel exire pmittũt. Inter hęc pleriq; nefarij viri p agros excur-

rũt, atq; arméta p̃dãtur. Rerũ dñi ad Riccardũ veluti oppidi dominatorẽ veniũt, auxilia cõtra latronũ audaciã poſcũt. Ille dũ milites ad id inſtruit: tumultus ingẽs̃ oppido ſtatim exoritur. Quo pcul audito, qui Riccardũ introduxerãt, Claromõtani nos rurſus oppidum recepiſſe rati, ne patratæ mutationis authores haberentur, mutata voce per oppidũ excurrunt, Regi Aloyſio vitam precantur, Fridericũ Regem abrogant. Claromontani his vocibus auditis animis eriguntur, cum his ſeſe adiungunt, per vicos procurrunt. Illuceſcente deinde plebs quoq; cum his vnã ſe admiſcet, Aloyſium Regẽ, & Claromontanos ſublatis vocibus efferunt, ac demum Riccardũ Abbatem fruſtra tumultum comprimere nitentẽ ad forum capiunt, ac trucidant, Ita Salemis paucis horis vtrunq; Regem, & recepit, & eiecit. Interea pridie Cal. Martij Eufemia Friderici Regis ſoror, ac Regni Vicaria apud Cephaledim moritur. Quare Berardus Spatafora Gallianũ oppidũ, quod erat Euphemiæ, ſibi occupat. Quod etſi Regi magnopere diſplicuiſſet, Procerũ tamẽ, in quorum poteſtate erat, cauſa, illi oppidũ conceſsit, Præfecto arcis libero, & re omni familiari integra, abire permiſſo. At paulo poſt Præfectus nõ longè à Nicoſia à quibuſdam militibus inuaſus, & miſerè excoriatus interijt. Poſt hæc pridie Cal. Aprilis Vinciguerra Aragonius, & Oliuerius de Meſſana milites Aloyſij Regis, ad quem iã nuper defecerant pertæſi, Friderici Regis erectis vexillis oppidũ S. Marci, Capitis Orlandi, Tyndaridis, Montis albani, Noaræ, & S. Philadelphi, quæ ſui erant iuris, Friderico Regi tradunt. Interea cũ Manfredus Claromontanus Neapolim ad Aloyſium Regẽ profectus eſſet, Artalis copias contra Leõtinum comparat, eò cum exercitu contendit, ibiq; non longè à mœnibus iuxta S. Leonardi fl. caſtra metatus eſt, agriſq;, ac ſegetibus, & vinetis omnibus vaſtatis, atq; incẽſis, oppidũ ad extremam propè annonæ caritatẽ deduxit. Manfredus, qui iam Meſſanam Neapoli redierat, ijs cognitis, aſſumpto ſecum Nicolao Cæſario, qui quondam Rogerij Paſſaneti Comitis filiam, quæ Leontini erat, vxorẽ duxerat, cũ aliquot nauibus militibus inſtructis Auguſtam venit, & terreſtri itinere mox cũ exercitu Leontinũ petijt, & oppido iam labenti ſuccurrit. Quo viſo Artalis cum expugnationẽ non ſperaret, Catanam eſt reuerſus. Et Nicolaus quoq; Cæſarius cũ vxore celebratis nuptijs Mãfredo Leõtini relicto Meſſanã redijt. Sub idẽ ferme tẽpus Vinciguerra Aragonius, qui Pactas vrbẽ Friderici Regis nomine moderabatur, cõtra Mõtẽ Albanũ, quod Ioannes Albertus Aloyſij Regis titulo adminiſtrabat, exercitũ duxit, & paruo negotio cepit. Sed Arloccus cũ in arce, quę Regia erat, ſe cõmuniſſet, fortiter obſiſtebat. Quo viſo Vinciguerra cũ arcẽ capere non poſſet, relicto oppido, & incẽſis agris Pactas redijt. Arloccus autẽ iam obſidione liberatus cũ ſciret illud oppidũ Blaſci quõdã Alagonæ fuiſſe, iureq; ad filiũ hæreditario iure pertinere, Artalem per literas vocat. Cui ſtatim aduenienti, & oppidũ, & arcẽ reddidit. Interea Manfredus Claromontanus cum copijs contra Bucherium, Ceretanũ, Meneum, & alia vicina Friderici Regis oppida profectus, cum neq; expugnare illa, potuiſſet, eorum ſegetes, ac vineta omnia ferro, igneq; abſumpſit. Fridericus Claromontanus Panormo egreſſus cũ maximis copijs Drepanum aliquot diebus fruſtra obſediſſet, oppugnaſſetq;, ad eius agros conuerſus ſegetes oẽs, vineta, ac oliueta incendijs vaſtauit. Nicolaus Cæſarius cum quadringentis equitibus, & magno peditatu Meſſana erũpens agros Mylenſes Tyndaridẽ vſq; & ipſe cõbuſit. Ita Sicilia tota fruméti, vini, atq; olei eo anno maxima caritate oppreſſa eſt. Poſt hæc Fridericus Rex cũ Frãciſco Vintimilio Comite, ſub cuius erat tutela, & cũ Berardo Spatafora, & Hérico Rubeo Comite, & magno Regni Admirato, ac cæteris Proceribus, & militibus Salemim Friderici Claromõtani oppidũ magna vi eſt aggreſſus, ſegeteſq; omnes, & agros primum incendit. Quo damno oppidani vehementer commoti Claromontanos ad quadringentos numero, qui intra mœnia erant, ad præliandum cũ hoſtibus extra mœnia hortati ſunt. Quibus ad pugnam egreſsis,

Digitized by Google

egreſsis,in qua Henricus Abbas Friderici Regis miles occubuit, oppidani ſtatim clauſis portis amoto Aloyſijs regis vexillo,& Friderici erecto, per vicos excurrẽtes editis vocibus Friderico Regi vitã optabant. Quo cognito Claromontani in arcem ſeſe confeſtim receperũt. At Fridericus Rex cũ exercitu oppido appropinquat,& portis ſibi ab oppidanis patefactis Salemim ingreditur, & Rex ab omnibus acclamatur. Claromontani,qui in arce erant,his viſis ea lege ad dedendã arcẽ adducũtur,vt ad ſuos liberè redire poſsint,ita igitur Fridericus Rex Salemim oppidum, & arcem menſe Iunio recepit, & Alcamum etiam, Caſtrum ad mare, & Calatubum oppida eſt adeptus. Deinde contra Panormum, quod Aloyſij Regis, & proprio nomine Fridericus Claromontanus obtinebat, mouit, & pro mœnibus caſtrametatus eſt. Vbi Henrico Rubeo authore inducię inter Fridericum Regem,& Fridericũ Claromontanũ,ac cæteros omnes in regione Mazaræ & Neetina, ſunt factæ. Ijsq; per præconem publicatis, Fridericus Rex cum Franciſco Comite Drepanum eſt reuerſus. Erat tum Nicolaus Abbas Henrici qui apud Salemim à Claromontanis interfectus fuerat,filius, Drepani Præfectus. Hoc igitur Franciſcus Vintimilius abrogato,Guidonẽ germanũ fratrẽ, quem Platienſes expulerant,præficit. Quod adeo Regi diſplicuit, vt verba etiam contra eos grauia protulerit. Quibus Guido auditis in Regem inuectus, pugioneq; ipſum aggreſſus,vulneratũſanguine in ceruice fœdauit,vt pleriq; ſcribunt,& nos per teſtes in Regia curia confirmatos,cõprobatosq; legimus. Qua iniuria Rex affectus ne peiora pateretur, Drepano diſcedens Politium vna cum Franciſco Comite ſe conuertit. Sed Nicolaus accepta iniuria Friderico Claromontano Panormi tum imperanti adhæſit,qui coacto militũ numero oppida Franciſci Vintimilij, & præſertim Caſtellũ Bonũ,& eorũ agros igne vaſtauit, & ingenti inde capta præda Panormum redijt. Eodẽ ferme tempore Bibona oppidũ, quod Claromontanorum erat ditionis,ad Fridericũ Regem Franciſco Vintimilio authore defecit. In quod Franciſcus,& Guido ea cauſa ingreſsi,cuncta prædando populati ſunt, vt nec virginibus etiam, matronisq; honeſtiſsimis abſtinerent. Quibus Bibonenſes, vt par erat,moti, oppidum præter arcem ſolam deſeruerunt. Quod vbi Claromontani cognouerunt,ſtatim armati adſunt,& oppido potiuntur. Sed cum arcẽ expugnare non potuiſſent, ingenti Vintimiliorum capta præda, oppido relicto diſceſſerunt. Dum hæc apud Bibonam geruntur, Artalis Alagona cum Henrico Rubeo pace apud Catanam magno Catanenſium, & Friderici Regis ſtudioſorũ gaudio facta, aĩo repetẽs quonã modo Leõtinũ expugnare poſſet,aſſumptis ſecũ Rolando Bucherij Dño,Berardo Spatafora, & cæteris Proceribus vicinis, ac maximo exercitu cõparato Leontinũ petit,atq; in eius agros incurſiones facit,ſegetesq; etiam omnes, ac vineta, & oliueta & incendio ad radices vſq; abſumpſit, ita Leontinos preſsit, vt complures oppidani Leontinum deſerentes Catanam incolatum transfugerint. Quo viſo Manfredus Claromontanus veritus ne plebs inedia in furorem acta in ipſum irrueret, ſumptis ſecum veluti obſidibus quibuſdam oppidi primoribus Meſſanam frumentatũ menſe Nouembri profectus eſt,vbi nauim frumento onuſtam,quam Aloyſius Rex Neapoli miſerat, reperit. Quam Auguſtam direxit, vt inde Leontino ſuccurreretur. Quod vbi Artalis cognouit, ſtatim Auguſtam terreſtribus copijs,& quibuſdam Syracuſanis, & Catanenſibus nauigijs obſidione primùm cingit,ac poſtea capit, frumentũ omne Syracuſas mittit, oppidũ diripit,ac demũ iniecto igne prorſus abſumit,& ſolo æquat, cuius deleti oppidi mœnia adhuc ex parte extantia,& dirutæ ædes cernuntur. Deinde intempeſta nocte intrepidè Leontinum cum exercitu profectus ad eam oppidi partẽ,quã Caſtellũ nouũ appellãt,muris ſcalas admouet,deinde milites circiter quinquaginta cõſcẽdere iubet. Qui intrepidè,ac ſtatim iuſſa exequũtur,mœnia, aſcendunt,mox è ſuperioribus muris intra mœnia in areã ædiũ Matthæi Bellandi

tabellionis oppidanorũ, nullo ſentiente deſcendunt, nam Leontini eam partẽ veluti natura munitiſsimã ſegniter cuſtodiebant. Matthæus militum tumultu excitatus aperta feneſtra, que arci imminebat, cohortem videt. Quibus ad terrorem incutiendũ, Ioannem Milanum oppidi Præfectũ equitibus quadringentis inſtructum adeſſe ſubmiſſa voce edixit. diſceſſum igitur illis hortatur. Sed milites Regij illi ſilentium imperant, Artalemq; Alagonam ingenti cum exercitu, ac mille equitibus aduenisse, nullumq; timori, neq; periculo locum eſſe reſpõdent. Matthæus vbi hæc audiuit, aperta alia feneſtra extra oppidi mœnia proſpiciente ingentem videt exercitum, Quo territus, vxorem, quæ voce edita clamare decreuerat, animaduertit, ſilere iubet, ac ſubinde ad Regios accedit, fidẽ ſuam & operã ſpondet, atq; ſuppellectilem omnem impetrat. Fuitq; deinceps Friderici Regis ſtudioſus. Igitur eo modo magna militum pars intra mœnia ingreſſa ad portas oppidi perrexit, & vectibus ſecuri perfractis, apertisq;, repente Artalis cum exercitu Leontinum ingreditur, ac editis vocibus Friderico vitam, Claromontanis interitum cõprecãtur. Leõtini vbi captũ prius vidẽt oppidũ, quã hoſtes adeſſe ſuſpicati eſſent, metu repentino perculſi, ignari quo ſe tuto reciperent in incertum diffugiunt, ac tandem in turrim quandam non procul inde opere munitam complures ſe recipiunt. Regij igitur oppidi regionem cæteris eminentiorẽ Caſtellum nouũ appellatam excurrunt, ac nemini vi illata capiunt. Thomaſius Palagonia Manfredo col lateralis hoſtium metu ad Bizinum fuga ſalutem ſibi quæſiuit, quẽ filia ſecuta præcipitem ſe è muris dedit, quæ capta, inuiolataq; eius pudicitia, ad cœnobiũ S. Clarę inter virgines eſt ſeruata. Qui vero turris ingreſſu tutos ſe reddiderãt, capta ea oppidi regione in manus victorũ ſe tradiderũt. Sed & altera oppidi regio, quę Cuſentina appellatur, illuceſcente deditionem & ipſa fecit. Interea Ioannes Milanus oppidi Præfectus, Franciſcus Cantellus, & Matthæus de Dño Sanctoro primores oppidi, & Aloyſij Regis ſtudioſiſsimi, qui tertiam oppidi regionẽ, cui Tyroni eſt nomen, natura cæteris munitiorẽ defendebant, ne in manus Artalis venirent, noctu fugam capeſſunt. Ciues illis diſcedentibus illuceſcente ſtatim erecto Friderici Regis inſigni ſeſe & ipſi dediderunt. Ita Leontinum oppidum tertio Cal. Ian. præter Tyronis arcẽ, ab Artali captũ eſt. Ea etenim arx à Manfredo opere, & preſidio tum ad oppidi ipſius tutelam, tum quòd in ea vxorem, & liberos reliquerat, ſatis munimenti acceperat. Capto oppido Artalis proditorũ ædes ad prædam militibus conceſsit. Poſt hæc ad arcẽ expugnandã ſe conuertit. Murũ igitur in arcis ambitu ne quiſq; inde vel egredi, neue ingredi poſsit, primum erigit. Deinde machinam ex lignis ædificat, è qua molares lapides ingentes ſupra trium Cantariorum pondus in arcem immittebat, atq; eo pacto & alijs inſtrumentis arcem hoſtiliter oppugnabat. Sed cũ arx immenſæ rupis, & murorũ altitudine præcincta atq; munita eſſet, oppugnatio diuturnior fore videbatur. Inter hæc Margarita Manfredi vxor Artalis conſobrina clã cum eo colloqui conſtituerat. Quo Guilelmus Sortinus Notarius, & Franciſcus Sauoia, quos Manfredus arcis Præfectos, ac cuſtodes reliquerat, cognito, rati illam deditionem facturam, arce noctu egreſsi clam ad Artalem contendunt: arcemq; ei pactis legibus offerũt, ſignum temporis patrandæ rei dant, receptisq; ab Artale Friderici Regis vexillis ad arcem reuertũtur. Noctu arcis cuſtodiam obeunt, Friderici Regis inſigne in loco arcis editiori erigunt, datoq; ſigno, Artalis cum maximo ſelectorũ militũ numero ante arcem ſeſe offert, patefactiſq; ſibi foribus ſtatim ingreditur. Clauſo deinde oſtio arcis penetralia pueſtigat, & cũcta diripit. Illuceſcẽte verò ad ianuã aulæ, vbi Margarita Mãfredi vxor harũ oĩum rerũ ignara adhuc dormiebat, accedit, ac eã nomine vocat. Illa voce Artalis audita, tametſi metu pterrita fores aperit, ac benignè vnà cũ germano, & liberis ab Artali, excipit, & poſtea ad Catanæ arcẽ captiua mittit. Mãfredus, qui adhuc Meſſanæ erat, vbi Leõtinos, vxorẽ, & liberos captiuos, rẽq; oẽm familiarem

familiarem, quæ immensa erat, asportatam cognouit, exanimatur, & quo se verset, quaue ratione libertati suos restituat, prorsus ignorat. Siclis oppidum Claromontanorum Leontini audita expugnatione statim Friderico Regi deditionem fecit, atq; arcis, & oppidi claues per Mutium Barbam oppidi, & arcis Præfectum Artali Leontinum transmisit. Receptis Artalis clauibus confestim cum delecto militum numero Siclim profectus magno honore susceptus est, ac deinde firmatis opere, & præsidio oppido, & arce Leontinum reuersus est. Terranoua oppidũ Luca Cannariato Præfecto Aloysij Regis studiosissimo prius per famulũ ex turri lignea, quam ipse contra hostes ante portam cognomento Caltagironis erexerat, in terram exturbato, atq; gladijs citra interitum confosso Regi sese Friderico adiungit, atq; eius vexillum abrogato Aloysio erigit, & Lucam neci dedit, ac bona eius diripit: tum equites quindecim, quos Claromontani ex Agrigento Lucæ auxilio miserant, occidunt. Deinde Artalem Alagonã, qui frustra illud oppidum antea oppugnauerat, ad se vocat. Ille militibus statim instructus eo accedit, ac summo cum honore excipitur. Qui constituto ibi Friderici Regis magistratu & firmato præsidijs oppido contra Buterium, quod cum antea sui iuris esset, ab eo pòst descierat, cum exercitu mouet. Sed Buterienſibus strenuè obsistentibus inde discedens Caltanixettam Friderici oppidum petit. Vbi sedato per eum tumultu, qui inter arcis Præfectũ, & oppidanos exortus fuerat, Catanã cum magno militum numero redijt. Quem Catanenses sertis, ac floribus capiti impositis in victoriæ lætitia, quam de Leontino, Sicli, & Terranoua consecutus fuerat, maximo honore intra vrbem suscipiunt. Interea Fridericus Claromontanus, qui Panormo præerat, cognita Artalis de multis oppidis victoria, veritus ne contra Panormum moueret, Neapolim ad Aloysium Regẽ nauigat, atq; in quo discrimine res essent Siculæ enarrat, ab eoq; auxilia petit. Sed dum hæc Claromontanus gerit, Panormitani tot bellorũ, ac Claromontanorũ magistratus pertæsi Regem Fridericum ad se vocant. Sed dum Rex vocatus lento gradu ab egestatem Panormum versus pergeret, Claromontanus cum militibus auxiliaribus ab Aloysio Rege impetratis Panormum reuersus, vrbem munitissimam reddidit. Quo cognito Fridericus Rex, qui iam ad agros Panormitanos venerat, Politium est reuersus. Post hæc Hẽricus Rubeus, Berardus Spatafora, Vinciguerra Aragonius, Baro (vt vocant) Rocellæ cum equitibus Randatienſibus, ac Ioannes Mangiauacca cũ aliquot equitibus Friderico Regi addictis Mylas venerunt, eiusq; agris incensis oppidum S. Luciæ, quod Nicolaus Cæsarius tutabatur, aggrediuntur, noctuq; per deditionem oppidanorum capiunt, Nicolao in arcem sese recipiente. Quo cognito Castrum, Saponara, Monsfortis, & pleraq; alia oppida & ipsa Friderico Regi adhæserunt. Nicolaus quoq; Cæsarius, qui in arce. S. Luciæ adhuc obsidebatur, & ipse tandem libertate impetrata cum Proceribus, qui secum aderant, sese Friderico adiungunt. Sed vix Nicolaus ab arce fuerat egressus, cum Ioannes Mangiauaca in eum irruit, fœdissimeq; necauit, nec minus in alios quoq; socios eius, ac Proceres sæuitum est. Pleriq; verò, qui in arce adhuc se tutabantur, neq; adhuc cum Nicolao deditionem fecerant, vi capti ab arce præcipitati sunt. Solus Pinus Campulus ex proditoribus vnus vitam ab Henrico Rubeo, promissa sibi per simulatam proditionem Messana vrbe, impetrauit. Qui Messanam cum Henrici literis ad sui studiosos missis, quibus eos vt cũ Pino rẽ hora constituta apertis portis maturarẽt, admonebat, pergẽs, Mãfredo Claromõtano qui Messanæ præerat, Hẽrici literas reddidit. Mãfredus perlectis literis statim Hẽrici studiosos, q plurimi erãt, furca suspẽdit, plures carceri ad dixit, paucos in Calabriã trãsmisit. Quo factũ est, vt Messana cũ p parte deserta remãserit, à Calabris, & cæteris aduenis iussu Mãfredi fuerit habitata. Interea Aloysius Rex ducẽtos milites Neapoli in Siciliam misit, quorũ cẽtũ Messanæ, reliqui verò Panormitano psidio sunt dicati. Paulo pòst

verò cũ res Aloysij Regis in Sicilia ĩ dies inclinari videretur. Fridericus Claromõtanus, & cæteri Claromõtani Frãciſco Vintimilio authore, in quo nõ pacẽ ſolùm, ſed iã etiã affinitatẽ contraxerant, ad Fridericũ Regẽ abrogato Aloyſio deficiũt, à quo benignè admodum ſuſcipiuntur, quod & Artalis magnopere probauit. Poſt hæc Fridericus Rex indulgente Gregorio vndecimo Pontifice Ro. Catalanorum omnium conſenſu Conſtantiam Regis Aragonum filiam duxit vxorem. Pro qua Rolandus Aragonius in Sardiniam cum triremi, vbi Rex Aragonum, & Conſtantia erant, eſt miſſus. Conſtantia itaq; Regina magna procerum multitudine comitata cum ſex triremibus in Siciliam traijciens anno ſal. 1360. 6. id. Ian. Drepanũ applicuit. Erat eo tempore (vt diximus) Guido Vintimilius Drepani Præfectus, qui Reginæ aduentum nullam aliã ob cauſam niſi ob id, quod Catalana eſſet, moleſtè ferens, in terram eam deſcendere prohibuit. Quocirca Regina ad Golũbarã arcem cum claſſe conſidere aliquandiu compulſa eſt. Fridericus Rex cognito Reginæ aduentu cũ Franciſco Vintimilio metuente ne Reginæ impulſu ipſo deiecto Rex deinceps Artalis Alagonæ, tutoris (vt ante) authoritate, & cõſilijs vteretur, Drepanum venit. Qui cum Reginam adhuc in naui commorantẽ viſere cuperet, à Frãciſco etiam ipſo Vintimilio Comite, & ab eius aſpectu, & nuptijs eius, eo ſolo prætextu quòd Catalani, qui ſemper Siculis fuerãt infenſi, quàm facilimè ſi Reginam Catalanam haberent, Regnum ſibi occupare poſſent, inhibitus eſt, eiq; ille Dyrrhachij Ducis filiam forma inſignem, vt in matrimonium petat, proponit. Rex his auditis cum vecordi eſſet animo, Franciſci Comitis conſilium approbat, atq; non viſa Conſtantia, nuptiasq; ludificatus, Drepano ſimul cum eodem diſcedit, ac Cephaledim petit. Conſtantia cognito Regis diſceſſu Dominicanum quẽdam Confeſſarium ſuum ad Regem oratorem mittit. Qui eum clam, & abſente Franciſco ad nuptias celebrandas hortatur, quæ bona inde prouentura ſint, ſi negotium perſequatur, exponit, contrà quæ damna, ſi ſpernat, nimirum dedecus vtriuſq; Regis, bellũ ſibi à Rege Aragonũ potentiſsimo imminens, regniq; amiſſionem ſibi ob ludificationem aduenturam. Rex vbi hæc audiuit, lachrymis obortis vulnus aperit, ſe non Regem, non liberum, neq; ſui iuris eſſe, ſed ſub Franciſco Vintimilio ſeruum, illius hanc eſſe artem, ne à Catalanis dominio deijciatur, ſe ei mente eſſe, vt Conſtantiam vxorem accipiat atq; vt Drepano ſoluens Catanã nauiget imperat, vbi ſe nuptias celebraturum pollicetur. Dominicanus peracto Legationis officio ad Conſtantiam redijt, & quid reſponſi habuerit, refert. Quo Regina accepto Drepano Catanam verſus ſoluit, Saccam venit. Ad quam Artalis à Rege miſſus maximo militum numero peruenit. Vbi claſſe relicta terreſtri cũ ea itinere Meneum profectus eſt. Interea Franciſcus Comes ignarus rerũ, ratus Regem adhuc in ea ſententia manere, in qua ipſum reliquerat, vt repudiatis Cõſtantiæ nuptijs, Ducis Dyrrhachij filiam peteret, liberum Regem facit, quẽ antea ne ab vllo quidem homine videri ſinebat: ac cum eo ad venãdum Cephaledi egreditur. Rex igitur primùm à longe Franciſcum ſequitur, mox mutato itinere dũ Frãciſcus venationi ſtudet, Miſtrettam Artalis oppidum citato curſu proficiſcitur. Ameſtratini vbi Regem ex inopinato adeſſe vident, obſtupeſcunt, atq; ipſum attoniti regio more tumultuariè ſuſcipiunt. Franciſcus interea ex venatione prandio parato, Regem in nemore. 6. ab vrbe. p. m. diſsito præſtolabatur. Sed vbi Regẽ Miſtrettam petijſſe, ac ſe deluſum animaduertit, animo deijcitur. Artalis verò cognito Regis ad Miſtrettam acceſſu, confeſtim relicta Menei Regina, cũ magno equitum numero ad eum venit, maximoq; ab eo honore, ac lætitia ſuſcipitur. Fridericus Rex poſtq; paucis diebus Meſtrettæ cum Artali fuit, Meneum cum eo, & cæteris proceribus ad Reginam venit. Vbi inter Regẽ & Reginam celebratæ ſunt nuptiæ, ac per Martialem Catanenſem Epiſcopum conſecratæ. Tum deinde Catanam Rex, & Regina cum proceribus venerunt, ac regio à Catanenſibus florentes

corollas

corollas in capite gestantibus, & per octo dies festos hymeneos cõcelebrantibus honore sunt susceptι. Verùm cum Rex ad nuptias per literas suas Fridericũ, & cæteros Claromontanos, Franciscum Vintimilium, & Guidonem Vintimilium eius germanum, ac cæteros omnes proceres inuitasset, Fridericus, Franciscus, & Guido Regis mandato parere recusarunt. Sed res diuersas causantes, oppida sua non secus, ac si hostes in foribus essent, omni opere muniebant. Quare eos à Rege desciuisse cæteri proceres suspicati sunt. Sub idem fermè tempus Henricus Rubeus Friderici Regis iussu magnis coactis secum copijs Messanam petijt, ac dura obsidione cingere cœpit. Sed Manfredus, ac Messanenses ad fraudem se conuertunt, deditionem pollicentur, & Artalem ea causa ad se vocant. Artalis, qui cum Rege Catanæ erat, cum sex triremibus, quæ Reginam è Sardinia in Siciliam vexerant, milite instructis Messanam nauigat. Messanenses vbi triremes in conspectu portus habent, missilibus, lapidibus, ac sagittis Artalem salutant, ac fœdè propellunt. Artalis repulsam proditoriè à Messanensibus passus, Liparas, quæ Regi Aloysio parebant, nauigat, oppidanosq; ad deditionem hortatur. Quos cum flectere omnino nequisset, milites in terram exponit, qui segetes omnes, vineta, & leuconium vastant, populantur, incendunt, atq; ingenti inde abducta præda Catanã redijt, & triremes Syracusas misit. Mãfredus auditis Lipareis populationibus, eas vlturus contra Mylas proficiscitur, ac oẽs eius agros & ipse populatur, iniectoq; igne comburit. Deinde Messanam reuersus cum nouem triremibus, quæ in portu erant, Syracusas nauigat, vrbem mari aggreditur, ac duas Catalanorum triremes capit, & vrbis portã, quę ab Aquila nomen habebat, igne iniecto incendit. Deinde sex triremibus ad Friderici regis littorales oras populandas missis, ipse cum tribus suis triremibus, & Catalanorum duabus, quas ceperat, Messanam reuersus est. Post hæc inter Regem, & Franciscum Vintimilium, ac Fri ericum Claromontanũ authore Henrico Rubeo Friderici genero pax rursus hac inter cæteras lege firmata est, vt Rex Panormũ ad diadema Regium more maiorum suscipiendum peteret, quo hactenus obsistentibus sibi Claromontanis, qui Panormo potiebantur, insigniri non potuerat. Igitur Fridericus Rex. 17. Cal. Octob. anno sal. 1361. magno Procerũ numero, ac ingenti equitatu, & peditatu munitus Catana ad Panormi coronam suscipiendam mouet. Vix Platium venerat, cum Franciscus Vintimilius cui inconstans erat fides, cognito Regis aduentu maximo equitum, iaculatorumq; instructus numero Ennam in Regis cõtumeliam occupat, præsidio firmat, ac equitatu deinde vias, quibus Rex iter facturus erat, obstruit, custodes apponit, & cuncta Regi demũ infida reddit. Mirari primum his cognitis Rex hominis incõstantiam cœpit, tum per Legatos eum ad se vocat. Cui ille obedire contempsit. Quo Rex duos postq; Platiæ moratus est menses, cum Rolando Aragonio, Artali Alagona, Henrico Rubeo, Berardo Spatafora, Vinciguerra Aragonio, & Conrado Lancea, eorumq; cohortibus, ac militibus Platiensibus inde discedẽs Caltanixettam oppidum petijt. Vbi Procerum habiturus conuentum, primores omnes Franciscum præsertim Vintimilium, eiusq; consanguineos, ac collegas sub desciti onis mulcta per nuntios vocat. Emanuel Vintimilius Comes ne desciisse videretur, Caltanixettam ad Regem profectus est. At Rex etsi benignè eum excepisset, oppida tamen eius omnia Fisco addixit. Franciscus verò Vintimilius Comes, & Fridericus Claromontanus, eorumq; studiosi non modo imperium contempserunt, sed ingenti quoq; comparato exercitu contra Regem se munierunt. Interea Constantia Regina Mariam filiam genuit, & deinde anno sal. 1363. mense Iulio Catanæ febre correpta decessit. Maria filia, Artalis Alagonæ, qui eam è sacro fonte susceperat, curæ relicta. Post hęc Aloysius, quem item & Ludouicum appellant, Neapolitanus Rex ipse quoq; Neapoli morbo oppressus interijt. Quo mortuo Manfredus, & Fridericus Claromontani Friderico Regi suadente Artale, cum quo iam

fœdus

fœdus clam inierant, reconciliantur, ac mox cum Artale Messanam inuadunt, expulsisq; Ioānæ Reginæ ministris vrbem Friderici nomine simul, & arcem capiūt. Ita tota propemodum Sicilia Friderico Regi subijcitur. Præsidebat eo tempore in Ro. ecclesia Gregorius Vndecimus, qui cum Fridericum Regem vnicè diligeret, pacem demum inter Ioannam Reginam, & Fridericum Regem ijs conditionibus conclusit, vt Fridericus, absq; iuris præiudicio Rex Trinacriæ, & Ioanna Regina Sicilię appellaretur, vt Fridericus Regnum a Ioanna acceptum ferat, eiq; per procuratorem authoramentum, ac homagium citra seruitutis nexum præbeat. Vt Fridericus Reginæ quotannis vectigal in vrbe Neapoli trium milium vnciarum, idq; die Sanctorum Petri, & Pauli festo pendat, liber tamen interim à censu Ro. Pont. Tum vero trimestri cuiuslibet anni decem triremium, & centū equitum in notabili inuasione Neapolitana Fridericus Reginæ esset obnoxius, vtq; neutri eorum fœdus inire contra alterum cum hostibus liceat. Vt idem Rex Ioanna defuncta ab hoc onere liberetur, & Liparam præterea Insulam recipiat. His addidit Gregorius Pont. vt eorum vterq; Romano Pont. quicunq; is fuerit, homagium vt subditiuus præstet, & ab eo Regna se habere cognoscat. Vtq; Mariæ Friderici filia deficiente modò mascula sobole, in Regnum Patre defuncto succedat. Quæ pax vt arctiori nexu firmaretur, Antonia Ioannæ Reginæ cōsanguinea, & Ducis Andreæ filia Friderico Regi nupsit. Igitur Antonia in magno procerum conuentu Messanam ad Fridericum venit. Dumq; nuptię celebrarentur, Ioannes Salernitanus Præsul à Gregorio Romano Pont. Legatus aduenit, nuptias Regias consecrauit, iuramentum fidelitatis à Friderico Rege recepit, atq; à diris, quibus hactenus Sicilia fuerat inuoluta, eandem absoluit, Fridericus post hæc, vt pleriq; tradunt, quibus cæteri scriptores aduersantur, sedatis iam Procerum seditionibus Panormum cum Regina aduenies, Regia corona, quam hactenus Claromontanis obsistentibus non susceperat, insignitus est. Panormo deinde cū Regina triremi vectus Messanam venit. Vbi Henricus Rubeus Comes, cuius satis suprà meminimus, contra Regis mandatum Messanam ingressus, in triremem Friderici Regis, & Reginæ hostiliter insilijt, cuius impetu Antonia Regina consternata corruit, atq; eo casu perculsa in febrem incidit, qua septimo postq̄ correpta est, die, e vita discessit. Postmodum Fridericus Rex Bernabouis Vicecomitis Mediolani Ducis filiam duxit vxorem. Verùm ante nuptias anno sal. 1368. cū adhuc Messanæ esset mense Iulio morbo affectus, annos vndecim rerum postq̄ potitus est, relicta Maria vnica filia decessit, atq; in templo Diui Francisci regio more tumulatus est.

DE MARIA, ET MARTINO SICILIAE REGIBVS.

CAPVT SEPTIMVM.

MARIA Friderici filia, Siciliæ Regno sub Artalis Alagonæ tutela genitoris testamento successit, quam statim Artalis in Catanensi arce, ab Vrsino appellata, secum vt tutior esset, detinuit. Sed non multo pòst inter Artalem, & cæteros illius studiosos, atq; Manfredum Claromontanum Motycæ Comitem, & sibi adhærentes simultates Vicariatus prætextu repetuntur. Artali eius germani fratres, Guilelmus Peralta Comes, quem Guilelmonum vocabant, cuiq; Leonora Ioannis Randatij Ducis Friderici tertij prognati filia nupserat, & plurimi Siciliæ proceres fauebant. Manfredo vero Henricus Rubeus Comes, Guilelmus Raymundus Montecatinus, & complures

Digitized by Google

complures alij principes viri adhæserant. Igitur Manfredus, Fridericus, Hêricus, eorumq; studiosi, ciuitates, ac oppida, quæ ad Reginæ ditionem pertinebant, inuadunt, & simul cum Panormo occupant, ac seditione publica in Reginam commouentur. Vintimilij & ipsi nonnulla oppida sibi vsurpant, Alagonij pleraq; alia, cætera proceres reliqui rapiunt. Ita Sicilia omnis discissa propè, ac lacera in diuersas Regulorum conspirationes rursum per tredecim annos distrahitur, quorum seditiones tametsi diligentissimè apud ipsum etiam Regis Archiuum quæsiuerim, eas tamen hucusq; inuenire non potui. Interea Maria Regina, quæ Catanæ adhuc agebat, Ioanni Galeatio Virtutum Comiti Artalis opera anno salutis. 1378. (si modò rectè scriptores supputant) mense Decembri hac lege nupsit, vt si Comes infra annum Siciliam ad matrimonium consummandum non accederet, alias sibi nuptias appetendi libertas esset. Verùm paulo post initum matrimonium Guilelmus Raymundus Montecatinus Reginæ pietate permotus, cuius quidem detentio plurimum, regni verò à Proceribus occupati iniuria, non minus sibi grauis erat, ac permolesta, parata in portu Catanensi triremi, eodem ipso anno, nono Cal. Februarij dum Artalis Alagona Messanæ cum Regia curia esset, arcem noctu clam ingreditur, atq; Mariam Reginam q̃q̃ reluctantem rapit, triremiq; impositam ad arcem Augustæ, quæ sui iuris erat, asportauit. Artalis vbi audax facinus cognouit, exercitum delectorum militum instruit, ac eandem repetere, oppidumq; oppugnare decernit. Quo Guilelmus Raymundus cognito cum viribus haud quamq̃ se parè existimaret, Reginã inde ad arcem Alicatæ vrbis transuexit. Vnde triremi à Manfredo Claromontano ad id parata cum Regina soluens Barchinonem nauigat, eamq; Martino Martini Montis Albi Ducis filio vxorem tradit. Erat Martinus dux Ioannis Aragonum Regis germanus frater, & Petri Regis secundogenitus, qui cum Mariam Lunæ Comitis filiam vxorem duxisset, socero absq; masculis mortuo etiam Lunæ Comitatui iure vxorio successerat. Martinus igitur huius Martini, & Mariæ Lunæ Comitissæ filius confectis cum Maria Sicilię Regina apud Barchinonem nuptijs Rex ab omnibus salutatur. Verùm cum Martinus Pater Ioanni Aragonũ Regi germano satis esset inuisus, veritus eius insidias, prætenta occasione, quòd Sicilia insula præsente, & absente Regina à Proceribus in diuersas partes fuerat distracta, quò nutui opitularetur, in Siciliam traijcere constituit. Igitur vterq; Martinus pater, & filius cum Maria Regina, & Bernardo Crapera, quem in spem Comitatus Motycæ acquirendi ob desciticnem Manfredi Claromontani adduxerat, & Artalis de Luna Regis consanguineus, cum pluribus quoq; alijs Proceribus Catalanis, Aragonensibus, & Valentinis triginta cum nauibus, & pluribus triremibus Aragonia soluentes in Siciliam traijciunt, & anno salutis. 1386. 17. Cal. Aprilis Drepanũ applicant. Siciliæ Proceres, qui Reginę fuerant studiosi, percepto Regũ aduentu eos & salutandi, & visendi gratia magna militum copia instructi Drepanum petunt. Reges vt armatos Siculos vident, rati seditionem eos commoturos, in terram descendere verebantur. Quo cognito Proceres armis depositis inermes scaphis ad Regiam triremem appropinquãt, Regum manus & pedes osculantur, & fidei sacramentum eis exhibent. Reges animo erecti è naui descendunt, ac Drepanum Regio more ingressi à Siculis honorificentissimè excipiuntur. Subinde oppida, quæ non longè aberant, statim oratores ad Reges mittunt, ac fidem suam sacramẽto obstringunt, Proceribus solum, qui sibi Regnũ diuiserant, in pertinacia sua perstantibus, & obedientiam exhibere recusantibus. Erant vero hi, Andreas Claromontanus, qui Manfredo parenti nuper defuncto in Motycæ Comitatum successerat, & Panormum vrbem, ac circumuicina omnia præter alia quædam oppida sibi occupauerat, Artalis Alagona, qui Catanam vrbẽ sibi subiecerat, Guilelmus Peralta, & plures alij. Reges igitur cum Drepani dies

aliquot

aliquot fuissent, instructo ex Siculis quibusdam primoribus, & Catalanis, & cõductitijs, quos secum adduxerant, militibus exercitu, ad Panormum, & alia à Claromõtanis occupata oppida repetẽda cõtendunt. Andreas Comes vbi Regũ aduẽtũ cognouit, magna equitum, ac peditum manu contrà egressus ad Montem Regalẽ castrametatus est, vrbe interim militibus, & armis fortiter cõmunita. Reges itaq; Panormum veniunt. Quam vt obsistentem vident, magna vi aggrediuntur. In qua oppugnatione Garaus Ceruellus Lacunæ Dominus, qui cũ Regibus Barchinona aduenerat, occubuit. Tandem Andreas ne Regum furorem experiretur, vltro, citroq; missis, ac remissis nuntijs vita, & rebus omnibus, alijsq; præterea pactis iniquissimis, vt eum Reges interciperẽt, sibi indultis, deditionem fecit, vt diplomate Regio dato Catanæ. 12. Cal. Maij constat. Ita Maria, & Martinus Reges cũ Martino Duce Martini patre Panormum anno sal. 1388. more Regio ingrediuntur, atq; ab Andrea, totaq; vrbe magno gaudio excipiuntur, & Reges salutantur. Sedata igitur Andreæ Claromontani seditione, & Panormo recepta, cætera circũ oppida, quæ desciuerant, per deditionem ea quoq; Reges recipiũt. Atq; hi tres, vterq; Martinus, & Maria simul in Sicilia Regnabant. Post hæc cum Martinus Rex sub capitis mulcta inter cæteras sanctiones edixisset, ne quispiam armis instructus Regium Palatium ingredi omnino auderet, Berardus Crapera Andream Claromontanum ne inermis accederet, monuit, si paratas insidias euadere cuperet. Cuius verbis Andreas motus ense succinctus Palatium ingredi consueuit. Subinde Bernardus, qui & Comitatum ambibat, & ob id reconciliationem eius cum Rege iniquo ferebat animo Regi suggessit, ne Andreæ se crederet, qui in caput eius deuouisset, & ad id ensem subtectum gereret. Quo Rex Audito Andream nil tale metuentem repente capit, atq; in triremes, quæ in portu erant, conijcit. Inde adiudicium tractus, & tormentis actus Andreas, seditionemq; contra Regẽ fassus, à Salimbenio Marchesio Messanensi Iureconsulto magnæ regiæ curiæ Iudice, ac qui liberalitate, & sumptibus Andreæ septem annos vtriq; iuri operam dederat, & Iureconsultorum collegio adscriptus fuerat, vltimo supplicio cũ cæteris quoq; coniuratoribus est damnatus, atq; in area maritima, quæ eius ædibus subest, capite plexus, bonis eius, ac ædibus Regi, Comitatu verò Motycæ Bernardo Craperæ addictis, vt diplomate Regio dato Panormi pridie Cal. Iul. anno sal. 1392. satis liquet, Coniuratis, & Antonio Fabaga eius à secretis viro affectu vrgente ibidẽ Claromontes, editis vocibus ad extremam vsq; animã conclamantibus, sagitta ibidẽ transfixis. Dum hæc Martinus Rex Panormi gereret, filium ex Maria Regina Fridericũ nomine suscipit. Et deinde cũ Martino patre, & Maria Regina ob Andreæ mortem nondum sedata vrbe Panormo discedens Messanam prius, atq; Catanam postea, quam Artalis Alagona sibi (vt memorauimus) occupauerat, iusto cum exercitu petijt. Quo viso Artalis relicta Catana ad Acim oppidum, quod suæ ditionis erat, salutem sibi quæsiuit, Cataneuses Artali discedente liberi facti portas vrbis aperiunt, ac magno gaudio Reges anno sal. 1391. suscipiũt. Vbi dum morãtur eodem fere tẽpore Guilelmus Peralta, quem Guilelmonũ (vt antè diximus) appellabant, Calatabellotæ Comes, & Nicolaus eius filius à Martino, & Maria Regibus desciscunt, occupantq; sibi Ennam, Suteram, Erycem, & Narum cum arcibus. Posthæc Bartolomeus Iuenius Comes, Rogerius Paslanicus Grassuliati Comes, Mãfredus Alagona, Fridericus Spatafora Rocellæ Baro, Antonius Sclafanus Adrani Comes, Ninus Tagliauia Castri veterani Dominus, & plures alij Siciliæ Proceres, necnon & Randatium, Castrum Leonis, Nicosia, Vizinis, Platia, Butera, & pleraque alia oppida ab ijsdem vno fere tẽpore defecerunt. Quare Martinus, & Maria Reges, proceres omnes, eosq;, qui hæc oppida incolebant, Catanæ in arce Vrsina per sententiã rebelles declararũt, bonisq; oĩbus spoliarũt, concesserũtq; Nicolao Brachio forti Mazareni Domino Grassuliatum anno salutis. 1393. 8. id. Decembris,

Decembris, vt Regum priuilegio dato Platiæ liquet. Afforum, quod Artalis fuerat Alagonæ, Simoni Valguarneræ, Caſtellutium, & Sclafanum, quod Guilelmi Peraltæ ditioni ſubiectum erat, Guilelmo Raymundo Montecatino Auguſtæ, & Melieueti Marchioni. Et ita conſpiratorum oppida ſtudioſis ſui militibus ſunt à Regibus diſtributa. Verùm non multo pòſt Guilelmus Raymundus Montecatinus Melieueti Marchio, & Comes Auguſtæ, & Siciliæ Magiſter Iuſtitiarius, & Conestabilis, Antonius Vintimilius Comes Goliſani, & Dominus vtriuſq; Petraliæ, ac Siciliæ Camerarius, Antonius Sclafanus Comes Adrani oppidi & Siciliæ Seneſcallus à Regibus & ipſi deſciuerunt. Quos omnes Rex Catanæ in arce vrſina. 16. Calen. Decemb. 6. ind. 1397. publico iudicio rebelles declarauit, tametſi menſis poſtea Auguſti tertio idus, ac eadem inditione eam ſententiam Randatij Rex de Antonio Vintimilio, ac cæteris eiuſdem familiæ reuocauerit, reliquosq; publica etiã multa damnauerit. Dum hæc à Proceribus gererentur, & Reges Catanæ ageret, Panormitani Gilfortem Panormitanũ Archiepiſcopũ, Odinũ Pampatum, Matthæum Bonannũ Iureconſultũ, Matthæum Cauaſcona, Nicolaum Bononium, & Fratrem Paulum Montis regalis Archiepiſcopum oratores ad Reges miſerunt, vt eius defectionis, quam ſub Andrea Claromontano inuiti ſanè Patrarant, veniam, atq; vt Panormum ad Regiam coronam ſuſcipiendam venirent, ac quedam alia Reges efflagitarent, qui benignè à Regibus ſunt exauditi. Subinde Reges, clemẽtia, ac beniguitate etiã in cæteros rebelles vſi, Bartolomeũ Iueniũ, Guilelmum Raymundũ Montecatinũ, Fridericum Spataforam, Ninũ Tagliauiam, Petrum Montecatinum Siciliæ Vexilliferum, & Matthæum item Montecatinum abſoluerunt, omneſq; hi oppidis, ac dignitate receptis Regibus ſunt reconciliati. Randatium quoq; & cætera, quæ ab eo deſciuerant oppida, benigne ab eiſdem ſunt recepta. Conuentum poſtea Rex apud Syracuſas menſe Octobri. 1398. 7. indit. habuit, in quo Siculos omnes fideles, ac ſui ſtudioſiſsimos declarauit. Mortuo deindè in ſua pertinacia apud Caltanixettam Guilelmone Peralta, Martinus Rex Nicolao Peralto Guilelmonis filio veniam conceſsit, reſtituitq; illi atq; denuo confirmauit Comitatum Caltabellotæ, Sclafani, & Calatafimi cum mẽbris ſuis, guberuationẽ pręterea, atq; adminiſtrationẽ Saccæ vrbis, & Præfecturam veteris, ac nouæ arcis eiuſdem, vti antè poſsidebat, tradidit, ſola Mazara ſibi, quam antea tenebat, negata, quemadmodum diplomate dato Catanæ anno ſal. 1396. pridie id. Febru. conſtat. Verũ Nicolaus Comes neq; hac Regis benignitate victus, illius vnq; potuit fieri ſtudioſus. Nam Saccam, & pleraq; alia iam ſibi rurſum occuparat, cuius perculſus metu Rex Saccam petere eo viuente non eſt auſus. At Nicolao anno ſal. 1399. 17. Cal. Nouembris vita defuncto relictisq; Margarita, Ioanna, & Conſtantia filiabus, quas ex Eliſabeth Manfredi Claromontani filia vxore ſuſceperat, Martinus Rex eodem menſe Saccam profectus, Regio more ſuſceptus eſt, ac nullo obſiſtente arce noua, quam Guilelmonus ſua pecunia erexerat, potitus eſt. Margarita ſubinde Nicolai filia iuſſu Regis Artali de Luna Regis conſanguineo nupſit. Cuius matrimonij iure Artalis Calatabilottæ Comitatum adeptus eſt. Ex quo Antonius Luna Comes exortus, ex filia Antonij Candonæ vxore, Carolum, qui ei poſtea in Comitatu ſucceſsit, Petrum Archiepiſcopum Meſſanenſem, & Sigiſmundum, cui Beatrix Antonij Spataforæ teſtamento Henrici Rubei patrui, & Alfonſi Regis indulto Sclafani Comitis filia patre defuncto Comitiſſa matrimonio iuncta eſt, ex quibus Ioannes poſtmodũ eſt natus, liberos ſuſcepit. Sed Carolo Comite abſq; liberis decedente, & Sigiſmũdo etiam patre præmortuo, Ioãnes Caroli nepos Caltabilottæ Comitatui primum, ac deinde Beatrice matre mortua Sclafanenſi Comitatui ſucceſsit, ex quo, & Diana Montecatina vxore Sigiſmundus, Franciſcus & plures alij filij nati ſunt, ex Sigiſmundo poſtmodum, & Aloysia Iacobi Saluiati Florentini, &

Lucretiæ

Lucretiæ Medices Leonis decimi huius nominis Ro. Pont. germanæ sororis filia Petrus, Iulius, & Iacobus sunt nati. Verum Sigismundo ob Saccensem cladem exilio vt suo loco memorabimus, mulctato, & mortuo, Leone Pōt. & Iacobo Saluiato Carolum Quintum Cæsarem, & Siciliæ Regem inducentibus, defuncto Ioanne Petrus Comitatui succesit. Qui ducta Isabella Ioannis Vegæ Siciliæ Proregis filia in vxorem, eodem Vega cum Carolo agente, Ducatus Bisbonæ titulo (dū parārem hęc edere) est insignitus. Sed ad Martinum redeo. Qui decreto publico sanciuit, quæ oppida Regis, quæ Procerum essent, Bonifacium oppidum, ab Alcamo Sarraceno primū erectū & a Friderico rege postea restauratū, Alcamo nouo immi nens, diruit. Lacum Leontinum, & castrum Oculam, Conrado à S. Pace pro commutatione oppidi Bizini concesit. Dum hæc in Sicilia geruntur, in Hispania decedente Ioanne Aragonum Rege absq; masculis vnica filia Violanta relicta, Martinus Montis Albi Dux, Martini Siciliæ Regis pater, ac Ioannis demortui Regis germanus, Regno Aragonum, Petri genitoris testamēto, & Ioannis germani, ac Violantæ neptis cesione, succesit, assumptisq; compluribus Hispanis, & Siculis Proceribus cū classe pluriū triremiū & nauiū Sicilia soluens in Hispaniā nauigat, ac demum Cæsaraugustam profectus anno sal. 1398. Rex ab omnibus salutatur, & corona Regni insignitur. Interea Martinus, & Maria Siciliæ Reges dum Catanæ agerent, Fridericus eorum vnicus filius annos natus tunc septem dum Regibus spectantibus, hastiludio se exerceret, ærata cuspide transfixus statim occubuit. Maria Regina filij morte nimium mœrens paulo pòst morbo & ipsa correpta Catanæ decesit, ac Regio more ibi tumulata est. Maria defuncta Martinus vir eius & ratione vxoris, & generis succesione ex Iacobo Rege Friderici fratre, Regno succesit, anno sal. 1402. Martinus igitur Rex Siciliæ defuncta Maria nō multo pòst Blancam Nauarræ Regis filiam primogenitam vxorem accepit, sponsaliaq;, ac nuptias in vrbe Panormo celebrauit: in quibus plures Siculis immunitates concessit. Sunt qui scribant Fridericum Martini, & Mariæ filium infantem Catanæ (præmortua iam matre) ac ipsa Blanca Regina Nouerca ibidē assistente obijsse, iccirco quia mortua genitrice Fridericus Infans iure materno Rex erat Siciliæ, eo defuncto, iure iunior Martinus eius pater regno succesit. Quo etiam postea defuncto, Martinus senior eius pater, & Aragonum Rex, Siciliæ regno subiuit. Sed his, de quibus latè Petrus Alcoranus in consilio. 334. loquitur aliorum censuræ dimissis, ad institutum reuertor. Martinus Rex anno postea sal. 1408. iuquisitionem fecit omnium Comitatuum, baroniarum, & Feudorum, quæ Proceres Siciliæ eo tempore possidebant, quæ passim legitur. Postea Martinus Aragonum Rex, cum Sardinia ab eo desciuisset, Martinum filium Siciliæ Regem instructa cū classe ad eam expugnandam misit. Qui Sicilia soluens Blancam vxorem Vicariam reliquit, atq; in Sardiniam nauigans, strenuè sibi eam pugnando subiecit, & genitoris Imperio restituit. Verum non multo interiecto tempore morbo correptus, 5. Cal. Aug. ibidem apud Callarim anno sal. 1409. nullo filio relicto interijt, atq; in maximo vrbis templo sepultus est. Cui Martinus pater Aragonum Rex in Regno Siciliæ succesit, qui Blancam Reginam Martini filij vxorem vicariam in Sicilia confirmauit. Ac decimo pòst mense Martinus ipse senior Rex Aragonum, & Siciliæ in Aragonia prope Barchinonem in cœnobio Vallis Donzelle pri. Cal. Iunij anno sal. 1410. absq; liberis decesit, testamento Proceribus Legans, vt Regem sibi maximè propinquum, & prudentissimum deligerent. Quo mortuo magnum in Sicilia bellum inter Blancam Reginam Vicariam, & pro ea Sancium Doris Siciliæ Admiratum, & Bernardum Craperam Motycæ Comitem, & Magistrum Iustitiarium est exortum. Nanq; Blanca Regina vt Vicaria adhuc Regnum administrare perseuerabat. Contrà Bernardus, & quòd in Sicilia neminem vel potentiæ, vel authoritatis superiorem haberet, & quòd summū Magistratum, quē Magistrū

Iustitiarium

Iustitiarium etiamnum vocant, gereret, Blancæ aduersabatur, eamq; authoritate priuatam asserebat, quòd defuncto Rege Martino, cuius officio fungebatur, esset exauthorata, ad se verò cum supremus esset Magistratus, prouinciæ moderationē pertinere aiebat. Sed neq; hoc solum, imo verò & Regnum planè ipsum Bernardus affectabat. Quare in Sicilia magna (vt dixi) inter Proceres contentio emersit, quibusdam Blancæ, Bernardo verò plerisq; alijs adhærentibus.

DE FERDINANDO QVINTO ARAGONVM, SED PRIMO HVIVS NOMINIS SICILIAE REGE.

CAPVT OCTAVVM.

DVM Sicilia Martini Regis morte in hisce rerum motibus versaretur, in Aragonia maxima intestina bella agitabantur, pluribus Proceribus Aragonum, & Siciliæ Regna hæreditatis iure ambientibus. Fridericus in primis Lunæ Comes Martini Senioris nepos, vtpote iunioris Martini ex nobili Hispana pellice, siue (vt alij scribunt) ex Siculo vulgatissimo scorto prognatus, animiq;, & corporis dotibus præstans iure omni humano, atq; diuino Regnum sibi deberi affirmabat. Ferdinandus quoq; Ioannis Castellæ Regis secundogenitus, quem Infantem appellabant, veluti propinquior, vtpote linea transuersali Aragonicæ stirpis ex Violanta, quam pleriq; Eleonorā vocant, Petri secundi Aragonum Regis filia, & Martini senioris Regis sorore, Henrico Castellæ Regi, defuncta priore vxore, nupta, editus alter erat competitor. Iolans præterea vnica Ioannis Castellæ Regis filia Ludouico Neapolitano Regi, & Andegauensium Duci in matrimonium data, quæ ante nuptias Martino Regi eius patruo Regni ius renuntiauerat, Aragonense, atq; Siculum regnum veluti à patruo fraudibus circumuenta omni iure tum Raymiri Aragonum Regis, tum Rogerij Nortmani Siciliæ Comitis successione sibi poscebat. Cuius rationes Petrus Ancoranus in eodem consilio. 334. late persequitur. Matthæus præterea Foxanæ Comes, Alfonsus Gandiæ Dux, & Rebargorciæ Comes, & Iacobus Vegelli Comes. Hi omnes Regni competitores erant. Cumq; super hac re inter Aragonenses, Valentinos, & Catalanos maximæ contentiones exortæ essent, ita vt pleriq; armis correptis ob id fuerint occisi, inter quos & Garsias Cæsaraugustanus Archiepiscopus liberius paulo cum Antonio Luna altercando occubuit. Nanq; alij Ferdinandum, Iacobum verò alij, pleriq; Gandiæ Ducem Reges acclamabant. Sed dum hoc modo inter se Aragones dissiderent, ac vel ob id domesticis, atq; intestinis bellis lacerarentur, placuit rem totam ad compromissarios referri. Delecti itaq; communi consensu sunt nouem Iudices, ex singulis regnis terni. Ex Aragonia quidem Dominicus Ramus Episcopus eo tempore Ostensis, postea Ilerdensis, ac postremò Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Franciscus Aranda maximi vir consilij, & qui prorsus rebus humanis renūtiauerat, ac vitæ hæremiticæ totū se addixerat, Berēgarius Bardasinus iureconsultus prudentissimus. Ex Valētia Ludouicus Ferrarius Carthusianæ religionis moderator, ac Princeps, iuris ciuilis prudētia, & pietate insignis, Vincētius Ferrarius eius germanus frater ordinis Prædicatorum concionibus, vitæ sanctimonia, &

nia, & miraculis ad exteras vſq; nationes clarus, atq; in Diuos poſtea à Calixto tertio Ro. Pont. relatus, & Petrus Bernardus iuriſperitus integerrimus planè vir. Ex Catalonia verò Franciſcus Sarriga Tarraconēſis Archiepiſcopus vtroq; iure vir præcellens, Guilelmus Valſeca iureciuili & ipſe, ac religione præſtantiſsimus, & Bernardus Gualbes literis, prudentia, ac moribus eminentiſsimus. Fuerunt ij Iudices delecti, vt ſententiam pro competitorum aliquo ferrent, quam proferre non poterant, niſi duo ex ſingulis regnis Iudices conuenirent. Hi quo die iudicium ſunt ingreſsi, euchariſtiam populo inſpectante ſumpſerunt: ſubinde per triginta dies competitores, eorumq; iura exactiſsimè audierunt. Poſtea in Gaſpæ Aragoniæ prouinciæ oppidi arce munitiſsima ea lege ſunt incluſi, vt inde eis niſi Rege prius declarato egredi non liceret. Vbi plures menſes commorati, & competitorum inſpectis rationibus, ac iuribus examinatis, 3. Cal. Iul. conuocatis ad ſententiam audiendam partibus, Iudices in loco edito ante valuas templi maximi eiuſdem oppidi conſederunt. Conuenit igitur omnis ætas, ſexus, conditio ad tantam regis ſententiam accipiendam. Tum Vincentius Ferrarius Dominicanus è concilio ſurrexit, ac ſuggeſtum aſcendens orationem ad populum habuit, a cuius ore dum omnium ora, mentesq; penderent, inter ſpem & metū ſolicitis, atq; ſuſpenſis omnium animis, Ferdinandum Caſtellæ Infantem cognomento Iuſtum tunc abſentem omnium Iudicum voto Aragonum, Siculorumq; Regem declarauit. Ad cuius nomen excepta eſt tanq; vox de cœlo delapſa Iudicum ſententia, tantusq; populi exultantis clamor eſt excitatus, vt omnia militaribus vocibus, tubisq;, ac tormentis æneis obſtrepere viderentur. Igitur nullo competitorum obſiſtente, ſed congaudentibus, ac exultantibus omnibus anno ſal. 1412. tertio nonas Sept. in æde. S. Saluatoris Rex apud Cæſar auguſtam coronatur. Erat Ferdinandus Ioannis huius nominis Aragonum Regis primi, qui currentis equi lapſu oppreſſus interierat, filius. Etenim Ioanni Regi duo filij ſuperſtites fuerunt Henricus, & Ferdinandus. Quorum natu maior Henricus patri ſuccedens morbo correptus in ipſo iuuentæ flore præreptus eſt, relicto vnico filio Ioanne admodū puero, cuius tutelam, ſimulq; regni curam Ferdinando fratri moriens delegauit. Ferdinandus vir fide, & ſanctitate memorabilis regni cura non ſeguiter ſuſcepta puerum nō ſecus, ac filium habuit, quod facto quodam memorabili, ex quo Iuſti cognomentū accepit, huiuſcemodi oſtendit. Nam cum Regnū ſibi pro puero cōmiſſum ſumma prudentia, iuſtitiaq; moderaretur, ab omnibus in Regem contempto puero acclamatur. Sed Ferdinando abnuente, ea cauſa à Principibus ad concionē populus vocatur. Proceres igitur omnes ad locū deſignatū conueniunt, vbi & Ferdinandus ipſe adeſſe eſt iuſſus. At Ferdinandus quod erat futurum aīo præuidens ſub chlamyde nepotem Regio more amictū deferens, eò & ipſe compulſus conuenit. Igitur omnium ſuffragijs, & votis, ac vnanimi procerū oīum cōſenſu Ferdinandus Aragonū Rex puero deiecto deligitur. Quod vbi Ferdinādus cōperit, nepotē puerū è chlamyde extulit, humeroq; impoſitū populo oſtendens edita voce edixit. En Aragonenſes Regē veſtrū. Noſter hic eſt Rex: huic fidē ſeruemus, prout mos eſt Hiſpanæ gētis, atq; his dictis collocatū in Regio ſolio infantulū primus ipſe ad pedes eius procūbens veneratus eſt, atq; in verba eius iurauit, idēq; oēs vt faceret, exēplo ſuo adegit. Reſtituto igitur, auctoq; illi Regno priuatū potius agere, q̄ regnū ſibi alienū vſurpare delegit. Vtinā Principū huius ætatis pectora eadē virtute flagrarēt. Is igitur Ferdinādus, q tāta iuſtitia pollebat, in Aragonū Regē, licet abſens, eligitur, Rexq; ab omnibus acclamatur. Qui Aragonum Regno ſuſcepto Siciliæ ſe Regem appellari vetuit, donec illius regni poſſeſsionem induiſſet. Nam in Sicilia (vt diximus) inter Blācam Reginam, & Bernardum Craperam ingens pro regno Siculo bellū flagrabat. Bernardus etenim callido, vafroq; cōſilio Regno aſpirabat. Animos illi faciebant, quòd Aragonia inteſtinis bellis per mortē Martini

tini laboraret, quòd nullum in Sicilia superiorem authoritate haberet, quòd summum magistratum gereret, quodq; defuncta sine liberis Maria regnum ad eius virum Martinum, nec deinde ad Martinum patrem potuerat iure aliquo peruenire: eoq; illum Regem esse debere, quem Siculi sibi delegissent. Atq; vt facilius Regnum occuparet, Blançam eximiæ, singulariq; formæ mulierem in matrimonium accipere constituerat, quòd Blanca Mariæ olim Reginæ vt propinqua, succederet, Siquidem Maria proneptis fuerat Regis Nauarræ ex filia, quæ fuit prima vxor Petri Regis secundi: vnde vxor Regis Friderici mater eius genita erat. Veritus tamen cum ætate senex, & inhumanus esset, ne fœde ab ea respueretur, constituit obtentu aliquo fraudem hac ratione contegere. Nam cum Proiustitiarius esset, veluti supremus magistratus dum interregnum duraret, moderari, ac in officio insulam continere sibi vni licere iam in animum induxerat, idq; etiam publicè affirmabat, ac credi volebat. Erat eo tempore Blanca Regina in arce vrsina Catanæ vrbis, sed diuersitabat in propinquo monialium monasterio. Ibi eam Bernardus comprehendere statuit. Sed illa de periculo certior facta in arcem furtim concessit. Bernardus spe hac via frustratus, ac mirum in modum dolens, suspicionemq; ab Regina abstergere cupiens, misit ad eam qui de colloquio inter eos habendo agerent, neq; illa recusauit. Verum cum neutri satis ab altero fidei haberetur, conuentum est, vt Blanca de puppi triremis, Bernardus vero de ponte, cui triremis hærere solebat, sermonem conferrent. Post multa itaq; verba vltro, citroq; habita Bernardus coniugium appetitum tandem patefacit. Quo audito Regina vt disparem ætate, & conditione hominem contemnens, sermone interrupto in altum cum triremi, Bernardus vero ægerrimo admodum animo se se ad littus retulerunt. Qui vbi contemptum se videt, turbatur animo, ac comparatis copijs Siciliam excurrit, oppida multa, quæ Blancæ ditioni suberant, vi, metuq; ad se transfert. Erat vrbs Syracusæ Blancæ Reginæ non modò vt Regia, sed etiam vt peculiaris sibi pro vitæ dignitate, ac cordi maximè insidens domicilium. Ad eam igitur vrbem, ne ab hoste occuparetur, se confert, Sanciumq; Admirattum sui studiosum accersit. Quo vbi Bernardus resciuit, occasionem rei bene gerendæ non omittens, Syracusas & ipse cum septingentis equitibus, ac peditibus mille accurrit, arcemq;, quæ isthmo imminet, Maryhettum appellatam, in qua Blanca, & Sancius residebant, prætergressus vrbem ipsam inuadit, ac nemine obsistẽte recipit. Recepta vrbe, Maryhetum arcem Bernardus obsidere, atq; oppugnare pergit. Portam vrbis, qua sola aut ingredi, aut egredi licet, arciq; subiectam repentino impetu occupat, ac præsidio munit; ne in arce obsessi per eam commodiorem haberent fugam. Itaq; vtraq; isthmi frõte ab eo capta, arcem ipsam & ea parte, qua vrbem, & altera, quæ Siciliam respicit, munitionibus cingit, stationes extruit, præsidia disponit, Syracusanis nullo labore intermisso adiuuantibus: Sed ne nauigia, quæ in maiori portu erant, arci suppetias ferre possent, vtraq; exercitus castra ea littoris parte ducto super aquas ligneo ponte coniungit, machinisq; erectis, ac tormentis æneis Reginam, & Sancium, ac cæteros obsessos noctu, & interdiu maxima vi oppugnat, vt eis expugnatis Regnum Siciliæ, anteq̃ Rex in Aragonia cõstitueretur, sibi celeriter occupare possit. Erat in Bernardi castris Ioannes Montecatinus Antonij Adrani Comitis germanus frater, cui postea in dominatu successit. Is quanq̃ Bernardo cæteris omnibus in rebus faueret, in oppugnãda tamen Regina ei plurimũ aduersabatur. Quem cum pluries à sententia frustra reuocare conatus esset, clã cũ suis è castris discessit, atq; in mediterranea Siciliæ loca se recepit. Quo cognito Sã cij studiosi, itemq; plures alij, qui Bernardo ob nouos motus erant infensi, ad eum confluunt, atq; cum Ioanne Montecatino, & Raymundo Torres triremis vnius Domino de ferendis Reginæ suppetijs deliberant. Igitur ante lucem

Digitized by Google

Raymundus cum ſua triremi ante portum Syracuſanum affuit. Et Ioannes Montecatinus trecentis cum equitibus, totidemq; peditibus ligones, dolabraq; ferentibus caſtra Bernardi inuadit, foſſas implet, vallum reſcindit, præſidium deijcit, atq; in ipſa caſtra irrumpit. Bernardus vt hoſtes impetum feciſſe cognouit, ad arma conclamare ſtatim iubet. Milites a re ab bellum acciti, quiſq; repente telũ capit, atq; ad obſiſtẽdũ properat. Ioannes ſuo impetu obuios quoſq; propellit, ſternit, atq; ad pontem tandem peruenit. Raymundus quoq; cũ triremi ad tumultũ excitatus ad locum conſtitutum feſtinus & ipſe nauigat. At Bernardi milites, qui in vlterioribus caſtris erant, correptis armis auxilium alteris caſtris ferunt, atq; in ipſo ponte Ioanni occurrunt. Ibi pugna oritur, aditum Ioanni prohibent. Sed anguſtia loci, tenebræ præterea, & ſuſpenſa ſupra aquas pontis lignei machina, quæ peditibus, q̃ equitibus aptior erat, dubium, atq; horribile certamen reddebant. A tergo etiam atrox magis, ac magis bellum accendebatur. Interea Bernardus per ſuos excurrens, alios, vt arma capiant, alios vt fortiter dimicent, hortatur, multos increpat, pleroſq; caſtigat, nulli in tanto rerum diſcrimine ſatis fidit. Solus ipſe vbi vel inſidias ſuſpicabatur, vel periculum maximè imminebat, & Ducis, & militis obibat munera. Ioannes contrà nunc ad primos, nũc ad medios, nunc verò ad poſtremos recurrit. Demum Bernardi milites, qui ad vlteriorem pontis partem obſtiterant, ſubmouet. Ita impedimento ſublato multi ſuorum pontem peruaſerunt, neq; iam multo inter ſe Duces ſpatio diſtabant. Ioannes vbi Bernardum ſine galea, & linteo albo vt è cubili primùm ſurrexerat, obuolutũ eius caput vidit, tum ad milites exclamat, vt eũ ſolum petant, cuius caput linteo conſtrictũ cernerent. Ita Bernardus ſimul, atq; vno tempore à plurimis petebatur, atq; in ſummo iam diſcrimine verſabatur. Quo cognito pauliſper ceſſit, ac linteo abiecto galeam cepit, galeatuſq; ad pontem reuertitur, prælium maiori ſuorum manu redintegrat. Dumq; omnis belli moles in pontem contrahitur, pons ipſe ſoluitur, ac multi in mare decidunt. Tum Ioannis auxiliares, qui pontis vlteriora tranſierant, & ij, qui in aree erant, adiuuantibus nauticis muri portam patefaciunt. Qua in aream arci ſubiectam, & inter duos vrbis muros ſita ingreſſi, vlteriora Bernardi caſtra mũadunt, ac milites vel in vrbem fugant, vel capiunt: atq; hoc pacto arcem obſidione liberant. Regina obſidione ſoluta, vt in triremim euadat, accingitur. Syracuſani, qui ex animo Reginæ erant addicti, incerti quã in partẽ victoria cecidiſſet, ſuperueniunt, ac Reginã adiuuant: quæ imi pauida triremim aſcendit, atq; Panormum nauigat. Ibi ad ædes, quæ paulo ante Manfredi Claromontani fuerant, tum verò domus Regia, tametſi Doana hodie, ſeſe recipit. Ioannes interea, & Sancius profligatis hoſtibus Syracuſas ingrediuntur, atq; vrbem recuperant. Ac deinde ad ſuam, & Reginæ iniuriam vliſcendam, atq; ad redintegrandas, confirmandasq; pro ſe vires properant. Interea ſal. anno. 1412. Ferdinandus Rex nuper electus, cognitis Siciliæ motibus, ne in peiora prolaberetur, Magiſtrum Monteſi, Ferdinandum Vaſques, & Ferdinãdum Vegam Legatos ſuos è Catalonia in Siciliam mittit, Bernardum cum Regina, & Sancio reconciliaturos. Igitur Legati Drepanum appelluntur. Bernardus cognito Reginæ Panormum, & Legatorum Drepanum acceſſu, copias ſuas vndiq; celeriter & ipſe auget, ac Reginam Panormi aggredi priusq; Legati eò aduentarent, ſtatuit. Igitur compoſitis inſidijs omnia itinera obſidet, ne qui aut priuati Reginam admonere, aut Legati Panormum aduenire poſſent. Itaq; nulli toto illo triduo, quo copiæ in Bernardi oppidis, quæ Panormo proxima erãt, parabãtur, ab eis oppidis iter Panormũ verſus patuit. Quinimo & Petrũ Martinũ, quẽ Legati primùm ad triremẽ Panormo Drepanũ cõuehendã miſerãt, in Alcamo ſui iuris oppido intercepit, ac tribus diebus apud ſe retinuit, ne Panormi cõflatum exercitum nuntiaret. Alcamo poſtridie cum copijs Panormum mouens

intempeſta

Digitized by Google

intempesta nocte vrbem furtiuo aditu ingreditur. Ad cuius nocturnum aduentũ tumultuarium strepitus est excitatus. Ita igitur eius ingressus, licet nocturno tempore, cum tota ciuitate percrebuisset, mox per certum nuntium Reginæ nuntiatur. Illa se magis, q̃ vrbem inuadi cognoscens exanimis propè è cubili prosilit. Domus regia multo magis, q̃ vrbs muliebri metu, ac lamẽtatione cõfunditur, nec spatium illis modò ad vestiendum datur. Timor ipse, ac festinatio, vt fit, animi fortitudinem, ac vestiendi celeritatem impediebant. Seminudæ igitur, atq; neglecto capillo è cubiculis mulieres erumpunt, imprimisq; Regina, quæ neq; quod consilium capiat, nec quò se conferat, planè videt. Igitur inter deliberationem, ac festinationem veluti ex incendio per gradus lymphatæ similis in viam se cum suis rapit, ignara prorsus quo se loci conuertat. Nam arcium altera, quæ Palatium dicitur, satis nimis ab eo loco distabat: altera, quæ castrum ad mare vocatur, vel mari adibatur, vel terra, sed periculoso itinere. Inter hæc in mentem Reginæ vicina in portu triremis succurrit. Ad eam igitur fuga salutem sibi quæritans cursum capessit, & aream maritimam concitato cursu, vt quæ magno timore angebatur, transmittit, ac per portam egressa maris aquas cũ pedissequis ingreditur, reductisq; supra genua vestibus maris altitudinẽ aut algorẽ, cũ hyems adhuc esset, nihil reformidãs, triremẽ versus, quæ nõnisi per iactũ lapidis à littore distabat, sulcãdo properat, non ausa vocare nauarchum, ne ab hoste exaudiretur, quem veluti in tergo perpetuò hærentem credebat. Miserandum sanè spectaculum. Regina cũ pedissequis crinibus sparsis nocturna tantùm veste induta, aut altera quoq; circumuoluta magisq; q̃ amicta vsq; ad fœmora mare ingressu rũpebat. Inter hæc triremis nauarchus à vigilibus, qui rem tantam videbant, excitatus admonetur. Ille obuoluta veste è cubiculo stupefactus exilijt, in scaphamq; Reginam impositam, cæterasq; tanq̃ è naufragio attonitas, exanguesq; è mari in triremem excepit: in triremem, inquã, quæ a Bernardo quominus ad Legatos, retẽto Petro Martino in Alcamo illorum nuntio, Drepanum nauigaret, impedita, Reginam nunc ex eius propè manibus eripuit. Sæpe nãq; euenit, vt quod nobis bonũ magno animo polliceamur, totisq; viribus illi inhiamus, exitio postmodum maximo sit. Interea dum Regina in triremim periculo exuta recipitur, Bernardus magna militũ copia Regiam domum ingreditur. Verùm vbi Reginam ad triremem fuga sibi salutem, ac libertatem quæsiuisse comperit, indignabundus ad cubiculum Reginæ perrexit, intrauitq;, ac plura velut insaniens non dissimulanter egit. Dum hæc Bernardus ad Regiam gerit, Regina triremi deportata ad Soloenti portum venit. Bernardus spe sua elusus arcem, quæ Palatium appellatur, magnis copijs obsidet, subinde Soloentum petit. inde Reginæ sese ostentans, eam nunc blanditijs, nunc verò etiam minis, ac terroribus compellat. Iam, quod primũ dissimulauerat, & Reginam se, & Regnũ appetere detegit, ac fatetur. Legati interim triremi, pro qua nũtium miserãt, frustrati terrestri itinere Panormũ veniunt, Bernardũ vt ab inceptis desistat, admonent. Ille è dignitate magistratus sui esse respondet, vt cõtumaces, rebellesq; coerceat: iã esse ex suis hostibus, q̃ cũ Principibus Italiæ fœdus inierãt. Dũ Bernardus in ea pertinacia perseuerat, atq; arcẽ Panormitanã p̃ suos obsidere pergit, Antonius Mõtecatinus cognomẽto sclafanus Adrani Comes cũ suis, atq; Sãcij copijs Reginæ auxilio venit, p̃ nũtios Bernardo edicit, vt Panormitanã arcẽ obsidione soluat, discedatq;, quas vrbes, quæq; oppida vi à Regina abstulerat, restituat, eã demũ vt summũ Magistratũ, seq; etiã superiorẽ agnoscat, hortatur. Bernardus his p̃ seipsum respõsurũ renũtiare iubet, ac mox maiori copiarũ parte instructus nũtios subsecutus Antonio occurrit. Ille vt Bernardum venientẽ videt, arma suis capere iubet. Aliquandiu igitur instructa acie vterq; subsistit. certamen neutri incipere visum est, vel ob id, quòd in loco vterq; satis tuto esset. Dũ igit nõ lõgè ambo exercitus inter se disiti essent, & manus cõserere nõ auderẽt, ac Ber-

nardus partẽ valli, qui extra muros Panormitanos erat, circuit, ac ſtationes recognoſcit, à Vaſcono quodã milite proditur, atq; repentino hoſtiũ aggreſſu circumdatur. Qui vbi ſe cõcluſum planè videt, neq; fugæ ſibi locũ vllũ ſuper eſſe, gladio ſe in orbem tutatur, atq; aliquantiſper ſtrenuè tametſi ſenex pluribus obſiſtit, tandẽ cum numero, & viribus ſatis nimis eſſet inferior, irruentibus in eum hoſtibus capitur, atq; in manus Sancij traditur, ductuſq; eſt ab eo in Mottam. S. Anaſtaſiæ oppidum, quod ſuæ ditionis erat, ibiq; in arcis ciſternam, quæ vacua erat, dimiſſus. Vbi non multo pòſt cum magni imbres eſſent, Sancij iuſſu laxatis aqueductibus riui in ciſternam confluebant, eamq; paulatim replebant. Bernardus cum iam innatante lectulo non procul eſſet à vitæ periculo, vociferabat, auxilium fruſtra implorans. Nemo nanq; ei domeſticorum reſpondebat. Tum quidam veluti tunc primùm eo audito ab ore ciſternæ reſpondit, ac feſtinabundus Sancio caſum, atq; diſcrimen nuntiat. Sancius miſeranti ſimilis properè ſuccurri imperat. Igitur è profundo lacu obſcuraq; teſtudine veſte, capillo, totoq; corpore madenti Bernardus educitur. Lachrymabilis ſanè res eum videre, qui modò Siciliæ Regulus Siculo Regno inhiabat, ex tam horrendo carcere madefactum exire. Extractus in locum transfertur omni carcere grauiorem, obſcurum, fœtidum, abhominabilem. Vbi cum aliquandiu carcere, ac ieiunio preſſus ſtetiſſet, cuſtodi adulatus familiarem, beneuolũq; ſibi eum reddidit. Quem tandem orat, vt ſe miſeratus è carcere abire permittat, quod ſi faceret, mille aureos ei ſe daturum, anteq; è carcere pedẽ efferat, ac pleraq; alia ei munera poſt liberationẽ pollicetur. Cuſtos homo vafer admodum, & percallidus vuius noctis deliberandi ſpatium petit. Rem igitur ſtatim ad Sancium defert. Sancius vt petenti annuat, pecuniamq; ſibi in manus antè numerari expoſcat, reſpondit, cęteraq;, quę ad eius ludibrium excogitauerat, edocet. Igitur illuceſcente cuſtos illum ſe adiuturum Bernardo adiurat. Ita eo die pecunia per amicos Bernardo clanculum affertur, ac mox cuſtodi numeratur. Proxima nocte cum tenebris omnia inuoluta eſſent, Bernardus caligis complicatis nulla amictus veſte, ſubmiſſo funè è feneſtra à cuſtode demittitur. Dum igitur lubrico funè Bernardus è feneſtra delapſus ad medium deſcenſum peruenisſet, paratis ad eum excipiendum retibus inſtar feræ caſsibus captæ inuoluitur, ac ſuſpenſus aere retinetur. Mira confuſio, optabat ſeſe in præceps deijcere, vel in feneſtram eandem, vnde delapſus fuerat, recipi, vel demum ſibi vtrunq; deſperanti mortem inferre nec poterat. Illuceſcente igitur totum diem retibus indutus, ac planè irretitus ridiculum, omnibus, ac miſerandum fuit ſpectaculum, Nec datum eſt illi ad tranſitum amicorum, eorumq; omnium, qui ſibi aduerſabantur, præ verecundia faciem auertere, ſed immobilis, aperta omnibus fronte funibus circum ligatus vel inuitus ſeſe ab alto oſtentabat, Adueſperaſcẽte receptus eſt vnde venerat, vbi alijs quoq; ludibrijs eſt affectus. Hæc vbi Ferdinando Regi per nuntium delata ſunt, iuſſu eius Bernardus vinctus Legatis traditur, à quibus ſolutus Barchinonem ſtatim ad Regem mittitur. A Ferdinando igitur Rege tametſi grauiter perfidiæ, ac temeritatis increpatus fuiſſet, priſtino tamen apud illum in honore eſt habitus. Sed ad Legatos reuertor. Hi poſt Bernardi capturam, depulſis iam diſsidijs, ac diremptis è medio ſtatim certam fidem in Ferdinandi Regis nomen, atq; imperium iurare Siculos iubent. Recepta per hunc modum Sicilia Ferdinandus Siciliæ ſe Regem nominari eſt paſſus. At cum per tres Proreges, quos ſuprà Legatos memorauimus, ſumma iuſtitia, atq; trãquillitate eã prius moderatus eſt: poſtmodũ Ioannẽ eius ſecundo genitũ Siciliæ Proregem, & Admiratum conſtituit. Filios habuit Ferdinandus Alfonſum, Ioannem, Henricum, Sancium, & Petrum, Mariam quoq;, & Eleonoram, quarum illa Regina fuit Caſtellæ, hæc Portugalliæ. Bellum in Bethica geſsit aduerſus Sarracenorum Regẽ, quẽ adeo prælijs attriuit, vt eum ad petendam pacem expugnatis pleriſq; eius oppidis coegerit. Cumq;

iuſtitia,

iustitia,& liberalitate annos quatuor, & menses nouem Aragonum, & Siciliæ regna tenuisset,Alfonso primogenito Rege designato anno salutis. 1416. ætatis verò suæ. 43. quarto nonas Aprilis in Equalato Aragoniæ oppido decessit.

DE ALFONSO ARAGONVM, ET SICILIAE REGE.

CAPVT NONVM.

ALFONSVS mortuo Ferdinando patre cum esset fratrum natu maximus,iure,ac merito Aragoniæ, Siciliæ, cæterorumq; Ferdinandi Regnorũ imperiũ,atq; dominationẽ suscepit. Is qualis, quãtusq; esset futurus,cœpit ab adolescentia ostendere,cuius tunc prudẽtia,cæteræq; dotes maximæ resplenduerunt,ingenio erat ita magno, atq; excellenti, adeoq; versatili,vt ad humana omnia,præsertim verò ad Regnũ natus videretur. Vbi autem patrio regno successit,quanq̃ erat iuuenis,visa est in eo animi vis, atq; indoles maxima. Corpus vbi opus esset,laboris supra q̃ credi par est patientissimum,multis virtutibus enituit, præsertim religione, quæ tanta in eo fuit, vt in ijs,quæ ad diuinum cultum pertinerent, potuerit nõ immerito contendere cũ eis omnibus,qui religione suo seculo præstiterunt. Pietas summa in eo, ac munificentia, qua non in suos tantum,sed in omnes quoq; pauperes mirificè est vsus, ad bonarum artium,atq; ad scripturarum studia supra mortales omnes longè ardẽtissimus. Quarum gratia nullum ferè diem inter quantumlibet maximè arduas negotia intermisit, quin theologos, philosophos, oratores, poetas aut Legentes, aut disputantes, aut orantes audiret. Quisquis in tota propè Europa aliqua in re sua tempestate fuit illustris,euocatus ab eo,amplissimisq; honoribus, ac muneribus est affectus,adeo porrò studiosus,ac diligens, vt omnis humanarum, diuinarumq; rerum scientiæ,quam consequi mortales possunt, leuem saltem quandam degustationem fuerit adeptus. In cognitione tamen rerum,quæ sacris literis produntur,neminì secundus. Bibliothecam ingentem conquisitis vndiq; libris sibi comparauit, plura græcorum volumina ab eruditis transferri in Latinum curauit. In cuius aula plures floruerunt rei militaris periti,ac strenui,& Bello clari Duces,vates præterea, & rethores, philosophi, ac theologi primi nominis plurimi magnificus,& maximè liberalis in eos præsertim, qui essent de se optimè meriti, aut qui in aliqua nobili arte,vel doctrina,aut etiam dignitate præclari haberẽtur. Quin adeo cupidus erat gloriæ,vt permoleste ferret, quoties audiebat Principes alios sibi in eis virtutibus præsertim,quibus ornatos decet esse Reges, anteferri. In vestitu,cæteroq; corporis cultu moderatissimus,modestus ad eo, vt ex ipsius ore nihil vnq̃ obscœnum,ac turpe exciderit. Cumq; honore,opibus,ac potentia cunctis sui seculi principibus anteiret, nunq̃ tamen notari insolentiæ potuit. In maledicos, qui multa in eum petulanter aliquando obloquebantur, vix vnq̃ vel modica ira commoueri est visus. Quod mirabile fuit in eo, & Rege præsertim,cũ ad iram præsertim satis pronus esset. Eos,quibus familiariter vtebatur, quorũq; consilijs res magnas gerebat,mansuetissimos esse cupiebat. At si quos insolentes animaduertisset,sua gratia vacuos eos à se protinus expellebat. Vini in eo supra humanum modum temperantia,humanitas eius ferè incredibilis: quippe qui interiora loca,vbi aut cibum capiebat,aut dormiebat,aut pro sua consuetudine lectiones à viris doctissimis quotidie audiebat,non purpuratos solum, sed infimæ quoq; sortis homines admittebat. Tantaq; enituit constantia,vt in omni fortuna idem eius animus, idemq; semper vultus videretur, ad ignoscendum eis, qui in

ipsum

ipſum delinquebant, longe facilimus. In eos, quos bello domabat, illosq; etiam, qui ſibi aliquando infenſiſsimi fuiſſent, quiq; prò eo necando quandoq; inſidias parauiſſent, clementiſsimus. Qua in re adeo fuit inſignis, vt nemini ex Principibus, qui ſuo ſeculo, quiq; vnq; toto orbe fuerunt, ſecundum fuiſſe ipſum ſcriptores affirment. Aduerſariorum, quorum fuit ei numerus ingens, animos ſibi beneficijs conciliabat, adeoq; ad conferenda in omnes beneficia erat promptus, vt aliquando plura promiſerit, q̃ præſtare potuerit. Iuſtitiam ſumma diligentia & coluit, & à ſuorum regnorum Præſidibus coli ſemper voluit. Oſtendunt id, quod ſcribo, complures eius epiſtolæ Siciliæ Præfectis ab eo ſcriptæ, quibus adeo acriter, ac ſeuerè eos obiurgabat, vt qui eas nũc legunt, Alfonſum iratum etiamnũ ſe videre putent, Nec tamen tanti viri virtutes vitiorum quorundam macula caruerunt. vitio nanq; illi datum eſt à complurib⁹, quòd vectigalium maximam partem, multasq; vrbes egregias dono eis dederit, qui erant de ſe benemeriti, quodq; oratores, & quicunq; ad eum vel viſendi, vel ſalutandi ſtudio accederẽt, Principũ quoq;, ac florentiſsimarũ ciuitatũ ad ſe miſſos Legatos multis, ac pretioſis ſupra q̃ poſſet, donis proſequeretur. Eas enim ob res fieri plerunq; neceſſe erat, vt populares ſuos nouis, & inuſitatis vectigalibus opprimere compelleretur. Quamobrem ſi quid magnum, atq; arduum aliquando aggreſſus eſt, interruptum, atq; inchoatum relinquere eſt coactus. Venatione adeo plusq̃ decebat, delectabatur, vt à Regni propter eam curis q̃ ſæpiſsimè amoueretur. Et quanq̃ iracundiam plerunq; (vt diximus) compeſcere ſit conatus: viſus tamen eſt quædam nonnunq̃ iræ impulſu feciſſe, quæ Regiam maieſtatem haudquaq̃ decerent. Quicquid ei videbatur, facilè ſimulabat, diſsimulabatq;. Libidinis nimis impatiens, ſæpe verò expoſtulantium improbitate commotus vel deteſtanda facinora, atq; ea multa impunita dimiſit. Cæterum ob admirabiles illas virtutes, quibus maximè ipſum fuiſſe ornatũ ante diximus, tantùm eius valebat authoritas, vt quoties vellet, vniuerſæ Italiæ pacem ſolus procuraret, aut ad bella gerenda eam concitaret. His igitur virtutibus præditus Ferdinandi patris regno cum ſucceſsiſſet, Mariam Hẽrici Caſtellæ Regis patrui ſui filiam duxit vxorem: ex qua nullã prolem ſuſcepit: ſed ex pellicibus Ferdinandum, Mariam, & Aleonorã. Quarum priorem Ferrariæ Marchionis, alteram Sueſſani Ducis filio vxorem dedit. Initio ſuſcepti imperij Petrum germanum fratrem Siciliæ Proregem, ac Neeti oppidi Ducem inſtituit. Sub quod tempus Ioanna Regina Neapolitana Ladiſlai ſoror eum ſibi filium aſſentiẽte Ioanne. 24. Romano Pont. adoptauit. Nam Ladiſlao eo, qui omniũ poſtremus è præclara Dyrrhachina familia Neapolitanum regnum obtinuit, mortuo, Ioanna ſoror conſenſu Martini Quinti Romani Pontificis ei ſucceſsit. Hæc cum à Ludouico Andegauenſi Duce, qui Rex poſtea eſt appellatus, graui bello premeretur, quòd ad ſe deferri Neapolitanum regnum volebat, auxilium ab Alfonſo implorauit: atq; ad eum Malitiam Carafam miſit, qui Alfonſum oraret, vti cum viginti roſtratarum nauium claſſe, & vnica miræ magnitudinis oneraria, quibus Corſicã per id tempus oppugnabat, Neapolim q̃ primùm proficiſceretur. Quo autem facilius in eam rem Regis animus incendi poſſet, Malitiæ Regina ipſa mandauerat, vt illi ſpem in ampliſsimum Neapolitanum regnum ſuccedendi proponeret. Tãti itaq; regni potiundi occaſione oblata Alfonſus à Corſicano ad Neapolitanum bellum omnẽ animum, cogitationemq; conuertit. Quo neceſſe fuit, vt relicto Bonifacio, quod eſt oppidum in Corſica totius gentis, ac regni caput, in Siciliam traiecerit eo conſilio, vt in ea longè maiorem claſſem compararet, & vires validiores contraheret. Quæ vbi facta ſunt, compoſitis Siciliæ rebus confeſtim Neapolim eſt profectus. In ea profectione illud fuiſſe relatione maximè dignum ſcriptores memoriæ prodiderunt, quod magna, & nunq̃ ea ætate vel viſa, vel audita illuſtrium virorum manus euntem Neapolim Alfonſum comitata ſit. Nam prætet

milites

milites, nauales q; socios, quorum ingens fuit numerus, ad mille, & quingentos tũ equestris ordinis viros, tum pceres partim ex vlteriori, citeriorique Hispania, partim ex Sicilia secum transuexit. Regina præterquam quod Regis aduentum cum maximo totius ciuitatis applausu celebrari iussit, nihil, quod ad summam lætitiã testandam pertineret, prætermittens in filium ipsum adoptauit, Reguiq; voluit esse consortem. Atq; ita per multos dies summus fuit inter Ioannam, & Alfonsum bellicarum, atq; vrbanarum rerum omnium consensus. Factumq; est, vt Alfonsi opibus, authoritate, cõsilio, & virtute, Regina omni leuata periculo, resq; eius maximè aucta sit: Ludouicus verò Sforcias, Contineola, ac cæteri illius ætatis Duces, qui ei erant infestissimi hostes, viribus, atq; animo penitus frangerentur. Verùm edax ille liuor, qui in complurium mortalium animis multorum malorum radices agere solet, nonnullos adegit, vt tam vtile, tanq; glorioſum Regis, Reginæq; animorũ consensum molestissimè ferrent, in quibus fuit Ioannes Caraciolus vir ex Neapolitana nobilitate illustris, qui ante Alphonsi aduentum primum apud Reginam dignitatis locum obtinebat. Is igitur præter cæteros inimicitiarũ inter eos initia serere cœpit. Regina (vti muliebris ingenij conditio est) facilime omnia credens curauit, ac perfecit, vt Regi insidiæ pararentur, quibus vel interficeretur, vel regni saltẽ societate pelleretur. Alfonsus indignũ ducẽs, vt qui desertæ rebus in summo discrimine desperatis non sine ingentibus sumptibus, maximisq; laboribus, ac periculis opem tulerat, ab inconstantissima fœmina tanta afficeretur iniuria, quædam excogitauit, per quæ & Regina, & cæteri insidiarum authores non indignam suorum flagitiorum vindictam retulerunt. Erant ei præter copias terrestres triremes triginta, onerariæq; ingentes septem egregiè instructæ, quæ in Neapolitano mari non longè tamen ab vrbe in ancoris stabant. Iussit igitur Petro fratri, vti à terra cum vniuerso equitatu, ac peditatu vrbem aggrederetur. Ioannem verò Cardonam Classis Præfectum portum subire cum nauibus imperat, eo consilio, vt à mari, qua parte vrbs eo tempore muris cincta non erat, vrbem ipsam confestim adorirentur. Arbitratus est enim posse oppidanos longè facilimè opprimi, si vno eodemq; tempore à diuersis partibus inuaderentur, nec abfuit fortuna consilio. Vbi nanq; peracta ordine sunt quæcunq; Alfonsus imperauerat, ingens naualium suorum manus in terram infestis armis prosiliens vrbem paucis frustrà obsistentibus ingreditur, cepitq; quantum vrbis patebat ab arce, quam Castellum nouum appellant, ad D. Petri martyris templum, eaq; omnia diripuit. Magna autem pars captæ vrbis subiectis flammis absumpta est. Nuptæ, innuptæq; puellæ libidini militum, quorum primus impetus contineri non potuit, substratæ. Fuisset quoq; captum prima excursione quicquid reliquum erat vrbis, nisi Sforcias copiarum celeberrimus ea ætate Dux sese cum suis militibus fortissimè pugnans opportunis quibusdam locis obiecisset, hostesq; repulisset. Cæterum vim faciente Alfonso, Petroq; fratre, ac cæteris Regijs, vrbe tandẽ Sforcias, fugaq; omnes pulsi sunt, atq; ita reliqua vrbis pars, præter Capuanam arcem capta, atq; direpta est. Tum milites Alfonso suaserunt, vt in illatæ sibi tantæ iniuriæ memoriam, captam direptamq; vrbem igni absumeret, cui rei Alfonsus non est assensus, indignum existimans, ac indecorum Regi ob iracundiam, antiquam, celebrisq; nominis vrbem incendijs delere. Hoc vbi dixit, non voce tantum, ac manu, sed per precones etiam ad diuersas vrbis regiones quàm celerrimè missos eos compescuit omnes, qui ad subijcienda incendia parati videbantur. Ad arcem deinde nouam se recepit, accitisq; ijs, qui cõsiliorũ eius participes erant, cæpit ea animo volutare, quibus Reginæ, & Sforciæ, cæterorumq; hostium conatibus sese opponeret. Erat annus, quo gesta hæc sunt, sal. 1423. Nec multo deinde interiecto tempore nuntij complures ex Hispania ad Alfonsum sunt missi, Henricum fratrem Galliæciæ Principem à Ioanne Hispaniæ Rege coniectum in carcerem,

custodiaq;

custodiaq; arctissima obseruari renuntiant. Ea re vehementer commotus, atq; dignum sua authoritate ducens vt fratri relicta Italia opitularetur, præfecto summæ rerum Neapolitanarum Petro fratre, relictoq; apud eum Iacobo Caudela Duce copiarum eo tempore præclaro cum duodeuiginti triremium, onerariarum verò ingẽtium duodecim classe in Cataloniam traiecit. Sed cum priusq̃ Neapoli solueret, certior esset factus, Ludouicũ cuius suprà meminimus, pacẽ cũ Ioãna pepigisse, ac cõtra Petrũ fratrẽ bella moturũ, statuit vrbẽ Massiliã, cuius Ludouicus erat princeps, ex itinere & oppugnare, & si qua vi fieri posset, expugnare. Cũ igitur classem ad paruã quãdã insulã in cõspectu Massilię sitã appulisset, miro quodã modo ex vndis extracta, dolabrisq; cæsa, ac discissa cathena ferrea, ac vasta, qua portus fauces claudebãtur, vrbẽ ipsam momẽto cepit, diripuitq;, ac incendit. Ioanna interim à Philippo Maria Mediolanensium, ac Genuensium Duce auxilium petit, quo Neapolim, reliquumq; regnum, quod in Alfonsi potestate erat, recipiat. Petenti Reginæ Philippus opem ferre constituit: onerariasq; duodecim, ac rostratas quinq; & viginti decem militum milibus instructas, quibus Guidonem Torellum præfecerat, Neapolim mittit, ac nullo negotio Caieta, & Neapoli, cæterisq; Neapolitani Regni oppidis ad Ludouicũ, quẽ Regina ĩ filiũ adoptauerat, regniq; consortem, effecerat Proceribus quoq; omnibus deficientibus, ea classe receptis, Petrus Alfonsi frater classe, quam ad id Alfonsus ex Catalonia transmiserat, in Siciliam traiecit. Sed dum hæc Neapoli geruntur, Alfonsus in Cataloniam relicta Massilia profectus cum Ioanne Rege, fœdus, pacemq; iniit, Henrico fratre libertati, & pristinæ fortunæ restituto. Verum non multo pòst opera Aluari Lunæ inter Ioannem, & Alfonsum bellum rursus repetitur: sed Procerum prudentia quinquẽnalibus inducijs dirimitur. Id vbi factum est, Alfonsus ad res Neapolitanas animum conuertit. Instructa igitur triremium viginti sex, & nouem onerariarum classe primùm in Sardiniam, ac subinde in Siciliam traiecit. Eius rei Neapolim fama delata, proceres pleriq; Alfonsi Regis studiosi Neapoli ad eum nuntium mittunt. In sequentem annum bellum maturandum esse, cum præsentia tempora satis obsisterent, suadent: interea ipse in Sicilia cum classe consistat, Alfonsus his monitus tẽpori cedit, licet pertinacissimè iam inde ab ineunte ætate aio sibi constitutum esset, vt aliquando Neapolitano regno potiretur. Sed ne segniter otium tereret, Bosserio Sarraceno Tuneti Regi bellũ indicit, atq; ea causa Syracusas proficiscitur: ibi centum sexaginta nauigiorum classem paratam ascendit, atq; ad Gerborum insulam, quæ Bosfori ditionis erat, cursum dirigit. Vbi expugnari turres, quæ in ponte insulam continenti conjungente extructæ erant, pontemq; ipsum rescindi iubet, ne qua auxilij spes Sarracenis relinqueretur. Quod vbi factum est, hoc solum reliquum erat, vt insulam popularentur. Sed mox nuntius à Bosserio ad Alfonsum venit, facultatem, diemq; pugnandi cum suo exercitu flagitans. Alfonsus nuntio accepto, prædaq; cõtempta, Bosserium ad bellum præstolatur. Igitur ad constitutam diem Bosserius cum centum militum milium exercitu paratus affuit, castrisq; positis in conspectu Alfonsi ad iactum teli ipse in parte altera rescisi pontis cum lectissima suorum militum manu consedit. Alfonsus verò in altera pontis parte, qua insula aditur, Christianos continuit, constituerat enim postero die collatis signis dimicare. Sed Christiani pugnandi ardore incensi castrorum munimenta transgressi in continentem erumperunt. Magno igitur clamore vtrinq; concursum est. Ad multam diem ancipiti Marte pugnatũ, ad extremum Sarraceni profligati, Pars nanq; eorum in fugam versi, pars capti, plures vulnerati, quam plurimi cæsi. Bosserius cum captus propè esset, à suis, qui circunstabãt, equo sublatus fuga salutẽ sibi quæsiuit, signa Sarracenorum regia, ac tormenta ænea omnino capta, è nostris multi vulnerati, pauciss imi cæsi. Hac victoria si Alfõsus vti sciuisset, de Bosserij fortasis imperio actũ fuisset. Sed Barbarus Rex

suspicans

ſuſpicans id quòd erat, velle Alfonſium parta iam victoria inſulam vaſtare, punica fraude inſtructus cœpit cum eo de pace agere, inſulæ populationem ingenti auro velle ſe redimere Alfonſo edicit. Cæterùm cũ de ſimulata pace ageretur, id quod Rex Sarracenus animo præſenſerat, euenit. Deficiente enim Chriſtiano exercitui commeatu, Alfonſus ob cibi inopiam inde ſoluta claſſe in Siciliam fœdè redire cõ pellitur. Quo cum claſsis eſſet appulſa, alij in Hiſpaniã, alij aliò grauati iam militia impetrata tamen dimiſsione profecti ſunt. Alfonſus verò cum triremibus aliquot, & eis inſtructiſsimis in Sicilia non immemor tenacis ſui propoſiti perſtitit. Dum autem hîc conquieſcit, Ludouicus Andegauenſium Dux, cuius ſuprà meminimus, Neapoli diem ſuum obijt. Decedens autem aſſentiente Ioanna Regina Renatum fratrem regni Neapolitani heredem reliquit. Erat per ea tempora Renatus in Gallia, exercitus, quem Carolus Francorũ Rex aduerſus Britannos inſtruxerat, præfectus, impiger, & magno animo vir. Is cum eo bello eſſet implicitus, curauit, vt eius Iſabella vxor cum triremibus quatuor Maſsilia ſolueret, ac Neapolim profecta, regni ſuo nomine poſſeſsionem acciperet. Interea non multo poſt Ludouici mortem Ioanna Regina & ipſa obijt. Ioannes quoq; Caraciolus, cuius conſilio cuncta à Regina gerebantur, cum omnibus Proceribus eſſet inuiſus, mortua Regina noctu facta conſpiratione trucidatur. Quæ vbi omnia Alfonſo nuntiata ſunt, relicto in Sicilia Petro fratre, vt quæ bello gerendo opus forent, curaret, ſeptem cũ triremibus primùm ad Aenariam inſulam Iſclam hodie vocitatã, deinde ad littora Caietæ proxima tranſuectus eſt. Quo cũ plures ex Neapolitanis proceribus ſui ſtudioſi conueniſſent, cum eis tandem decretum eſt, vt in primis vrbs Caieta obſideretur. Ea etenim recepta q̃ facilimè reliquum Regni ad Alfonſum deficeret. Igitur Alfonſus terra quidem exercitu munitiſsimo, mari verò onerarijs quindecim, quatuorq;, & viginti triremibus Caietã obſidet, & oppugnat. Sed Caietani freti naturali vrbis ſitu, atq; octingentorum militum præſidio, quod cum Franciſco Spinola, illius præfecto Philippus Maria Dux è Genua miſerat, omnes Alfonſi conatus irritos faciebant, & ſimul contemnebant. Iamq; decimus Caietanæ obſidionis menſis agebatur, cum iubente Philippo Maria quatuordecim ingentes onerarias frumento, & præſidio onuſtas, quibus Blaſcus Azettus præerat, Genuenſes ſuis, ac cæteris, qui Caietana obſidione premebantur, opitulaturi mittunt. Erat tum ſalutis annus. 1435. Genuenſis claſsis aduentum vbi Alfonſus cognouit, conſilio habito cum Ioanne Nauarræ Rege, Henrico, ac Petro fratribus, cæterisq; proceribus, qui ex Neapolitano Regno, atq; ex Hiſpania, & Sicilia conuenerant, adoriri Genuenſium claſſem, ac pugnæ nauali fortunam experiri ſtatuit. Igitur lectiſsimos milites, fratresq; ipſos, ac proceres oẽs, & copiarũ Duces cũ cohortibus quemq; ſuis parari iubet, atq; in ſingulas naues diſtribuit; impoſitisq; omnis generis telis in claſſem, ac relicto in caſtris idoneo præſidio naues conſcendit, Pontiamq; inſulam verſus curſum dirigit. Vbi cũ hoſtilis claſsis in conſpectu eſſet, eam Alfonſus adoritur, atq; ingenti clamore ſub latò prælium eſt initum. Octo igitur horas vtrinq; acriter dimicatum eſt. tandem Genuenſes ſuperiores fiunt, regiæ naues tredecim capiuntur. Captus eſt & Alfonſus ipſe Rex, ac Ioannes, & Henricus fratres, omnesq; Proceres, qui cum Alfonſo claſſem aſcenderant. Duæ tantum ex onerariarum Regis numero vim hoſtium effugerunt: quarum altera Petrus Alfonſi frater vehebatur. Is effugiens vniuerſas triremes regias collegit, ac confeſtim Panormũ incolumis traiecit. Metuit enim ne Genuenſes tam clara elati victoria ad Siciliam oppugnandam ſe conuerterẽt. Commiſſa eſt ea pugna nonis ſextilibus anni ſal. 1435. In caſtris regijs, quæ circũ Caietam erant. vbi captum Alfonſum Regem vulgatum eſt, fuga omnes ſalutem ſibi quæſierunt. Id animaduertentes Caietani, & qui intra vrbem obſidebantur Genuenſes portis patefactis magno impetu caſtra adoriũtur, omniaq; diripiunt.

ſolus

Solus Ioannes Vintimilius genere Siculus, qui copiarum Dux, & in bello, quod Alfonsus Rex aduersus Ioannem Hispaniæ Regẽ, ac deinde in bello Africano, quod cum Bosserio Pœnorum Rege gesserat, pars magna fuit omnium, quæ fortiter à Christianis per ea tempora gesta sunt, Alfonsi Regis captura animum nihil despõdit. Nam cum capto Alfonso Iacobus Caudola binis castris Capuam, quæ iam ei adhæserat, pro Ioanna Regina obsedisset, Ioannes paratis omnibus ad tuendam vrbem necessarijs obsidionẽ fortiter pertulit, dum libertate Alfonsus à Philippo Maria donatus in Regnũ Neapolitanũ est reuersus. Cuius viribus illico Caudola territus obsidionem soluit. Is Ioannes ille est, qui cum Turcæ diuturnis excursionibus infestarent Acarnaniam, quæ Epiri pars est, eò cum quinq; triremibus profectus depressum Carolum regionis illius Principem, qui eius erat gener, auxilio leuauit. Commissis enim aliquot secundis prælijs, fugati sunt è tota regione hostes. Nec inde Ioannes discessit, donec sublatis belli causis metum omnem Acarnanij deposuerunt. Is (inquam) ille est, qui reuersus postea in Italiam solus ipse ab Alfonso delectus est tum Regis, tum Romanæ ecclesiæ aduersus Franciscũ Sfortiam Dux. Quo in bello ĩ agro præsertim Picœno quæ strenuè gesserit, vix esse puto qui ignoret, sed ad Alfonsum redeo. Blasius Azettus classis Genuensis Præfectus captum Regem Sauonã deduxit. Quo à Philippo Maria nonnulli copiarũ Duces missi fuerant, qui Regem Alfonsum non vt captiuũ, sed vt amicũ Mediolanũ deducerent. Visa tunc summa Philippi Mariæ munificentia fuit, qualem nunq; ea ætas alicuius alterius Principis vidit. Alfonsum etenim, atq; Ioannem, & Henricũ fratres, omnesq; optimates, & q̃ plurimos equestris ordinis viros, qui capti cum Alfonsõ fuerant, proprijs aluit sumptibus, maximo postmodum etiam honore affectos, ac pluribus donatos muneribus sine pretio liberos dimisit. Pollicitus quoq; est Alfonso omnem operam suam, omnemq; opem, vt Neapolitano Regno pro quo tot, tantaq; passus incommoda fuerat, aliquando tandem potiretur. Igitur cum Alfonso non solùm amicitiam repetijt, verũ & fœdus quoq; percusit. Ad decimum deinde octauum Cal. Decemb. Mediolano Alfonsus discedẽs in Regnũ Neapolitanũ reuersus est. Ioannem verò Nauarræ Regẽ, atq; Henricũ fratres in Cataloniam dimisit, vt auxilia ad Neapolim repetendam cõpararent. Reuerso Alfonso maxima optimatũ Regni pars vltro ad eum defecit. Caieta vrbe paruo negotio ab eo recepta, opes eius maximè coaluerunt. Isabella Renati vxor, ac primores Neapolitanæ ciuitatis, qui Andegauensium partes obstinatissimè tuebantur, missis Legatis ab Eugenio quarto Ro. Põt. auxilia petunt. A quo Ioannes Vitellẽsis Cardinalis tribus cum equitum milibus, totidemq; peditibus auxiliaris eidem mittitur. Is omnia hostibus infesta reddit, multa sæne, plura fortiter gerens, Alfonsum regno pellere satagit. Et sanè perfecisset; nisi regnorum suorum populares maximo illi adiumento fuissent. Siculi tamen cæteros ob soli feracitatem simul, & vicinitatem in ferendis auxilijs, & commeatu præuenerunt, ac superarunt. Nihil enim fuit belli illius vsui necessariũ, quod nõ illi oportuno tempore nauibus importauerint. Postea verò quàm Vitellensis Romæ sub Adriani arcẽ permittente Eugenio Romano Pont. est interfectus, Alfonsum Regem magis prosperè reliqua sunt consecuta. Interea Renatus Andegauensium Dux, quem Britãnico bello occupatum supra docuimus, à Massilia cum decem triremibus Neapolim est profectus: verùm Alfonsi conatibus parum obsistere potuit. Post bellum deinde in aliquot annos protractum, Alfonsus non ignarus se irrito labore defatigari, nisi prius Neapolim vrbem caperet, contractis naualibus, ac terrestribus copijs Neapolim ipsam obsedit. In ea obsidione Petrus Alfonsi frater pilæ vi tormento excussæ repente extinctus est. Alfonsus in aliud tempus fratri parentandũ statuens contra Neapolim ad quingentos forme passus in loco, qui Cãpus vetus à Neapolitanis dicitur, arcẽ quãdam ligneã Bastiã vulgo nominatã extruxit, eãq;

tuendam

tuendam Ferdinando filio ex nobili pellice prognato egregia indole puero octo annos nato, qui ei postea in Regno Neapolitano succesſit, commiſit. Erat tum ſalutis annus. 1440. Ille rem ſuæ fidei creditam cum equitibus, atq; peditibus, per quos Baſtiam ſine periculo tueretur, ſupra ætatem non ſegniter egit, atq; eum foſſa, vallóq; muniuit. Inde quotidie cum equitatus, ac peditatus parte excurſiones vſq; ad vrbis portas faciebat. Dum hæc in Neapolitanis regijs caſtris agerentur, Alfonſus ductores aliquot cum eorum cohortibus in Appuliã, Calabriam, Aprutium, atq; in Pelignos mittebat, vt varijs incommodis eos laceſſerent, q Renati partibus fauebant. Renatus licet magna virtute hoſtibus ſemper obſiſteret, viribus tamen Alfonſo cum eſſet inferior, atq; mari, & terra, excitato quoq; ligneo caſtello, Neapolim obſideri videret, intra vrbem ſe continuit, veritus ne ſe abſente vrbs ad deditionem compelleretur. Verum longa, atq; difficili perſeuerante obſidione Neapolis tandẽ ad quartũ nonas Iunias ab Alfonſo Rege hoc modo dũ obſideretur, capta eſt. Anellus faber cæmẽtarius. Neapolitanus vrbe clã egreſſus in caſtra Ferdinãdi ſe cõtulit, poſtulãs vt cũ Ferdinãdo de re magna, ac ſeria colloqui poſsit. Introductus docet veterẽ quendã eſſe aquæductũ, qui vrbẽ diuerſis locis influit, eſſe præterea extra vrbis mœnia in tẽplo. D. Ioãnis Carbonarij puteũ quendã, p quẽ in ipſum aquæductũ milites introduci poſſent, & in alterũ puteũ, quẽ ipſe oſtẽderet, deuenirẽt, mox p putei oſtiũ aſcenderẽt, atq; in domũ quã dã priuatã intra vrbẽ euaderent, indeq; ab eis vicinã turrim poſſe q facilimè occupari. Anelli cõſiliũ Ferdinãdus cũ valde ꝓbaſſet, ſcrutari oĩa prius voluit, quæ in re tantæ molis facere operæpretiũ eſſet. Vbi tãdẽ cõpertũ eſt, oĩa licet nõ ſine magno rerũ diſcrimine fieri poſſe, Alfonſo Regi, qui Auerſã cũ magna exercitus parte cõceſſerat, oĩa ſignificat. Alfonſus filio reſcribit, vt lectiſsimos milites ĩ aquæductũ, ꝓut Anellus docuerat, noctu dimittat, q Anellũ itineris ducẽ ſequãtur, eóq; loci, quo tãdẽ ille ꝓducat, deueniãt, ſe prima luce ad vrbis muros aduẽturũ, reiq; euẽtũ parato cũ exercitu expectaturũ, laturũq; auxiliũ militibus, cũ primùm turrim occupauerint. Ferdinandus patris iuſsis ſe accingit, deligitq; ad id ducentos & quinquaginta milites, quorum fideli opera ſæpius Alfonſus vſus fuerat. In quibus Diomedes Carrafa harũ rerum eo tẽpore fidus relator rẽ egit maximè ſtrenuam. Conſtat nanq; per belli huius ſcriptores Diomedem fuiſſe, qui oĩum primus poſt Anellũ in aquæductũ dimiſſus per aquas, & cœnũ, atq; interim reptando ſecutus ſit, quiq; in puteũ illũ, qui in vrbẽ ducit, poſt ipſum Anellũ peruenerit, atq; in domum, in quã erat deueniendũ, tandẽ euaſerit. Itaq; omnibus, quæ in rẽ erant, paratis, Ferdinandus firmatis idoneo præſidio caſtris conſtituto tempore cũ cæteris copijs Regi obuiã proceſsit. Ad quartũ nanq; nonas Iunias Alfonſus Rex ipſe cum omni exercitu ad vrbis conſpectũ affuit, eo ſcilicet loci, quo ſe auxiliũ ferre decreuerat, rei euentũ opperiens. Iamq; hora ferme diei tertia præterierat, cum Alfonſus deſperatis rebus receptui canere iuſsit. Arbitrabatur nanq; militibus, qui fuerant in puteũ demiſsi, nõ ſatis rem bene ceſsiſſe. Deſeruerat igitur iã locũ, vt ſeſe in caſtra reciperet, cũ miles quidã per aquæductũ à Diomede miſſus aduenit, qui Regi renuntiat milites ad decretum iam locũ euaſiſſe, & iam oĩa, quod in ipſis erat, ex ſententia cecidiſſe, porrò ad murum cum exercitu appropinquet, vrbem haud dubie, & confeſtim capiendum. quo nuntio accepto Alfonſus lætus aduolat. Diomedes verò vnà cum cæteris ad id miſsis militibus domo exiliens murũm, ac turrim, quæ domui proxima erat, quamcelerrimè occupat. Ea occupatio perfacilis Regijs fuit, quòd illi, qui turrim tuebantur, præter vnũ Ioannẽ Caſſi anũ, curandorum corporum gratia inde non multo antè abierant. Is tamen etſi telis, ſaxiſq;, ac ferro non ſegniter obſiſtẽdo turrim defẽderet; Diomede tamẽ, ac cæteris Regijs per ſcalas omni conatu ſubeũtibus, cedere tandẽ coactus eſt. Turri capta, mox in ea Diomedes vexillum Alfonſi Regis erexit. Quod vbi Regij, qui in exercitu erant, conſpexerunt, ſcalas iubente id Rege muris admouẽt, atq; ad mœ-

Digitized by Google

nia confestim euadunt, sublatoq; mox clamore, cepere quidam per domos excursiones facere. Alij in hostes inuecti non oppidanis solũ, sed Renato etiã, qui tumultu excitatus impetum in hostes ingressos fecerat, magnũ terrorẽ incussẽrũt. Cæterùm licet hoc repẽtino concursu Alfonsi res esset adeo superior, vt occurrẽtes primùm hostes terga vertere sint coacti: Renatus tamen posteaq; vidit nec hostẽ à fectando desistere, neq; effugiendi spem vllã esse, & quãuis etiã spes fugæ daretur aliqua, putans turpe sibi esse si perfugisset, oẽs ad pugnã cohortatur, atq; acriter incendit. Itaq; vtrinq; res magnis animis geritur. Verũ oppidanis alijs, post alios eũ currentibus Regij tandẽ repellũtur, paulumq; abfuit, quin oĩs Diomedis, & eorũ qui itineris, ac periculi socij fuerant, irritus labor fuisset. Id animaduertẽs Diomedes Renati conatus inuicto ãio, accepto etiã in tibia vulnere, solus ferè tantispẽr sustinuit, dũ regij nõ gregarij tãtũ, & calones, sed equites quoq; cõplures ex equis desilientes muros inscenderent, Renatiq; vim fortiter ppulsarent, atq; ad extremũ hostes in fugã verterent. Mox eodẽ impetu porta, quã S. Ianuarij vocant, perfracta, Alfonsus Rex, Ferdinãdusq; filius, atq; oĩs exercitus in vrbẽ ingreditur. Ceperant iam primo impetu milites captã vrbẽ diripere, cũ Alfonsus per preconem confestim à direptione vti cessarent, militibus edixit. Renatus in fugã versus parũ abfuit, quin à regijs caperetur, e militibus verò vnus, cui Alberico nomẽ erat, ausus est apprehensis equi loris in Renatũ manus inijcere, sed ille arrepto ense Alberici manũ, qua lora constanter tenebantur, abscidit, atq; ita per medios hostes dilapsus in arcẽ, quã nouã appellant, sẽ recepit. Hoc igitur modo Neapolis ab Alfonso Anelli monitu capta est, quo etiam modo anno ab eo tẽpore ferme millesimo Bellisarius Iustiniani dux, cũ Gothi Italiã occupassent, Neapolim cepit, quẽadmodum suo loco ex Procopio diximus, cuius libri post captam Neapolim in lucem prodierunt. Neapoli capta Alfonsum pſæpe dixisse constat: Non tã lætari se, quòd vrbem ceperit nobilissimã, quã quòd suo generi eã restituerit, quam sui maiores olim amiserant. Enimuero Hispaniæ nostræ quidẽ ætatis Reges, à quorũ prosapia Alfonsum exortũ constat, à vetustis Gothorũ Regibus originẽ duxerunt. Renatus vbi vidit miro, atq; inopinato quodã modo captã Neapolim, in qua sola vrbe totius Regni spes sita esse videbatur, fortunæ cedendũ esse secũ ipse statuit. Itaq; Ioanne Cossa Neapolitano patritio Andegauensis factionis studioso internuntio cũ Alfonso pactus, & decẽ Alfonsinorũ aureorũ milibus acceptis arcem nouam, in quã se receperat, Alfonso tradidit, relictaq; Neapoli, Genuensiũ nauẽ, quæ frumẽto onusta diebus illis eò appulerat, cũ familia cõscendit, atq; ad portũ Pisanũ primùm, subinde Florentiã terrestri itinere ad Eugeniũ quartũ Ro. Põt. pficiscitur. Eũ & Eugenius, & Florẽtini perq̃ liberaliter habuere. Tribus deinde iteriectis mẽsibus, quibus Florẽtiæ commoratus est, mense Octobri inde excesit, atq; in Narbonensem Galliã redijt. Bellũ autẽ hoc Neapolitanũ p annos viginti gestũ est. Sed ad præcipuũ institutum, vnde nimis digressus sum, redeo. Alfonsus Rex initio sui Principatus anno sal. 1415. Vicariũ summũ in Siciliã misit Infantẽ, sed anno deinde 1425. Nicolaũ Specialẽ Neetinũ Proregẽ Sicilię cõstituit. Quo defuncto Gilbertus Centellus, Baptista Platamonius, Ioãnes Paruta, Petrus Montagna, & Bernardus Rochsensis suo ordine Siciliæ Regis noĩe præfuerunt. Subinde anno sal. 1444. Cal. Decẽb. dũ Alfonsus Rex cõtra Cutronam in castris esset, & Antonius Vintimilius Marchio sibi obstitisset, ob eius desciticnẽ Comitatũ Golisani, qui suæ ditionis suberat, Petro Cardonio Magistro Iustitiario tradidit. Panormi post hæc anno sal. 1450. 12. Calen. Maij cum Senatus frumenta exoleta per domos ciuium esset distributurus, plebs in furorem acta ad horrea ciuitatis prorupit, frumenta omnia diripuit, ac suibus proiecit. Cumq; in vrbe magna olei caritas esset, in domos Ioannis Crastoni templo maximo propinquas facto impetu irruunt, ac effractis ianuis maximam olei vim, quam nimis crudeliter apud se in vegetibus detinebat, effundunt, ac fluuij instar per viam marmoream ad mare vsq; dimittunt. Et ni

Leonardus

Leonardus Bartholomeus Trabiæ Dominus,ac Siciliæ Protonotarius plebi acceptiſsimus obſtitiſſet,in peiora procul dubio prolapſi fuiſſent. Cuius,cũ poſtea à Thomaſio Criſpo fuiſſet interfectus,mortẽ vel ob id,quòd plebis eſſet ſtudioſus, Alfonſus non eſt vltus.Inſtituerat eo tempore Alfonſus Lupũ Simeniũ Durream Hiſpanũ genere virũ bello præclarũ Siciliæ Proregẽ,qui Meſſanã primũ, ac mox terreſtri itinere Panormũ venit.At Panormitani eũ intra vrbem nonniſi ꝓmiſſa ſeditionis venia omnino recipere noluerunt. Sed Alfonſus Rex his cognitis Iuliano Maiali è monaſterio.D.Martini oratore ſuadẽte motuũ authoribus prius furca ſuſpenſis ciuitati indulſit.Eodem ferme tempore apud Saccã Petrus Pirollus magni,atq; audẽtis animi adoleſcens temerariũ aggreſſus eſt facinus. Is etenim cũ Antoniũ Lunã Caltabellottæ Comitẽ feudũ in agro Saccenſi ſitũ à.S.Bartholomeo nũcupatũ,quod ſui iuris erat, ſibi occupaſſe à parẽtibus didiciſſet,interulam ſe non depoſiturum conſtituit,quouſq; Antonium de medio tuliſſet.Andream igitur,& Nicolaum germanos fratres, quorũ ipſe natu minimus erat, ad rem perageudam ſocios ſibi aſciuit.Inſtabat ſacræ Redẽptoris ſpinæ feſtus dies, qui & octauus eſt à Reſurrectione,Saccenſibus autem longa põpa,ac ordine celeberrimus,& ex vicinis oppidis,virorũ,ac mulierũ conuentu frequẽtiſsimus. Ad ſacra hæc ſtata Antonius Comes ex Calatabellotta oppido de more acceſsit. Quod vbi Petrus reſciuit,paratis,quæ ad rem ſibi oportuna ſunt viſa, inter pompam ipſam ſacrã Antoniũ de medio tollere decreuit.Iam ordo inceperat, & vſq; ad ædes.D.Catharinæ,&.D.Nicolai proceſſerat,vbi paratæ contra Antoniũ Comitem erant inſidiæ.Ex ijs igitur vbi Comes affuit, repente Petrus è latebris cũ germanis egreſſus in eũ irruit,pugioneq; ipſum impetijt.Cuius ictum niſi per lapſum Comes diuertiſſet,proculdubio letalem accepiſſet. Petrus vt procũbentẽ humi Comitẽ vidit,ratus illũ iã occubuiſſe, fuga ſibi cũ germãis cõſuluit,atq; ad Geraciũ oppidũ ꝓfugit.Antonius periculo ereptus magna militũ coacta manu conſpiratores ſubtiliſsimè etiam per domorũ cloacas fruſtra cũ inueſtigaſſet,in cõſpiratorũ gẽtiles impetũ facit,ac ſupra centũ ex eis occidit, domosq; incẽdit. Per idem ferme tempus Alfonſus Rex cũ aduerſus Venetos bellũ ſuccepiſſet,Inicum Claudum Hiſpanũ præſtantẽ virũ cum duabus inuſitatæ magnitudinis onerarijs nauibus in Ionium mare miſit,qui Venetorũ nonnullas naues Alexandria redeuntes obſeruaret. Veneti de ea re certiores facti onerarias ſex, ac triremes quindecim quàm celerrimè inſtructas aduerſus Alfonſi naues mittũt. Quas cũ hoſtiles naues inuentas inuadere ſtatuiſſent,illæq; effugiſſent, eas vſq; ad Syracuſanũ portũ,quò ſecũdo vento,curſuq; continuato petierãt,inſecutæ ſunt.Huc Alfonſi naues ingreſſæ hoſtilem impetum , qui ingruere poſſet, metuentes quantũ maris altitudo paſſa eſt littori appropinquarunt.Curauitq; Inicus Syracuſanorũ ope fretus ligneã cathenã nauibus obijcere,nauiumq; partem,quæ mare ſpectabat,ſumma ope muniri iuſsit.A terra verò ligneus põs fabricatus eſt, quo pugnãtibus naualibus ſocijs præſidium ab oppidanis prẽſtaretur,telaq;,& ſi quid aliud neceſſarium eſſet,ſubminiſtrarentur.Venetorum naues portũ ingreſſæ iactis ancoris tutiori qua potuerũt,portꝰ parte ſe locauere,ſi quo fortè modo idoneũ tẽpus aliquãdo nacti naues regias vel à terra vellere,vel tãdẽ cremare poſſent. Per id tẽpus Lupus Simenius Durrea Prorex Siciliã vt diximus gubernabat.Is vbi de ijs rebꝰ certior eſt factus,Panormo cõfeſtim Syracuſas,ꝓfectus cõplures ex Regni optimatibus,ac militum magnã manum coegit:quibus (ſi opus foret) aduerſus quoſcũq; Venetorũ apparatꝰ,regiæ naues,& vrbs ipſa defenderetur. Veneti multis artibꝰ vſi ſunt.quo id,cuius gratia hoſtiles naues inſecuti fuerãt,efficeret.Fuerunt inter Venetos,& Siculos multa,ac lõga,attrociaq; certamina, quibꝰ vtrinq; multi cecidere.Nec nauales ſocij ſolùm è nauibus multos laceſſebant:ſed è diuerſo oppidani è muris,atq; è propinquioribus turribus tormentis æneis,manu,ba-

liſtis,miſsilibus,atq; omni telorum genere quoties certabatur, Veneto's repelle bant. Expoſuerunt aliquando Veneti nauales ſocios, qui per Syracuſanum agrũ excurrentes arbores,vineaſq; ſuccideren t. Verum quoties oppidanis Prorex vrbe contra egrediendi, pugnamq; ineundi copiam faciebat, perfacile ſuperiores erant. Eis nanq; noti erant occulti tramites,anfractuſq; viarum, per quos & incautos Venetos inuadere,& quoties opus fuiſſet,euadere poterant. Tandem Veneti conſilio cuiuſdam ex naualibus ſocijs Regijs, qui ad eos transfugerat, freti, quod animo inſtituerant,perfecerunt. Nauis nanq; cuiuſdam,quam ad id iãdudum parauerant,malum,proram,ac puppim ſiccis arborũ folijs cõpleuerũt. Nacti mox idoneum ad id ventũ,nauim ipſam incẽſam, Africoq;, qui vehemens tũ perflabat,impulſam regijs nauibus appulerunt. Qua ingenti impetu delata,& lignea cathena, atq; obſtaculis omnibus perfractis, naues ipſæ crematæ ſunt. Nec vlla humana ope reſtingui potuit incẽdium. Quod vbi factum eſt,læti Veneti diſceſſere. Poſt hæc Alfonſus Rex anno ſal. 1458. mẽſe Iulio Neapoli in arce noua ætatis ſuæ anno.65.obijt. Decedens autem Neapolitanum Regnum Ferdinando filio notho,Aragonum verò,& Siciliæ Ioanni fratri Nauarrę pro Blanca vxore regi reliquit. Floruit per eius tempora,& deinde ſub Ferdinando filio Thomaſius Barreſius Siculus bello tora Italia dux ſua ætate præſtãtiſsimus. Hic genus ſuum ad Abbũ Barreſium,cuius pater ex proceribus, qui cum Rogerio Normanno ad propulſandos Sarracenos in Siciliam venerunt,vnus fuit,vt Rogerij Regis diplomate conſtat,hoc ordine refert. Ex Abbo,qui Petrapretiam,Naſum, Caput Orlãdi,Caſtaniam,& pleraq; alia oppidula à Rogerio Rege adeptus eſt,Mattheus. Ex hoc Ioãnes. Ex quo Abbus. Ex hoc Matthęus. Ex quo Ioãnes alter,qui cũ Iacobo Regi adhæſiſſet,oppidis omnibus a Friderico Siciliæ Rege priuatus fuit. Ex quo Abbus tertius,qui ab eodem Friderico cũ Riccà matina Reginę pediſſequa,vxore,Petrapretiam recepit,& Militellum iure materno adeptus eſt. Ex hoc Ioannes Ludouici Regis Camerlingus,cui Marcheſia Blaſci Alagouę Comitis filia nupſit. Ex quibus Abbus quartus primogenit' cũ Petrapretia oppido,& Blaſcus ſecũdo genitus cũ Militello. Ex Blaſco Antonius. Ex hoc Blaſcus alter. Ex quo Antonius Petrus. Ex hoc Ioãnes Baptiſta,Blaſcus,Guilelmus,& Aloyſius germãi fratres, q ætate mea floruerũt. Ex Ioãne Baptiſta,ei' ſoboles,q̃ hucuſq; Militello dominat'. At ex Abbo quarto Artalis. Ex quo Antonius primogenitus,cũſua ppagine,q̃ Petrapretiã ſub titulo marchionat' hodie tenet,& Thomaſius hic noſter ſecũdogenitus. Fuit is diro ingenio, magno, atq; elato aĩo,ingẽtibuſq; tũ corporis,tũ animi virtutibus,pręſertim inediæ,piculorũ,laborũ,frigoris, caloriſq; tolerãtia, ac patiẽtia inſignis,atq; ad difficilima quæq; aggrediẽda audaciſsimus,Auri,honoris,gloriæq; appetẽtiſsimus. Victoriarum ingentiũ,& rerũ in Neapolitano bello ſub Ferdinãdo Rege ab eo ſtrenue geſtarũ gloria, reliquos oẽs ſui tẽporis duces antecelluit. Caſtriu illarũ in Calabria oppidi dux,ac Terrenouæ Comes effectus, pleraq; etiã alia ĩ ea Italię parte oppida poſſedit. Filiã Marchiõis Crotoniatę vxorẽ duxit. Hic natura ferus Nicolaũ Clãceoffum,ſerra per dorſum,lũboſq; adacta, mediũ ſecuit. Rogeriũ Oriliã equitẽ Neapolitanũ,duoſq; itẽ alios viros nobiles ex arcis oppidi. S. Georgij pinnaculis in rupes valde præruptas deiecit. Neapoli Ioãnẽ Spataforã Siculũ ſibi infenſum,ſalutandiq; Regis gratĩa in arcẽ nouã accedẽtẽ gladio trãsfodit. Quare a Ferdinãdo Rege ĩ carcerẽ cõiect',aliquot poſt annos illuuie,atq; pedore obſitus,illic abſq; liberis diẽ obijt. Mortuo Alfõſo,& vndecimo poſt captã Neapolim anno Renatus ĩ Italiã venit cũ duobus milibus equũ Frãciſci Sfortię,& Florẽtinorũ auxilio fretus. Sed horũ poſtea ope deſtitutus breui Italia exceſsit nihil vltrà moliri auſus. Ioãnes deinde Renati filius viuente adhuc patre Neapolim accerſitus magno Principũ ſtudio parũ abfuit,quin eo regno ſit potitus. Verũ ingẽti ad Troiã Appuliæ vrbẽ prælio victus non multo poſt

regnum

Digitized by Google

regnum relinquere coactus est, ac non multo pòst obijt. Quem pater fato functus sequens, Carolum fratris filium hæredem instituit. Is sine liberis moriens Ludoui cum Galliæ Regem, qui fuit Caroli octaui Gallorum Regis pater, testamento suo hæredem reliquit. Carolus patri succedens huic iuri innixus nono ferè sui Regni anno Neapolim magno cum exercitu venit, vt Regnum, quod Renati fuerat, armis sibi vindicaret. Tum inter Gallos, & Hispanos lues quædam perpetua, ac pestilens orta est, qua deinde Italia quoq; ferè semper, atq; etiamnum agitatur. Ex nulla profecto re, maiora, q̃ ex controuersia inter Gallos & Hispanos Reges semper de Neapolitano Regno renascente, rei Christianæ incommoda orta sunt. Nã dum domestica inter eos flagrant odia, Turcæ terra & mari magna vi nostra inuadunt atq; occupant.

DE IOANNE ARAGONVM, ET SICILIAE REGE. CAPVT DECIMVM.

I OANNES Alfonsi, eius, qui sine liberis decessit, germanus frater in Aragonia, & Sicilia Rex sufficitur. Is viuente Ferdinando patre Siciliæ rebus Prorex, atq; Admiratus præfuit, iccirco ad regni postea culmẽ euectus Siculos plurimum dilexit. Annum agens vigesimum Blancam Caroli Nauarræ Regis filiam, cuius deinde causa Nauarræ Regnum adeptus est, vxorem duxit, ex qua Carolum, ac fœminas duas suscepit. Princeps hic Christianæ religionis fuit longè omnium studiosissimus. Quotidie sacris intererat. Diuorum omniũ, ac Deiparæ præsertim virginis sacra stata castè, ac ieiunio, quadragesimam præterea à vigesimo ætatis anno ad septuagesimum vsq; ieiunio, & carnis abstinentiã celebrabat. Festos dies, ac Dei cultum reuereri ab omnibus inuiolabili lege sanciuit, à Sarracenis imperio subiectis Mahometti nomen inuocari vetuit, indignum, ac sacrilegum propè facinus existimans in Christianorum Principatu hominis perditissimi falsum numen veneratione esse. Christi corpus cum per vicos, & in festo suo die, & itẽ aliâs (vt fit) deferebatur, non modò à Christianis, verùm à Iudeis quoq;, & Sarracenis detecto capite, ac genuflexo adorari sub mulcta constituit. In regimine iustus. Legibus nanq;, ac sanctionibus humano & diuino iuri cõformatis moderabatur. Clementia quoq;, ac liberalitate, quæ principiæ Regum sunt partes, longe præstantissimus: libidinis solùm vsq; ad senium impatiens extitit, quare plures ex pellicibus liberos suscepit. Huic Regni habenas suscipienti Siculi cõcilio in Calatagirono oppido prius celebrato anno sal. 1460. Simonem Panormitanum Archiepiscopũ cognomento Bononiũ, Guilelmũ Raymundũ Mõtecatinũ Adrani Comitẽ, Antoniũ Lunã Caltabilottæ itẽ Comitẽ, Vassallum Specialẽ, & Hieronymũ Ansalonũ iureconsultũ ad fidei Sacramentũ Regi Barchinone agenti exhibendũ miserunt. Defuncta Blanca vxore Ioannã Friderici Castellæ Admirati filiã matrimonio sibi iunxit. Ex qua Ferdinandũ, Ioannã, & Mariã filias genuit, eãq; suo noĩe Nauarrę Regno præfecit. Carolus, qui materno iure Nauarræ Regnũ sibi deberi etiã patre viuente arbitrabatur, hoc facto commotus Aragonia discedens Neapolim primũ, subinde Siciliã petens ibi diutius resedit, quo patri maximè inuisus est redditus. Et licet in Caltagironẽsi cõuentu à Siculis omnibus in Regis locũ, ac vicẽ delectus à Rege requisitus esset, Ioannes Rex non modò abnuit, sed eũ quoq; in Aragoniã euocauit, ac pòst Xatiuę ĩ carcerẽ cõiecit. Tandẽ Procerũ precibus liber factus in nouercã, ac Ioannẽ patrẽ procerũ Barchinonensiũ cõiuratione facta, vt à Nauarræ finibus prohiberẽtur, sibiq; soli legitimo Regi vt parerẽt sese erexit. Demũ post diutinũ, & malè cõfectũ bellũ Carolus Barchinone febre correptus, ac patri recõciliatus magno Hispanorũ, & Siculorũ mœrore decessit. Bella gessit Ioanes cõtra Barchinonẽses, qui ab eo desciuerãt, & cõtra Ludouicũ Francorũ Regẽ ad Perpinianũ q̃ fœliciſsimè. Quæ exactè, & eo, quo

gesta sunt, ordine à scriptoribus memoriæ sunt prodita, cum mei non sit instituti omnem Ioannis, & cæterorum Hispaniæ Regum vitas, aut bellorum ordinem recensere, eorum porrò sit hic labor, qui de his rebus historias conscripserunt. Subinde anno sal. 1473. Ferdinandum filium adolescentem vnà secum in Sicilia regnare, ac diademate insigniri voluit. Postmodum anno. 1476. Henrico quarto Hispaniæ vlterioris Rege cum vxore, & filia ab Eduardo Rege interfecto, Isabellã Henrici sororem, & Hispaniæ regno succedentem Ferdinando filio Ioannes vxorem tradidit. Quo regnum, quod iure olim Ferdinandus prior renuit, vt suprà me minimus, nepotiq; seruauit, iure modò Ferdinãdus alter illius nepos adeptus est. Igitur cum Isabella vxore regnũ, quod dotali nomine ad se peruenerat, ex æquo administrabant tanta inter se concordia, quanta nulli Reges vlla vnq̃ memoria in connubio vixerunt. Ioannes interea Rex Ioannem Comitem Cardonę Comitem de Pratis nuncupatum Proregem in Siciliam misit, qui vsq; ad Regis obitum res Siculas semper administrauit. Ioannes verò post plures labores senio prægrauatus anno ætatis suæ. 84. regni verò. 20. salutisq; humanæ. 1479. Cal. Februarij relicto Ferdinando filio regnorũ hærede Barchinonæ ab humanis rebus excesit.

DE FERDINANDO COGNOMENTO CATHOLICO ARAGONVM, ET SICILIAE SECVNDO HVIVS NOMINIS REGE. CAPVT VNDECIMVM.

FERDINANDVS Ioanne decedente Hispaniæ citerioris, Sardiniæ, & Siciliæ rerum potitur. Huic Siculi confestim Legatum Ioãnem Comitem de Prates ad certam Regi fidem de more pollicendam eodem sal. anno. 1479. quinto idus Iulij miserunt. Ferdinandus suscepto statim diademate Gasparem Spes Proregem in Siciliam misit. Sub regni initia Lusitanos sibi rebellantes, atq; ad Alfonsum Galloetiæ Regem deficiẽtes multis prius hinc inde cladibus illatis, & acceptis, in Numantino agro superauit, ac vicit, subiecitq;. Sub id tempus in Sicilia Petrus Cardona Comes Guliſani ob germanæ sororis dotem, quam repetebat, cum Henrico Vintimilio Geracis Marchione loco à Petralia non valde remoto certamen singulare obstante Siculorum lege iniit, ac superior fuit. Hoc vbi Gaspar spes Siciliæ Prorex cognouit, in vtrunq; inuehitur. Petrus capitur, ac veniam tandem impetrat, Henrico fugiente, ac Ferrariam sese recipiente. Interea Hericus perduellionis pœna mulctatur. Marchionatus, ac bona eius proscribuntur, & arietes duo ærei (quorũ suprà memini) ex Castello Bono Panormum ad regiam transferũtur. Defuncto deinde apud Ferrariam Henrico, & Philippo, ac Simeone liberis relictis, Leonora vxor à Ferdinando Rege Marchionatũ præter Rucellam inter Thermas, & Cephaledim sitam arcem, recipit. Subinde anno salutis. 1489. Ferdinandus Rex Ferdinandum Acuneum Castellionensem Proregem in Siciliam misit. Qui paulo post anno salutis. 1491. inditione. 10. 15. Calen. Nouembris præsentibus Ioanne Paternione Archiepiscopo Panormitano, & Petro Luna Archiepiscopo Messanensi, Senatu quoq; Panormitano, & proceribus vrbis sepulchrum porphyreticum, quod ad sinistram ingredientibus maximum templum primum occurrit, aperuit. Vbi cadauer hominis Cæsareo diademate insignitum, ac quædam alia cadauera ibidem lacerata reperta sunt. Suspicatum est autem à prudentioribus cadauer Henrici sexti Cæsaris, quem quintum pleriq; appellant, & Siciliæ Regis illud esse, quibus & ratio suffragatur. Quo clauso marmoreum, quod sacrario proximum est, statim apertum

Digitized by Google

apertum est. Vbi cadauer mulieris corona Imperiali caput redimitæ cum lamina ærea his literis inscripta repertũ est. Hoc est corpus Dominæ Constantiæ. Ill. Romanorum Imperatricis semper Augustæ, & Reginæ Siciliæ vxoris domini Imperatoris Friderici, & Siciliæ Regis, & filiæ Regis Aragonum. Obijt autem anno incarnationis. 1222. 23. Iunij. 10. ind. in ciuitate Cataniæ. Subinde verò cum ad cætera Mausolea aperienda pergeret, procerum tumultus temerariũ id esse opus conclamantium exortus prohibuit. Quod ipsum Ferdinandus quoq; Rex iniquo sanè tulit animo. Ferdinandus Rex Bethicæ partem, quã Granatam nunc appellant, octingentos à Sarracenis annos possessam quartodecimo posteaq; bellum ad pietatem simul, & gloriam maximum susceperat, capto eorum Rege, ac regia, & regno cum Isabella vxore suo imperio anno salutis. 1492. quarto nonas Ianuarij subegit, quo & Catholici nomen promeruit. Qua insigni victoria potitus, dum Barchinonem triumphantis more ingreditur, à Catalano quodam, cui Canemas erat nomen, atra bili diu laborante gladio impetitus, ad collum ingenti plaga vulneratus est. Captus Canemas, ac per omne tormenti genus actus eius temerarij ausus nulla alia ab eo reddita est causa, nisi quòd interempto Ferdinando futurum se Regem sperabat, quod sibi sæpius ab Angelo nuntiatum asseruit. Quo etiam anno idem Ferdinandus è Sicilia, & cæteris sui Imperij Regnis Iudæos omnes, qui Christi lauacro allui noluerant, expulit. Eodem quoq; anno Ferdinandi Regis, & Isabellæ Reginæ virtute, atq; auspicijs, alter veluti orbis; & quicquid oceano terrarum circũalluitur, incognitiq; antea populi, ad quos neq; Romanum Imperium, neq; vllæ veterum literæ penetrarunt, Christoforo Columbo Genuensi rem arduam, & omnium mortalium primo tentante, ac tandem classe horum Regum superatis beatorum Insulis, quas Canarias hodie vocant, inueniente, gentibus sunt patefacti, atq; Aragonijs Regibus subacti. Sub idem ferrè tẽpus anno sal. 1492. 8. Cal. Februarij Ferdinandus Neapolitanus Rex Alfonsi Regis nothus relicto Alfonso filio primogenito moritur. At paulo pòst Carolus octauus Francorum Rex fœdere cum Alexandro sex. Ro. Pont. & Ludouico Mediolanensium Duce inito, contra Neapolim, & Alfonsum venit, atq; anno salutis. 1494. Cal. Ianuarij paruo negotio Neapolitano regno potitus est. Alfonsus Rex relicto Regno, ac Ferdinando filio regia corona insignito Messanam turpiter fugit. Vbi paucis pòst diebus veluti exilio anno salutis. 1495. 13. Cal. Decembris in ædibus Baronis Scalettæ mortem obijt, atq; in templo maximo est conditus. Interea Ferdinandus Catholicus Rex classem instructam Ferdinando Neapolitano Regi, contra Carolum auxilia mittit. Qua paruo labore Carolo pulso Ferdinandus Regnum recuperat. Quo posteà anno sal. 1496. sine liberis defuncto, Fridericus prioris Ferdinãdi filius eius patruus, Alfonsi patris germanus frater, regno Neapolitano succedit, qui quatuor annos posteaq; rerum potitus est: Ludouicus duodecimus Francorum Rex, qui Carolo Regi iam defuncto in regnũ successerat, cum Ferdinando Catholico Rege, qui sibi communicato Imperio, ac Regni iure æquato, vt Alfonsi primi Neapolitani Regis, & acquisitoris legitimo nepoti illius Regni ius pertinere aiebat, ex cõposito Fridericum Aragoniũ Neapolitanum Regem regno pellere, atq; inter sese diuidere statuũt. Ferdinãdus igitur Catholicus Rex classem ingentem instruit, cui Consaluum Ferdinandum præficit, qui ob insignem animi, & corporis in bello virtutem militum omnium consensu magni Capitanei cognomentum promeruit. Is paruo negotio Brutios, & Appulos in ditionem Ferdinandi Regis redegit, Friderico rege relicto regno & ad Ludouicum Regem profugiente, & Ferdinando eius vnico filio Neapolitani Regni hærede à Consaluo capto, & in Hispaniam misso; ac seruato. Nec diu pòst Ferdinãdus Rex cum Ludouico de finiũ Regni Neapolitani diuisione cõtendens ad bellum descendit, expulsisq;, ac superatis demum Gallis Duce Consaluo toto

Regno

Digitized by Google

Regno Neapolitano potitus est. Parta hac victoria Ferdinandus Rex Ioannam filiam Philippo Maximiliani Cæsaris filio Burgundiæ, Austriæq; Duci vxorem tradidit. Philippus in Hispaniam proficiscitur. Vbi Hispaniæ vlterioris Rex anno salutis. 1506. coronatur. Verùm non diu pòst relictis Carolo, Ferdinando, & Eleonora liberis intemperie cœli hominem exuit. Interea Ferdinandus Rex cum Ludouico Francorum Rege pacem inijt, ac eius neptem nomine germanam, vxorẽ accepit cum qua Neapolim, vt Consaluum ob affectati Regni suspitionem inde abduceret, anno sal. 1507. nauigat. Vbi anno emenso, & compositis Neapolitanis rebus in Hispaniam reuertitur. Subinde Sarracenos vexare cœpit. Nam Duce Petro Nauarro Oranum Mauritanię vrbem primùm, postea in Numidia Bugiam, & quędã freto Gaditano ppinquą oppida vi cepit. Emẽso deinde eodẽ Duce Africano littore anno sal. 1510. die festo. S. Iacobi Tripolim vrbem trium horarum spatio expugnauit, nã hora nona Tripolim appulsi eã decima tertia hora sola arce retenta, funditus deleuerunt. Interea Raymundus Cardonus à Ferdinando Rege in Siciliam Prorex mittitur. Quo post biennium ad Neapolitanam administrationem euocato, Hugo Montecatinus genere Valentinus, ac religione Ioannita Prorex in Sicilia ascisitur. Postmodum anno sal. 1511. comparata classe cui Garsiam à Toleto Ducis Albæ germanum fratrem, & Petrum Nauarrum præfecit, cõtra Gerbos Sarracenorum insulam soluit. Eò cum applicuissent, ac militem in terram exposuissent, orta inter duces de acie ordinanda discordia, dum Petrus (qui etsi ætate, consilio, & rei militaris prudentia superior esset, nobilitate tamẽ multo erat impar) Garsiæ cedit, milites siti, & arenarum calore vehementer afflictantur. Tum repente Sarraceni ob aquarum inopiam, & caloris vehementiam sine ordine palantes aggrediuntur, cædunt, ipsumq; Garsiam trucidant. Qui si Petri cõsilia nõ fuisset aspernatus, morte profecto non oppetijsset, & victoria dubio procul potitus esset. Ita nostri à Sarracenis profligati, fœdè & maxima ob aquarum penuriam clade accepta inde abire coguntur. Soluta cum maximo nostrorum dãno, ac dedecore obsidione Petrus Nauarrus in Hispaniam ad Ferdinandum Regem nauigat, à quo Præfectura ob malè patratæ rei ordinem abdicatus ad Gallos defecit. Didacus Deuera, qui mille militibus Hispanis præerat, in Siciliam cum milite concedit. Classe Panormum appulsus milites in terram exponit. Qui fame, atq; egestate pressi, & quòd ei stipendia non persoluebantur, fame coacti cibos à priuatis quibusq; exposcebant, atq; etiam per hortos cuncta diripiebant. Quo cognito Senatus Panormitanus Didacum, vt militem coerceret, pluries, sed frustra admonuit. Deniq; dum Hispani quidam è regione Seralcadis inter. D. Augustini cœnobium, ac. D. Hippoliti templum fame oppressi in domum plebeij cuiusdam ingressi cibos è manu vxoris, ac filiarum vi diripiunt, Panormitani non tam cibi direptione, quam vxorum Zelotypia accensi contra Hispanos commouentur, ad arma conclamant, ac in Hispanos. 14. Calen. Sept. qui festus est. D. Bernardo, milites irruunt, & quotquot obuios habent, miserè trucidant. Sed mox latius per vrbem ea fama vagata, innumerabilis agrestium multitudo è regione Albergaria duce Ioanne Paulo Pallastra non infimi ordinis viro armis, quæ fors obtulit, sumptis ad aream maritimam furore percita concurrit. Igitur incondita plebis colluuies, quæ sicuti nullo cõsilio regebatur, ita primùm insolescere tumultu, & aduersus milites Hispanos grassari cœpit, nulla denũtiatione supplicij cõmouetur, neq; à tã fœdo incepto desistit, sed editis popularibus vocibus mortẽ Hispanis precantes, passim, quotquot ex eis reperiunt, siue domi, siue in templo seruatos, spreta Regis authoritate, ac neglecta religione, ferociaq; acti occidunt. Adeoq; eo die contra Hispanos milites sæuitum est, vt vbicunq; Hispanus occurreret, statim in eum irrueretur: ita vt supra mille fuerint interfecti. Hugo Montecatinus Prorex Procerum Petri Cardonæ Golisaui Comitis viri sua ætate militia,

& prudentia

Digitized by Google

& prudentia nulli ſecundi præſertim conſilio, furenti plebi, ne in peiora elaberetur, occurrere pergit. Igitur Proceribus comitatus per frequẽtes vrbis vias obequitando ciues hortabatur, vt armis depoſitis recederent. Idem Petrus quoq; Cardona editis vocibus, hortabatur, qui eo æquiori animo exaudiebatur, quo minus populo erat inuiſus. Ita cum diei ferme dimidiũ totã vrbẽ perequitaſſet, eius hortatibus plebs ſedato tumultu ab armis diſceſsit. At compreſſo vrbis furore de factionis Principibus ad feneſtras Cancellariæ laqueo ſupplicium eſt ſumptum. Ioannes vero Paulus Pullaſtra ad aream maritimam capite plexus eſt. Anno deinde ſal. 1516. 27. Cal. Februarij Ferdinandus Rex in Hiſpania abſq; virili prole (ſtella comata eius obitũ per multos dies præſignante) deceſsit, atq; apud Granatam vrbem tumulatus eſt. In quo Aragonenſis ſtirps, quæ in Hiſpania diu in Sicilia vero. 230. regnauit annos, defecit. cum quo meritò & liber hic nonus, qui totus de Aragonijs fuit, claudatur.

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRAEDICATORVM, DE REBVS SICVLIS, POSTERIORIS DECADIS.

LIBER DECIMVS.

ET VLTIMVS.

DE CAROLO QVINTO CAESARE, HISPANIAE, ET SICILIAE SECVNDO HVIVS NOMINIS REGE. CAPVT VNICVM.

CAROLVS Maximiliani Cæſaris ex Philippo filio, & Ferdinandi Catholici Regis ex Ioãna filia nepos, in Hiſpania primus, ſed in Sicilia huius nominis ſecũdus Rex. annum agens duodeuigeſimum cum Ioãna matre ſucceſsit. Natus fuit Carolus Gandaui, Ciuitate Belgica anno ſalutis. 1500. die. 25. Februarij, qui dies eo ipſo anno feſtus Diuo Matthiæ Apoſtolo fuit. Ita defuncto Ferdinando, ex Aragonum ſtirpe Hiſpania, & Sicilia in fauſtiſsimam Germanicæ nationis Auſtriæ Ducum proſapiam venerunt. Præerat per id tempus Siciliæ Regis nomine Hugo Montecatinus Valentinus genere, religione (vt diximus) Ioannita, qui cognitam Regis mortem, ne plebs in eum aliquid moliretur, diſsimulauerat, celaueratq;, & interea a Carolo nouo Rege approbationem ſolicitabat. Verum cum ſuo magiſtratu, quem ſex circiter annos viuente Ferdinando adminiſtrauerat, proceribus quibuſdam eſſet inuiſus, Illi audita Regis morte occaſionẽ nacti, prætextu magiſtratus extincti, plebem Panormitanam apud quam de more Hugo degebat, occultis artibus contra Hugonem concitarunt. Plebs quoq; cum Regis mortem aliũde reſciſſet, ſuo etiam motu Hugonẽ ſuſpectum habere, atq; mox tumultibus Panormũ replere cæpit. Ingentes hos Siciliæ motus, qui poſtea ſecuti ſunt, Calcerandus Rochenſis Hiſpanus & ipſe genere, cuius in area maritima ædes erant, portentoſa viſione, atq; miro oſtento præſagiuit. Nam paucis antè diebus viuente adhuc Ferdinando cum ſub primam lucem in lectulo vigilaret, magnam

hominum

hominum multitudinem in area perſtrepentem audiuit. Ad feneſtram ocyus accurrit, virorum frequentiam primũ, peditumq́; ſpecies, mox haſtatos, ſcutatosq́; ſubſequi, ac equites deinde in turmas diuiſos, armatorumq; acies in prælij ſpeciẽ cuncũctentes in regiam domũ, qua Hugo vtebatur, irruere, ac oppugnare oculis per inanẽ vmbrã ſibi videre eſt viſus. Illuceſcẽte igitur ad Hugonẽ pergit, quod viderat, veluti exanimis enarrat. Pleriq; præterea ſub idem tempus ad verticẽ, ac radices Peregrini montis milites armis inſtructos noctu ſe concurſantes vidiſſe faſsi ſunt. Sed Hugo cum hæc omnia audiſſet, ægrorum ſomnia ea eſſe reſpondit. Plebs igit̃ Panormitana audita Regis morte Hugonis magiſtratũ extinctũ tota vrbe ſubmurmurare cœpit. Fauebant plebi Petrus Cardonius (cuius ſupra memi nimus) Goliſani Comes, Fridericus Abbatellus Cameratæ Comes, Hieronymus Filingerius. S. Marci itẽ Comes, Simeon Vintimilius Marchio Geracij, Matthęus Sanctapax Licodię Marchio: cuius patrem Hugo capite plexerat. Ioãnes Baptiſta Barreſius Militelli dñs, & Guilelmus Vintimilius Ciminnæ dñs. Hi igitur, & pleriq; alij Siciliæ Proceres, quibus Hugo ſatis erat inuiſus, eius magiſtratũ morte Regis extinctum eſſe, & Siciliam à Iacobo Alliata Proiuſtitiario moderandã eſſe aiebant. Verùm vt conſultò res gererent, Panormo egreſsi, & plebe tumultuãte, atq; ad motus nouos inclinata relicta, accitis cæteris Proceribus, qui eis adhæſerant, ad Turrim quandam tabernæ hoſpitatoriæ à Myrtis appellatæ imminentẽ conuentum habuerunt. Firmatis igitur ibidem, ac conſtitutis, quæ agẽda erant, Thermas Himeræas oppidum ſub prætextu Regi defuncto parentandi petierũt. Ibi itaq; in æde maxima Regi inferias, quas Hugo ne illius mors diuulgaretur, neglexerat, peragunt. Aegrè tulit Hugo Procerũ è Panormo diſceſſum, & ob rei indignitatẽ cũ plus æquo angeret, plebis furori cedere, ac Sicilia abire cõſtituerat. Sed ne plebs eo diſcedẽte à Rege deſciret, atq; ipſe in noui Regis indignationem incideret, ab Antonio Montecatino Adranitæ Comitẽ; & Ferdinãdo, Aloiſo, & Friderico eius germanis fratribus, Ioãne Luna Caltabellottę Comite, & Regiæ curię conſularibus, q ei adhærebant, admonitus in Sicilia reſtitit. Igitur à Cõſultis Prorex ſalutatur, qui ſtatim horum auxilio fretus præſidio Regiam munit. Dũ hæc Hugo parat, Hieronymus Veronenſis, cognomẽto Barbatus, Heremitani ordinis, q in ędc. D. Frãciſci ad Senatũ, & Populũ quadrageſimali qd̃ tũc curre bat tẽpore cõciones habebat, pprio ne ingenio, an Procerũ inſtinctu, incertũ, inter cõcionandũ frequẽtẽ plebẽ in Hebręos, qui nuper ſacris Chriſtianis initiati rurſus ad Moſi legẽ tacite redierant, & ob id à Queſtore, quẽ Inquiſitorẽ vocãt, veſte viridi cruce rubra inſuta inter alias pœnas mulctati fuerant, vt irruãt, edita in ſuggeſto voce cõclamitat, illos, vt cruce, qua amicti erant, ſpolient hortatur, nefariũ enim eſſe, ac ſacrilegũ, qui Chriſtũ cruci addixerant, crucem deferre, diuerſo iure affirmans. His dictis incenſa plebs repentè in Hebręi generis viros, fœminasq́;, quarũ ingens eo tẽpore Panormi erat multitudo, quotquot expleta cõcione obuios habuit, eos amictu ſpoliat, dilaceratq́;. His ſeditionis initijs ſoluta plebs, & Comitũ abſentia frenis laxata, abdicare Hugonem magiſtratu omnino pergit. Hugo his cognitis aĩo neutiq̃ deijcitur, ſed cum Senatu Regio, & vrbis proceribus, qui ſibi ſuffragabantur, vt plebem in fide contineret, per frequẽtiſsimas vrbis vias obequitãs, Panormitanos, ne nouos agitẽt motus frenare ſtudet. Vectigal ſuper farina recenter impoſitũ, plebiq; grauiſsimũ, vt populare leniret furorẽ, fruſtra remittit. Nã plebs Hugonẽ magiſtratu morte Regis iure optimo abdicatũ magis, ac magis cõclamitat. Interea fama tota vrbe percrebuit Legatum à Carolo nouo Rege ex Germania Panormum aduentaſſe, literasq́; Hugoni confirmatorias detuliſſe. Hæ litteræ cum in Prætoris curia frequẽti populo lectæ fuiſſent, quæ vtrũ Regiæ fuerint, an verò ad ſedandũ populi furorẽ cõfictę, in certum, plebis furorẽ non cõpeſcuerũt, ſed magis etiam inflammarũt. Nã ſimulatas

latas esse eas, non à Rege venisse Legatũ, sed villicũ, vel nautã, vel Hugonis famulum, qui Regis Legatũ mentiebatur, palàm prædicabant. Qui inimo cum à Prætoria domo vrbis Præfecto redeunte plebrius quidã regias satis temere, atq; arrogãter literas expetiuisset, Præfectus ad compescendos illius temerarios, ausus carceri eum addixit. Sed mox ille edita voce populi auxilium efflagitare cœpit. Quo viso plebs furijs incensa, & armis accincta in Præfectũ, ac illius ministros irruit, hominem à ministrorũ manibus liberat, Præfectumq; ipsum aggreditur, quẽ sibi cõsulens salutem fuga quæsiuit, sedato pauliper eo tumultu, iamq; aduesperascente, precorum manus non contemnenda, quos viri supra centum rubicos mentiri sequebantur, ad domum regiã perguut: Hugonem Panormo discedere clatis vocibus cõclamãt: mortẽq; ni statim pareat, cõminantur. Ille biduũ spatiũ abnũdi, sed frustra petit. Hora nanq; iã nocturna secunda aduenerat, & sũ ofa tenebris essent involuta, ingens armatorum numerus non modò pedibus, sed lenibus quoq; equitum armaturæ ad aream maritimã confluit, ac machinis, & tormentis æneis è publica domo acceptis Regiã obsidẽt, tantoq; ardore oppugnãt, vt ego ipse horum spectator oĩum, tãtam mutationẽ Panormi eã paruo tẽpore contigisse mirari non desinerẽ. Quod vbi Hugo vidit, desperata plebis resipiscẽtia famulũ mentitus clã per posticum hora noctis sexta, & septimo die martij anni sal. 1516. regiã egressus domum Ioannis Antonij Risignani sui studiosi regiæ proximam ingreditur, atq; inde nauem onerariã in portu paratã inscendit. Erat adhuc in domo regia Antonius Monterratinus Adranita Comes, & Cõsulares regij, qui Hugonis fugæ etiãnũ ignari obsidionẽ perferebant. Sed vbi eum elapsum cognoscũt, fuga & ipsi quoq; clandestinæ se crediderunt. Milites qui regiã tuebantur, vbi Hugonẽ abesse dicerunt, certatim supellectilẽ oẽm diripiũt, apertisq; foribus præda onusti ad suos quisque lares accedunt. Panormitani obsidentes cognito Hugonis recessu, & facta eis in domum Regiã introeundi potestate repente in eã se se ingerũt: quicquid bonorum vnicuiq; sors obtulit, diripiunt, ac deinde ad ærarium vsq; solis Regiã omnẽ deprædantur. Illucescente plebs furijs excita ad Palatiũ in vertice vrbis situm, vbi Melchior Ceruerus genere Hispanus hæreticorũ q̃stor degebat, Panormo eũ discedere per vim cõpellunt. Ille plebis furori cedens per marmoreã viã, & frequẽtissimũ mercatorum forũ obequitans ad portam maritimã venit, & nauẽ ascẽdit. Interea dum hæc in vrbe geruntur. Hugo biduũ in portu moratus Panormo abscedens Messanã nauigat. Vbi à Messanensibus veluti Prorex, & magno honore exceptus est. Messanæ agens principio cætera Siciliæ oppida ad fidẽ nouo Regi seruãdam per literas hortatur. Sed dum plurima de regia largitate Siculis, vt eos in fide contineat, pollicetur: Siciliæ ciuitates cognita illius à Panormo expulsione, ab eo ipsæ quoq; desciscunt, seseq; Panormitanis adiungunt, paucis exceptis circum Messanam oppidulis. nã Catana, Syracusæ, Leontinũ, Agrigentũ, Drepanũ, & cæteræ Siciliæ ciuitates. Panormitanos secutæ negata Hugoni obedientia in nouos quoq; motus, ac tumultus abeunt, vectigalia oĩa quæ Gabellas vulgus appellat à Regibus imposita detrectãt, abrogantq;. Hugonis studiosos insequuntur, quosdã ex ciuibus electos deligunt, qui causas, reſq; populi tueantur. Dum hæc per Siciliã fiunt, Panormi facinorosi homines impune tota vrbe debacchantes per domos excurrunt, cuncta diripiunt. Quo viso primores vrbis Legatos ad Comites, qui nõ longè inde aberant, mittunt, eos ne vrbem Regiã in præceps ire sinant, precantur, Aliquandiu inter Proceres ad Thermas Himeræses disceptatũ est, succurrendũne foret Panormitanæ vrbi, an non. & licet plurium senatui suo relinquendã esse Panormum mens esset, Petri tamẽ Cardonij Golisani Comitis sententia præualuit. Qui ne regia vrbs perditorũ hominũ conspiratione in desciticnẽ Regis in totius insulæ dedecus rueret, statim succurrendum illi esse in summo rerum discrimine constituta, & seruandã Regi decreuit. Excepere cæteri Proceres. Petri vocem

veluti

veluti è cœlo delapsam. Erat Petrus Cardonius Regum Aragonum studiosissimus, pro quibus cum Hugone, & cæteris germanis suis fratribus in bello Neapolitano, quod Ferdinandus Catholicus Rex Consaluo Ferdinando Duce fœliciter gessit, plurima, & ea egregia militiæ facinora strenuè gesserat. Maximarū præterea virtutum, quæ nullis in eo vitijs obscurabantur, gloria insignis, præter staturam corporis proceram, literarum humanarum peritiam, vultum regio quodam decore præclarum. Eaq; omnia singulorum beneuolentiā mirificè conciliabant, eamq; cæteris Proceribus, & plebi acceptissimum reddebant. Igitur statim Proceres Panormum aduolant, motus sedant, ac tranquilla reddunt omnia. Nec defuere tum, qui nouos hoste motus non à plebe, sed à priuato odio, quod inter hos Proceres, & Hugonem flagrabat, exortos assererent, cum eorum regressu pulso iam Hugone pacatam vrbem aspexere. Comites igitur compositis Panormitanis rebus, simul & S.P.Q.P. Antonium Campum Legatum ad Carolum Regem mittunt, cunctaq; ordine exponunt. Hugo etiam per Legatum Carolo calamitatem suā enarrat. Interea Proceres ne Sicilia infolesceret, Simeonem Vintimilium Giracis, & Matthæum Sanctapacem Licodiæ Marchiones Præsides insulæ constituunt. Hi susceptō magistratu Hugonæ adhuc Messanæ agente plebem in officio continebāt: ius cuiq; reddebant, sancteq; omnia gubernabant. Nundinas Panormi, quas Ferdinandus Catholicus indulserat, & vsq; ad eam diem Hugo nunq̄ publicarat, ad. D. Christinæ translationis stata, solenniaq; festa, quæ Maio mense redeunt, per quindecim dies primùm celebrant. Quæ ad hanc vsq; ætatem inuiolatè singulo quoq; anno repetuntur. Interea dum hæc in Sicilia geruntur: Carolus Rex, qui tū in Flandria agebat, auditis Siciliæ motibus Didacum Aquilam genere Hispanum Panormum ad tumultuū causā, ordinem, authoresq; explorandos mittit. Is Panormum venit; motuum seriem perspectam Carolo Regi, vt in mādatis habebat, per certum nuntium significat. Quibus cognitis Carolus Siculis per literas imperat, Hugonem vt Proregem excipiant, eundemq; nō secus, ac par est, colant. Didacus literis Caroli receptis statim Petrum Cardonium, qui ad sedandos motus Catanæ inter Hieronymum Gurrerium, & Franciscum Paternionem Baronem Raduſæ exortos petierat, ad se Panormum accersit. Cui aduenienti Regis mandata aperit, ipsum, cæteroq; proceres vt Regi pareant, hortatur. Proceres ad Regi obtemperandū sese paratissimos offerunt: à quo ne antea quidem vel in minima re desciuerant, neq; sanè Hugonem ipsi expulerant. Animaduertendum tamen fore consulunt, ne plebs instabilis, & furore iam percita, atq; Hugoni infensissima ad hostem recipiendum sic repentè cōpellatur. Periculosum id esse, & si postea desitio à plebe exoriatur, Regi ipsi laboriosissimū fore: satiusq; esse rē hanc, atq; periculū cum Carolo Rege conferre, eiusq; iudiciū de ea re præstolari. Didacus probato Procerum consilio Carolum Regē consuluit. Rex literis receptis Hugonem statim, ac Petrū Cardoniū, & Fridericū Abbatellū Comites ad se, vt causa coram discutiatur, accersit, Ioanne Luna Caltabilottæ Comite in Sicilia Præside constituto. Is capto magistratu, & Hugone, ac Comitibus in Flandriā ad Regem profectis insulam prudenter moderabatur, & Bibonam suæ ditionis oppidum, quod à se ad primos Panormi motus desciuerat, & Regi subesse cupiebat, expugnatum direptionibus, & cædibus fœdauit, ac demum in fidem recepit. Interea Hugo, & Comites coram Rege causas suas tuentur, alter in alterum crimen impingunt. Hugo seditionis Panormitanæ Comites, aliosq; Proceres authores facit. Contrà Comites Hugonem tyrannidis, auaritiæ, crudelitatis, luxuriæ criminantur, quibus facinoribus vrbs excitata ipsum expulerit: se, quòd furorem plebis compressérint, nō solum esse commendandos, verum etiam premijs afficiendos instant. Inter huiusce modi disceptationes id constat, Comites Panormitanæ vrbis causam, ac Siculorum omnium motuum fortiter corā Rege tutatos esse. Quibus auditis Carolus

Rex

Rex in hanc demum sententiam deuenit, vt ærario Regio à Panormitanis, & Siculis, siquid detractum in motibus fuerat, rependeretur: authores verò seditionis morte mulctarentur. Ad hæc peragenda Hector Pignatellus Montisleonis in Calabria Comes, militiæ Præfectus, & Siciliæ Præses (abrogato Ioanne Luna) à Carolo Rege deligitur, Hugone, & Comitibus interim in curia detentis. Hector Cal. Maij anno sal. 1517. Panormum venit. Electos, quos sibi plebs præfecerat, abrogat, vectigalia restaurat, non præstita restituit. Marchiones Giracij, & Licodiæ Neapoli proscribit. Viginti incerti nominis viros seditionum authores, morte puniendos sibi reseruat. Postremò cæteris omnibus, & plebi de commissis facinoribus a Rege voce preconis venia indulgetur. Hæc tametsi nonnihil plebs lęta susceperit, proscriptionē tamen Marchionum, Comitum, & viginti virorū custodiam iniquo tulit animo, quæ omnia in Regios, qui Panormi Hectori assistebāt, retŭdebantur. Dū igitur Sicilia in has duas discissa esset factiones, alterā q̄ Hugonī, alteram quæ Comitibus, & cæteris inhæserat, quæ ita inter se mutuis ardebāt odijs, vt altera alterius excidium moliretur, pleriq;, quos vel culpa reos fecerat, vel auaritia & superbia stimulabant, æstuare, res nouas moliri, machinari, atq; in Hugonis studiosos, quorū magna Panormi pars nec sine magistratu aderat, quorumq; opera ea omnia facta esse arbitrabātur, animo furere, ac cōiurare incipiūt. Erat eius coniurationis author Ioannes Lucas Squarcialupus Panormitanus, qui vrbis Iuratus anno superiore fuerat. Is cum plebem exagitatam, atq; ad seditiones procliuem, Carolum verò Regē longe absentem, neq; vllum in Sicilia, neq; in Italia exercitum habentem, nec sanè Hectori suspectum quicq̄ intelligeret, tunc optimam sibi opportunitatem, hostibusq; exitialem sibi oblatam existimans, decædendis illis, opprimendaq; Rep. Panormitana consilium capit. Conuenere cum eo patritij ordinis, Franciscus Barresius, Balthassar Septimus, Christophorus Benedictus, Alfonsus Rosa, Petrus Spatafora, & pleriq; alij, qui ære alieno obstricti tenebantur. Fuere item non modò qui suspicarentur, sed & qui clam palamq; efferrent, Guilelmum Vintimilium Cimiunæ Dominum, vel ob id, quod Hugoni satis erat infensus, huius consilij non ignarum, sed occultius tamen participem. Cæterum plurimi populares, quorum capita Iacobus ab Agrigento, Vincentius Riza faber ferrarius, & Vincentius Zazarus homines perditi erant, huic ipsi incepto cum cæteris fauebant. Igitur Ioannes Lucas Squarcialupus eos omnes non longè a Margana arce ad rus Antonij Vintimilij conuocat. Vbi omnibus arbitris procul amotis, calamitates Regni, vrbis Panormitanæ iacturā, ac damna, Petrum Cardonium, & Fridericum Abbatellum Comites, ab Rege interfectos cōsularium instinctu, & literis enarrat. Quæ omnia eò a Squarcialupo ficta fuerant, vt plebem Comitum studiosissimam ad facinus concitaret, neq; propterea à Rege deficiendum, aut Hectorem Imperio abdicandum, sed fidem vtriq; incorruptā conseruandam aiebat. Cōsulares solum, & Hugonis sectatores, quorum nece Deum propitium, Regemq; ipsum nihil infensum sibi faciebat, de medio tollendos, & Remp. hac via liberandam, ostendit. Vbi finem dicendi fecit, lætā omnium, ac studiosa acclamatio est consecuta. Igitur Regis Consulares, quos, Iudices alios magnæ curiæ, alios à ratione magistros, atq; Aduocatum Fliscalem appellant, cæteroſq; Hugonis studiosos vno eodemq; tempore omnes trucidare constituunt. Dies perpetrando facinori profestus Diuæ Christinæ Panormi tutelaris, quæ. II. Calend. Augusti colitur, locus verò templum maximum, in quo Diuæ illius stata, ac solennia celebrantur, & Vesperarum hora, ad quas Hector cum Regijs, ac cætero magistratu de more curiæ accessurus erat, deliguntur, & inter sacra ipsa, & Aedem tāquam victimas ad cædem singulos designant. Conuentu dimisso, Squarcialupus cuncta parare, multa moliri, insidias tendere, ac sociorum vnumquenq; quotidie non segniter hortari pergebat. Iamq; ferè coniurationis fama

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

totam vrbem tenebat, atq; adeo nō obſcurus rumor percrebuerat. Neq; interim vrbs præſidio muniebatur, neq; vrbis portæ militibus armatis (vt par erat) cuſtodiendæ tradebantur. Sed neglectis remedijs ſegnities tenebat omnes. Fama rei patrandæ vires in dies acquirebat, ita vt nunq; ego mirari deſinerem, cur Hector adeo manifeſtæ, ac propinquæ ſeditioni non occurreret. Illuceſcente præterea profeſto Diuæ Chriſtinæ die Franciſcanus quidam ex eorum familia, quos Ieſuanos Siculi appellant, qui rem a Vincentio Benedicto Chriſtophori Benedicti vnius ex coniuratoribus fratre ſub ſacramento acceperat, clam Hectori cōiuratio nē aperit, & ne ad veſperas de more accedat hortatur, periculūq; exponit. Qua Hector cognita non ad ſacra de more pergit, neq; vrbem præſidijs firmat, nec portas vrbis claudit, cuſtodeſue apponit: ſed intra regiam metu, atq; horrore perculſus cum Conſularibus omnibus ſeſe cōtinet. Erat eo anno vrbis Præfectus, quem Capitaneum vulgò appellant, Ioannes Vincentius Incorberius Miſilindini Dominus, qui & ipſe vulgata iam coniuratione Præfecturam Franciſco Alliatæ ſuo Iudici commiſerat, atq; fuga ſaluti ſuæ conſulens vrbe exceſſerat. Interea iam conſtituta dies, & hora aduenit, iam Squarcialupus cum coniuratis omnibus armis accincti vrbē immunītā, & abſq; præſidio penè deſertam per portam nouam ingrediuntur, atq; ad ædem Diui Iacobi a Maſſara pergunt, vbi curatis corporibus, & ad facinus a Squarcialupo paucis hortati, ad templum maximum ſtatuta hora acceduni, rati Hectorem ibi, & Conſulares ſe reperturos. Sed magiſtratu minimè inuento, vbi ſe deluſos animaduertunt, ira perciti in Paulum Chagium vrbis Archiuarium, virum manſuetum, qui ſacris tum forte intererat, irruunt, atq; inter ſacra ipſa trucidant. Mox per vicum marmoreum ad Regiam domum pergunt. Eram ego tum vndeuiginti natus annos, qui audita vrbis a paucis inuaſione, cœnobio egreſſus vt rem curioſius peruestigarem, ad macelli forum & ipſe perrexi. Eo vt primum applicui, è veſtigio Squarcialupus, Barreſius, Septimus, Roſa, ac cæteri, quorum ſuprà memini, coniurati, qui vix ad viginti duos numerabantur, quorum capita equeſtres, cæteri verò pedeſtres erant, ex Caſſaro ad mercatorum forum, quod Logiam appellant, pergebant, Panormitanos amicos, quoſcūq; obuios habebant, ad facinus ſuſtra inuitantes. Quos cum vidi, obſtupui, eorum auſus temerarios admiratus: qui cum pauci, & inermes eſſent, vrbem tantam inuadere auſi fuiſſent, remq; perridiculam mihi videre ſum viſus, ac multo magis Pignatelli ſocordiam contemplabar, qui vrbem deſertam, prædæq; expoſitam reliquiſſet. Interea Squarcialupus cum coniuratis ad aream maritimam pergebant, mortem Hugonis ſtudioſis editis vocibus comprecantes. Hos ego vt rerum euentum conſpicerem, a longe ſequebar. Eo cum veniſſem, in ædibus Nicolai medici ex eo hominum genere, qui ſagena piſcari ſolent, quæ poſtea in nobiliorem. D. Mariæ cui a Cathena cognomen eſt, templi partem, quam chorum & maiorem tribunam appellant abierunt, Squarcialupum vel magnitudine rei quam erat agreſſus, vel quia plebem longe a ſuis ceptis (quod non putarat) & ſatis alienam vidit, metu exanimatum, ac humi collapſum offendi, cæteris coniuratis non modò animo conſternatis, ſed incerto greſſu amentium more palantibus. Quod cum vidiſſem, tametſi hinc nonnihil miſericordia commouerer, inde tamen Pignatelli ignauiam, ac metum cum meo comite ardentius reprehendere cœpi, qui paucos coniuratos, Duce eorum iam penè exanimi, paruo negotio trucidare cum poſſet, domi ſe contineret, atq; in latebris eſſet. Cæterorum vero primatum nullus in vrbe videbatur: ſed vrbe deſerta, ſuos ſinguli tuebantur penates. Sed Squarcialupus poſteaq; exanimis per horæ ſpatium iacuit, frōte aceto perfuſa, & alijs adhibitis remedijs bonæ valetudinis habitum recuperauit, ac firmitate recepta, equum inſiliens, vix cum viginti coniuratis, quorum maior pars pedeſtris erat, ad Regiam domum, quæ Doana eſt hodie, hora diei. 22.

acceſsit

acceſsit. Pignatellum editis vocibus ab area appellat, Comites a Rege trucidatos mentiendo queritur, ac Conſulares, & Iudices, qui ſecum in regiam ſe receperant, authores illorum necis, vel ob idipſum ad mortem expoſcit. Cui Pignatellus è feneſtra reſpondens, Comites viuere, vtq; paci ſtuderet, edixit. Cumq; Squarcialupus repetitis vocibus identidem, vt plebem, quæ Comitum erat ſtudioſiſsima incenderet, congeminaret, & Pignatelli monita fruſtra audiret, Hectore eo relicto, ſeſe a conſpectu eripiens in ædium penetralia recepit. Plebs quoq; vbi manifeſtè coniuratos vrbem tenere, nullumq; ad obſiſtendum, parteſq; Regis tuendas acceſsiſſe videt, ſimulatæ Comitum necis vlciſcendæ, ac prædæ auidæ cum tertia noctis hora proceſsiſſet, ad Regiam armis accincta concurrit. Regiæ igitur foribus igne iniecto, ac magna vi effractis, coniurati ingrediuntur, ſcalas aſcendunt, ac Pignatellum primum ſeruato decore Regio capiunt, extra Regiam egredi iubent, atq; ad Palatium alterum Regium, quod in vertice vrbis ſitum eſt, mittunt: mox Regię penetralia peruestigãt, Nicolaum Cannarellam, patria Palazolienſem, Syracuſanum incolam, & Ioannem Thomam Paternionem Catanẽſem Iureconſultos, duos ex magnæ regiæ curię Iudicibus reperiunt, ac ſtatim cæſos, & veſte nudatos è feneſtris in aream præcipites deijciunt, plebe telorũ cuſpide eos excipiente: ſpectaculũ ſane horrendum, immane, nouum, atq; ob crudelitatem ab amicis, aduerſarijſq; iuxta damnatum. Poſt hos Gerardum Bonannum a ratione magiſtrum ſordida veſte amictum, ac ruſticum ſimulantem per poſticum Regia clam egreſſum, ac pedeſtrem fuga ſalutem ſibi per domos vicinas quærentem corripiunt, abſciſsisq; pudendis crudeliſsimè necant. rarũ profecto, ac pæne inexcogitatum ſæuitiæ genus: ſtatimq; ad regiam prædandam plebs omnis conuertitur. Hæc nocte illa miſerè ſunt patrata. Illuceſcente verò Priamum Capozium Lilybitam Iuriſconſultum, ac Poetam non contemnendum, quem Aduocatum Fliſcalem vocabant, duos quæſitum dies, tandem non longe ab æde D. Ioannis a Tartaris in domo cuiuſdã mulierculæ inuentum, totaq; vrbe raptatum, ac pluribus confoſſum vulneribus occiderunt. Blaſcum Lanzam Catanenſem iuris item peritum inſignem, vel ob id, quòd Hugonis cauſam obnixè coram Rege contra Panormitanos, & Comites tutatus fuerat. ardentius etiam per latibula & ſepulchra cœnobij D. Dominici perquiſitum cum non reperiſſent, plura ibi diripiunt, ac præſertim pretioſam Hugonis ſupellectilẽ. Ferdinãdo Falco Theologo, ac cœnobij illius Priori creditã pdantur. Blaſci deinde ædes, ac bibliothecã incendunt. Ioannes Luna Calatabilottæ Comes audita vrbis coniuratione ſibi timens vel ob id, quòd Hugonis etiam partes ſecutus fuerat, Panormo cum filijs egreſſus in Alcamum oppidum, quod Panormo. 30. p. m. abeſt, ſe recepit. Poſt hæc cõiurati cuſtodes addiderunt, vt ſtudioſi Hugonis, qui euaſerant, interciperentur. Hæc cum in reliquis Siciliæ ciuitatibus, & oppidis nuntiarentur, animos hominum ad conſimilia peragenda excitarunt. Nam Catanæ inter Hieronymum Gurrerium, & Franciſcum Paternionem Raduſæ Baronem magna diſſenſione exorta, tota ea vrbs in ſeditionẽ abijt. Agrigenti quoq; inter Petrum Monteapertum, & Balthaſſarem Naſellũ Thomiſi Dñm, ac plures populares adeo exarſit ferocia, vt inſigni Petri æde, ac lapide quadrato extructa igni combuſta, finẽ habuerit. Drepani inter Simonẽ Sanctũ Clemẽtẽ, & Iacobũ Fandellũ eædẽ rixæ exortæ vrbẽ in duas factiones crematis etiam Iacobi ædibus diuiſerunt. Thermitani Himerenſes non ſolum magnos in oppido motus excitarunt, ſed eodem quoq; furore perciti ad Trabiã arcem, quæ Blaſci Lanzæ ditionis erat, progreſsi arcẽ, agros, ac cũcta fœdarunt incendijs. Hæ itaq; vrbes fœdera cum coniuratis ineunt, oppidanos ſocios ſibi aſciſcunt, noua moliuntur. Sola Meſſana huius calamitatis expers fuit. Nam Meſſanẽſes ira eorum vrbem in fide continuerunt, vt nihil omnino iniquè in ea ſit perpetratum. Dum hæc Panormi geruntur, fœda, ac planè deploranda vrbis facies cernebatur,

nebatur. Nam ius, legesq; iam planè refrixerant, auaritia, rapinæ, superbia vrbē inuaserant. Quicunq; præterea impudicus, adulter, gaueo, latro, sacrilegus, vel qui alea, manu, ventre, pene patrimonium dissipauerat, quiq; alienum es conflauerat, quo flagitium, aut facinus redimeret, præterea omnes vndiq; parricidæ, sacrilegi, conuicti iudicijs, aut pro factis iudicium timentes, ad hæc & quos manus linguaue periurio, aut ciuili sanguinē alebat, postremò omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Scorcialupo, & coniuratoribus proximi, ac familiares erant, & de ciuitatis magistratu, rerumq; omnium mutatione cum eo tractabant. Vbiq; hominum popularium agmen, armis, telisq; accincti astabant, & (quod nulli, nisi nobis, qui hæc vidimus credibile est) nihil sibi reliqui non ad prædam, non ad crudelitatem fecere, sacra, prophanaq;, diuina, atq; humana omnia in promiscuo, nihil pensi, neq; moderati habebant, publicè, impuneq; rapere, delubra spoliare, sacra prophanare, ac polluere licebat. Erano eo tempore Panormi germani fratres duo Franciscus, & Nicolaus Bononij, viri Principes, cum Squarcialupo affinitate coniuncti, qui statum hunc Reip. plurimū perhorrebant, cumq; priuatas inimicitias gererent, fidissimos secum milites ducere solebant, Hi cum vrbem ad prædam relinqui in dies conspicerent, Squarcialupum sæpius admonuerunt, ne tam fœdè patriam opprimi a seditiosis permitteret. Quibus ille, ea omnia ad hostium terrorem, & sociorum obsequium facta esse respondit. Cumq; id malum in dies latius serperet, Pignatellus, agentibus etiam coniuratis, Guilelmum Vintimilium Ciminnæ Dominum, quem coniurationis participem fuisse vulgi fama prædicabatur, Præfectum vrbis ad sedādos scelestorum ausus instituit. Interea coniurati postq̄ vrbe sunt potiti, tot demum successibus freti ad oppugnandam maritimam arcem animos adijciunt, rati si venia ab Rege non impetrata ab illius Imperio desisterēt, & se tueri in ea arce facilimè posse, & mœnibus: quòd quibusdam figmentis, commentisq; plebem iam motibus agitatam, & ad noua molienda præcipitem ad tantum facinus impellere sese arbitrabantur. Indictus est itaq; ab eis dies concionis festus Natiuitatis Mariæ Virginis: qui dies est 6. iduum Septembris. Locus ad ea omnia decernenda deligitur templum Annunciatæ, quod è regione cœnobij Sanctæ Zitæ, & intra vrbis mœnia ad portam Sancti Georgij situm est. in eius ampla porticu, vbi sacra concio haberi solet. Dum in hoc rerum turbine res essent Panormitanæ, Pompilius Imperatorius, Franciscus Bononius, Nicolaus Bononius eius germanus frater, Petrus Afflictus, Alfonsus Saladinus, Hieronymus Imbonettus viri patritij, cum exhaustam iri propemodum vrbem animo cernerent, labāti patriæ succurrere cupientes, seditionis authores de medio tollere statuunt: neq; id tamen absq; Pignatelli cōsilio gerere audent. Cum Pignatello igitur rem conferunt. Sed ille, vt natura meticulosus erat, facinus dehortatur, vel certè non nisi maximo consilio amplectendum esse respondet. Mox illi subiungunt, vt fidos, quos in vrbe haberet eis socios adderet. Cumq; Pignatellus nullos se habere respondisset: illi eum, vt Guilelmum Vintimilium Ciminnæ Dominum, & quem iam vrbi præfecerat seditiosis acceptissimum accersiret, illiq; rem hanc committeret, admonent. Huius audito nomine Pignatellus obstupuit: cum ille seditiosorum hominum longè studiosissimus haberetur. At Pompilius, qui, vt a quibusdam suspicatum est, rem iam cum Guilelmo prius tractauerat Pignatellum, vt ea suspicione omissa virum ad se accersat, atq; cum eo cuncta componat, hortatur, orat. Pignatellus his verbis animo erectus, Guilelmum ad se clam vocat: in quo discrimine vrbs esset, aperit, gloriam nominis, patriæ libertatē, præmium Regis, simul & veniam criminum omnibus proponit. Guilelmus paratissimū se ad oia offert, egregium facinus, etsi arduum quidem, se aggressurū promittit. Interea cōcionis dies appropinquabat. Quo Pignatellus motus, proceres vt cautè sibi consulant, monet. futurum enim vt coniurati

rati Proceres omnes ſibi aduerſantes cædant. Quo cognito proceres maturare facinus pergunt,atq; in ipſo concilio ſeditioſos de medio tollere ſtatuunt. Iamq; proximus rei patrandæ, cum hæc agerentur,aderat dies. Coniuratores ex altera parte conſilia parare,vota, ſuffragiaq; exquirere, Pignatellum ad idem hortari, vt Reip.ſtatũ in meliorẽ formã cõſilio reduci pateretur,nõ deſinebãt.Pignatellus ſimulato ore ad oĩa ſe prõptum coniuratis exhibet. Verum hinc à Squarcialupo paratis omnibus ad concilium prima luce congregandum oportunis, & inde à Guilelmo ad coniuratos ibidem cædendos: nocte ſequenti Pignatellus veritus ne fortuna rei gerendæ non faueret, clam naui aſcenſa Panormo Meſſanam verſus diſceſsit. Illuceſcente cognito Pignatelli diſceſſu, magnus in vrbe tumultus exoritur.Squarcialupus eum palàm criminatur,fœdifragum appellat, quod geſta in concilio decernenda approbaturum ſe ſpopondiſſet, nunc verò clàm diſceſſerit: vrget tamen ſocios, vt nihilominus concio habeatur. Plebem igitur aduocat:quiſq; ad ædem Annuntiatæ vt pergat,ſolicitatur. Guilelmus idem, & cæteri ſimulant: coniuratores hortantur, vt concilium accelerent, vrbi regendæ ne ad peiora quoq; relabatur modum imponant, animo interim ad facinus gerendum inhiãtes.Igitur ſub lucem diei octaui Septembris Squarcialupus, Alfonſus Roſa, Chriſtophorus Benedictus coniurati, atq; ex plebe ſexcenti propè viri ad ædem Annuntiatæ,atq; ad eam partem, vbi concio ſacra haberi ſolet, accedunt.Guilelmus item Vintimilius,Franciſcus,& Nicolaus Bononij,Pompilius Imperatorius, Alfonſus Saladinus,Imbonettus,Afflictus,& cæteri eiuſdem factionis adſunt. Hi dum cæteram nobilium multitudinem, & ſimul plebem veſanam præſtolantur: Iacobus Cribellus Caccamenſis Dominicanus Diuæ Zitæ cœnobij ſacerdos miſſam celebraturus ad aram acceſsit.Coniurati ad dexteram columnam proximiorem hærebant, & non procul inde Guilelmus cum confœderatis. Vix ſacerdos rem diuinam inchoarat, cum Guilelmus dato ſigno ſocios ad facinus aggrediendum hortatur. Tum repente omnium primus Nicolaus Bononius enſe euaginato in Chriſtophorum Benedictum irruens ipſum occidit, quem deinde Pompilius ſecutus Squarcialupum aggreſſus, cum eum thorace amictum reperiſſet,pugione confodit.Petrus Afflictus ante ora cum Alfonſum genuflexum haberet, interfecit,nec minus cæteri ſocij nudatis gladijs contra rebelles, proditores, & latrones,pro Rege,pro patria,pro liberis,pro aris,pro focis audendum, atq; dimicandum editis vocibus ingeminabant. Ita coniuratores dignum moribus,factisq; ſuis exitum vitæ inuenerunt.Trucidatis in templo his tribus, qui ſoli ex cõiuratoribus eò tum conuenerant,è veſtigio Guilelmus equum paratum aſcendẽs ad vicorum anguſtias tuendas procurrit,cæteros coniuratos, & plebem cohibiturus, vitamq; Regi, & Reginæ, Reip. verò hoſtibus mortem editis vocibus comprecatus,quem pedeſtres Pompilius,Imbonettus,Saladinus,Afflictus,& Bononij ſequebantur, quibus Hercules Infuxa arcis maritimæ Præfectus cum pluribus militibus Hiſpanis obuiam ex arce egreſſus animos plurimum auxit. Vulgata Squarcialupi cæde ignara plebs animo ſuſpenſa nihil noui moliebatur, ſed anxia quærebat, ac Squarcialupi necis authorem admirabatur,cum paſsim per totam vrbem Guilelmus eius ſtudioſiſsimus obequitaret. Inter eundum Vincentium Rizam fabrum ferrarium plebeium ex coniuratis vnum obuium ad ædem Diui Petri martyris habent, quem ſtatim occidunt, ſubinde aream maritimam petunt. Vbi Franciſcum Barreſium ex coniuratis nobilibus primarium armatura indutum fortè offendunt: in quem cum Regij irruere vellent, ob datam ei à Guilelmo fidem in arce maritima carceri traditur. Subinde Albergariam concedunt: ibiq; Petrum Spataforam ex coniuratis vnum inuadunt: ſed ille equo ſtimulato celeri fuga ſalutem ſibi extra vrbem quæſiuit. His geſtis cæteri coniurati metu perculſi, & animo fracti ſimili fuga

ſibi quoq; conſulunt. Guilelmus poſt hæc & ſocij bellica inſtrumenta ex publico armamentario proferunt, eaq; in Regiam domum aſportari iubent, ibi ſeſe tuentur, eam plurimorum militũ præſidio muniunt, ac milites, cuſtodeſq; per vicos ne ſeditio aliqua oriatur, diſtribuunt, eos quoq;, quos futuræ ſeditionis ſuſpectos habebant, capiunt, & in carcerem tradunt. Sacerdos, qui rem diuinam coniuratorum nomine facturus erat, repentina illorum cæde exterritus non modo a celebrando deſtitit, ſed die octauo terrore intra viſcera coacto mortem oppetijt. Trucidatis coniuratoribus per certum nuntium Pignatello Meſſanæ agenti Guilelmus, ac cæteri ſocij proſperum rerum euentum perſcribunt. Quo Pignatellus cognito peditatus Hiſpanorum militum milia quinq; Ferdinando Larcona Duce, equitatus vero circiter mille exercitum, quos Ioannes Iuarra Potentiæ Comes ductabat, Neapoli ad ſe accerſit. Igitur in excidium ſeditioſorum ob regiæ maieſtatis contemptum acrius animaduerſus copijs munitus Meſſana mouet, Randatium oppidum pergit: vbi ſeditioſos plures morte mulctauit. Catanam poſtea profectus portam vrbis clauſam ter ictu enſis ferijt, vt vi à ſe captam oſtenderet. Vrbem ingreſſus in Franciſcum Aſmarium, Matthæum Tortoretum, Ioannem Arenam capitis pœna animaduertit: plebei verò generis viros viginti duos furca ſuſpendit: multos capite damnauit, nonnullos proſcripſit. Thermas ſubinde venit, ac demum Panormum: vbi Franciſcum Barreſium, Bartholomeũ Squarcialupum Iureconſultum, & Ioannis Lucæ germanum fratrẽ, & Iacobum Squarcialupum capite plexit, illorum ædibus ſolo æquatis, quarum quædam adhuc quoq; proſtratæ iacent, & bonis Regi addictis. Hieronymum Faſſarum, Vincentium Zazarum, Iulium Ianſiccum cum triginta ferme plebei ordinis ſeditioſis furca ſuſpendit. Peditatus, & equitatus Hiſpanorum ad Siculos coercendos, ne noua aliqua vlterius molirentur, Thermas Himerenſes vrbem plures menſes incoluit, ac poſtea Marſalam, quam prorſus eorum diutina habitatione exhauſtam cum reliquiſſent, Carolus Rex paulo poſt militiæ vacationẽ, & plures immunitates, quo celerius reſtitueretur, ei conceſsit. Tum Petrus Cardonius Goliſani, & Fridericus Patella Cameratæ Comites à Carolo Rege liberantur. Pignatellus Siciliæ Prorex conſtituitur. Pompilius, Saladinus, Bononij, Afflictus, & cęteri, qui coniuratores interfecerant, muneribus decorantur. Hoc pacto motus Siculorum, quos vidimus, poſt annos tres, & menſes ſex ſunt ſedati. Nec diu pòſt Hugo Montecatinus, claſsis Regiæ anno ſal. 1519. Præfectus deligitur, & menſe Decembri cum Didaco Dauera &. 12. Hiſpanorum milibus Marſalam venit, vbi per totos menſes ſex, amiſſa magna exercitus parte, & oppido diſiecto, redintegrato ex Italis exercitu, Gerborum inſulam æſtate magna vi aggreſſus ad deditionem Sarracenos, ac ad annuũ. 12. m. aureorũ tributũ Carolo regi perſoluendũ cõpulit, & paulopòſt Neapolitanus Præſes inſtitutus Franciſco Gallorum Rege Neapolim Duce Lutrecho anno ſalutis. 1528. obſidente dum cõtra Francicas triremes ſua claſſe fortiter dimicat, occubuit. Petrus Cardonius antea ad Papiã cõtra Franciſcum Gallorum Regem pugnans plumbea pila tormento excuſſa in oculo percuſſus occiditur. Sed Friderico Patellæ Comiti quid aduerſi acciderit, libet hic cauſis paulò altius repetitis enarrare. Sedatis in Sicilia eo pacto motibus non diu pòſt quorundam ex eo tempore exorta contra Regem coniuratio anno ſalutis. 1523. patefacta eſt: quæ his initijs cepit. Exulauerant Sicilia Ioannes Vincentius, Fridericus, & Franciſcus cognomẽto Imperatorij Panormitani germani fratres, genere clari, ſed Ioannes Vincentius, & Fridericus ob Scorcialupi ſeditionem, Franciſcus verò ob inflictum Ioanni Cangeloſo conterraneo ſuo vulnus. Cumq; a Carolo Rege nihilominus in patriam reditum impetrare potuiſſent, Romam ad Cæſarem alium germanum eorum fratrem Pompeio Columnæ Cardinali obſequentem conueniunt, rati eius tum conſilio, tum auxilio ſe finem exi-

lio

lio impoſituros. Sed cum fruſtra aliquandiu ob id laboraſſent, animo à Carolo Rege alienati Siciliam Franciſco Gallorum Regi Marci Antonij Columnæ copiarũ Franciſci Regis in Italia Ducis auxilio tradere conſtituunt. Venerant Romã per id tempus ex Caroli curia Nicolaus Vincentius Leofantus, Siciliæ Theſaurarius, & Ioannes Sanctus Philippus Panormitanus Legatus: quos facile Ioannes Vincentius Imperatorius ad ſui facinoris conſilium pertraxit. Hi ſimul omnes Marcum Antonium, qui tum forte Romæ agebat, adeunt, rẽ proponunt, cunctaq; cum eo ad facinus oportuna componunt. Sed cum re nummaria ad rem tranſigendam & pro claſſe paranda ſimul, & copijs inſtruendis indigerent, Ioannes Vincentius Imperator, & Nicolaus Vincentius Leophantus in Siciliam nauigant. Quam cum Squarcialupo, & cæteris ſeditioſis occiſis, ſedatiſq; motibus, quibus hi longè plurimum fidebant, pacatam inueniſſent, animo deijciuntur. Interea quoq; Leone decimo Romano Pont. qui Franciſci Regis ſtudioſus erat, cuius quoq; ſuppetijs ad rem patrandam coniuratores nonnihil confidebant, ad Carolum Cæſarem inclinante, & Marco Antonio Roma ob id Fraſcatum oppidum non longè ab vrbe diſtans, quod ſuæ ditionis erat, petente, coniurati ſpem omnem amittunt. At cum paulopòſt Iacobus Spatafora Meſſanenſis ex Proceribus vnus Romam veniſſet, Cæſar, & Franciſcus rem ei credunt, quem ad ſe facilime pellexerunt. Hoc ſocio rurſus animis eriguntur, Marcum Antonium aſsidue pulſant, Panormum, ac Meſſanam vrbes Siciliæ Principes illi offerunt. Marcus his auditis Franciſco Regi rem ſcribit. Cui ille poſt receptum Mediolanum, quod paulo antè duce Leone ab eo ad Carolum deſciuerat, claſſem contra Siciliam ſuis ſe auſpicijs paraturum pollicetur. Interea cum Rex Carolus Ioannis Vincentij, & Friderici Imperatorij iam exilio finem impoſuiſſet, Panormum hi duo redierunt. Cæſar igitur firmatis cum Marco Antonio rebus Panormum venit, Friderico fratri Theſaurario & Nicolao Vincentio, & Hieronymo Leophanto illius germano fratri, & Gaſpano Pipi Agrigentino populari quæ cum Marco Antonio firmauerat, credit. Friderico quoq; Patellæ Camaratæ Comiti cum res Theſaurario referente non ignota eſſet, facile eum aſſenſum vel ob id aiunt præbuiſſe, quòd cum Comitatus Motycę ius ſibi ex Manfredi Claromontani filia, & Ioannis Patellæ ſui ataui vxore debitũ pluries a Ferdinando Catholico Rege popoſciſſet, nunq̃ ſibi ob Admirati Caſtellæ iure vxorio Motycani Comitis cum Rege affinitatem, ius ſibi factum fuerit, ſperabat facta defectione à Francorum Rege Comitatum ſeſe adepturum. Per hunc modum patefactis rebus, & cunctis adſtipulantibus conſtitutum eſt, vt claſſe Frãcica in conſpectum Panormi expoſita Hiſpanos omnes milites, qui in ea vrbe tũ erant, excitata plebe interficerent. Sed rebus paratis fortuna non arriſit. Nam paulopòſt. M. Antonio è viuis ſublato omnia ſunt turbata. At Cæſar Imperatorius Roma reuerſus, & Pyrrhucium Iuenium Catanenſem nobilitate præclarum, ingentis ſpiritus adoleſcentem qui pro Marchionatu Caſtri Leonis cum ſuo gentili litem apud Romanam curiam gerebat, offendit. Hunc igitur cum Franciſco fratre, & Iacobo Spatafora, qui adhuc Romę erat, aggreditur, rem aperiunt, tandemq; eum in facinoris ſocietatem trahunt, atq; Frãciſcum ipſum Imperatoriũ, ad Regem Gallię nuntium mittunt, eiq; Panormum, Meſſanam, & Catanam offerunt. Igitur Franciſcus Imperatorius anno ſal. 1522. 6. id. Maij cum literis Volaterrani Cardinalis Regis Gallorũ ſtudioſiſsimi, & Nicolai Renzi Regis eiuſdem à ſecretis cum Ioanne Hieronymo Cardinalis ipſius familiari in Galliam proficiſcitur, Siciliam Regi offert, claſſemq; cum Duce Italo, & pro comparandis militibus tria aureorum milia poſtulat. Rex maximo bello, quod pro repetendo Mediolano cum Carolo Cęſare gerebat, implicitus, rem in aliud tempus differendã reſpondit, eiq; ducentos aureos prò commeatu dari iuſsit. Dum hęc in Gallia cum Rege Franciſcus agit: Pignatellus in Sicilia pro nummario regio munere

quod

Digitized by Google

quod tertio quoq; anno Insula Regi iam pridem dare consueuit, conuentum cum Proceribus Regni Panormi habiturus aulam regiæ domus parauerat. Quo motus Fridericus Patella Cameratæ Comes, vt Siculorum beneuolentiam sibi conciliaret, eorumq; animos ad se deflecteret, palam non a plebe, sed proceribus vectigal id Regi persolui debere sibi videri predicabat. Adhærebant Friderico Comiti Nicolaus Vincentius Leophantus Thesaurarius, Fridericus alter Patella Cephalæ Dominus, pluresq; alij Proceres. Quo rescito Pignatellus veritus ne infecta res demum euaneseeret, soluta aula regia, conuentum a Panormo ad Messanã transtulit, vbi sperabat rem ad votũ magis succesſuram. Publicato igitur Messanæ conuentu, eoq; Proceribus omnibus, quos Barones vocant, & vrbium, ac oppidorum Legatis conuenientibus, Fridericus quoq; ipse Comes magna stipatus cateruа illuc perrexit. Vbi cum in aulam Regiam peruenisset, vnà cum Thesaurario Nicolao Vincentio Leophanto statim nihil tale metuens comprehensus, vinctusq; à Pignatello vt seditiosus nauigio impositus, ac Neapolim deportatus arcto carceri in arce noua traditus est. Capto Friderico Pignatellus in conuentu a Siculis vectigal de more impetrauit. Dum hæc in Sicilia geruntur: Romæ Franciscus Imperatorius rursus à Cæsare germano fratre, & socijs, qui iam animo Siciliam Fráciſco Regi tradere cõstituerant, ad Regem mittitur, Verum ante discessum Petro Augello Siculo sibi coniunctissimo, ille item Cæsari Graphæo conterraneo meo nobili viro rem credit. Sed Graphæus, & Augellus proditionem statim spe muneris allecti Suessano Duci Caroli Cæs. apud Leonem. 10. Romanũ Pontificẽ oratori indicant. Interea Franciscus Imperatorius cum literis coniuratorum Roma ad Gallũ Regẽ iter ingressus, Castellũ nouũ. 18. p. m. ab vrbe distans oppidũ anno sal. 1523. mẽse Aprili venerat, vbi paulo postab insidijs sibi a Duce Suessano paratis intercipitur. Captus authores germanos suos, sociosq;, ac ordinẽ statim Duci cõfitet. At Cæsar germanus eius frater q. Cardinali Columnẽsi adhuc Romę obseque batur, vbi hæc resciuit, sibi consulens fugã maturè arripuit. Suessanus coniuratione accepta Franciscum cathenis vinctum Neapolim primùm, deinde ad Pignatellum in Siciliam deferendum curauit. Franciscus Roma discedens Claudium Imperatorium ex Ioanne Vincentio fratre nepotem spurium Panormum ad germanos de sua captura admonendos, & ad vrbem seditionibus commouendam destinat. Claudius rusticum mentitus Panormum secundo vento nauicula speculatoria quinq; dies anteq̃ hæc Pignatellus cognosceret, applicat, capturamq; Frãciſci Imperatorij auunculis defert. Quo cognito Fridericus, & Ioannes Imperatorij, ac cæteri coniurati fugam capessunt. Pignatellus acceptis Suessani Ducis literis, & facinore cognito Nicolaum Vincentium Thesaurarium, & Franciscum ipsum Imperatorium Messanam ad se deportari iubet. Qui statim vt appulerunt, rem omnẽ, & coniuratos indicarunt. Pignatellus mox reliquos, qui iam fuga sibi consuluerant, intercipere annititur. Capti omnes præter Pyrrhuciũ Iuenium, & Hieronymum Leophantum coniurationem omnem vi tormentorum confessi sunt. Igitur Fridericus Imperatorius, Ioannes Vincentius eius frater, Ioannes Sanctus Philippus, & Iacobus Spatafora Messanæ. 16. Cal. Iunij anno sal. 1523. parato in area maximi templi theatro, & publicata eorum coniuratione vltimo supplicio sunt addicti, & mox ad forum. D. Ioannis ducti suffocati, atq; in frusta dissecti sunt. Quo die Vincentius Benedictus ob auxilium, quod fugienti Friderico Imperatorio dederat, & Claudius Imperatorius ob delatum auunculis nũtium exilio apud Xatiuã relegatorum in Regno Valentiæ formidatam arcem sunt mulctati. Eodẽ quoq; Theatro Nicolaus Vincẽtius Thesaurarius, Fridericus Cephalæ Dominus, & Franciscus Imperatorius tametsi capitis pœna damnati, trucidati tamen non fuerũt, sed eorũ mors ad Cameratæ vsq; Comitis e Neapoli aduentum delata est. Interea peste Messanæ sæuiente Pignatellus cum curia. 8. Cal. Iulij Mylas secedere cogitur.

Digitized by Google

cogitur. Vbi dũ ageret, Fridericus abbatellus Comes, Neapoli vinctus adductus, etsi facinus primum negauerit, tormentis tamen actus descitioni se, & tractatui consensum præbuisse, ac Frãciscum Impironem Barchinonensem Regis: Quæstorem, qui ei in Portulanatus munere, quod Comes exercebat, satis fuerat infestus, Neapoli Romam proficiscentem per Petrum Spataforam, & Andream Susinnum interfecisse affirmauit. Verum cum postea ad supplicium producendus sacramento confessionis auricularis Fratri Ioanni Falco Dominicano pijssimo, ac religiosissimo viro piacula sua de more detegeret, negauit se perduellionis crimini vnq; consensisse, quod etsi tormẽtorum vi, quæ sustinere diutius non poterat, longè a vero, ab se excussum dixisset, vltimo tamẽ supplicio æquo iudicio ob patratã solũ a se Frãcisci Impironis necẽ addictũ fuisse (id Ioanne Comitis iussu Proregi, & populo palam, sed frustra enarrante) asseruit. Igitur. 6. id. Iulij eiusdem salutis anni 1523. parato ad forũ Mylarũ oppidi theatro, Comes morti addictus, sed in altero theatro postea ante maximum templum capite plexus, & perduellionis pœna damnatus, in æde. D. Francisci de Paula absq; capite tumulatus est: Nicolaus Vincentius Leophantus, & Franciscus Imperatorius laqueo suffocati, & in partes dissecti sunt. At Fridericus abbatellus Cephalæ Dominus ob inconstantiam verborum, & incertam suæ confessionis fidem, morte eo die non est plexus, sed paulo post apud Pactas vrbem. 18. Cal. Aug. eiusdem anni vltimum ipse quoq; supplicum pertulit. Quorum omnium capita ad iustitiæ sæuerioris exemplar, ad verticẽ Regiæ Panormitanæ domus, a Pignatello laternis affixa, etiam hodie cernere licet, eorum bonis omnibus Regi adiudicatis. Interea Pyrrhucius Iuenius, qui intra Francofontinæ arcis latebras, Ferdinandi Montecatini vxoris germanæ suæ ope sese decem & octo menses continuerat, cognita tot Procerum cæde, veritus ne & ipse in Pignatelli potestatem veniret, salutem sibi fuga extra Siciliã quærere statuit. Igitur nauem in portu Augustano paratam inscendit, verum ab insidijs paratis exceptus, carceri traditur. Capti mox, & exilio mulctati, Ferdinandus ipse Mõtecatinus, & Ioannes Baptista Barresius Militelli Dominus Pyrrhucij auunculus, vel ob id, quod ei ad fugam auxilio fuerant. Ioannes Baptista verò in arce maritima Panormi morbo præreptus interijt. Pyrrhucius omnibus tormentis actus ex cruciatusq; nihil eorum, quæ sibi opponebantur, confessus, tandem mirante tota Sicilia, ac non modicis eum laudibus efferente, quòd solus, atq; adolescens inter tot regulos perduellionis sibi obiectum crimen negauerit, liber dimissus est. Hũc igitur Siciliæ turbines, quos Caroli Regis Principatus initijs nostra vidit ætas, finẽ habuerunt. Sed iã ad ipsum Carolũ redeo, qui Gandani vt diximus natus est ex vetustissima Austriæ domo, quæ inter Regias, Imperatoriasq; familias, primas obtinere censetur. Igitur Carolus statim a puero, sub præceptore Hadriano Florẽtio Belga, viro religiosissimo, & Theologo insigni, qui post Leonẽ. x. Põtificatum Maximum adeptus, Hadrianus sextus est appellatus, moribus & literis quasi diuinitus traditur imbuendus, qui futurus erat totius orbis Maximus Imperator. Adolescentior deinde factus, cum vix attigisset decimum & septimum annum Ferdinando Materno auo natura cædente, ex Belgis vbi eo tempore ipse erat, per Oceanum in Hispaniam deuectus, auita Regna adipiscitur. Post hæc Maximiliano Cæsare apud Velsium, Noricum oppidum, defuncto, septimo ab eius interitu mẽse, ad. 18. Calend. Iulias, Imperatorijs Comitis Franckfordiæ in Germania de more habitis, a septem Imperij suffragatoribus concordi studio Carolus, vndeuigesimum ætatis annum agens, Francisco Francorum Rege competitore posthabito, Romani Imperij Rex, ac Cæsar delectus est. Comitijs expletis, Fridericus Bauariæ Dux electorum nuntius, mox e Franckfordia in Hispaniam, vbi Carolus tum agebat, concessit, Carolum, Cæsarem designatum indicat, pronuntiatq;, Hispanis mirum in modum congratulantibus, vel ob id præsertim, ꝙ ante hunc, Hispaniæ

Regum

Regum nullus Romani imperij sceptra gesserat. Subinde Carolus, rebus in Hispania compositis, & Hadriano Florentio Cardinali Præside ibi relicto, Mense Maio Anno salu. 1520. Classe Regia, ex Hispania in Germaniam delatus, & Aquis granum veniens, ab Archiepiscopo Colonienſi 12. Calend. Octobris, in Cæsarem de more inungitur, atq; in templo Maximo Diuæ Virgini sacro prima corona insignitur. Imperij sui initio inter cætera, quæ eius animum subiere, illa vna cura fuit, vt Ciuitatum omnium, ac procerum qui ei parebant Imperij conuentus haberetur, vt seditiosissimas Martini Lutheri Augustiniani ordinis factiones, contra religionem nuper exortas, damnaret. Idcirco Coloniam reuersus, Vuormartiæ habito cum principibus Conuentu, eas nouitates abhorrens, perpetuo exilio profligauit. Interea Dum Carolus in Belgis agit, Hispani populi, ob inexplebilem Ceurij Belgæ, Regio nomine cuncta administrantis auaritiam, tumultu exorto, ad arma consternantur, atq; palam ab authoritate Regiorum desciscunt, & vsq; adeo bello exardent, vt Vrbs Medina campi, tota pene ab eis igne sit absumpta. Sed consurgentibus Regijs, coniurati ad Alarium oppidum magna vi expugnantur, capto cum socijs Ioanne Pedillo eorum Duce, publico supplitio mulctati sunt. At Maria Pedilli vxor, virilis animi mulier, coniugis mortem vltura vexillo illius sumpto seditiosis se Ducem præbuit, atq; gerendo bello animos restituit. Quibus tandem magna armorum vi repressis, Hispaniæ Hadriani Florentij Cardinalis opera tranquillitas est redita. Dum hæc in Hispania geruntur, Franciscus Francorum Rex ob Imperij repulsam, liuore in Carolum Cæsarem tactus, in Hispanos & Flandrenses bella simul mouet. Ad quæ coercenda Carolus, soluto Conuentu Brabantiam adijt, coactoq; illic numeroso exercitu, relictoq; Ferdinando Fratre, Imperij Vicario, classe in Hispaniam anno salu. 1521. reuertitur. Aegre tulerunt id Germani, & miris modis (suggerente etiã Francisco Rege) inter sese passim dissidere cepere, plebe in clerum, & nobiles insurgente. At Carolus neq; propterea, a Franco reprimendo, destitit: sed de eo Mediolanensi principatu, ac tota Italia pellendo, cum Leone. x. Pontifice Maximo, grauissimis de causis a Francisco animo alienato, agere cepit. Igitur Carolus Cæsar: & Leo. Pont. his conditionibus fœdus contra Regem percutiunt, vt comunibus armis omni Italia eum pellant, Placentia & Parma, quæ ioris erant Pontificij, Ecclesiæ restituantur, Franciscus Sforcia Ludouici Mediolanensium olim Ducis filius, cui de iure insubrum Imperium contingebat, expulso Rege, Imperio restituatur. Ita coniunctis viribus contra Francos Bellum ad Mediolanum dirigitur. Tuebantur eo tempore Regis partes apud insubros Germani fratres duo, Franci genere, Odethus Fusius, ab oppido Lautrecho (quod sui iuris erat) cognomen habens. Et Thomas Fusius, ab oppidulo, cui in Aquitania præerat, Ieitunus appellatus, quorũ infando dominatu magnis odijs insubres in Frãcos ferebantur. Hærebant etiam Regi Marcus Antonius Colunna, & proceres complures, cum Heluetiorum non contemnenda manu, & Venetorum exercitu insigni, quem Theodorus Triuultius ductabat. Pro Carolo Cæsare Prosper Colunna in exercitu imperabat, quem sequebantur, Ferdinandus Dauals piscariæ Marchio. Alfonsus item Dauals vasti Marchio, Petrus Cardona siculus Guliſani Comes, Antonius Leua Hispanus, & Hieronymus Moronus Mediolanensis, & nonnulli alij duces. Pro Pontifice vero Fridericus Mantuæ Princeps, copiarum præfectus. Iulius Medices Cardinalis, qui post Hadrianum sextum, summus pontifex electus Clemens Septimus est vocatus. Et Mattheus Cardinalis sedunensis. Igitur Cæsariani Duces, coacto peditum & equitum exercitu, Mediolanum contendunt, vrbem nullo labore dedentibus sese ciuibus capiunt. Mox ad reliqua Mediolanensis ditionis oppida expugnanda aduolant. Alexandriam, & Papiam subigunt. Vbi Marcus Antonius Colunna, & Camillus Triuultius Frãcisci Regis studiosi, pila ferrea tormẽto excussa impetiti occumbunt.

Digitized by Google

occumbunt. Magno deinde inter Francos & Cæsarianos ad Picocham. 3. p. m. Mediolano distantem arcem, conserto prælio: cesis multis Gallorum milibus, & decem & septem Ducibus, victoria penes Cæsarianos stetit. Ex quibus pauci desiderati, & Petrus Cardonus Siculus Galisani comes: qui dum in medio belli ardore, cassidem elevat, vt quid agendum foret, absq; impedimento cerneret, sagitta in faciem transfixus, cecidit. Subacto insubrũ Imperio, agẽtibus Adornijs, ad expugnandam Genuam Cæsariani proficiscuntur, cuius Imperium per id tempus Octauianus Fregosus Regis studio moderabatur. Vrbem igitur immensis diuitijs opulentam, magnis animis adoriuntur, oppugnant, tormentis quatiunt, deniq; muris aliquot locis prostratis, ingrediuntur, irrumpunt, circumquaq; inuadunt, diripiunt, Tantumq; ibi prædæ fuit, quantũ vix hostis amplius optare potuisset. Octauianus, Petrus Nauarrus cantaber, alijq; permulti capti, cæteris infugam dilapsis, Prosper vrbe potitus, sub mulcta edixit, ne quis, eciuibus captiuus fieret. Genua capta Lescunus desperatis auxilijs, Prosperi venia, cum Francorum reliquijs, & tormentis bellicis, in Galliam liber reuertitur. Prosper adeo modeste victoria est vsus, vt nullum hostium vnq̃, præterq̃ in acie, occidi passus fuerit, tantaq; illis interdum commoditates concesit, quantas alius vel amicis forsan denegasset. Quo circa Franci in eius laudem, tam multa in Gallia efferebant, vt illum non Regij exercitus euersorem, sed seruatorem prædicarent. Pulsis Francis, Antoniottus, & Hieronymus Adornij, Caroli Cæsaris studiosissimi, qui decem annos Genua exulauerant, Principes in vrbe constituti. Parma & Placentia Romano Pontifici cessæ & Mediolanensium Imperium Francisco Sforciæ restitutũ. Sub idem ferme tempus, mortuo Leone. x. Hadrianus Florentius Cardinalis cuius supra meminimus absens Pontifex delectus, Hadriani sexti nomen susscepit. Dum Christiani Principes intestinis his bellis sibi viscera discerpunt, Solymanus decimus Turcarum Rex anno sui principatus quarto, & salutis. 1522. insolentior factus ex Belgrado oppido totius Pannoniæ munitissimo propugnaculo, nuper ab eo expugnato, nihil cunctatus, Rhodum insulam, quam Ioannitæ equites, a tempore Clementis. 5. Pont. Rom. 215. ferme annos, tenebant, solamq; inoriente Christianis arcem relictam, mari classe, & terra militibus innumeris expositis, sex mẽsium spatio dure oppugnatam, & ab omnibus principibus Christianis desertam, deficiente commeatu, & stratis mœnibus, lugenda deditione octauo Cal. Ianuarij, Ioannitis libere abire permissis, suo adiecit Imperio. Qua vna in re mirum, quantum nostræ vires accisæ, Turcarum vero auctæ sint. Stat adhuc eius equestris ordinis dignitas, Melitamq; insulam, Caroli Cæsaris munere, inferiori fortuna vt præmeminimus incolũt. Sed nescio quid exitij nobis Turca minatur, cum pulsis toto oriente Christianis, & occupata maxima parte Europæ, littoralia quædam Africæ & ea munitissima, nobisq; vicina teneat oppida. Post hæc Mortuo Hadriano Põtifice, & succedente Clemente. vij. Franciscus Rex, cum noua in Germania Lutheranorum superstitione res Caroli Cæsaris turbatas conspiceret, ad Italiam repetendam animum flexit. Dum hæc parat, Carolus Borbonius Auernorum & Barbonij dux potentissimus, Regis comestabulus, & in Galliæ Regno secundus, plæbiq; acceptissimus, cum a Rege Grauibus causis desciisset, clam cum Carolo Cæsare, & Henrico Anglorum rege fœdus inijt, atq; de Galliæ regno pacisci tur. Quo Franciscus cognito, ratus non bene sibi consultum, si relicto in Gallia Borbonio, Italiam ipse peteret, Borbonium ad se euocat. Borbonius, biduum anteq̃ eius dolus detegeretur, lecticam vacuam, in qua iacere se ægrotum simulauerat, deferri iussit, sed ipse clã duobus tantum comitibus, in Sequanos (quæ regio Caroli Cæsaris est) profugit. Vbi duodecim peditũmilia ipsius iussu q̃ occultius fieri potuit, iam conuenerant, quibus q̃ primum Rex Alpes descendisset bellum in Galliam inferret. Quo resciscito Rex mutato consilio, expeditionem in Italiam iam potenter instructam, cõtra

Borbonij

Borbonij principatū mittit, quo paucō labore in potestatē redacto, Borbonium ipsum patriæ, & Regis hostē declarat. Deinde, exercitū ingentem Guilelmo Gonfiero admirato Duce, contra Mediolanum dirigit: qui multa clade, a propugnatoribus Mediolanēsibus accepta, fusus, profligatusq; in Galliam fœde reuertitur. Adiuuit mirum in modum Cæsarianos ad Francos propulsandos Borbonius, qui vt suum in Carolum Cæsarem studium magis declararet, in Italiam cum milite venit, & agendo & consulendo strenue se gessit. Pulso iam Italia Gallo, Barbonius magnis Hispanorum, & Germanorum cohortibus instructus Massiliam contendit, obsidet, & oppugnat. Sed strenue Franci vrbem tutantes, irritos Borbonij conatus fecerunt: qui Desperata victoria, Mediolanum reddijt. Franciscus Rex repulso hoste, ingenti peditum equitumq; manu comparata cum rege Nauarræ & plerisq; alijs cæsarū, & primariæ nobilitatis Principibus, incredibili repetēdæ Mediolanensis ditionis ardore flagrans, in Italiam celerrime descendit, iam non alium q̄ se Ducem fore exercitui æquum dictitans, alijs quos antea delegisset, iam ter Italia pulsis, profligatisq;. Quo cognito Borbonius, Ferdinandus Daualus, & Carolus Lanoius Prorex Neapolitanus, cum exercitu Papiam, atq; subinde Mediolanum festini properant. Franciscus Rex instructis ordinibus & ipse Mediolano apropinquat. At Cæsariani Duces, cum inferiores & numero, & viribus se cognoscerent; & vrbs immunita esset, confestim instructo ordine, & sine fugæ, specie, milites omnes Mediolano exire, & laudem Pompeiam sese recipere iubent. Cumq; vix per portam Romanam vrbem essent egressi, per Ticinensem & Vercellensem portas Franciscus Rex, & ingens sane Francorum exercitus, Mediolanum ingressi, dedentibus sese ciuibus vrbe nullo obsistente potiti sunt. Antonius Leua qui Papiæ cum Germanis, & Hispanis militibus remanserat, ratus quod postea euenit, Regem cum exercitu ad oppugnandum Papiam primum venturum, vrbem omni commeatu, & armis munit, quo etiam Carolus Lanoius prorex, Borbonius, & Ferdinādus Daualus, exercitu nouo Germanorum peditatu aucto, Papiam & ipsi ad defendendam petunt. Franciscus Rex interea, Papiam cum exercitu 50. milium militum, proficiscitur, admotisq; tormentis muros vrbis quassat, mox instructa acie, milites fossas transire, & murum ascendere iubet. Sed Antonio Leua, Germanis, cæterisq; Cæsarianis militibus, qui intus erant, strenue propugnantibus, non sine magna cede Gallicus exercitus repellitur. Cæterum Rex qui totis viribus, totoq; animo eo erat intentus, vt Cæsarianos non modo, ditione Mediolanensi, sed etiam Regno Neapolitano expelleret, cum Clemente. vij. Pont. Rom. obliteratis odijs, quæ Leonis. x. tempore emerserant, fœdus inijt, & Ioannē Scotum Albaniæ Ducem, iusto cum exercitu ad inuadendum Regnum Neapolitanum mittit. At prorex, Honoratum Caietanum vnum ex Ducibus qui secum erant, Neapolim statim mittit, vt contra hostes, delectis ex eo Regno peditibus equitibusq;, ad vim repellendam propugnet. Interea Ferdinandus Daualus Piscariæ Marchio cum cæteris ducibus, qui extra Papiæ mœnia exercitū gubernabāt, cū in leuibus prælijs q̄ noctu & die sæpe cōtenderāt, superiores semper extitissent, cum tota acie, ac cum ipso Rege belli fortunam experiri decernūt. Est Papia vrbs in plano sita, Ticinio fluuio quo alluitur, vnde quoq; & vetustum sibi nomen obuenit, adiacens. Non longe ab vrbe (nisi passibus mille) ad meridiem septum est parcum vulgo dictum, quod ad domesticas venationes prisci Mediolanensium Duces, passuum viginti milium ambitus muro clauserunt. Iuxta parcum Carthusiensium est cœnobium. Intra parcum, palatium est vetustum, cui Mirabello nomē est, vbi & ijdem principes venationis tempore habitare solebant, Igitur Ferdinādus, qui exercitum suum eo videbat adductum, vt nisi celerem adipisceretur victoriam, fœde inde paulo post abire compelleretur, extra parcum iuxta cœnobium Carthusianum castra locat, rebus omnibus, ac cohortibus ad pugnam paratis,

Digitized by Google

ratis. Rex autem, exercitu inter castra Cæsariana & vrbem posito, a dextro latere muro Parci se munierat, & intra Mirabellum peditum equitumq; præsidium collocauerat. Igitur Ferdinandus Piscarius muro Parci maximo silentio nocte diruto, repente aciebus instructus, Parcum ingreditur. Prima acies quam Alfonsus Daualus Marchio Vasti ductabat, Mirabellum pergit, Reliquæ, Duce Piscario, ad Regia castra contendunt. Rex cognito hostium intra Parcum ingressu, suis arma capere iubet. Itaq; atrox prælium conseritur. Hispani magno impetu in Regios feruntur, illorumq; supra mille trucidant. At Heluetij qui Regis signa sequebantur, a latere vrgentes, Hispanos pedem referre cogunt. Sed subsecuti postea Germani Heluetios repellunt, cædunt, profligant. Tum Rex magno equitum cataphractorum numero stipatu, pugnam ingreditur, & dum suos a fuga compescere nititur, equo grauiter icto, prolapsoq;, circum Aedem Diui Pauli, & Cœnobium Sancti Augustini illi adiunctum, decidit, nec tamen statim est agnitus. Ad cuius corporis proceritatem, armorumq; pulchritudinem Hispani spe prædæ accurrunt, irruunt. Rex, ne ab ignobilibus occideretur, edita voce Regis nomen, & quis esset, palam prodidit. Quo audito, milites manus retrahunt, pedes paulisper referunt, hominem circumdant, & Carolum Lanoium Proregem e propinquo cum hostibus præliantem, aduocant, Regemq; prostratum nuntiant. Prorex festinus coram affuit. Aduenienti, Rex Cæsaris nomine, Captiuum se tradidit. Dum hæc Piscarius fœliciſsime gerit, Alfonsus Daualus cum priori acie Gallos equites qui Mirabelli substiterant, sternit, & Antonius Leua Papia (vbi obsidebatur) cum Germanis egressus, Francos a tergo cædit. Tum fuga vndiq; cæpta, nemo amplius e tanto Regis exercitu resistere audet, sed omnes, quibus primus Germanorum impetus vitam non ademit, captiuos vltro se dediderunt. Ceciderunt in ea pugna ex Gallis tum ferro, tum fugientes Ticini fluuij vorticibus soffocati, supra octo hominum milia, eq; primoribus totius Galliæ, circiter viginti. Inter quos fuerunt Guilelmus Gonfierius Admiratus, Lescunus Lautrechi Germanus frater, & Iacobus Cabbaneus equitum Magistri, quos Franci Marescallos vocant, Ludouicus Tremellius Burgundiæ præfectus, Galeazius Sanseuerinus Regis scutifer, & alij complures. Franciscus ipse Rex, cum Rege Scotiæ, & Henrico Rege Nauarræ atq; reliquis ferme omnibus exercitus Ducibus, plerisq; alijs Coltarum Principibus captus est. Cæsariani parta victoria, tantum prædæ tum ex Castrorum direptione, tum ex captiuis congesserunt, vt nulli vnquam in Italia milites ditiores sint effecti, laudemq; summam, gloriamq; præcipuam, quam nulli vnquam exercitui in Italia contigisse constat, ex captis tribus Regibus, deletisq; copijs omnibus, pauco admodum milite, si hostem conferas, sibi comparauerunt. Fuit autem hæc victoria Carolo Cæsari eo insignior, quod vigesimo quarto Februarij, & Diui Mathiæ, ac Iouis die, anni salutis. 1525. qui eius Natalis est dies, euenit. Henricus Nauarræ Rex cum ab Hispanis militibus apud Aedem Sanctæ Mariæ in Pertica iuxta vrbis mœnia sitam carceri esset addictus, custodibus auro corruptis, fuga simul cum illis salutem sibi quæsiuit. Scotiæ vero Rex e carcere dilapsus, rustico cuidam suam dum vitam nimis credit, ab illo aureo torque sibi detracto, capite plexus est. Quo facinore cognito, Antonius Leua Rusticum furca suspendit. Erat CAROLVS CAESAR cum hic de suo hoste Triumphus contigit, in Hispania,

qui non modo ſignum lætitiæ nullum dedit, ſed lachrimis obortis inſtabilis fortunæ vices perpendens, ſupplicationibus Deo gratias egit, quod ſibi rerum in Italia componendarum tam facilem viam dediſſet. Lanoius Prorex captum Regem ad Piſleonem arcem munitiſsimam, quam Inſubres vernacule Pizeçhetonem appellant, cuſtodiendum primum adduxit, ſubinde, decreta peruulgataq; eius i Caietã ducũ oium ſentẽtia, exportatione, claſſe in Hiſpaniã Inconſultoq; neſcienteq; Piſcario clam, ad Cęſarem Duces ludificatus deuexit. Aegrętulit vehemẽter id Piſcarius, & multa in Proregem coniectans, obloquutus eſt, Quam ob rem, nõ defuerunt, qui Piſcariũ eo nomine Lanoio indignatum aſſererent, clanculumq; cum hoſtibus in ſpem Regni Neapolitani ipſum erigentibus, fœdus pepigiſſe referrent. At cum etiam deinceps, nullo non offitio, nullaq; non fide erga Cæſarem Piſcarius fuerit vſus, nullumq; deſcitionis ſignum vnq̃ oſtenderit, ſed ſemper illius veluti & antea ſtudioſiſsimus extiterit, ab Aemulis impactum id creditum eſt. Franciſcus Rex in Hiſpaniam delatus, nullo offitij, & humanitatis genere omiſſo exceptus, præſcriptis tandem legibus, datiſq; obſidibus Franciſco & Henrico liberis, ac Heleonora Cæſaris ſorore in vxorem ducta, paceq; firmata, liber in Galliam dimiſſus eſt. Carolus Cæſar poſt hæc Iſabellam luſitaniæ Regis filiam anno ſalutis. 1526. xj. die menſis Martij apud Hiſpalim Beticæ vrbem vxorem duxit, Dum hæc in Hiſpania geruntur, Clemens Pontifex, Franciſcus Galliæ Rex, Henricus Rex Angliæ, Franciſcus Sforcia Mediolanenſis Dux, Veneti, Florentini, ac Cæteri Italiæ Principes veriti ne Carolus Cæſar ſua potentia totius Italiæ ſibi occuparet imperium, præſertim quod in Inſubribus victorem haberet exercitum, & Regnum Neapolitanum, Siciliam, & Sardiniam poſſideret, fœdus quod ſanctum appellauerunt, contra Carolum his conditionibus percutiunt, vt Franciſcus Rex Italiæ dominetur, Franciſcus Sforcia quinquaginta aureorum milibus quot annis Regi perſolutis Mediolano potiatur, In Regno Neapolitano Rex principum ſuffragio deligendus eidem annuum 70000. aureorum tributum pendat, exercitus deniq; ingens ad nouum Regem Neapolim reponendum, & Cæſarianos Italia pellendos communi ſumptu comparetur, Erat Franciſcus Sforcia dum hæc pararentur Mediolani in arce obſeſſus, vel ob id quod ab Antonio Leua, & Ferdinando Piſcario a CAROLO CAESARE deſciuiſſe declaratus fuerat. At Piſcario pauló poſt decedente, & in eius locum Alfonſo Daualo ſuffecto, dedita arce, liber ad Cremonam dimiſſus eſt. Interea confœderati principes coactis vndiq; militibus in Inſubros contra Cæſaris exercitum Duces maturare iubent. Sed cum Duces cunctando rem gererent, Pontifex difficultate nummaria preſſus, cum Veſpaſiano Columna in Proſperi patris præmortui dignitatem ſubrogato, totius Columnenſis familiæ nomine, de iniurijs vltro citroq; remittendis, inducias iuit, militemq; omnem, qui Romæ ſtipendia merebat, dimittit. Quo cognito Hugo Montecatinus eques Ioannita, quia CAROLO CAESARE Romam pro rebus Italiæ cum Pontifice componendis miſſus, fruſtra plures dies laborauerat, nec non et Pompeius Columna Cardinalis Pontifici infenſiſsimus, qui induciis non conſenſerat, Pontificis opprimendi occaſionem nacti, tumultuarijs ad duo milia collectis militibus, Romam nil tale metuentem inuadunt, Vaticanum recta contendunt, diripiunt, Aedem pontificiam prædantur, Templum Maximum fœdiſſime prophanant, & in extremum Pontificis exitium cõclamant. Pontifex inexpectata clade impetitus, fremit, præſtitamq; ſecuritatis fidem violatam, ac ſe proditum fruſtra querens, vix cum paucis in Molem Hadriani ſeſe recipiendi

ſpatium

ſpatium habuit. Quo aliquandiu obſeſſo, Hugo Cæſaris iniuriam ſatis ſe vltum arbitratus, cum Pontifice quatuor menſium inducias (reluctante Pompeio) hac lege pepigit, vt copiæ quas contra Carolum Cæſarem in agro Mediolanenſi cum coniuratis habebat, eis padum amnem traducat, & acceptis ob id ab eo obſidibus, opulentiſſimaq; præda ditatus, Roma diſceſſit, Pontifice non diu poſt, exercitum trans Padum (vt ſpoponderat) transferente. Soluta Mediolani obſidione, Hiſpani, & Germani milites, qui vrbem pro Carolo Cæſare diu tutati fuerant, quorum numerus ad triginta milia aſcendebat in ſeditionem acti, multorum menſium ſtipendia fremente a Ducibus poſcere, palamq; minari cæperunt, ſe omnia turbaturos, niſi q̃ primum eis pendantur. Et vt facto rem comprobarent, tabernas, & Domos diripere, eiues quos obuios habuiſſent, ſpoliare, & captiuos facere, atq; per vrbem furere incipiunt. Seditioni exortæ Antonius Leua, Alfonſus Daualus, & Borbonius ſtatim occurrunt, promiſſoq; menſium quinq; ſtipendio, tumultum vix ſedant. Verum cum Mediolanenſis ager diuturno bello vaſtatus, tot militibus non ſufficeret alendis, Leua, & Daualus Borbonium, vt cum omni exercitu alias ſibi quærat ſedes, hortantur. Clemens Pontifex Interea doloſis inducijs, propriæ ſupellectilis iactura, alijſq; pluribus contumelijs Saucius, Pompeiũ Columnã pileo Cardineo priuat, a Senatu amouet, diris execrat, mox Duce Valdemontio, Lotharingiæ Reguli Germano fratre, terra & mari bellum Neapolitanis infert, Salernum capit, & in Latio Columnenſium oppida incendit. Dum hæc a Pontifice geruntur, Lanoius Prorex ex Hiſpania cum claſſe Germanis, & Hiſpanis militibus inſtructa a Carolo Cæſare in Italiam remittitur, cuius reditu apud Neapolim Cæſareus augetur exercitus. Pontifex intellecto Proregis aduentu, metu adductus, cum eo fœdus pacemq; renouat, cum Barbonius cum exercitu ex inſubribus, ad nouas ſibi querendas ſedes, vt a Ducibus decretum fuerat, mouens, Florentiam cupidine eius prædæ incenſus, cõtendebat. Quo Lanoius cognito, nõ longe ab Aretio vrbe illi extẽplo occurrit, pacem cum Pontifice initam exponit, & vt ab incepto abſiſtat imperat. At Borbonius, militeſq; omnes clamore ſublato fallacem, Pontificis amicitiam damnant, percuſſum fœdus reprobant, atq; demum ſpreto Proregis imperio contra Florentiam petunt. Eam vrbem cum expugnatu difficilem cognoſcunt, mutato conſilio, ſed immutatis animis, in ſpem diripiendæ Romanæ vrbis adducti, nulla mora, ſed maximis itineribus Romam contra Pontificem, ad quem tanq̃ priſtinæ amicitiæ deſertorem, male animati erant, contendunt, tanta vſi celeritate, vt prius eo peruenerint, quam ab Hethruria eos diſceſsiſſe ſit cognitum. Igitur vbi Hiſpani & Germani in conſpectu vrbis ſe dederunt, adeo terribili ſpectaculo Romani ſunt conterriti, vt qua, ſe verterent, quoue conſilio vterentur, prorſus ignorarent. At Barbari die Lunæ pridie nonas Maij quo ad mœnia applicuerunt, hora vigeſima prima anni ſalutis. 1527. ſtatim nemine obſiſtente ad Portam Sancti Pancratiij aditu per vim occupato, in Vrbem irrumpunt. Barbonius dum ſcalam, mœnibus vt tranſcendat admouet, ſcioppo traiectus, & milites vt victoriam ſequerentur cum effugiente anima hortatus, occubuit. Duce cæſo, Gens effera vrbem ingreſſa, victoriam ſæuius ſequitur, nullumq; crudelitatis genus, in Romanos, in Clerum, in Religioſos, in Præſules, in Cardinales omittit. Sed quot quot obuios habet, viros, mulieres, ſenes, pueros, ſacros, prophanos, immaniſsime trucidãt. Mox a laniena ad prædam ſe conuertunt. Vrbs Alma prædæ exponitur, tota diripitur, Sacrata vaſa omnia violantur, Aedes Sacræ ornamentis nudãtur, atq;

humano sanguine fœdantur, Capti vtriusq; sexus homines, qui necem primo impetu euaserant, Capti præsules, & Cardinales, & maximo ære non semel venditi. Multò ludibrio sacrati Antistites in Cathenis ad hastam venundati. Plæriq; honesti atq; insontes ex aula, aut tormentis excruciati, aut in vinculis (desperato redemptionis prætio) interfecti perierũt. Non nulli autẽ Diuorũ Aras occisi. Innumeræ pene Virgines prophanæ, & Sacræ intra castos parietes occlusæ, ad libidinem militum explendam, protractæ. Non modo præterea in homines, sed in ipsa quoq; marmora, & antiquas Romanorum statuas fœuitum. Postremo spreta religione, sacras Diuorum reliquias, vel pedibus calcabant, vel prætio vendebant, Spineto; & non nullis alijs mortis CHRISTI instrumentis, quæ in diuersis sacris Aedibus colebantur, simul & Diuæ Ceciliæ, aliorumq; quorundam sanctorum cadaueribus subreptis, sacris etiã vestibus ad ludibrium amicti, per frequentissimas vrbis vias perequitabant. Neq; dies ille, quo hæc immaniter gesta sunt, finem dedit malorum, sed milites per duos circiter annos distributis in tota vrbe per Domos, & Cœnobia paulo ante direpta, hospitijs, Cardinales, Episcopos, Principum oratores, Clues, Mercatores, & omnem Romanum populum, quibus nuper innumerabili pecunia redemptis, nihil omnino supererat, ad alendum tantum exercitum coegerunt, tanq; ibi eorum perpetuum esset Domicilium. Clemens ipse miser Pontifex, qui primo statim inuasionis vrbis impetu, occulta via cum aliquot Cardinalibus in molem Hadriani elapsus fuerat, nihil pontificiæ authoritatis per septem fere menses, quibus ibidem ignotus latuit, vel in vrbe, vel extra exercuit, sed obsessus ab Hispanis & Germanis militibus, carceris contumelia vsq; adeo impie mulctatus est. Carolus Cæsar vbi hæc tam sæue Gesta, in Hispania agens, accepit, ægro, iniquoq; tulit animo, atq; tactus religione, triduum sese in Aulam recipiens, Deo Maximo, Diuisq; omnibus supplicandum censuit. Subinde Ducibus scripsit, vt Pontificem liberum dimicterent, & Sacro Sanctam eius dignitatem colerent. At truces homines spreto Cæsaris, Deiq; Imperio, Pontificem duriori obsidione premunt, vt eis de stipendijs vnius anni satisfiat. Quorum tandem sæuitiam, manusq;, septimũ post carceris mensem, Clemẽs, euasit, dum intempesta nocte, dispensatorem mentitus, elusis Molis Hadrianæ custodibus, arce egressus, equoq; vectus, ad Orbitellum oppidum, natura permunitissimum effugit. Florentini audita vrbis Romæ euersione, in furorem & ipsi acti, Cosinæ, Leonis, & Clementis Medices, marmoreas statuas fœde deformant, & illorum familiam extinguere pergunt. Fama quoq; direptæ vrbis, & capti Romani Pontificis, cognita, Franciscus Gallorum, & Henricus Angliæ, Reges, Veneti, & cæteri confœderati Principes, excitiad Pontificem liberandum, & pellendos ab Italia Cæsarianos, coniunctis viribus se accingunt, arma struunt, exercitumq; sexaginta milium selectissimorum peditum equitumq; comparant, Odethum Fusium Gallum cognomento Lautrecchum (cuius supra meminimus) illi præficiunt, Igitur Lautrecchus anno salutis. 1528. Mense Iunio, copijs instructus, in Italiam descendit, captisq; Boscho, & Alexandria vrbibus, Papiam vrbem in vindictam capti Regis magna vi adoritur, expugnat, diripit, & incendit. Romam deinde profecturus, in Flaminia, peste in exercitum, & in multas Italiæ vrbes grassante, constitit. Franciscus Rex, percepta Lautrecchi difficultate, Franciscum Comitem Sancti Pauli, peditũ octo millibus, & aliquot equitum cohortibus instructũ, ei adiũgit. Frãciscus Comes Italiã veniẽs, cũ Venetis, & Sforcianis socijs insubres adoritur, & supat, Genuã deide paruo labore pulsis adornijs, & cõstituto Theodoro Triuultio regis noie pfecto, recipit. Dũ hęc a cõfœderatis gerũtur,

Fibertus

Fibertus Arãtius, qui in locum Lanoij Proregis demortui ſucceſſerat, Alfonſus Daualus, Hugo Monte catinus, Ferdinandus Alarconus, & Ferdinandus Gonzaga Cæſariani Duces, cognito Lautrecchi, & Gallici exercitus aduentu, e Roma cũ omnibus Hiſpanis & Germanis copijs Neapolim veniunt, vrbem muniunt, & per idonea eius loca milites diſtribuunt. Nec diu poſt Lautrecchus cum numeroſo exercitu, Cæſarianos inſequutus, occupatis Capua, Auerſa, cæteriſq; vicinis oppidis, Neapolim & ipſe contendit, atq; in conſpectu vrbis ſe dedit, caſtrametatus in Hortis Ludouici Montalti Siculi, vrbi ad ſeptentrionem incubantibus, duraq; obſidione circumquaq; Neapolim cingit. Cumq; obſeſsis ex Iſcla, Prochita, Maſſa, Vico, Capreis, & ex Sicilia etiam cõmeatus paruis nauigijs apportaretur, Lautrecchus Philippinum Auriam Andreæ Auriæ Gallicæ claſsis præfecti, ex fratre nepotem, cum claſſe Liguſtica e Genua, & Venetorum claſſem ex Venetijs ad ſe euocat, vt durius terra, & mari Neapolim premeret, & cibaria prohiberet. Cæſariani Duces hoc cognito, prius q̃ Veneta claſsis, Genuenſi quæ iam appulerat, iungeretur, cum Philippino confligere ſtatuunt. Itaq; Hugo Mõte catinus, Alfonſus Daualus, Aſcanius Columna, & pleriq; alij proceres, cũ ſex triremibus, & alijs paucis nauigijs quæ in portu erant, contra Philippinum cum octo Triremibus oram Salernitanam legentem ſoluunt. Philippinus vt claſſem Cæſarianorum in conſpectu habuit, in apertum mare progreſſus, ſe ſe ad pugnam obtulit, quam Hugo nequaq; detrectare viſus eſt. Igitur prælium ad Caput vrſi, inter Atheneum promontorium, & ſalernum vrbem ſitum, conſeritur, vtrinq; principio exitiabile, ad extremum, diſſipata Neapolitana claſſe, & interfecto Hugone Monte Catino claſsis præfecto, cum mille veteranis militibus, & captis Alfonſo Daualo, Aſcanio Columna, & non nullis alijs proceribus, ex Genuenſibus vero quingentis ſolum deſideratis, victoria penes Philippinum ſtetit. Hugonis Cadauer ad Amalphim vrbem quæ non procul inde abeſt, delatum, in templo Diui Andreæ Apoſtoli cuius numen & corpus ibi colitur, tumulatum eſt. Philippinus parta victoria, captiuos proceres, quos fruſtra Lautrecchus ſibi deberi popoſcerat, in Liguriam ad Andream Patruum deuexit. Quos quoq; cum Franciſcus Rex minus ab Andrea impetrare potuiſſet, ei inſidias parat. Quibus cognitis, Andreas Regis ſe hoſtem aperte profitetur, cum armatis aliquot triremibus, Genuæ apropinquat, Gallicam claſſem, quæ in portu erat, adoritur, & fugat. Subinde vrbem ingreſſus, deiecto Regis vexillo, & vocatis ad libertatem ciuibus, patriæ libertatem reſtituit, profligatoq; comite Sancti Pauli, cum iuſto exercitu partes Regis tuente, & pulſo etiam Theodoro Triuultio vrbis præfecto, Saonam Vrbem ad Genuenſis Imperij iugum reddire compulſit. Fuerunt ex ciuibus non nulli, qui Andream hortabantur, vt Imperium vrbis quod ſibi vltro a ciuibus offerebatur, ſubiret. Quod ille non annuit, ſed mira cum integritate, atq; conſtantia, ſatius ſibi eſſe, atq; Glorioſius id munus patriæ, quam ſibi priuato ciui dedicare, reſpondit. Hoc igitur pacto Andreas Auria, ademptam a Francis Genuam patriam, libertati reſtituit. His cognitis Carolus Cæſar, non ignarus, quantum rebus ſuis Genua vrbs, rei maritimæ opportuniſſima, ſimul & Andreas cum ſua claſſe in Italia conducere poſſet, fœdus cũ Genuẽſibus pepigit, vrbi libertatem cõfirmat, & Andreã ſuæ claſsis præfectũ inſtituit. Quibus geſtis, Andreas ad Caroli Cæſaris partes cũ ſuis triremibus ſtatim ſe cõtulit, & captiuos proceres Neapoli poſtea expoſuit. Interea Petrus Lãdus Venetus cũ triginta triremibus Neapolim profecturus Siciliam nauigat, Auguſtã vrbem venit, & rẽ frumentariã, perfractis horreis, ſolutoq; prætio, quãtũ ſibi fuit opus nauibus impoſuit. Superato deinde Meſſanẽſi freto auxiliaris Lautreccho Neapolim applicuit, ppetuiſq; cuſtodijs, ne nauigia obſeſsis cõmeatus adueherẽt,

inhibuit. Verum paulo post, Iulio mense dum Neapolitana obsidio in longum protraheretur, febris Tabifica Gallos obsidentes sæue adeo in castris inuasit, vt Duces, Militesq; ferme omnes, Venetorum legati, Petrus Nauarrus, Valdemontius Regia Andegauensium ppagine exortus, & qui spē Neapolitani Regni potiundi, id adiudicante nuper Clemente septimo Pontifice, habebat, quod antiquitus Audegauensiū regū fuisset, quorū ipse legitimæ stirpis esset heres, & Lautrecchus quoq; ipse exercitus ductor, ea febre correpti miserabiliter interierint. Itaq; ingens adeo morientium Francorum strages, alijs super alios pereūtibus accidit, vt tabernacula eorum funeribus omnia sint completa, & tantorū funerum vix nuntius Galliam sit reuersus. Ita Frācis omnibus morbo deletis, & Cælo pro Cæsare pugnante, Neapolis obsidione liberata est. Franciscus Rex audita miserabili suorum clade, tandem vel inuitus anno salutis. 1529. Mense Ianuario, pacem cum Cæsare egit. Clemens pontifex fœdus & ipse cum eo percussit. Franciscus Sforcia Pontifice authore, Cæsari reconciliatus, ad Ducatum Mediolanensem restituitur, Veneta quoq; resp. eidem amicatur. In Sicilia sub id tempus anni salutis. 1529. Vigesimo Iulij die, Sigismundus Luna Ioannis Lunæ Calatabellottæ comitis primogenitus, militibus instructus, contempto Caroli Cæsaris Imperio, Saccā vrbem inuadit, atq; ob priuatas inimicitias, Hieronymum Statellam Catanensem militiæ Regis præfectum, apud Stephanum Lauranum non longe ab Aede. S. Cathaldi diuersantem interficit: Mox Aedes Iacobi Perolli Portulani, veteris arcis monumentis impositas, quatriduana obsidione cingit, expugnat, ac demum diripit, & incendit, Iacobo ad domum mulierculæ cuiusdam non longe a porta vrbis a. S. Erasmo nomen habente, fugam frustra meditante. Nanq; ab hoste insidijs captus, misere trucidatus est. Hac defectione Carolus Cæsar, in Sigismundum Romam fugientem inuectus, eum perpetuo exilio mulctat, comitatu priuat, Petrum filium post Ioannis mortem ante Clementem Pontificem Romanum, comitem declarat, cæteros vero coniuratos, vel capitis pœna, vel exilio plectit. Post hęc Carolus Cæsar eiusdem salutis anni. 1529. circiter Calendas Augusti ex Barchinona ingenti classe Italiam ad Diademata Cæsarum de more suscipiendum nauigans, Genuam appulit. Mediolanum postea. Placentiam, & Parmam contendit. Clemens pontifex aduenienti ad Bononiam cum Cardinalibus occurrit. Decreuerat Carolus Cæsar Romæ, vbi superiores Cæsares Coronati fuerāt, tanq̄ in propria Imperij sede sceptrū, munusq; consecrationis accipere. Sed suo ne an Pontificis consilio, quaue causa, incertum, Bononiæ vrbi is honor perpetuæ memoriæ datus est, vbi iam Pontifex, Cardinales omnes, Regum & Republicarum legati, & Principes Italiæ ad id conuenerant. Paratis igitur Bononiæ ad Aedem diui Petronij Cæremonijs, Carolus Cæsar vigesimo quarto Februarij die, qui Natalis illi erat dies. Anno salutis. 1530. a Clemente septimo Pontifice Maximo, veteris sanctionis instituta sequutus, more Christiano insignia, & ornamēta Imperij suscepit. Cui per ea quoq; tempora Isabella vxor in Hispania Ferdinandum in cunis præmortuum, & post modum Philippum, & Mariam liberos genuit. Eodem ferme tēpore, cum expugnato iam a Solymano Turcarum Rege magna vi Belgrado, & Hungaris ad Mugaciam paludem cæsis, eoq; bello Ludouico ipso Vngariæ Rege adolescente ad fædum interitum palustri lacuna submerso, Ioannes Sepusius Transyluaniæ Vayuoda, nequaq̄ excelsa stirpe ppgnatus, nulla Regia prole super stite, in spem potiundi regni erectus, a populo in Regem Vngariæ esset electus, Ferdinandus Caroli Cæsaris frater, Ludouici Regis sorore in vxorem ducta, Regnū Vngaricum iure vxorio accepturus, maximo Bohemorum, ac Noricorum exercitu subnixus, Budam venit. Cuius aduentu Sepusius territus, Pestum traiecit, & Ferdinandus Buda nullo labore potitus, Regni Diadema suscepit. At Sepusius

Sigismundus Luna.

pulsus Regno pulsus, ad Solymanum supplex confugit, in Regnum restitui petit, & se Othomanici nominis beneficiarium profitetur. Solymanus Gloriæ auidus, Sepusij preces admittit, & Vngaricũ bellũ rursus amplectitur. Igitur ingẽti structo exercitu Vngariam venit, Budam Regiam nullo obsistente capit, Sepusium in Regnum restituit, & suum clientem facit. Deinde maxima vi Viennam Austriæ Metropolim obsidet, & oppugnat. Sed Germanis strenue propugnantibus, cæsisq; innumeris Turcis, Solymanus Byzantium vnde venerat, fœde reuertitur. Sub id ferme tempus Carolus Cæsar rebus Italiæ pacatis, Florentiam vrbem, vel ob id quod in sanctũ fœdus consenserat, & ab eo defecuerat, cum maximis copijs presit, obliteratisq; veteris magistratus formulis & nominibus, nouum in ciuitate principatum introduxit, atq; Alexandrum Medices, cui Margaritam filiam nobili pollice prognatam postea vxorem dedit, anno salutis. 1531. Nonas Iulias, Reipublicæ Florentinæ Ducem instituit. Quo etiam tempore Ferdinandus Rex Caroli Cæsaris frater, Francfordiæ celebratis comitijs Cæsar ab electoribus est designatus, & apud Aquis granum vrbem, maximo honore, & Caroli Cæsaris præsentia, primam Imperij coronam, veluti fraternæ dignitatis successor, suscepit. Erat eo tempore Germania ferme tota in insanos lutheri errores dilapsa, Cuius dogmata Ioannes Fredericus Saxoniæ Dux, Philippus Lantgrauius Hessiæ castorum Princeps, & Guilelmus Dux Boiariæ impie, atq; arroganter tuebantur. Carolus Cæsar has controuersias tractaturus, Ratisponam venit, & totius Germaniæ concilium indixit. Dum Cæsar conuentum parat, Solymanus Turcarum Rex, pudore suffusus, quod nõperrime ab obsidione Viennæ vrbis turpiter abscessisset, ingentem exercitum instruit, vt eo maioribus copijs instructus redeat. Quo Cæsar cognito, Lutheranorum controuersijs in aliud tempus dilatis, ad reprimẽdum Solymanum Germanis omnibus consentientibus, in vnum belli apparatum se colligit. Igitur ex Germania, Vngaria, Italia, & Hispania pedites ad nonaginta, equites vero ad triginta milia cogit, præter vrbium præsidia, & peditum equitumq; ministros, qui ætate, ingenio, robore, & rerum vsu, nulla ex parte veris militibus erant inferiores. Interea Solymanus cum trecentis equitum milibus, totidemq; peditibus, Constantinopoli contra Viennam mouet. In cuius belli apparatu illud rarum, & quod nulla vnq̃ vidit ætas, fuit, vt singulo quoq; triduo, Palatia ligneu, ingens sane, & per amplum, struerẽtur, quo Solymanus triginta cum procerum milibus hospitabatur. Solymanus igitur Bizantio discedẽs, Belgradum primo, & subinde Gratiam vrbem venit, Carolo Cæsare Lintium profecto. Abest Lintium a Gratia centum fere passuum milibus, Vienna totidem passibus abvtraq; recedente. Solymano apud Gratiam castrametante, Turcæ Duce Casono, viro impigro, & militia strenuo, ad Lintium vsq; procurrentes, regionem omnem populantur, & ingenti omnis sexus, & ætatis Christianorum strage crudelissime edita, succendunt. Cæsariani, vbi hæc cognoscunt, ex omnibus castris contra se effundunt, Turcas adoriuntur, cædunt, & Casono eorum Duce interfecto, reliquos omnes profligãt sæue adeo, vt ex ingenti Casoni exercitu, pauci ad Belgradum, nulli vero ad Solymanum in castra redierint. Ceciderunt nanq; ea pugna ex Turcis quinquaginta circiter milia. Carolus Cæsar parta hac victoria, ex Lintio Viennam petijt, nihil omnino in apertos campos progressus, veritus ne Solymanus sua immensa equitum multitudine, temerariaq; audacia castra sibi dissiparet, sed ad vrbem & flumen hostem ad pugnam expectabat. Erant tũc ad Viennam coniunctis in castris supra ducenta sexaginta hominum milia. Cæterum Solymanus audita suorum cum duce clade, Cæsarisq; consilio, & Comminus bellum lætus expectaret, desperata victoria, fœde inde recedens, traiectisq; Mura, & Drauo amnibus, ad Belgradum turpiter reuersus est. Solymano

vno

vno leui prælio fugato, Carolus Cæsar cum Hispanis & Germanis militibus Italiam primum, mox Hispaniam profectus, Italicas & Austrianas cohortes ad repetendum Ferdinando fratri Regnum Vngaricum contra Sepusium misit, sed orta inter Italicos milites ob non soluta stipendia seditione, recuperandæ Vngariæ a nostris spes omnis amissa est. Isdem diebus, dum Solymanus Viennam obsidebat, Carolus Cæsar Andream Auriam cum octuaginta rostratarum, onerariumq; classe in Græciam contra eum misit. Andreas Messana soluens Peloponesum tenuit, Coronen Turcarum vrbem per deditionem cepit, Patras deinde expugnat, & diripit, & ad Naupacti sinum oppida quædam populatur. Cognito postea Solymani ex Vienna in Constantinopolim, & Caroli Cæsaris in Italiam reditu, relicto ad Coronen vrbem Hispanorum militum præsidio, emenso Fræto, Messanensi Genuam est reuersus. Solymanus vbi Bizantium venit, repetendæ Coronæ vbi incumbit, classem parat, ac contra Coronen educit, quam aliquot diebus tam terra & mari frustra obsedisset, paulo post pro alterius in Vngaria oppidi permutatione viris desertam recepit. Eodem ferme tempore Clemens Pontifex Catharinam neptem, Laurentij Medices filiam, Henrico Francisci Gallorum Regis filio despondit, vt hinc Caroli Cæsaris, inde vero Francisci Regis affinitate nobilitaretur, qui eodem salutis anno. 1532. sexto Calendas Octobris, vndecimo pontificatus sui anno Romæ moritur, & Alexander Farnesius Genere Romanus, desumpto Pauli Tertij nomine Pontifex deligitur. Solymanus sub ea tempora mense Iulio Barbarussæ consilia complexus, Tunetano bello se fortem, fidelemq; operam præstiturum profitentis, classem septuaginta Triremium contra Tunetum Vrbem Regiam, & Africæ caput instruit, eiq; Barbarussam ipsum præficit. Barbarussa, Imperio suscepto, vt Assen Tunetanorum Regem imparatum opprimeret, fama euulgandæ Italiæ, & non Tuneti expugnandi, Constantinopoli soluit. Messanæ fretum ingreditur, Calabriæ, & campaniæ oram legit, littoralia oppida, Sanctum Nucitum, Citrarium, Capreas, Prochitam, Speluncam, Fundos & Terracinam capit, populatur, diripit, & in Homines, Diuosq; fœuit. Deinde ex monte Circæo in Pontiam insulam diuertit, vnde maxima celeritate in Africam ad Bisertam oppidum traiecit. Bisertanis Rosettum, Assen Regis fratrem, populo studiosissimum, Africæ Regno, pulso Assen, præficiendum, secum deuexisse dissimulat. Ea fama inter Saracenos vulgata, Biserta discedit, Vticam, & Caput Carthaginis præteruehit, & ad Gulectam Arcem appellit. Vbi ficto Rosetti aduentu, quinq; Turcarum milibus nullo obsistente in terram expositis, amice recipitur, eisq; instructus, nulla mora Tunetum contendit. Assen Rex, audito fratris appulsu, metu perterritus, pudenda fuga, ad Numidas dilabitur. Barbarussa vt in conspectu vrbis equester se dedit, proceribus & populis, spe Rosetti Regis deceptis, & congratulantibus, applaudentibusq;, vrbem ingreditur, & maximo honore in Regiam suscipitur. Sed vbi Rosettus nusq; comparet, & se delusos Tunetani animaduertunt, detecta fraude, statim arreptis armis, Turcas in Arce obsident, oppugnat, inuadunt, & obuios quosq; occidunt, atq; mox Assen ex Agris ad quos secesserat, ad Regium sceptrum reuocant, & in vrbem numidis instructum introducunt. Barbarussa vbi se in extremo discrimine videt, nihil cunctatus, extra Regiam cum Turcis erumpit, Saracenis occurrit, consertoq; prælio, Tunetanos ad tria milia cædit, cæteros intra domos repellit, & Assen Regem ad Constantinæ vrbem fugat. Nox bellum diremit, & vtrinq; dedit excubias. Illucescente, missis & remissis nuntijs, pax inter Turcas & Saracenos, a Barbarussa maxime concupita, initur, Sacramento more gentis firmatur, & in fidem Solymani, & Barbarussæ sui præfecti Tunetani iurant. Capto hac arte Tuneto; mediterraneæ omnes, atq; maritimæ vrbes vltro Barbarussæ se dedunt. Caruenum vrbs sola aliquandiu

quandiu reſtitit, ſed excidij metu perculſa, Turcis & ipſa ſe ſubdidit. Barbaruſſa potitus Regno, Arcem ad fauces maritimi ſtagni Gulectam appellatam, nouis & firmioribus propugnaculis munit, Turcico præſidio inſtruit, & ſuam ibidem Triremicam claſſem ad dubios caſus ſubducit. Fama Tunetanæ vrbis a Barbaruſſa captæ, metum ingentem non modo Siciliæ, & Sardiniæ, ſed toti etiam Italiæ, & Hiſpaniæ incuſit, vel ob id, quod ea Vrbs his prouintijs inuadendis eſt accomoda. Quam ob rem Carolus Cæſar, ne hæc ſcintilla, in immenſum creſceret incēdium, Tunetum expugnare, & Turcas inde pellere, conſtituit. Igitur anno ſalutis. 1535. ex Hiſpania, Luſitania, Germania, Sardinia, Sicilia, Neapoli & Genua, milites ad quatraginta circiter milia, ad tam ingens, pium, ſacrumq; bellum comparat, Nauigia edificat, & claſſem ſexcentarum ferme diuerſi generis nauium inſtruit. Parata claſſe, & omni commeatu inſtructa, Carolus ex Barchinona ſoluit, & in Africam traijcit, & tandem ad Gulectam appulit, vbi copijs omnibus, & tormentis æneis in terram expoſitis, Aggerem ad oppugnandam arcem edificat, loco excelſo vexillum defigit, & ei Comitem Sarnenſem præficit. Dum noſtri hæc parant, Turcæ ex Gulecta erumpunt, conſertoq; leui prælio, magnis viribus in noſtros feruntur, Comitem cum militum præſidio trucidant, captumq; Caroli vexillum, & præciſum comitis caput, ad Barbaruſſam in vrbem deferunt, & per frequentes vrbis vias in victoriæ ſignum circumducunt, vexillumq; poſtea in Chriſtianorum ludibrium in vrbis Arce obuerſum expandunt. Carolus Cæſar leuis huius prælij fœdo exitu conſpecto, ſtatim oppugnari toto tormentorum genere Gulectam iubet. Igitur ad idus Iulias nouem circiter horas ab Aurora ad meridiem vſq; Gulecta a noſtris terra & mari tanta vi oppugnatur, vt cæſis Turcis, captiſq; tormentis hoſtilibus, & ſubductis Triremibus, tota conciderit. Capta Gulecta, Aſſen Rex ex vlteriori Numidia exiguo comite ad Cæſarem in caſtris ſupplex venit, atq; in ſolium reſtitui impetrat, ſeq; in eius clientelā recipi, Beneficiariumq; fieri, præſcriptis legibus expoſtulat. Inſtaurata tumultuario opere Gulecta, & præſidio munita, Carolus Cæſar contra vrbem, terreſtri itinere. p. m. 18. diſtantem, ſequente Aſſen Rege, caſtra mouet. Vix noſtri ad locum, a Ciſternis ibi ſtructis nomen habentem. 3. circiter. p. m. ab vrbe recedentem, ſiticuloſi, & maximo illius regionis æſtu, ſoliſq; ardore peruſti, perueniunt, cum Barbaruſſa equeſter, centum ferme peditum, equitūq; Turcarum Numidarumq; milibus inſtructus, noſtris ferus occurrit, Tum Carolus Cæſar nihil cunctatus, ſigna aduerſus Barbaros promouet, mille ex hoſtibus eo impetu cædit, reliquos omnes cum Barbaruſſa duce, tormentis eorum æneis captis, fugat, atq; in vrbem ſe ſe recipere compellit. Barbaruſſa hoc fœdo prælij initio animo deiectus, Chriſtianos omnes qui in foſſa arcis, ad viginti ferme milia, captiui in ergaſtulis detinebantur, concremari iubet, veritus (quod poſtea euenit) ne perfractis cathenis Caroli victoriam maturarent, a quo nefario ſcelere per Sinan Archipiratam inſignem, cognomēto Iudeum, reuocatus eſt. Poſt hæc ad Templum Maximum proceres, plæbemq; ad concionem vocat, & de tuenda, conſeruandaq; vrbe Regia, & Africæ capite conſilium capit. Dum hæc Barbaruſſa gerit, Chriſtiani, qui ſerui in Arce vincti erant, cognito ſæuo Barbaruſſæ animo, immitiq; imperio, ad libertatem ſe ſe excitant, Cathenas effringunt, atq; e, foſſa erumpunt, factoq; impetu, cuſtodibus peremptis, Arcem ſibi occupant. Deinde a vertice, fumo, flammis, acclamationibus, & Cęſaris vexillo, quod in Arce obuerſum adhuc erat, recto ordine expanſo, victoriam Chriſtianis qui pro mœnibus erant, indicant. Barbaruſſa hoc cognito, relicta concione, ex Templo ad Arcem aduolat, Chriſtianos ſeruos, vt arcem ſibi dedant, veniam admiſſi criminis, libertatem, & munera ingentia daturo, ſupplex orat. At illi probris, cōtumelijſq; primum, mox lapidibus ex vertice deiectis, eum perdere pergunt.

Digitized by Google

pergunt. Demum cum aliquandiu Barbaruſſa fruſtra rem tentaſſet, veritus ne a Carolo Cæſare intra vrbem concluderetur, rebus iam plane perditis, cum ſeptem Turcarum milibus, ad Hipponam vrbem maritimam, ſuo præſidio detentam, terreſtri itinere profugit, in cuius ſtagno quatuordecim Triremes ad futuros, incertoſq; belli euentus ſubduxerat. Fugato Barbaruſſa Carolus Cæſar cum exercitu Tuneto apropinquat, & Sarracenis lætis vocibus conclamantibus, victor intra vrbem, & Arcem maximo honore excipitur, Milites vrbem ingreſſi, cupidine præde accenſi, obuios quoſq; primo impetu miſere trucidant, domos excurrunt, cuncta diripiunt, Sarracenos in captiuitatem redigunt, At proſus præcante, lugenteq; Aſſen Rege, Carolus Cæſar ad milites conuerſus, iam ſatis (inquit) ſæuitum eſt. modum igitur, ſub capitis mulcta, imponite. Quod vbi factũ eſt: Aſſen plures Sarracenos ſibi deuinctos, auro a ſeruitute redemit. In eo tumultu Mulier quædam genere inſignis, ſed animi fortitudine nobilior Aſa nomine, ab Hiſpanis capta ſibi occurrit, quam cum Rex redimere vellet, incenſa illa, ſputaq; in Regis ora conijciens, in hæc verba prorupit, Abi hinc in diem malam Aſſen, qui vt Regnum repeteres, patriam & ciues ad prædam, & lanienam crudeliſsime tradidiſti. Abi hinc inquam, Tyranne, neq; te redemptore libera eſſe volo, ſed ſerua cum patria perpetuo & viuam & moriar. Rurſuſq; illum reſpuens, pluraq; alia punice in Regem obloquuta, obuerſa fronte indignata receſsit. Cæſar vrbe potitus, Chriſtianos ſeruos qui ad libertatem ſe vendicauerant, ad Pileum vocauit, Aſſen vero in ſolium reſtituit, & dipplomate ſuo, ſuum Beneficiarium fecit. Triduum cum Cæſar Tuneti egiſſet, totamq; vrbem perluſtraſſet, victor cum victore exercitu, ad Gulectam redijt. Interea fugatus Barbaruſſa, uihiloſecius, ac ſi victor abijſſet, inuictum gerens animum, ad Hipponam peruenit, Triremes quatuordecim ſubductas, ex ſtagno extrahit, Turcis inſtruit, ad Minoricam alteram ex Balearibus inſulam nauigat, & explicatis Chriſtianis vexillis, quæ penes ſe ex piratica acquiſita ad fraudem punicã exercendam habebat, in oppidi Magonis portum ſe ſe intulit. Magonenſes ſimulatorum inſignium errore decepti, Hiſpanicam claſſem ex ſuperato Tuneto redeuntem arbitrati, amice recipiunt, & tormentis, acclamationibuſq; ſalutãt. Sed detecta fraude, confeſtim ad arma ruunt. At Barbaruſſa ſuo innixus conſilio, tormentis oppidum adoritur, oppugnat, ac demum per deditionem capit, diripit, populatur, & rerum omnium, hominumq; præda onuſtus, Algerium primum, & ſubinde Conſtantinopolim victus & victor reuerſus eſt. Sub idem ferme tempus, Solymanus ingentibus copijs inſtructus, bellum contra Tammaſum Perſarum Regem, nil hoſtile metuentem, ſuſcipit. Igitur per Meſopotamię fines Perſiam ingreſſus, ad Coim vſq; oppidum, nullo obſiſtente peruenit. Tammaſus etenim Rex cum imparatus fuiſſet inuaſus, deſertis vrbibus, in montes aſperrimos ſe ſubduxerat, & copias ſibi paulatim comparabat, vt Turcas tandẽ longiſsimis itineribus fatigatos opprimeret. Solymanus explorato Regis conſilio, Tauriſium vrbem Regiam petit, Sultaniam mox perſarum Regum olim Domicilium contendit. Recta poſtea Babilloniam, vrbium omnium totius cogniti orbis maximam, atq; Euphratis amnis interfluxu, Semiramiſq; conditricis memoria inſignẽ, profectus eſt. Vbi nõ a Babillonijs modo, ſed ab omnibus Meſopotamiæ. Aſiriæq; vrbibus magno honore exceptus, totius Aſyriæ, Meſopotamiæq; Rex acclamatur, atq; per totam hyemem ibidem magnæ hilaritatis ſpectacula more Regio celebrauit. Primo deinde vere Tauriſium cum exercitu redijt, animo Tammaſi Regis iuſta acie inuadendi. Verum cum Rex nullibi ad prælium ſe offerret, indignato animo Tauriſium populatur, diripit, incolas in ſeruitutem redigit, ac totam vrbem incendijs fœdat. Poſt hæc circa equinoctium motis caſtris, Regiæ vrbis direptione contentus, veritusq; ne ibidem

inſidiæ

insidiæ sibi pararentur, cum Regem nullibi se offerentem conspiceret, in Mesopotamiam est reuersus. Interea Tammasus Rex coacto ingenti, iustoq; equitũ exercitu, ex montibus erumpens Taurisium venit, animo Solymani repentina irruptione opprimendi. Quo ibidem non reperto, decreuit eum omnino quocunq; iret, ad iniuriam incensæ vrbis Regiæ vlciscendam, persequendum, eaq; mente furens cum omni equitatu ad Mesopotamiam vsq; progressus est. At cũ multo itineris spatio Solymanus abesset, neq; nisi certo equorum detrimento fugientem persequi posse censeret, mutato consilio, expeditorum delectorumq; equitum tertiam partem Delimentho (viro impigro & strenuo) Duce, vt postremum saltem hostis agmen opprimeret, contra Solymanum misit. Itaq; Delimenthus, summa cum celeritate Turcas ad Bethlim vrbem, longo itineris labore fessos, omniq; metu solutos, nocte obscurissima, imbreq; impedita, repentino impetu consopitos adoritur, opprimit, cædit, tormentisq;, Tentorijs omnibus, & dimidia equorum parte captis, tantam Turcarum stragem edidit, vt Solymanus ea clade, tanq̃, e naufragio elapsus, spem omnem renouandi bellum reiecerit, atq; victus, turpiterq; fugatus Constantinopolim redierit. Fuit autem ea mira Turcarum clades ad Tertium idus Octobris, Solymano quidem funestissimum, sed Persis maxima omnium lætitia postea celebratum, Nã Tammasus ipse Rex festos dies, sacrificiaq;, & spectacula omnifariam edidit magnificentissime, ac celebritates indulsit, magnoq; dato congiario, & ludos pro victoria celebrauit. Hisdem ferme diebus in Sicilia Mons Aetna per duos salutis. 1536. & 1537. annos, igneos Globos emisit, & varij sonitus per totam insulam sunt exauditi, Corilionis quoq; & Calatagironis oppido, solo dehiscente, pars magna corruit. De quibus exacte priori Decade memorauimus. Sed ad Carolum redeo. Is Gulecta Arce Hispanorum munita præsidio, per Duces suos Vtica, Hippona, Sface, & alijs maritimis Saracenorum oppidis, Tuneto vicinis, præter Africam vrbem, potitus est. Ad eam nanq; oppugnandam, cum classem Duce Ferdinando Gonzaga misisset, ab aduersa tempestate repulsa, Siciliam tenuit. Parta igitur victoria Carolus Cæsar ex Gulecta soluens, prospero cursu in Siciliam nauigans, Drepano appulit. Vbi quatuor dies moratus, Montem Regalem vrbem, & Aedem Sacram toto orbe celeberrimam octo diebus inuisit. Idibus postea Septembris Panormum occidente sole per portam nouã ingressus, Templum Maximum Christiano more veneratus est, terq; ibi priuatas vrbis, & Regni totius leges, iure iurando Sicilienſium Regum instituto, se illibate, ac sanctissime seruaturum pollicitus est. Mox per Marmoream vrbis viam longo ordine, & frequenti pompa obequitans, in Guilelmi aiutame Christi Aedibus, ad portam Thermarum positis, hospitio, magnificentissimo apparatu exceptus. Ad Hosterium deinde Regium, Areæ Maritimæ incubans, cum proceribus Regni conuenit habito, nummario munere donatus est. Iam Cæsar vnũ circiter mensem Panormi exegerat, cum pridie idus Octobris recta Messanam contendit, Ex itinere autem susceptus est apud Thermas Himerenses, Politũ, Nicosiam, Troynam, Randatium, Tauromenium, & Diui Placiti cœnobiũ. Messane itaq; summis honoribus excipitur, vbi Ferdinando Gonzaga, ob mortem Hectoris Pignatelli, Siciliæ prorege constituto, terrestri itinere, emenso fretõ Neapolim profectus est, in qua vrbe per totam hyemem diuersæ celebritatis spectacula, atq; equestres ludos edidit. Neapoli Carolo Cæsare hyemante, Franciscus Sforcia Mediolani Dux absq; liberis moritur, cuius morte grauissima bella sunt exorta. Franciscus nanq; Francorum Rex Mediolanum Henrico filio a Cæsare pacis Tabulis promissum, & sibi veteri iure restitui postulabat. Cui cũ Cæsar non annuisset, Rex in Carolum subaudiæ Ducem Cæsaris affinem, imparatum, nihilq; tale metuentem, arma vertit, vt per eius Ditionis fines, expeditũ

sibi

sibi iter in Italiam pararet. Taurinum, Fossanum, Penarolum, & Cherium vrbes nullo labore sibi occupat. Carolus Cæsar his auditis, adulto vere, ex Neapoli nonis Aprilis Romam ex Africa victa Triumphantis more per Capenam portam ingreditur, & a Paulo Tertio Pontifice Maximo, Cardinalibus, & Romanis omnibus maximo honore excipitur, in Aedibus Pontificis hospitatus. Romæ quatriduo moratus, & omnibus antiquitatibus visis, Grauissimam coram Pontifice, & Senatu, atq; principum omnium Legatis contra Franciscum Regem Sermone Hispanico, habuit orationem, ostenditq; Regem Bello iusto captum, & benigne dimissum, nihil eorum quæ pro obtinenda libertate promiserat, præstitisse. Sed sacramenti oblitus, totum terrarum orbem, etiam Solymannum ipsum Turcarum Regem, aduersus eum, impie commouisse, & deinde nefaria temeritate Caroli Ducis subaudiæ auunculi sui regiones, & vrbes occupasse, vt liberius Mediolanum Imperium inuaderet. Idcirco ad vindicandas has iniurias, recta se in Galliam progressurum protestatus est. Hoc itaq; modo, declarato animo, & quinquaginta milium Hispanorũ, Germanorum, & Italorum cõactis copijs, Roma discedens, Senas, Florentiam, & Luccam petijt, atq; mox longis itineribus contra Massiliam contendit, & in conspectu vrbis se dedit. Ex Belgis autem Mariam Sororem contra Regem arma mouere iussit. Frãciscus Rex, audito Cæsaris ad Massiliam celeri progressu, ratus proditionem subesse, veteribus præfectis abrogatis, nouos & fidos substituit. Dum Cæsar supra Massilią castra metatur, Tabifici morbi, eius exercitum inuadunt, atq; castra omnia morientium funeribus complentur, in quibus etiam Antonius Leua Dux strenuus interijt. Quo mortuo, tanq̃ belli vertice Cæsar nihil vltra eo bello contra Galliam moliri statuit, sed mense Septembri deductis vndiq; præsidijs in Liguriam est reuersus. Ita Carolo Cæsari bellum quod contra Galliam ea vice susceperit, inclementia cœli infœlix successit, quo circa vel inuitus inducias cum Rege Anno salutis. 1539. renouauit. Eodem ferme tempore, cum sex milia Hispanorũ militum, qui Gulectæ Tunetanæ præsidio erant, stipendijs meritis frustrati, in seditionem verterentur, Bernardinus Mendossus genere Hispanus Gulectæ Præfectus, eos in Siciliam sua classe transuexit, ratus ibi neq; stipendia, neq; alimenta eis defutura. In Siciliam traiecti, cum exhausto ærario Regio non minus eisdem priuarentur, infurorem versi, vexatis prius atq; direptis agricolis, qui non longe a Messana aberant, castaniam, Monfortem, Sanctam Luciam, ac alia quædam vicina oppidula atrociter, atq; impudenter peruastant, diripiunt, & propinquos agros incendunt. Post hæc, Rocellam oppidulum radicibus ætnæ montis impositum adorti, capiunt, populantur. Randatium deinde ex Rocella progressi, vicinum ingens sane, celebre, & locuples oppidum, & muro cinctum, ad portam occidentalem, cui a Sancto Martino nomen est, iniecto igne vigesimo Ianuarij die, aditum sibi aperiunt, in oppidum irrumpunt, tanta populi trepidatione, vt metu vrgente, plebs omnis cum vxoribus & liberis, ex aduersa porta, relictis laribus in ætnam montem sese effundentes, salutem sibi quærerent. Hispani oppidum ingressi, per domos excurrunt, & cuncta prædantur. Oppido potiti, quo tuto satis loco se tueri poterant, intra mœnia hospitijs distributis se muniunt, per regiones vigilias instituunt, propugnacula extruunt, & omnia ad obsidionem perferendam necessaria parant. Præerat per id tempus in Sicilia Ferdinandus Gonzaga prorex, qui cum Messanæ ageret, vt tanto Siciliæ incomodo mederetur, bonis verbis eos ad officium pertrahere nixus est. Sed cum Barbari, perfidi; homines, indies in peiora dilaberentur, imperijq; eius prorsus contemnerent, neq; eos absq; ingenti suorum strage expugnare posset, ad fraudem se conuertit. Promissa eis admissi sceleris impunitate, stipendiorumq; quatrimestri solutione, eos ad officium pertraxit. Sed vt promissis

fides

Digitized by Google

fides non deesset, expoſcentibus Hiſpanis, ad linguam Groſſam vicinum oppidum, res inter ipſa ſacra cum Chriſti hoſtia populo oſtenditur, ſacramenti religione & iure iurãdo, a Prorege ipſo, ſimul & viginti quatuor militũ legatis ad hæc peragẽda delectis, firmata eſt. Ita corroboratis animis, cohortes p vrbes & oppida diſtributæ ſunt, vt comodius ali, atq; ſoluto ſtipẽdio cõtineri poſſent ad officio. Igitur Milites omnes Menſe aprili ex Rãdatio Catanam vrbem vbi ego preſens aderam venerunt. Inde vero ad Leontinũ, Auguſtam, Syracuſas, Calagironum, Tauromenium aliaq; vicina oppida diſpoſiti ſunt. At non diu poſt, viginti quatuor militum legati, qui ſacris interfuerant, iuſſu Proregis, contra fidem capti, Meſſanam vincti perducti ſunt, eodemq; tempore latronum more in littore furca ſuſpenſi. Deinde Prorex, non ſatis de ſuis vltũ ratus, facinoroſiſſimos ex eis quoſq;, ac ſeditionis capita, per diuerſas vrbes necari, & cadauera eorum in mare proijci iuſſit. Meſſana præterea complures ex eiſdem, comprehenſos, ferroq; peremptos in mare ſubmerſit. Et donum adeo in eos ſæuijt, vt ab vrbe Meſſana ad Syracuſas vſq; Hiſpanorũ militũ cadauera, toco dittore, ſcopulis illiſa, & fluctibus fœde lacerata, conſpicerentur. Quod factũ adeo Sonatus Hiſpanicus ob violatam ſuis fidẽ deteſtatus eſt, vt Prorogem ad ius dicendũ ſub capitis mulcta euocauerit. Quiſtatim ad decus ſuum tuendũ cum ſe paraſſet, a Carolo Cæſare ne aliqui motus inter Proceres ſuborirentur, traiectu Hiſpanico inhibitus eſt. Sub idem ferme tempus Henricus Angliæ Rex huius nominis octauus, Catherina Ferdinandi Hiſpaniæ Catholici Regis filia, & Caroli Cæſaris matertera, legitima vxore, ex qua Mariam filiam ſuſceperat, contumelioſq; repudiata, vel ob id quod antea Arturo Germano fratri nupſerat, Annam Boleniam pellicem quem perdite amabat, vxorem duxit. Qua paulo poſt adulterij damnata, & publico ſupplitio affecta, Henricus Iohannam Semeram, viuente adhuc Catherina coniugem accepit, ex qua Obdoardum puerum ſuſcepit. Iſdẽ ferme diebus Solymanus Romani Imperij cupidine accenſus, contra Apuliam arma vertere decreuit. Igitur coactis q̃ breuiſſime ducentis armatorum milibus ad Macedoniæ littora, venit, claſſemq; octuaginta Triremiũ præfecto Barbaruſſa cõtra Caſtrum Apuliæ oppidum, octo p. m. ab Hidrunte vrbe diſtans, eo animo transfretare iuſſit, vt ſi cepta proſpere ſuccederent, totis ipſe copijs in Apuliã traijceret. Barbaruſſa vbi ad Caſtrũ appulit, per deditionẽ oppidum cæpit, diripit, & incolas oẽs captiuos, ingentemq; pecoris prædã ad naues deducit. Carolus Cæſar his cognitis magnã Hiſpanorũ, Italorũq; militũ manu Duce Petro Toletano Neapolitano, prege, ad Hidruntẽ, & Brunduſiũ miſit, claſſẽq; & ipſe. 40. Triremiũ Andrea Aurea Prefecto i Ioniũ mare cõtra nauigare iuſſit. Andreas Meſſana ſoluẽs, breui curſu ad Caput Corcyre luſulæ Caſſiopeũ antiqs dictũ, nauigat. Vbi noctu in. 12. Triremes Turcicas Ianizeris militibus, & delectis equitibus cõpletas, incidit, q̃ ad Solymani caſtra nauigabant. In eas igit Andreas diuiſa claſſe, cũ. 20. Triremibus, q̃bus Antonius Aurea præerat, ſub tenebris irrut, Turcis magnis viribus animiſq;, ppugnãtibus, & noſtros arcentibus. Tunc Andreas cũ reliqua claſſe repẽtinus, in feſſos, ſaucioſq; ſuperuenit. Nec Turcę, ppterea aĩo inferiores fiunt, ſed ſtrenue pugnãdo, oẽs fere vel prelio occiſi, vel pauci cum Triremibus viui in victoris poteſtatem deuenerunt. Neq; noſtris incruenta fuit hæc victoria. Nam maximus propugnatorum noſtrorum, ſimul & Remigum, Trierarchorumq; deſideratus eſt numerus, & Antonius Aurea grauiter vulneratus, vix mortem euaſit, & Ioannitæ equites incredibili virtute pugnantes, vel perempti, vel non leuiter ſauciati ſunt. Andreas parta victoria, Meſſanam ad claſſem reficiendam, quæ tota ferme eliſa erat, reuerſus eſt. Solymanus audita ſuorum clade, inuadendæ Italiæ conſilium reuocat, in Venetos bellum mouet, Corcyram inſulam ingenti claſſe

Barbarussa præfecto adoritur, oppidum natura, & arte munitissimum terra & mari frustra plures dies oppugnat. Tandem direptis & incendio fœdatis corcyreorum pagis, & maxima hominum multitudine in seruitutem abducta, Augusto mense recto per Acarnaniam & Aetoliam itinere, Constantinopolim rediit. Nauphlum, & Epidaurum Venetorum in Peloponeso sitas vrbes, & in Dalmatia, quædam eorum etiam oppida per Duces suos vno simul tempore agreditur, & oppugnat. Eodem tempore Ferdinandus Rex Regni Vngarici animo repetendi, cum equitum octo, & peditum sexdecim milibus, numerosoq; tormentorum apparatu contra Turcas ad Exechium Vngariæ oppidum arma mouet. Cui cum Mahomeches Solymani in ea regione præfectus, cũ iusto exercitu occurrisset, magno nostrorum dedecore, fœdaq; Ducis fuga, totum fere exercitũ commeatus inopia laborantem strauit, deleuitq;. Hac clade nostris attritis, Carolus Cæsar, Paulus Pontifex, & Veneti classem contra Solymanum ducẽtarum Triremium, & onerariarum quinquaginta, præfecto Andrea Aurea instruunt. Quo Solymanus cognito, classem & ipse ceterum ferme Triremium, præfecto Barbarussa, parat, & ad Ambracium sinum inferri iubet. Nostri igitur recto cursu ad Actium promontorium nauigant, Præuesum Turcarum oppidum expugnare, egressum ex sinu Barbarussæ inhibere, & totam eius classem dissipare cõtendunt. Barbarussa, nostrorum explorato consilio, ad fauces Ambracij sinus, expositis in vtroq; littore tormentis, classem intra naturæ & artis munimenta continet, atq; eo pacto, neq; extra sinum progrediebatur, neq; conserendæ pugnæ in alto mari facultatem nostris dabat. Andreas hoc viso ad Præuesum oppidum, quod non longe abest, expugnandum, cũ vniuersa classe contendit, vt vel sic Barbarussam extra sinum in apertum mare pertraheret, & cum eo pugnandi æquo loco facultatem haberet. At Barbarussa, & si numero nauium esset inferior, e sinu tãdem, classem littora semper legentem, educit. Andreas, vbi hoc vidit, ad pugnam se parat, Venetas Triremes, vt identidem faciant, hortatur. Sed nostra classis (qua causa incertũ) in ordine, ad hostem impetendũ reduci nunq; potuit. Igitur Turcæ principio belli audacissime in nostros inuehunt, sed maximis tormentorum ictibus a nostris reiecti, trepide se paulisper retrahunt. Sed visa nostræ classis deturbatione, erectis animis in nostras naues disgregatas irruunt, onerarias quinq;, & duas rostratas omni commeatu, & militibus munitas, capiunt, & incendunt. Dum nostri hoc turpi belli initio turbati ad colligendum se frustra nituntur, Grauis imber, & sæua procella Flante Euro exoritur, qua nostri perterriti, præeunte Andrea, statim inde se explicãt, & ad Corcyram absq; ordine, turpiterq; cursum intẽdũt, Barbarussa vsq; ad Paxũ insulã. 12. p. m. inde distantẽ, eos insequente. Sedato mari, nostri pudore suffusi, vt aliquo insigni opere, dedecus anteuerterent, Castellũ nouũ oppidũ, quod olim a Mahometo sexto Turcarum Rege captũ, Turcicæ tũ ditionis erat, in sinu Catarensi positũ, paruo labore expugnant, atq; relicto ibi quatuor Hispanorũ miliũ præsidio, Andreas in Genuã, cæteri Duces cũ classe ad propria redierunt. Solymanus hac iniuria lacessitus, primo vere, centũ ferme Triremiũ classe, Barbarussa Duce, instructa, & triginta equitũ, peditũq; milibus coactis, terra & mari Castellũ nouũ adoritur, atq; tãdẽ. 7. idus Augusti, Hispanis omnibus cẽsis, oppidũ recipit. Interea Carolus Cẽsar cõpositis Insubrũ rebus, ex Genua in Hispaniã nauigat, Quo nauigante Alexander Medices Florentiæ Dux, a Laurentio Medices in suo cubiculo, ad Patriam in libertatem restituendam postridie Nonas Ianuarij misere iugulatus est. Cæso Alexandro, triduo post, Senatus consulto, & omnium Florentinorum ciuium consensu, Cosmas Medices, Ioannis filius duodeuiginti natus annos, Florentinæ Reipublicæ. Dux delectus est, & a Carolo Cæsare confirmatus. Cæsar postquam Hispaniam applicuit, per me-

diam

diam Galliam consensu Regis, perq; Clarissimas Galliæ vrbes maximis exceptus honoribus, nihil de fide Francisci hæsitans, principibus omnibus eius ausus admirantibus, in Belgiam profectus est. Veneti per ea ferme tempora recenti apud Præuesum oppidum ignominia, metuq; perculsi, pacem cum Solymano renouant, Nauplio, & Epidauro Peloponesi vrbibus, & Nadino, & labrano Dalmatiæ munitissimis oppidis turpiter redemptam. Carolus Cæsar in Belgiam profectus Gandauum vrbem Patriam seruituti subiecit, quod ad bellum Gallicum, veluti libera, sibi sumptus denegauerit. Ingressus etenim vrbem, & dispositis per loca præsidijs, proceres multos vno simul tempore comprehēsos necat, priscas immunitates abrogat, leges dissipat, ius quo senatus creabatur, abolet, Arcem munitissimā opportuno vrbis loco erigit, ingētēq; pecuniarū mulctā imponit. Sub idem tempus Sepusius Vngariæ Rex, moritur, relicto Stephano filio impuberi, ex Isabella vxore, Sigismundi Sarmatiæ Regis filia, suscepto, & peractis apud Albam Regiam inferijs, in Regem coronato. Ferdinandus Rex audita Sepusij morte, arma contra Isabellam & Stephanum puerum mouet, Budā obsidet, & oppugnat, atq; magna vi perruptis mœnibus Germani milites in vrbem irrumpunt, sed a Regina, & Budensibus strenue, fortiterq; propugnātibus occiduntur. His cognitis, Solymanas auxiliares copias Isabellæ ad Budam mittit, quorum aduentu Austriani metu Perterriti noctu fugam capessunt, atq; ad Pestum oppidum contendunt. Quos Budenses & Turcæ vrbe egressi insequuti, cædunt, ingentemq; stragem faciunt, atq; supra viginti Christianorum milia interficiunt. Solymanus Interea Budam venit, captiuos omnes Christianos ad vnum trucidat. Deinde decernens Vngariæ Regnum toties ab eo captum, in re belli octomanico deberi Imperio, Reginam & Stephanum puerum, in Transyluaniam regnaturos, mittit, & Budam suo adscribit iuri. Occupata per hunc modum Buda vrbe, præsidijsq; Turcicis munita, Cōstantinopolim redijt. Dum hæc ad Budam geruntur, Carolus Cæsar ad Ratisponam conuentu cū Germanis habito, decernit, cuiq; de Diuinis rebus, & placitis a Luthero traditis, ad indictam vsq; synodum ad libitum impune sentire licere. Dissoluto cōuentu, Carolus Cæsar Italiam venit, vbi Hispanorum precibus adductus contra Algeriū Maritimū Numidiæ oppidum, Barbarussæ, & Turcarum Piratarum Hispaniæ & Italiæ littora vexantium, Domicilium, autumno ingruente, classem instruit. Est autē Algeriū, Africæ parua vrbs maritima, ad orā mediterranei maris, inter Bugiam Numidiæ, & Oranū Mauritaniæ Cæsariensis vrbes, longo & inequali tractu sita. Habet ex vtroq; latere promōtoria vicina duo. Ab oriente, Metifum, flexuoso & lunato littore, & amne eiusdē nominis interfluente. p. m. 15, recedēs, ad cuius littus magnæ & vetustæ dirutæ vrbis, ambitus. p. m. ferme. 3. admirāda cernuntur monumenta, per totā vrbē lapidibus quadratis & eis ingentibus, ac columnis Numidici marmoris passim iacentibus, & tēplis orbicularibus miris adhuc fere integris. Portū habet hæc iacens vrbs magnū, multarū nauiū & Regiæ classis capacissimū, quā littus ab amne vrbē præterfluente, ad Promōtoriū vsq; curuatū efficit. Ante portū paruula iacet insula, Ab occidente Algeriū obliquato littore caput habet & portū Cassinis nomine. p. m. 12. distātē, paucarū rostratarū nauiū capacē, quē obiectu protēsæ linguæ mare incurrens gignit. Inter Cassinim caput, & Algeriū duæ sunt insulę paruulę, Germanes hodie nominatę. A meridie Algeriū salebrosos & eos cōplures habet mōtes, cōtinenter se se excipiētes, quibus munita, difficilē ea parte habet oppugnationē, ad quorū latus, pręmissa iuxta littus planitie angusta, instar Theatri edificata est vrbs, vt quēad modū mōtis cliuus surgit, ita domus vna alterā domū altitudine supat. A septētriōe mari alluit, qd' importuosū ē totū, & tēpestatibus Borealibus expositū. Insula paruula, ī circuitu habēs. p. ferme ducētos ad iactū lapidis illi obiacet. Inhac

insula, Ferdinandus Hispaniæ, & Sicilię Rex cognomento Catholicus ad cōtinē dos in officio Sarracenos Algerienses, quos sibi subegerat, Arcē natura & arte munitā, Pignunim vernacule dictā, erexit. Opponitur Balearibus insulis, a quibus. p. m. 200. recedit. Hæc vrbs quæ nā fuerit, apud veteres, incertū est, præsertim cū nihil in ea vetusti operis vestigij, sed recentis structuræ Sarracenicæ, cernatur. Plæriq; minus æquo aduertentes Cirthā hanc fuisse contendunt, quibus lib. vltimo, strabo, & Cæteri Geographi aduersantur, qui Cirthā mediterraneā prodiderunt. Cirtha (inquit Strabo) vrbs est mediterranea, Sanassæ, & successorū Regia munitissima, & optime structa, cū a Cęteris, tū a Mycipsa Rege, eamq; tātā fuisse, vt decē equitū milia, & peditū viginti milia, emitteret. Et Pli. li. 5. c. 3. A, Rusicada (ait). p. m. 48. in mediterranea distat Colonia Cirtha. Cirtha li. 1. c. 6. inquit. P. Mela Numidiæ vrbium maxima procul a mari, condam Regū Iubæ, & Syphacis domus opulentissima. Ex his itaq; Cirthā non esse Algeriū, & vlterius, ex literis Punicis ad mœnia Cōstātinæ mediterraneæ vrbis incisis, Constantinā esse liquet, q̄ inter Bugiā & Algeriū ī mōtibus sita est. Neq; Saldā fuisse Algeriū, vt q̄dā nulla suffulti authoritate, scripserūt, Strabo lib. vltimo ostēdit, qui Saldā portū magnū habere memorat. Nec desunt q̄ Algeriū Iol vrbē, q̄ & Cæsarea postea dicta est; authoritate Strabonis hāc oram lib. vltimo scribentis, fuisse perperam scribant. Verba Strabonis hæc sunt. In hac ora fuit Ciuitas quædā nomine Iol, quam cum Iuba Iubæ filius, & Ptolemæi pater, muniret, mutato nomine Cæsaream vocauit. Ea portum habet, & ante portum insulā, hucusq; Strabo. Promontorium Apollinis libro. 5. c. 2. inquit Pli. oppidumq; ibi celeberrimum Cæsarea, antea vocatum Iol, Iubæ Regia, a Diuo Claudio Colonię iure donata, eiusdem iussu reductis veteranis. Cæsariēsi Colonię. c. 38. (ait Solinus) Cæsarea iuest, a Diuo Claudio deducta, Bocchi prius Regia, post modum Iubę, indulgentia populi Romani dono data. Iol, inquit. P. Mela. lib. 1. c. 6. aliquando ignobilis, nunc quia Iubæ Regia, & quod Cæsarea vocitatur, Illustris. Ex his ergo, & præsertim ex verbis Strabonis, nō nulli adducti, Algerium Iol olim fuisse & Cæsaream, falso tradiderunt, cum Algerium, neq; magna sit vrbs, neq; demum portum habeat vt Strabo de Cæsarea scribit, sed recens est, Sarracenica, & parua, nullumq; vel minimum habens antiquitatis vestigium. Quinimo si ex verbis Strabonis aliquid colligere licet, Cæsaream, eam esse vrbem, quę ad Metifum Promontorium iacet, cēsendum est, cum omnes illius a Strabone relatas habeat cōditiones, vt eruditus quilibet, satis pro explorato habere potest, ex qua hæc Mauritania, Cæsarea est appellata, vt pote a Metropoli Regia vrbe, veluti & altera Tingitana a Tingi vrbe metropoli, & Antęi qui ibi dominatus est, Regia, dicta est. Algerium igitur, Sarracenica est vrbs, vt eius structura docet, & Sarraceni prædicant, qui eam Agizeri vocant, ab insula proculdubio paruula, ante eius littus obiecta. Agezeir etenim Sarracenice, insulam sonat latinis, Hispani vero, (corrupta parūper Sarracenica voce) Alger eam appellant. Hæc vrbs ætate mea, cum a Sarraceno Regulo sub clientela Ferdinādi Hispaniæ & Siciliæ Regis teneretur, Orucius, Turca genere, a Barba ruffa, Barbarussa cognominatus, qui sub Camali etiā Turca meo tēpore in toto mari mediterraneo Archipirata suis facinoribus claro, piraticam cū Hariadēo fratre, optime didicerat, ex vnica biremi multis nauigijs auctus, terra & mari eā aggressus expugnauit, & occiso Regulo sibi subiecit. Subinde, Camali Mortuo, veluti Alumnus disciplinę suę succedens, classe non modo Sardiniā, & Siciliā, sed Hispaniā, & Italiā quoq; suis maleficijs vexare cepit. Interfecto postea apud Oranū, Hispanorū p̄sidio deēttum, Orucio, Hariadenus frater, eius Imperij & cognominis factus heres, statim, Arce insulæ Algerij solo æquata, ipsam insulam iacta mole continenti iunxit. Mox Camalis, & Orucij exempla sequutus, non minori odio mare Hispanicum & Italicum erumnis, & miserijs

ſerijs deformabat. Quibus iniurijs, Ferdinandus Rex perpetuis Sarracenorum triumphis clarus, exagitatus, Didacum vera genere Hiſpanum, anno ſa. 1511. cũ claſſe militibus, atq; omnibus annonę copijs onuſta, cõtra Algeriũ miſit. Didacus eo appulſus, & in terram rebus expoſitis, infœliciter cum Numidis, & Afris pugnans, omnem exercitum, ſimul & claſſem vi tempeſtatis diſiectam, perdidit. Ferdinandus Rex ea clade, animo minime fractus, claſſem maiorem reparat, militibus Hiſpanis complet, & eam Vgone Montecatino Ioannita præfecto conſtituto, anno ſalutis. 1512. rurſus contra Barbaruſſam dirigit. Claſsis Algerium traijcit, & oppidanis maximum metum incutit. Sed dum Vgo ad vrbem oppugnandam ſe parat, borea magna vi efflante, miſerabili & ipſe noſtrorum naufragio die. xxiiij. Auguſti, tanq̃ deo pro Sarracenis pugnante, inde repellitur. Duabus his noſtrorũ cladibus, Barbaruſſa factus inſtructior, vt æquatis viribus deinceps Chriſtianis obſiſtere poſſet, Solymani Turcarum Regis ſe beneficiarium facit, Turcico præſidio Algerium munit, & ipſe ſua claſſe multos annos cum Hiſpanorum Regum dedecore, littorales vrbes noſtras populatur. Interea Decedenti Ferdinando Regi, & ſi Carolus Rex præpotentiſsimus ſucceſsiſſet, vt diximus, & ad ſuſcipiendum id bellum incenſis animis flagraret, multis tamen a Franciſco Gallorum Rege iniurijs laceſsitus, nunq̃ huic curæ potuit incumbere. Tandem poſt multos ſui imperij annos, pacatis Italiæ rebus, & Germanico diſſoluto Conuentu, ſua dignitate, & Hiſpanorum precibus adductus, Algerium autũno tempore, non per Duces, ſed per ſe ipſum expugnare conſtituit, ratus ſatis ſibi Gloriæ ex hoc bello prouenturum. Cuius mente cognita, Andreas Auria, Alfonſus Daualus, Cæteriq; Duces, ac etiam Paulus ipſe tertius Romanus Pontifex Carolum hortantur, vt petendo Algerio importuoſo oppido, & duobus Chriſtianorum naufragijs inſigni, furenti præſertim ſydere, voluntatem in æſtatem differret, & Chriſtianæ reip. in Vngaria contra Turcas opem ferret. At Carolus tenaci animo eo intendens anno ſalutis. 1541. menſe Octobri. Cum roſtratarum, onerariarumq; ducentarum claſſe, triginta ferme peditũ equitumq; milibus inſtructa, Genua ſoluens Algerium nauigat. Erat eo tempore Barbaruſſa Solymani obſequio apud Conſtantinopolim mancipatus, quo profecturus, Algerio, præter Afros, Turcas equites fere mille, quibus Sanagaſus genere Sardus, ſacro CHRISTI baptiſmate lotus, ſed abiurata poſtea religione, ſuperſtitionibus Mahometti initiatus, militia ſtrenuus præerat, præſidio, quaſi bellum diuinaret, reliquit. Ad eius oram Cęſar appulſus, Innumeros Numidas, tum pedites tum equites, qui Nomades ſunt antiquis, & Arabes hodie vocantur, incertis ſedibus cum vxoribus & liberis vagantes, obuios habuit. Quibus ſtrenue repulſis, ac in altiſsimis aſperrimiſq; mõtibus vrbi imminentibus collocata prima Hiſpanorum acie, ne Turcæ inde noſtros lædere poſſent, ſecunda vero in collibus qui montibus ſubſunt, tertia acies iuxta littus eſt conſtituta, atq; exercitu in hunc modum diſpoſito, vrbem Cæſar circumuallatam obſidere pergit. Namq; ea ab vno latere, mari concluſa, in alijs duobus exercitu circumfuſo, nulla fere in externis copijs ſpem habebat. Compulſis igitur in vrbem hoſtibus, & rebus omnibus prudentiſsime a Cæſare comparatis, inclinata die, vigiliiſq; diſpoſitis, dum lætitiæ omni ſeſe exercitus daret, anteq̃ e nauibus omnis miles eſſet emiſſus, vel commeatus, & tormenta ænea in terram eſſent expoſita, repentina quædam, ac plane deploranda calamitas, quæ vitari omnino non potuit, claſſem noſtram inuaſit. Imbrium etenim vis vehementiſsima, prima vigilia coorta, nullam noctis horam intermiſit, quã etiã par ventorũ vis eſt conſecuta. Cumq; militibus nec amictus eſſet vllus, quo pluuiæ a ſe iniuriam propulſarent, nec tentoria, ad quæ profugere poſſent, haberent, factum eſt vt imbre perpetuo madefactis, aſsiduoq; vento cõcuſsis, vires prorſus,

atq; animi defuerent. Eodem quoq; tempore supra quam cuiq̃ credibile est, intumuit mare, atq; efferbuit, vt multæ naues, quæ sæuitiam ferre non poterant, fractis funibus ancorarijs, ad littus alliderentur, aliæ vero fluctibus degrauatæ, naufragium ingens, non sine hominum, cibariorumq; iactura fecerint. Illuceſcẽte vero, venti atq; imbres in tantam sæuitiam creuerunt, vt vix quisq̃ pedibus consistere posset. Quod Turcæ atq; Numidæ videntes occasionem pugnandi neutiq̃ pretermittunt, sed in acies, confertim magno agmine omnes irruunt. Igitur hostes, venti, pluuia, & mare nostros durissime exagitabant. Terra siquidem infœliciter ab eis pugnatum est. mari vero naues omnes longæ vehementer afflictatæ, Nam vis ventorum ita mare commouerat, vt cum naues incuteret, neq; ancoræ, neq; funes obstarent, quo minus ad terram magno impetu ejicerentur. Quod si quæ funium multitudine retinerentur, tanta vi concutiebantur, vt aquis demum completæ obruerentur, ex quibus Triremes quatuordecim longo maris conflictu diuulsæ, in terram ejectæ sunt. Porro Turcæ ad littus magno numero conuenerunt, vt quos fortuna in terram exportaret, eos ibidem opprimerent, adeo, vt ad littus ne ejici, an submergi, præstaret, incertum fuerit, Itaq; naufragium factus est insignius. Ex hac etenim tempestate centum triginta naues desideratæ sunt, & cum nauibus magna frumenti, farinæ, panis, leguminum, vini, olei, carnis sale conditæ, ac totius rei penuriæ copia, tormentorumq;, quæ vel ad nauale præsidium, vel ad vrbis oppugnationem comportabatur, amissa est. Milites triduo inedia, atq; imbribus madefacti, exhausti viribus, exanimatiq;, passim corruebant, quamquã terra adeo cenosa erat, vt neq; in ea recumbi, neq; commode quoq; incedi posset. Quo tempore ob commeatus defectum, qui tempestatis causa, e nauibus exportari nequibat, equis, quos iam ante in littus exposuerant, interfectis, milites sunt refecti. At cum Turcæ nostrorum agmina, tormentis ex vrbe infestarent, eorum aliquot, cum quibus Cæsar verba faciebat, quosq; adhortabatur, substulerunt. Interim Cæsar neq; vllum timoris signum edidit, neq; orationem suam intermisit, aut vultum mutauit, sed ea animi fortitudine, ac præsentia, qua in maxima tranquillitate vsus fuerat, quo cæteris metum adimeret, omnem fortunæ iniuriam tolerauit. Atq; ita Deus Sarracenis tum fauere visus est, vt propter inges pluuias, vimq; tempestatis, ac procellarum ingentem, nostrorum naues annona onustæ, & maxima hominum multitudo, interierint. Reliqui autem, iumentis, equisq;, aceteris animalibus, quæ noua, fædaq; in eorum vsum necessitas vertit, absumptis, virgulta postremo, ac stirpes, & internatas saxis herbas, vellentes, miseriarum, & patientiæ ostenderunt documenta. Carolus Cæsar vnus omnium aduersus omnem seuientis fortunæ vim, animo inuictus, se vicisse simul & fortunam visus est, qui de speratis, ac perditis prope rebus, tot durissimo fortunæ casus, acceptasq; iniquæ sortis iniurias, æquo atq; interrito semper animo vultuq; nõ contracto, sed placidissimo tulit. Cœlo itaq; pro Sarracenis pugnante, vrbem eo tempore aggredi non est ausus, sed in sequentem æstatem oppugnationem differens, qui ex naufragio superfuerunt, alijs alio concedentibus, in Hispaniam ipse contendit. Sed anteq̃ solueret, dum ad Bugiæ portum tempestatem effugiens appulisset, religione monitus Deum opt. Maximum placare constituit, Igitur trium dierũ supplicatione decreta, expiatisq; confessione criminibus, panem Sacrum religiosissime edidit, quem omnes aulici imitati, iram Dei deprecati sunt. Hoc naufragio periere milites ad decem milia, classis tota ferme disiecta, præter paucas onerarias, & triremes circiter quadraginta. Fœdauit non nihil Caroli Cæsaris decus, sæuum hoc tam fœde calamitatis naufragium, sua tenacitate passum, & si grauiter se tueretur quod eo tempore suscipienda erat hæc expeditio, quando Solymanus Algerio opem reluctante hyeme ferre nequiret. Post hæc Carolus

anno

Digitized by Google

anno ſalutis. 1542. quoniam Lutherana labes, non modo Germaniam, verum totam pene Italiam, ac multas alias orbis Chriſtiani regiones infecerat, cū Paulo Pontifice Maximo egit vt Tridenti ſynodus indiceretur, in vnicum huius ſuperſtitionis remedium. Cuius rei gratia conſtat, multa ipſum non ſolum nuntijs, & literis cogitaſſe, ſed & prælatos fere omnes ſuorum Regnorum eo tranſmiſiſſe. Eodem ſalutis anno. 1542. In Sicilia quarto idus Decembris hora 23. Terremotus ingens totam inſulam, ſed eam præcipue partem, quæ Neeti Regio appellatur concuſsit. Syracuſæ nanq; vrbs tota propemodum quaſſata eſt, Epiſcopale Palatium diſiectum, Campanariæ turris quæ ſuper Maximum Templum erecta eſt, pars ea, quæ Leontino aduentantibus prima ſeſe offerebat, quæq; reliqua etiam, & tota ipſa vrbe celſior erat, ad verticem vſq; eſt diruta, Hæc a Syra euſanis paulo poſt in nobiliorem formam inſtaurata eſt, vt eius inſcriptio indicat. Aedes item plurimę in tota vrbe, & in ea præſertim regione, quæ a Turri Maniacis nomen habet, & in Melphitanorum vico, proſciſſæ ſunt. Arcis Maryhetri quæ ad iſthmum ſita eſt, parietes ferme omnes ſunt diſiecti. Arx etiā Caſanoua dicta, tota quaſſata. Arethuſa fons, & vrbis putei aquas plus ſolito ſalſas diebus aliquot emiſerunt. Sortini oppidi Arx ex improuiſo corruens, Beatricem oppidi Dominam, & Guidonem filiorum eius natu maximum, cum alijs pluribus mi fere oppreſsit, nec niſi poſt dies aliquot eorum cadauera ſub lapidum congerie excauata reperta ſunt. Marius aiutus Sortinenſis ſub tanta ruinæ mole trabium quorundam veluti crate obtectus, toto corpore fracto, ſolus inter tot cadauera viuus poſt triduum miſe repertus eſt. Menei oppidi Arx, ſimul & Aedes plurimæ diſciſſæ ſunt. Bizinis etiā oppidi Arx tota, & Licodiæ arcis pars editior corruit. Militis oppidū omne, funditus deletū; nec minus Ochula aliud oppidulū. Leōtinū vrbs, maxima ſui parte proſtratū. Tota nanq; ea regio, quam caſtellum Nouum appellāt, arce, & priuatis omnibus ædibus diſiectis, ſolo æquata eſt. Altera quoq; regio Tironis nomen habens, cum ſuperiori Triquetræ Arcis parte euerſa. Cæterę quoq; vrbis leontini partes, celſiores præſertim, ruinam maximam paſſæ ſunt. Catana prætereā vrbs, Augusta, Neetum, Calacagironum, Militellum, atq; alia his vicina ad triginta oppida foſsis muris, acclinatiſq; parietibus ſunt labefactata. Panormus, ac Drepanum & plura alia in Regione Mazarę oppida non nihil conuulſa ſunt. Subidem ferme tempus durantibus inter Carolum Cæſarem & Franciſcum Regem indutijs Antonius Ringonus, & Cæſar Fregoſius Regis ad Solymanum legati, ex Conſtantinopoli regreſsi, ad Ticinum fluuium ab Hiſpanis militibus in inſidijs poſitis interfecti ſunt. Quorum cæde violatis, extinctiſq; indutijs, Franciſcus Rex contra Carolum Cæſarem cū Solymano Turcarum Rege fœdus pepigit, bellum contra eum in Hiſpaniæ & Flandriæ finibus, atq; in inſubrijs vno ſimul tempore mouet. Turcas ad communem ſubditorum Caroli pernitiem accerſit: Solymanus centum quinquaginta triremes auxiliares ei mittit. Igitur Barbaroſſa claſsis Othomanicæ præfectus anno ſalutis. 1544. e Conſtantinopoli ſoluit, Fretum Meſſanæ ingreditur; Rhegium vrbem ab oppidanis metu perterritis deſertam, incendit; Diuorum Imagines impie prophanat, Mortuorum cadauera, e ſepulchris ad aurum exquirendum extrahit, & Arcem per deditionem capit, oramq; omnem Calabrenſem atq; Neapolitanam prædando percurrit. Subinde Terracinam Neptunniumq; Oſtiam, & Hetruriæ & Liguriæ littora, quod Caroli ditionis non eſſent, abiq; iniuria prætergreſſus. Maſsiliam in auxilium Regis recto curſu contendit, & in Tolonis portum per annum ſe intulit, quo tempore Niceam, quod Caroli Ducis ſubaudiæ iuris eſt oppidum (præter Arcem) magna vi expugnat, diripit, & incendit. Dum Barbaroſſa hæc gerit, Aſſen Tunetanus Rex, quem ſupra Regno a Carolo Cæſare reſtitutum memorauimus, in Siciliam eo animo traiecit, qi

Cæſarem

Cæsarem ab Hispania Genuam petentem conueniret. Panormi Regio honore ad Aedes Guilelmi aiutame Christi ciuium munificentia exceptus, Neapolim inde nauigat, vbi a Cæsare subsistere iussus est. Interea Ameth Assen filius, simulata apud Sarracenos Patris morte, quam Christianorum lauacrum præcessisset, Regnum Tunetarum inuadit, Arcemq; sibi occupat, Quibus Assen per certum nuntium cognitis, Hispanis militibus, Neapolitanisq; exulibus pecunia cõductis, instructus, extemplo in Africã traijcit, atq; explicatis vexillis, Tunetum iter intendit. Vbi infœliciter pugnans, in facie ictus, captusq; ab Ameth filio lumine priuatus est. Vnde postea diffugiens, Gulettam primum, ac mox Panormum, & Romam postea contendit, ad Carolum profecturus. Sed inde iussu Cæsaris Panormum suo sumptu alendus redijt, vbi aliquot menses moratus, cum in Africam prouintiam cum classe Cæsaris, quæ Ioanne Vega Duce ad expugnandam Africam vrbem eo nauigauit, animo Regni aliqua arte repetendi, reuersus esset, in eius vrbis obsidione misere fato functus, apud Caruenũ, vbi Reges Africæ de more sepeliuntur, tumulatus est. Sed ad Barbarussam redeo, qui reuoluto anno, e Tolone Constantinopolim regressurus, Neapolitanã orã, atq; Isclam populatur. Subinde Lyparam insulam ad expugnandam Calend. Iunias nauigat. Lyparenses cognito Turcicæ classis aduentu, vrbis mœnia curare, custodes apponere, tormenta ænea, ac sulphureum puluerem, & cætera omnia, quæ ad obsidionem tolerandam necessaria sunt, parare pergunt, freti præsertim vrbis situ. Lypara etenim vrbs, in parte insulæ, quæ orientem respicit, summo in colle vndiq; prærupto, octingentos ferme passus in ambitu habente, cuius radices maris fluctibus alluuntur, sita est. Collis vnicũ habet accessum, quem pauci custodire possunt. Quod si mœnia in vniuersum solo æquarentur, nihilominus naturæ munimentis esset circumseptus. Ad radices collis, qua occidentem spectat, suburbium in planitie frequens, ac celebre habet. Lyparenses itaq; suburbium deserunt, & in vrbem omnes sese recipiunt. Et in oppido quidem hæc gerebantur. Interea Barbarussa classem in portum infert, oppidum obsidet. Lyparenses per nuntium vt dededitione cum eis agat, appellat. Quibus rem detrectantibus, machinas, tormenta ænea, cæteraq; ad vrbis excidium opportuna, ac positis tentorijs, militem omnem in terram exponit. Locum castris, aggeribus excitatis, ad oppugnandam vrbem, iuxta Templum Diuo Bartholomeo sacrum, cui Franciscanorum Cœnobium est adiunctum, nactus est aptissimum. Deinde paratis rebus, quid quisq; curet, singulis imperat, ac demum dato signo, missilibus, ac bombardis vrbem summo labore triduum lacessendo oppugnat. Oppidani mœnia non impigre tutantur, sed vi maxime obsistunt. Dum Lypara obsidetur, erigunt Turcarum triremes, Pactas in Sicilia vrbem aquatum veniunt, & populatam prius vrbem, totam incendunt. Lyparenses interea cum oppugnatio in longum protraheretur, animo dejecti, pro deditione quatuor legatos, ad Barbarussam mittunt, sed cum ille centum aureorum milia poscceret, abnuerunt ciues. At Barbarussa machinamentis omnibus admotis, genus oppugnationis nullum prætermittebat, sed vrbem maxima vi infestabat. Neq; enim decorum sibi, aut honorificum inde discedere fore arbitrabatur, nisi vrbem expugnaret, quæ sibi, & Othomanicæ classi, semel obstitisset. Lyparenses ex aduerso audacter hostibus contra sistunt, vniuersi cum liberis, & cõiugibus vrbem, e mœnibus, & propugnaculis defendebant, nec erat tam inutilis ætas, quæ pugnare pro patria recusaret. Grauis igitur oppugnatio, grauissima, ac pertinacissima propugnatio. Obsessi vnica spe freti, nimirum vrbis situ, animo erigebantur, quo ad multos dies se remorari posse hostium impetum cõfidebant. Quam ob rem Barbarussa indignissime ferens, parvum oppidum, spe subsidij vndiq; destitutum, classi Othomanicæ, cuius ipse Præfectus esset,

obstare.

Digitized by Google

obstare, gloriamq; ab eo inuicti nominis quereret, oppidū meiere missu premit: vrget, comminus, eminusq; cum Turcis exercet: spatium respirandi, animosq; plane colligendi adimit, muros hinc tormētis quassare, deijcere, sternere, sibimet presenti audacia, scalis, ascēsu, immemor vulnerū, periculorū oblitus, mortis cōtemptor, omnino euadere contendit. Vndecimus obsidionis dies pertinaciæ finem dedit, quem certe nō dedisset si Petrus Toletanus Neapolitanus Prorex cuius regimini Lypara suberatt, optimo milite, & armis vrbem præmunisset. Inter, hæc muri pars bombardis hostium euertitur, ruit pars altera subruitur, & ciues vulnerati sunt plurimi. Neq; dubium erat, quin sequenti die pari conatu oppugnatio repeteretur, ni cum se oppidani impares sentirent, expugnato domum oppido, a nullo temperatum iri cæsis puberibus, impuberibus, viris, feminisq;, indicabant. Erat in vrbe Iacobus Camagna, vir nautica ante, & authoritate præcipuus. Is cum funestum patriæ statum, atq; in summo discrimine versari cerneret, neq; ciues suppetias, neq; nuntium, literasq; mittere, neq; recipere posse, circumsidentibus terra, mariq; omnia custodientibus, & explorantibus Turcis, fessosq; iam suos, audentiores vero hostes conspiceret, Barbarussæq; vel ob id esset amicus, quod, vt tuto cum sua rate nauigare posset, a Rege Turcarum literas, quibus tutus a Pyratis Turcis redderetur, impetrauerat, concionem de vrbe dedenda ad populum habuit. Lyparenses in partes rapiebātur varias. Erant enim non pauci ex inquieta ferocique iuuentute, qui nullo pacto ad deditionem adduci poterant, sed mori satius, q̄ in manus Turcarum venire deliberabant. Tandem suadente metu, ad deditionem inclinātur. Camagna aliquātur secreto cum Barbarussa colloquitur, deditionisq; formulam facit. Cōuenit pacto sexaginta ciuibus cum omni supellectili abire permissum esset, vndecimo obsidionis die, vrbem Barbarussæ tradidit. Nec defuere, qui Camagnæ patriæ proditionem impingerent, cuius prodebantur insidiæ, vetusta eius cum Barbarussa necessitudo, seorsum sæpe repetita cum hoste colloquia, & sui, suorumq; liberatio. Porro Barbarussa, Dei, Hominumq; iuxta contemptor, vrbem ad diripiendum militibus concessit. Turcæ igitur vrbem ingressi, Lyparensium bona diripiunt, omnia prophanant, in Templo Maximo Diuorum imagines abradunt, Iesu Christi crucifixi humani generis Saluatoris statuam luto, cœnoq; conspersam, humi ad ludibrium proijciunt, ciues omnes iniuria, cōtumelijsq; affectos, ad naues seruos deducūt. Virorum item, ac mulierum circiter octo milium præda Bizantium transuecta, vrbem Lyparam pluribus diebus incendunt, incensamq; deserunt. Sed Carolus Cæsar eo Hispanorum missa colonia, oppidum, suburbio solo penitus adæquato, instauratu, rursus cultum, munitumq; reddidit. Barbarussa victor, Lypara discedens, animo erectus fretum ingreditur, ad Catanæ littora milites exponit, mediterranea Calabriæ ad p. m. quindecim excurrit, cuncta populatur, & incendijs fœdat, ac demum multa Calabrorum millia capit, Rhegium postea veniens, quod supererat, igne absumit, ac ingenti præda onustus, Constantinopolim victor redijt. Sub idem ferme tempus Carolus Cæsar arma in Belgia contra Frāciscum Regem moturus, Philippum filium annos natum circiter decem & septem, consortem Regni Hispanici sibi asciuit, & Genuam postea ex Barchinona classe ingenti nauigat. Germaniam deinde contendens, contra Guilelmum Cleuēsem, qui neglecta Cæsaris authoritate Geldriæ principatum adijsset, & cum Francisco Rege solenni iuramento contra Cæsarē fœdus percussisset, & in Duri Sicambrorum vrbe, natura & arte munitissima tota vim coegerat, bellum mouet, Durim ipsam septimo calendas Septembris, magna vi aggreditur, expugnat, populatur, & incendio collidit, & oppidanos omnes, ac milites præsidiarios trucidat. Cameracum postea, ac cetera vicinas vrbes, quæ ab eo etiam defecerant, per deditionem recipit. Non dum post Guil-

lelmum

lemum ipsum, Durensium clade perculsum, ad pedes eius prouolutum, ea conditione ad veniam recipit, vt deinceps Principis nomine abstineret, & Gallicæ amicitiæ prorsus abiuraret. Carolus Partha hac victoria, cõtra Galliã se accingit, Lucemburgum, Comersũ, & Ligninum, munitas vrbes per deditionem capit, Victricum oppidum, magna Gallorum strage prius edita, vi expugnat, & comburit, ac sanctũ Desiderium oppidum munitissimũ superat. His oppidis fœlici victoriæ cursu captis, Cæsar animo erectus, contra Parisium vrbem, totius Galliæ caput, & Regiam contendit, Asperemontium oppidum paruo labore adipiscitur. Quo audito Franciscus Rex cum Henrico filio, magnis peditum, equitũq; copijs instructus, Carolo Cæsari ad Matronam fluuium, qui vado cranfiri non poterat, occurrit. Hinc Galli, ne hostes amnem traijcientes suis bonis potirentur, agros omnes comburebant, indè Cæsariani, vt Gallis maxime nocerent, ignibus etiam iniectis, omnia vastabant. Interea, peruaserat ad Parisiũ vsq; Caroli victoris aproximatio, quo circa metu perterriti, liberos, coniuges, deuinctosq; omnes, nauiculis impositos, per sequanam fluuium, patria relicta, elabebantur. Quorum fuga Carolus cognita in Parisium celeri cursu lætus iter intendens, Matronæ fluuio appropinquauit, atq; in conspectu Regis (amne intercedente) se dedit. Cumq; prohibente fluuio, nullo congressu, sed crudelissimis incendijs, bellum gereretur, de pace per Principes agi cœptum est. Quam tandem Cæsar, & Franciscus Rex, pari vtrinq; lætitia susceperunt, vt periculoso tanto bello cum dignitate se explicarent. Eodem ferme tempore Ferdinandus Vngariæ Rex, omnes suorum ad Exechium, & ad Budam clade, ad repetendum Regnum Vngaricum se parat. Coacta igitur ad Viennam sexaginta circiter peditum, equitumq; Germanorum, Austrianorum, Hungarorum, & Italorum milia contra Vngariam mouent, Vacciam vrbem a Turcis metu desertam occupant, Festum vrbem sub Buda in Plano sitam, & Turcarum præsidio munitam, aggrediuntur, mœnia concutiunt, & aperiunt. Muro aperto duo nostri in vrbẽ irrumpunt, a Turcis ex insidijs prosilientibus imperuntur, & trucidantur, reliquo toto exercitu retrouerso, & vsq; ad Viennam turpiter fugato. Hunc igitur euentum habuit Germanica, & Vngarica expeditio, qua Christianis animo deiectis, & rebus omnibus plane perditis, ac omni spe victoriæ amissa, nescio quid mali Germaniæ & Italiæ vicinus & superior Turca minetur. Solymanus hac victoria animo erectus, quod reliquum erat Vngarici Regni, sibi subicere statuit. Igitur exercitu maximo instructus Budam venit, paruoq; labore Valponium, & Socium oppida, quæ non longe ab Exechio aberant, cæsis omnibus oppidanis, cepit. Strigonium deinde terra & aqua aliquandiu obsessum, decimo die Augusti per deditionem adeptus. Tadam vrbem expugnat, & funditus euertit. Albã Regalem totius Vngariæ præclarissimam vrbem, quod in ea, ex antiquo more Reges Vngarici Diadema Regium suscipere, & tumulari soleant, profectus, castris admotis, magno & pertinaci animo oppugnat, ac tandem per deditionem capit, nouisq; propugnaculis firmat, & Turcarum præsidio munit. Captis itaq; Strigonio, & Alba Regali clarissimis totius Vngariæ vrbibus, Solymanus Constantinopolim victor reuersus est. Post hæc, Carolus Cæsar anno salutis. 1547. pace firmata cum Francisco Rege, acerrimum sibi bellum a Germanis illatum, contra Germaniam strenue susceptit, & intulit. Quod vt exactius memoretur, paulo altius repetendum est. Germania Regio, amplissima est, & inter Danubium & Rhenum flumina protenditur, omnesq; ibi populos habitantes, ab eorum fontibus vsq; ad maria, quæ vterq; amnis influit, complectitur. Diuiditur in superiorem, & inferiorem, vernacule Altam & Bassam hodie dictas. Superior pars, ab Alpibus Italiæ imminentibus vsq; ad Maguntinam vrbem, citerioribus Rheni Fluuij ripis adiacentem, extenditur. Inferior ab inde incipiens, vsq; ad

mare

Digitized by Google

mare Oceanum decurrit. Dicta est Germania Strabone libro. 6. teste, a fraternitate, vel ob id quod Germani indigenę, perinde ac fratres sunt. Proceritate nāq; corporum, animorum feritate, colore flauo, forma, moribus, ac viuendi ritu, pares existimantur. Dicitur etiam Alemania, siue a Manno Teutonis, superstitionis eorum olim veteris Dei filio, siue quod iuxta Lemanum lacum sit. In ea regione, vrbes sunt maximæ, quarum plures, imperiales dicuntur, quod iuris sint Imperij, pleræq; immunes, & liberæ, non nullæ vero Principibus sacris, vel profanis parent. His vrbibus, & Principibus ab anno salutis millesimo adhanc vsq; ætatem, statuto Gregorij Quinti, Pontificis Maximi, natione Germani, Imperator ab Archiepiscopis Maguntino, Treuerensi, Colonienſi, & Marchione Brundeburgensi, Palatino Comite, Saxoniæ Duce, ac Boemiæ Rege electus, per comitia, quorum ipse est author, præsidet. Igitur anno Imperij Caroli Quinti Cæsaris Vigesimo octauo, Ioannes Fredericus Dux Saxoniæ, & ex electoribus vnus, & Philippus Lātgrauius Hessiæ Cattorum Princeps, Martini Lutheri Dogmatibus decepti, sub prætextu tuendæ Germanicæ libertatis, excitis liberis Imperij ciuitatibus, contēptoq; Carolo Cæsare, Comitia celebrabant, sanctiones Cęsarum spernebant, Caroli authoritatem subprimebant, oppida aliorum Principum occupabant, maioriq; Germaniæ parte secum adducta, Factionem quamdam, quam Smachaldicam appellabant, instituerant. Carolus Cæsar cum diu horum insolentiam dissimulasset, tandem religione, simul & propria dignitate tactus, Ratisponam venit, ibi comitia de more celebrat, Militiæ Duces aduocat, & Bellum contra rebelles imperij promulgat. Hærebant Carolo Cæsari vrbes Catholicæ, Agrippina, Messa Rheni, Aquis granum, & non nullæ quædam aliæ. Ex principibus autem Ferdinandus Rex, Germanus eius frater, Maximilianus Archidux Austriæ, Mauritius Dux, Bauariæ Dux, Albertus Marchio Brundeburgensis, Comes Buriæ, & Plæriq; alij proceres. Ex aduerso Philippus Lātgrauius, Ioannes Fredericus Dux Saxoniæ, & electorum Imperij vnus, Dux Bierzenbergensis, & Principes alij multi, Carolo infensissimi, vel ob id, quod Romani Imperij dignitas, ex æquo a sui primordio virtuti debita, quatuor continuis Cæsaribus in Austriæ Domo veluti hereditaria successione, (tot dignissimis Proceribus posthabitis) concessisset, quodq; Carolus ipse, vrgenti a fronte Solymano terga dedisset, atq; in Africa contra Pyratas ad Tunetum victoriam sibi quæsiuisset, & Germaniam, Vngariamq; Turcis deseruisset. Itaq; indictis inter se cōcilijs, contra Carolum, vel Alemania propulsandum, vel ab eorum copijs intercludendum, coniurant. Adhæserunt huic coniurationi vrbes Lutheranæ Augusta, Vlma, Argentina, Frankfordium, Lubecca, Brema, Branuicus, Amburga, Noremberga, Norlinga, Ratemburgum, pluresq; alias amplissimas & opulentissimas Ciuitates, ad hanc veterem gloriam, libertatemq; quam a maiobus acceperant, Alemanię restituendam, in societatem sibi asciscunt. Igitur Lantgrauius ab vrbibus & Principibus coniuratis Dux totius belli contra Carolum constituitur, ingens apud Augustam exercitus, equitum quidem ad decem, peditum vero ad ottuaginta milia, cum tormentis æneis magnis, & paruis centum triginta comparatur, & Lantgrauio Duci, infra trimestrem Carolum, vel Alemania a se pellendum, vel bello superandum promittenti, traditur. Carolus detecta eorum coniuratione statim ex Germanis, Vngaris, Austrianis, Hispanis, & Italis, peditum quadraginta milia, equitum vero viginti milia coegit. His vtrinq; paratis, hostes ab Augusta contra Raym Caroli Cæsaris vrbem castra mouent, qua statim per deditionem accepta, Cęsarem ad ludibrium, Carolum a Gandauo vocitabant. Carolus hoc cognito nihil cunctatus, cum omnibus copijs ex Ratispona versus Ingolstat suæ Ditionis oppidum, vnde tribus passuum milibus hostes distabant, contendit. Lantgrauius, vt facto Germanis ostenderet, quod

ore

ore promiserat, illucescente, aduersus Carolum militari ordine, ad mille circiter passus apropinquat, exercitum bifariam diuidit, atq; octo circiter horis tormentis maximis nostros lacessens, mille ferreas pilas, decem solum ex nostris occisis, excusit. Carolus nihil his territus, sed animo erectus, hostibus ad passus quadringentos fit proximus, & leuibus prælijs multos ex eis occidit. Lantgrauius, vt Cesarianos propinquos sibi videt, aggeribus tormenta munit, renouatoq; conatu, ex tribus locis ab ortu solis ad meridiem vsq;, tormetorum ictibus, Caroli castra in subiecto loco posita, quatit, tribus solum ex nostris desideratis. Postridie cum spem omnem in tormentis reposuisset, ab aurora ad serum vsq; diei, maxima tormentorum vi, duorumq; pilorum milium eiaculatione nostros frustra oppugnat. Carolus, vt ab oppugnatione cessatum est, pro magnitudine animi sui, milites repete in hostes irruere iubet. Igitur comminus atrox conseritur prælium, multiq; hostium pedites, equitesq; cadunt, atq; commeatu omni, qui eis ex vicinis oppidis ferebatur, spoliantur. Lantgrauius leui hoc prælio attritus, desperataq; victoria, fæde inde cum exercitu discedit, & Neuburgū versus, & Tonauertum oppida, proficiscitur, atq; a ciuitatibus coniuratis, de prospero belli successu plura mentitus, pecunias extorquet. Fugatos hoc pacto hostes Carolus insequitur, atq; Neuburgum munitissimum oppidum per deditionem capit. Cuius deditio in hoc bello, prima fuit Caroli victoria. Capto Neuburgo, Vendlingenum oppidum aliquandiu a nostris oppugnatum, Carolo etiam se dedidit. Vnde hostibus a nostris leuibus prælijs lacessitis, Carolus Tonauertum, fugato hostium præsidio, expugnat, Marginali deinde Danubij fluminis itinere cum toto exercitu hostes insectatur, Hocstetum, Tilligenum, & Laugigenum, hostium oppida, Danubio adiacentia, & paulo post Gundelfingenum ad Prenzę fluuij ripas positum, adeptus est. Traiecto Prenza amne Carolus ad oppidum Soltemum, ab Vlma vrbe decem. p. m. sed ab hostibus. p. m. 2. distans, Castrametatus est, vnde leuibus prælijs multos ex hostibus occidit. Interea Dum Carolus ad Soltemum agit, Ferdinandus Rex, & Mauritius Dux, profligato Ioanne Frederico Saxoniæ Duce, plures eius vrbes & oppida, adipiscuntur. Carolus ex Soltemo mouens, iugum ad castra hostium explorandā, & tormentis lacessenda peridoneum nactus, ibi castra posuit, cui post modū ex diutina Caroli mansione. Imperatoris nomen obuenit. Dum hostes ad Gingen castra metantur, annonæ caritate, & panis inopia pressi, cum Carolo de pace frustra trattāt. Quo cognito, Carolus. 24. Nouembris die, hostes eo adortus, inde vsq; ad collem quemdam, multis ex eis passim trucidatis, fugauit, vnde paulo post tota eorum clades exorta est. Hostes a Gingen expulsi, Haydenen venerūt, vnde metu perterriti incomposito ordine, incertoq; animo castra mouent. Carolus, cum sæuiente hyeme, fugienteq; hoste, pugnandi cum toto exercitu facultatem non haberet, cunctando hostes delere constituit. Quo circa contra Ponfingenum oppidum mouet, quo dedito, sequenti die Norlingam vrbem pulso hostium præsidio, nullo labore cæpit. Munita Norlinga, Tinchelspuhel, & Rotemburgum oppida per deditionem adeptus est. Hostes audita Rotemburgi deditione, & victoris Caroli aproximatione, animo frangūtur, vires amictunt, & non expectato belli periculo, per salebrosos montes turpi fuga salutem sibi quærunt. Lantgrauius, desperatis rebus, relicto exercitu cū ducentis equitibus fædissimam fugam capessit, & ad propria longissimis itineribus profugit. Frankfordiani fugienti occurrunt, & ab eo quid eorum Reipub. facto opus sit, multis lachrimis consilium petunt. Quibus, tempus est inquit, vt vulpecula, suæ caudæ rationē habeat, Hæc vbi dixit, calcaribus admotis, celeri cursu iter intendit. Ioannes Fredericus Dux Saxoniæ, relictis copijs, cum paucis & ipse Saxoniam profugit. Vulgata Lātgrauij, Ducisq; Saxoniæ fuga, vltimæ

desperationis

desperatiōis mærorē sotijs vrbibus attulit, eoq; grauiorē, quod ad cladē euadēdam, nullū modū sibi superesse cōspicerent. Quā ob rē Frankfordia, cæteræq; vrbes, Rheno fluuio impositæ, simul & ex Sueuia Ala vrbs amplissima, ac oppida ad Saxoniā vsq; prouintiā sita, ā a Carolo Cæsare desciuerant, ad eius clementiā vel inuita profugiunt, deditionēq; faciunt. Cæsar parta victoria, Rotēburgo recedens, ad Alā venit, maxima oīum gratulatione susceptus. Vbi dū ageret, Palatinus comes, eius cōsobrinus & Alumnus, ex cōiuratis vnus, sui erroris pertesus ad pedes Caroli in Solio sedentis procūbens, veniā petit, & impetrat. Vlmēsibus errati, remissionē per oratores humiliter præcantibus, Carolus (Arce in eorum vrbe erecta) facile indulsit. His apud Alam Clementer gestis, Carolus contra Vldaricum Virtēbergij Ducē, per Alprumensiū fines, castra mouit. Cui proficiscenti oppida multa, quę Vldarici iuris erant, se dediderunt. Quo audito Vldaricus metu perterritus, ad victoriā Caroli clemētiā acclinis accessit, & Abspergo, Curcandrego, & Scorendorfo munitioribus suæ Ditionis oppidis, victori traditis, solutisq; pro belli sumptibus ducentis aureorū milibus, admissi sceleris indulgentiā assequutus est. Marchio Brādeburgensis suffragatorū imperij vnus, benigne & ipse a Cæsare susceptus est. Meminga, Kempes, & quinq; aliæ clarissimæ vrbes, & Sueuia omnis, præter Augustā vrbē, Caroli humanitatē & ipsæ sunt expertæ. His vrbibus receptis, Carolo per Virtēbergensiū agros, Vlmā proficiscenti, Vlmenses vrbe egressi, magnis ac Faustis acclamationibus occurrunt, Vncerfater ipsum (patria eorū lingua) appellantes, quod latinis Patrē nostrū significat. Comes quidā incerti nominis ex coniuratorū numero, victoriā Caroli, iniquo ferens animo, gladio sibi ipse mortē consciuit. Dū Carolus Vlmæ agit, Augusta vrbs per legatos, ad vestigia eius in Throno sedentis prouolutos, graui spectaculo commissi criminis veniam petit, quā (Arce munitissima in vrbe eorū Cæsaris nomine condita) consequuta est. Argentina Tandē vrbs, cognita Frankfordiæ, Vlmæ, & Augustæ deditione. Caroli Imperio & ipsa se subiecit. Interea Dum vrbes & oppida, quæ a Carolo desciuerant agminatim ad officium reddeunt, Ioannes Fredericus Dux Saxoniæ, vt oppida sua a Ferdinando Rege, & Mauritio Duce occupata, repeteret, & acceptam vlcisceretur iniuriam, vera existimatione nouum bellum, etsi a Lantgrauio sotijsq; omnibus desertus, non pro libertate tantum, sed pro gloria dignitateq;, suscipit. Igitur pedites ad decem, equites vero ad tria milia instruit, & breui, fœliciq; victoriæ cursu, hoste nullo sibi obsistente, nō modo q̄ amiserat, recipit, sed & vrbes aliquot Ferdinandi Regis, & Mauritij Ducis imparatas, & nihil hostile metuentes, adipiscitur, ac demū Boemiā etiā ipsam pro magna parte sibi adscribit, & munit, Albertūq; Marchionē apud Roqueliz vrbē, bello superat, capit, & ad Gottā munitissimū oppidū, captiuum ducit. Carolus Cæsar, his cognitis, & si difficiliora in hoc bello cuncta sibi obuentura, vtrinq; viribus, victoriæq; spebus æquatis, prospiceret, ne tā flamma hæc teterrimæ seditionis relinqueretur, ex Vlma ad Eger Catholicam Boemiæ vrbem, cum Ferdinando Rege, Mauritio Duce, & Ioanne Marchionis Brunsbergensis filio proficiscitur, atq; coactis equitum quinq;, peditum vero sexdecim milibus, cōtra mouet, cognitoq; per exploratores quid hostis cogitaret, quidue moliretur, ne Dux ad Vittembergum, siue ad Gottam, siue ad Sonobaltam, aut Heldram se reciperet, vnde periculosissimum bellum, longissisimamq; expeditionem, ob locorum munitiones, postmodum sibi fore cognoscebat, in ipso imminentis periculi limine, celeritate maxima vsus, longissimisq; itineribus ad Maysen vrbem, vlteriori Albis fluuij ripæ impositam, dedentibus sese cateruatim vrbibus interiacentibus, profectus est. Albis etenim amnis, Romanis toties nominatus, licet parum cognitus, Strabone teste, Germaniam in duas partes diuidit, ad cuius vlteriorem ripam, quam Dux tenebat, Maysen vrbs, Millburgum,

& Vittẽbergũ,& pleraq; alia ſita ſunt hoſtiũ oppida. Interea Dũ Cæſar Mayſen verſus iter intendit, & ad Citeriorem Albis ripam cõcedit, iam Dux ad Mayſen vrbẽ venerat,& Caſtra ad Millburgũ poſuerat. Tũ Cæſar cũ Citeriori Albis fluuij ripa potiretur,& vicinus eſſet hoſtis, prælium vlterius minime differendum ratus,ponte,vel vado amnẽ traijcere,& hoſtes adoriri decreuit. Sed cum Albis latitudinis,profunditatiſq; trecentorum circiter eſſet paſſuũ,& tũ maxime imbribus inflatus,& ſæuis vorticibus horrens,nullo modo tranari poterat impedientibus quoq; hoſtibus,qui oppido,& arce potiti,vlteriorẽ ripã ad multa.p.m.præ ſidijs militũ,& tormentis æneis tuebantur. Sed Carolo Cæſari hæc aïo volutãti, & periculoſi, profundiſsimiq; amnis vadũ cõſulto probare cenſenti,Fortuna nõ defuit. Oblatus eſt enim ei Agreſtis Germanus, cuius hoſtes nudius quartus equos duos prædati fuerant,qui aïo ſuam iniuriã vlciſcendi, ad noſtros acceſſerat. Is itaq; vadum,a Xemefecero nuncupatũ,vbi Albis celebris eſt traiectus, Carolo oſtendit tutiſsimum, ſeq; ducẽ ad traijciendum obtulit. Suſcepit Carolus villicum,veluti numen cœlo delapſum,atq; futuræ, certæq; victoriæ prænuntiũ. Subinde ad vadi ripã ruſtico præeunte profectus,ſtatim milites,ſclopettis,& tormentis hoſtes ab altera ripa pellere iubet. Hoſtes graui pilarũ grandine a noſtris perfuſi, magnoq; accepto detrimẽto, pontẽ ſuũ ex nauiculis factũ, diſiecta tignorum materia,ſucciſiſq; ſublicis,intercidunt & in tres partes diuidunt, & ſecum ſecundo amne trahunt, ne Cæſariani eo potiti, ad traiectũ vterentur,atq; mox fœde,trepideq; ripã deſerunt. Hoſtibus recedentibus,noſtri extẽplo ex Nauiculis cõtignatis pontẽ & ipſi edificãt,quo pedites tuto amnẽ tranſire poſſent. At cum præ fluuij latitudine ſchaſæ noſtræ ad pontẽ ſtruendũ non ſufficerẽt, Caroli iuſſu,milites noſtri, veſtibus abiectis,nudatiſq; corporibus, ac enſibus ore delatis,amni ſe immergunt,& notantes ad nauiculas pontis hoſtilis perueniũt, atq; eis, ſtrenue cæſis cuſtodibus, potiuntur. Quarum cõpagine a noſtris vnius diei labore,pons ripas vtrinq; colligãs,ad pedites oẽs traijciendos, refectus eſt. Peditatu noſtro,hoc ponte in alteram ripã traiecto,& hoſte inde fugato, Carolus Cæſar,dextera tenens haſtã,equitũ oĩum primus,præuio Ruſtico & flexuoſo itinere ſecundum naturã fluminis ſe dirigente, Albim ingreſſus, ad vlteriorẽ ripã,facile peruaſit, ſequuti deinde Duces,æquiteſq; oẽs,& ipſi incolumes Albim traiecerunt. Superato amne, Carolus ſtatim hoſtes celerrime diffugientes, ad Torgaũ,& Vittẽbergũ vſq; munitiſsima eorũ oppida inſequit. Inter currendum Carolus Crucifixi effigiẽ,ſclopetto ab hoſtibus,q Diuorũ,Deiq; magines ex ſuperſtitione Lutherana abhorrent,transfixam,offendit. Horrendo ſpectaculo attonitus,zelo fidei incenditur,atq; ad propulſandam, vindicandamq; Dei optimi Maximi iniuriam,maiori niſu hoſtes inſectatur, qui in ſyluã quãdã non lõge a Vittẽbergo metu perterriti ſe munierant. Quo cognito Cæſar, hoſtes repente adoritur,tantoq; ardore dimicat, vt tribus hoſtiũ milibus interfectis,multoq; pluribus vulneratis,ac magna demũ edita ſtrage,Ducem ipſum Saxoniæ,Herneſtũq; Ducẽ Brãſuich capit,reliquoſq; oẽs in captiuitatẽ adducit. Capta ſunt etiã inſignis pulchritudinis muralia tormẽta ænea,ſupra cẽtũ,minora, quæ curribus erãt impoſita,ducenta. Torgaũ vrbs,& paulopoſt Vittẽbergũ,audita Cæſaris victoria, ſeſe Carolo dediderunt, Gottã quoq; vrbẽ, expugnatu difficilem,metu adductam etiam recepit,quam tandem funditus euertit. Fuit autem hæc Caroli Cæſaris victoria præclariſsima vigeſimo quarto die Aprilis anni ſalutis. 1547. Parta victoria Carolus ad Alam Saxoniæ vrbem victor veniens, verba Iulij Cæſaris modeſte mutuatus inquit. Veni, vidi, & Deo ſuperãte vici. Cõſtituto deinde ante eum victore exercitu, Ruſticum imprimis impenſe collaudat, & duobus equis emiſſarijs,multiſq; aureis donatum,ad propria ditatum remittit, Milites,qui ſtrenuam in hoc bello operam nauauerant, adauctis pro merito,& ſolutis

lutis ſtipendijs locupletat, quoſdam ad Præfecturas euehit, nonnullos Duces conſtituit. Qui nudi Albim fluuium ingreſsi, captis hoſtium Scaphis, pontem conſtruxerant, ingentibus præmijs exornat. Mauritiũ Ducem, Electorem imperij inſtituit. Lantgrauius conſpecta Caroli Cæſaris victoria, vſq; adeo animum deſpondit, vt ſalutis ſuæ, & omnem fortunarum ſuarum ſpem in eius clementia collocandas opus eſſe cenſeret, ſuiq; commiſsi facinoris perteſus, ſupplex a Cæſare veniam petit, quam tandem Mauritio Duce deprecatore impetrat. Igitur in Ala vrbe, ad Palatium, erecto ad id per amplo ſuggeſto ligneo, aulæis ad loci dignitatem ornato, in quo Principes, Procereſq; omnes circumſedebant, In medio autem præalta in ſede Carolus Cæſareo diademate redimitus, Lantgrauium expectabat. Ille humilis accliniſq; a Mauritio Duce deductus, per gradus ſubijt, tum vero vt prodijt, ad pedes Cæſaris, capite detecto, proiectus, erratum ſuum his paucis faſſus eſt. Carole Cæſar victor, victus ego Philippus Lantgrauius, errati mei ſupplex veniam poſco, Fuit hoc Spectaculũ Grauiſſimũ. & inſtabilis ludẽtiſq; Fortunę (oĩbus q aderãt lachrimas effundẽtibus) Exẽplum commiſeratione digniſsimum, cum is qui paulo ante Cœlum ſua arrogantia, ſuperbiaq; cõtemnere, & Carolum imperio eijcere videbatur, modo ad eius pedes prouolutus, veniam petere viſus eſt. Carolus nullo vel ſuperbiæ, vel crudelitatis veſtigio oſtenſo, ſed ſeruato, infenſi, ſeueriq; oris habitu cum dignitate, quædam per Cancellarium præfatus, quatuor ſolum inſignioribus ſuis vrbibus, ac ducentis maioribus tormentis æneis mulctato, veniam benigne indulſit, Cattorum principatum reſtituit, & in priſtinum gratiæ locum recepit. Ioãni Frederico Saxoniæ Duci, iuſto bello capto Clemẽter ignouit, ſolũ ius Imperatorem eligendi, Vittembergum, Torgaum, Gottam, aliaſq; plures ad eam pertinentes dignitatẽ vrbes, illi ademit, & Mauritio Duci cõtribuit. Inſignia, maximaq; tormenta ænea ab hoſtibus capta, Hiſpaniam, Neapolim, Panormum, & ad cæteras ſui Imperij Regias vrbes, in perpetuum tantæ victoriæ ſignum, tranſmiſit. Ita Carolus Cæſar Germaniam omnem, ſæuiente hyeme, vno, atq; altero bello, ſubactis principibus & populis, ſine ſuorum vulnere vicit, perdomuitq;, quod nulli antea Romanorum Imperatorum contigiſſe conſtat. Poſt hæc Carolus Cæſar anno ſal. 1548. Fridericum ſecundum, Martinum, & Ferdinandum Catholicum, Siciliæ Reges imitatus, per Ioannem Vegam Proregem Larium Siciliæ recenſum egit, eorum præſertim, qui militiæ vacare, & nummarium ſibi munus ſoluere conſueuerint. Cuius recognitio eſt huiuſcemodi.

	Regio Mazaræ.		
Panormus. Lares habet.	15000	Caccabus.	1407
Agrigentum.	2450	Calataniſſeta.	1230
Drepanum.	3579	Coliſanum.	838
Mazara.	1472	Calatabellotta.	1096
Sacca.	2400	Bibona.	1515
Thermæ.	1747	Sclafanus.	247
Marſala.	1336	Calatabuturium.	650
Narus.	1584	Caſtellum veteranum.	1323
Alicata.	1496	Camerata.	1806
Erix.	1343	Cluſa.	924
Salemis.	1310	Burgium.	670
Corilio.	1353	Iuliana.	710
Sutera.	779	Comitiſſa.	98
Caſtrum nouum.	955	Partanna.	644
Politium.	1790	Ciminna.	1030
Alcamus.	1559	Mons mellis.	917

Digitized by Google

Carinis. 460
Sanctus Stephanus. 222
Sambuca. 845
Biccarum. 258
Gibillina. 133
Prizis. 345
Fauara. 90
Rayhalmutus. 896
Calatafimis. 600
Villa Franca. 350
Siculiana. 38
Palatium Adr. 934
Mezoiusus. 164
Mons Regalis. 996
Busachinum. 469
Gructæ. 90
Rafadalis. 90
Casale Archiepiscopi. 306
Misilimer. 40
Sola Donnæ. 100
Sala Partinici. 70

Regio Demini.

Messana cum pagis. 8000
Pactæ cum pagis. 1256
Cephaledis. 935
Troyna. 929
Nicosia. 2514
Randatium. 1451
Tauromenium cum Pagis. 1262
Castrum Regale cum Pagis 2427
Milazium cum Pagis. 971
Sancta Lucia. 651
Rametta cum Pagis. 769
Mistretta cum Pagis. 1196
Capitium. 879
Acis cum Pagis. 1744
Franca villa. 544
Geracis. 853
Castellum bonum. 1114
Sanctus Maurus. 836
Gaucis. 977
Tusa. 574
Pollina. 360
Pittineum. 335
Castellucium. 346
Paternio cum Pagis. 1359
Motta S. Anastasiæ. 140
Nasus. 765
Petralia superior. 663
Petralia inferior. 623
Caronia. 170
Calatabianum. 238
Sanctus Marcus. 512
Mirtus. 561
Capris. 128
Farzanus. 125
Gallianum. 728
Castrum Leonis. 447
Nogara. 474
Valcorrentum. 9
Ficarra. 500
Galatis. 450
Pirainus. 230
S. Petrus de pactis. 775
Turturicium. 987
Monsfortis cum Pagis. 951
Rocca, cum Mauroianne. 451
Tripis. 649
Ciramis. 671
Militellum. 429
S. Philadelfus. 631
Castania. 683
Fl. Dionisij. 545
Cæsarus. 455
Sinagra. 315
Veria. 343
Mons albanus. 361
Scaletta cum Pagis. 142
Longus. 178
Gratteris. 397
Isnellus. 617
Limina. 224
Sapunara. 190
Caluarufus. 138
Martinus. 64
Condrus. 300
Motta Camastri. 283
Lingua grossa. 574
Auricella. 218
Motta fermi. 485
Racqudia. 399
Baunsus. 118
Furnaris. 138
Casale nouum. 26
Rayalbutum. 1058
Arcara. 589
Brizis. 443
Giusa. 260
Sauoca cum Pagis. 941
Forza Agri. 392
S. Angelus. 830

Brontes

Brontes.	709	Auola.	749
Itala.	821	Motyca.	3247
Alis.	417	Raguſa.	2091
Mandanicis.	270	Siclis.	2665
Saluator.	539	Claramons.	1191
		Mons rubeus.	487
Regio Neeti.		Auguſta.	623
Catana cum Pagis.	4907	Mazarenum.	940
Neetum.	1818	Aſſorum.	923
Calatageronis.	2104	Sortinum.	1157
Enna.	3408	Militellus.	1923
Platia.	2364	Ferula.	1115
Calatafibetta.	1260	Ceratanum.	498
[illegible]	2917	Francus fons.	654
Mene.	1631	Buſlema.	694
Bizinis.	1816	Bucherium.	810
Argire.	1945	Palazolum.	853
Licodia.	700	Yhomiſus.	645
Ochiula.	191	Iſpicæ fundus.	390
Butera.	368	Paliconia.	300
Petra Pretia.	354	Melillis.	706
Barrafranca.	232	Aydonis.	486
Terranoua.	934	Biſcarus.	150
Syracuſę	2370		

Eodem anno ſal. 1548. Henricus Angliæ Rex, qui ſuperſtitioni Lutheranæ inhæſerat, annum agens quinquageſimũ ſeptimũ anno ſui, Regni trigeſimo octauo, conſtituto Regni herede Obdoardo puero ex Ioanna Semera ſuſcepto, fato functus eſt. Bimeſtri poſtea emenſo, Franciſcus Gallorum Rex anno ætatis ſuæ quinquageſimo quinto, Henrico filio relicto Rege, naturæ & ipſe ceſsit. Per id ferme tempus anni ſal. 1549. Drauthus Sarracenus Pirata, infimo loco, & genere natus, ſeruus condam noſter, vt pote a Ioanettino Aurea Genuenſi, Andreæ Aureæ ex fratre nepote, & eius claſsis præfecto, ad Corſicam inſulam olim captus, ſed in pernitiem, exitiumq; Chriſtianæ Reip. trium milium aureorum põdo, turpiter dimiſſus, cum Africam vrbem ſibi occupaſſet, vt inde Siciliã, & Italiam excurſionibus vexare poſſet, Carolus Cæſar, Ioanne Vega Hiſpano, Siciliæ Prorege exercitus Duce, & Andrea Aurea claſsis præfecto, magna vi terra & mari expugnatam, ſuo adiecit imperio. Quæ quo ordine geſta ſint, poſtulat locus, & res ipſa hortatur, vt paulo altius repetantur. Eſt Africa, vrbs. Africæ Regionis maritima, inter Trierorum, & Mercurium promontoria, littori mediterraneo impoſita, & contra meridionale Siciliæ latus ſita. Ad orientem, littorales habet ſuo ordine vrbes, Sfacem, Cabim, Tripolim, & ipſum Trierorum promontorium Ptolemæo, quod Meſurata hodie dicitur. Ad occidentem autem Monaſteria, vbi olim fuerant Cœnobitarum Chriſtianorum habitacula, Sacris ſuis Aedibus coniuncta, quorum extant adhuc veſtigia. Sarraceni nanq; ſubacta Africa, vt & alia, ita & loci huius ædificia, quæ a CHRISTI cultoribus tenebantur demoliti ſunt, remanente vetuſto Chriſtianorum nomine, oppido, quod ibi a Sarracenis ex frequenti populo fuit erectum, Suſam, Mahomettam, & eius ſinum, Adrumentinum antiquis dictum, Calibiam, & Promontoriũ ipſum, quod Hermæam Græce Ptolemæus, Mercurium latine Plinius, & Caput bonum, vulgus appellat. Sita eſt Africa vrbs, in quadam curui littoris peninſula, mille ferme paſſus in ambitu, ducentos vero, ad iſthmum, habente,

Digitized by Google

Hæc vrbs firmiſsimis,maximis,validiſsimiſq; obſepta eſt mœnibus, quatuor cānarum craſsitudinis, & ingentibus propugnaculis, ad veterem recentemq; militiam,& æquo inter ſe ſpatio Sarracenorum more conſtructis, nobilitatur. Vnicũ ad iſthmũ habet aditũ,obliquum quidẽ,& ſeptẽ portis æneis munitum, quẽ pauci cuſtodire poſſunt.In latere maritimo,quod orientẽ ſpectat,intra mœnia,ſtagni inſtar,portũ habet non magnum,paruorum nauigiorũ ſolum capacem.Reliquũ littus,importuoſum eſt totũ,& loca vrbi proxima vadoſa,& inæqualia.Agros habet fertilitate,domeſticis arboribus,& aquis præſtantes. Condita fuit hæc vrbs a Mahdi Sarraceno,viro principe,opibus præpotente, & militia ſtrenuo,qui cũ Damaſci Pontificatũ,& Caruenũ mediterraneã Regiã, anno ſal.circiter.800.ſibi occupaſſet,hãc vrbem,ad littus natura munitũ, & a Catheno.p.m.36.ferme recedens,in ſui munimentũ,craſſo,latoq; muro condidit, eiq; nomen ſuum indidit.Mahdia etenim Sarracenice dicitur, & ſi latine a tota regione vbi ſita eſt, Africa nominetur, vt Annales Sarracenorum referunt, ex quibus conſtat neq; Ruſpen,neq; Aphrodiſium,neq; leptim paruam,de quibus in ſuis tabulis meminit Ptolemæus, fuiſſe hanc vrbem, vt plæriq; ſcripſerunt. Hæc vrbs,ſitus natura,& conditoris authoritate,breui magna ſuſcipiens incrementa,facta eſt celebris, & maritimũ totius regionis Emporium. At proceſſu æui,declinante Sarracenorum Imperio, & pulſis Sicilia Afris, Rogerius primus Siciliæ Rex hanc ſibi,& Tripolim,& aliaſq; maritimas Africæ vicinas vrbes,ſubiecit. Quam paulo poſt defuncto Rogerio,& Regnante Guilelmo filio, Maſmudorum Sarracenorum Rex,per deditionem recepit.Sed & Guilelmus ſecundus Siciliæ Rex,captæ a ſe Regiæ Sarracenicæ Puellæ permutatione, rurſus eam repetijt.Verum,quo tempore,& quibus viribus ad Sarracenos deinde defecerit, incertum ego habeo.Hæc vrbs mea ætate cum libera eſſet, & ſuis viueret legibus,ab Aſſen Tunetano Rege,ſua iura repetẽte,magna vi fuit ſubacta.Sed plẽs non diu poſt,ad arma excita,in libertatem ſe vendicauit. Quæ paulo poſt,cum ab Aſa Gerbino Archipirata eſſet inuaſa,plebs illo pulſo,non magno labore libertatem ſibi reſtituit.Dum in eo ſtatu eſſet hæc vrbs, Drauthus Pirata Sarracenus ſimulata amicitia,cum ſua claſſe Africam venit,vrbemq; ingreſſus, cæſis cuſtodibus inuaſit,ſibiq; occupauit,atq; Turcarũ præſidio munuit. Mox Suſam, Monaſterium,aliaq; vicina maritima loca,quæ Maumethi Caruani Regis iuris erant,expugnat,& diripit.Poſt hæc cum haberet,quo ſe tuto iure ſuo recipere, & defendere poſſet, mare mediterraneũ,quod Europã ab Africa diuidit, vtro citroq; impune excurrere,deprædari,atq; infeſtum Chriſtianis reddere cœpit. Carolus Cæſar his offenſus iniurijs, cognitoq; ex eo propugnaculo Turcæ erumpentes,breui totius Africæ Imperium obtinere & Siciliam & Apuliã inuadere poſſent, eã ſibi ſubigere,& Turcas ide pellere cõſtituit. Igitur coactis duodecim circiter Hiſpanorum,& Italorũ militibus,inſtructaq; Nauiũ Triremiumq; ferme centũ claſſe,Ioannẽ Vegã Genere Hiſpanũ Siciliæ pregẽ,exercitus Ducẽ, & Andreã Aureã claſsis præfectũ,cõtra Africã nauigare iubet,& cũ eis Aſſen Tunetanũ Regẽ,vt parta victoria,in Solio amiſsi Regni reſtitueret, & Ameth filij impietatem vlciſcerentur. Drauthus,vbi claſſem contra ſe in Sicilia parari cognouit,vrbẽ omni cõmeatu,ad diuturnã obſidionẽ perferẽdam inſtruit,& mille circiter Turcatũ(præter Afros,& oppidanos)præſidio munit, quibus Halim Turcã,virũ impigrũ,& militia præſtantem,& vrbi,præficit. Ipſe iam non in vrbe includitur,ſed vt labanti forſan in tẽpore ſuccurrere poſſet vrbi, ad Gerbotũ inſulã aduolat,& copias vndiq; cõparat.Interea Dũ Drauthus hæc parat, noſtra claſsis Sicilia ſoluit,Monaſteriũ & Suſã appellit,& diripit,& mox Africã cõtẽdit.Prorex Africę appulſus,tormẽta ænea,cõmeatũ oẽm ſimul & militẽ,nemine obſiſtente,in terrã exponit,atq; ad collem editũ, & præcipitem, ac lignorũ & aquæ

& aquæ non indigum, trecentis circiter passibus ab vrbe distantē, pulso custode Sarraceno castra metatur, duobusq; aggeribus constitutis, ita vrbem terra intercludit, vt nulla pene obsessis egrediendi, vel quicquam importandi facultas relinqueretur. Interea Numidæ equites ad quatuor circiter milia cognito Assen Regis aduentu, amice in castra veniunt, commeatum omnem apportant, atq; præfixo prætio venalem nostris offerunt. Mahomettus quoq; Carueni Rex paulo post & ipse cū Prorege fœdus pepigit, receptisq; Monasterio, & Susa vrbibus, quas sibi Drauthus abstulerat, maximam annonæ copiam obsidentibus quotidie mittebat. Dū nostri ad militiam se parant, Prorex mutata veste, equo circumuectus, mœnia, apparatumq; oppugnandæ vrbis, munitionumq; naturā inspicit, ac de genere prælij, expugnationeq; deliberat. Constitutis itaq; opportunis duobus locis a terra tormentis æneis muralibus, oppugnare vrbem pergit, atq; machinamētis omnifariam admotis, nostri magna alacritate, veluti in manu esset victoria, vrbē oppugnare incipiūt. Contra oppidani audacter clausis portis, clausisq; Templis, & domibus, vniuersi cum liberis, & coniugibus vrbem desuper, e muris, Turribus, & Propugnaculis strenue tuebantur. Sub mœnibus præterea a parte interiori, profundam, latamq; fossam duxerāt, in eamq; tabulas prælongis magnisq; adactis clauis, & stipites teretes a summo præacutos dimiserant, taleas quoq; ferreis hamis infixas vicissim infoderant, vt qui forte ex nostris in illam inciderent, se ipsos vallis acutissimis, & longis mucronibus, hamisq; ferreis infigerent. Et vt facilius nostros fallerent, tabulis leuissimis fossam operuerant, atq; super iniecta terra constrauerant, vt nihil fraudis subesse putaretur. Tectos præterea cuniculos egerant, & ignes arte confectos præparauerant, & a fossæ lateribus tria, citra autem fossam, aduersus irrumpentes nostros, tormenta ænea quatuor collocauerant, vt non modo qui in tectas insidias incidissent, sed qui etiam illas forsan euaderent, vndiq; flammis, ignibusq; correpti, fœdo ac miserabili mortis genere interirent. Interea iam nostri diu tormentis æneis murum vrbis percutientes exteriorem faciem quassauerant, sed quoniam mœnia, & structuræ genere, & latitudine, firmissima erant, a parte interiori murus integer erat, & altissimus. Nostri ea ruina audentiores facti, noctu in disiectam prioris muri partem euadūt, cum hostibus mœnia custodientibus, ad manus veniunt, quorum & si aliquos occiderint, ex nostris tamen circiter centum occubuerunt, reliquis metu mortis, pedes referentibus. Dum hæc ad mœnia vrbis fortiter vtrinq; geruntur, in castris Assen Tunetanus Rex morbo correptus, interijt, & Buccari filij, qui ex Sicilia secum venerat, pietate, ad Caruenum vrbem, Regum Africæ Mausoleum, humatus est. Interea nostri expugnationi intendentes, decernunt, vt maior vis in quassandis mœnibus apponeretur, & cuniculi subterranei, non nulleq; machinæ, ac instrumēta bellica conficerentur, vt parua militū nostrorū iactura, vrbs oīno posset inuadi. Sed qm̄ primū oīno, vallū, fossamq; produci, & nouos aggeres fieri necesse erat, & vimina deerant, Prorex cū septingentis fere militibus, ad pximā syluā, oleis consitā vimina, execturus, simul & vt loci naturā, situq; exploraret, optimo in castris præsidio ac ordine relicto, perrexit. Vix Prorex syluam ingressus fuerat, cū Drauthus, quatuor circiter Turcarū, & Afrorum milibus, sclopettis, sagittis, & iaculis, armatis, instructus, ī mōte cui Sylua subest, improuisus affuit, factoq; impetu, nostros ingenti vi adoritur. Prorex repentino hostium aduentu, nihil territus, impetum eorum fortiter sustinet, & contra nititur. Hostes longius iacula intorquent, incursu & recursu facil, & expedito, pro vt genti mos est, nostros infestāt. Collata deinde acie, cōminus res geri cæpta, ex qua principio prælij Afri haud impares nostris erāt. Nā & si nostri intrepide pliarentur, & hostes appellerēt, & audacter cæderēt, illi tm̄ multitudine freti, cū numero nostris essēt

ſuperiores; vniuerſis ardentiſsime rem gerebant. Demum paulatim illis cedentibus dilabentibuſq;, victoria penes noſtros ſtetit, multis ex hoſtibus cæſis, nō nullis vulneratis, ac cæteris omnibus vna cum Duce repulſis. In hac pugna ceciderunt ex noſtris circiter triginta, in quibus fuit Ludouicus Pereſius, Gulectæ præfectus, militia inſignis, qui glande ictus præceps; ex æquo lapſus, occubuit. Dum hæc ad Syluam geruntur, oppidani & ipſi ſiue gnari proregis ad Syluam acceſſus, ſiue cum Drautho re conſtituta, in certum, cum maiori parte præſidij repente ex vrbe proſilientes, vallum, munitioneſq; noſtras adoriuntur, At noſtri caſtrorum præſidiarij a Prorege relicti, eruptione e caſtris facta, illos in fugam conuertunt, atq; ad oppidum vſq; pluribus cæſis inſequuntur. Prorex Fugato Drautho, & viminibus ſectis, victor in caſtra redijt. Afri finitimi cognita noſtrorum contra Drauthum victoria, pro ſe quiſq; agminatim gratulandi cauſa ad Proregem veniunt, & numera exhibent. Poſt hæc, cum noſtri in aggeribus, tectiſq; cuniculis fabricandis magno ſtudio incumberent, obſeſsi, quod in muris quaſſatum aut deiectum erat, reficiebant, vrbemq; indies latiori ducta foſſa munitiorem reddebant, neq; vllo modo ad deditionem adduci poterant, freti vrbis ſitu, murorum craſsitudine, imperterrito oppidanorum animo, & commeatus omnis exuberantia. Quinimo ſupra portam vrbis, Turcæ præſidiarij impoſiti, non modo vrbem tuebantur, ſed in noſtrorum exitium inſtructi, quoſcunq; ex noſtris animaduertebāt, ſclopetorū ictibus, aut, e medio tollebant, aut grauiſsime ſauciabant. In quibus Ferramolinus, genere Bergomenſis, & Cæſaris Machinator non obſcurus, dum cuniculos ſubtectos meditatur, Glande percuſſus interijt. At noſtri ſuo malo docti, ex aggeribus (tormentis ad id paratis) prouident, vt nullus hoſtium, in mœnibus deinceps abſq; diſcrimine, tutus conſiſtere poſſet. Deinde, cum .25. muralibus tormentis æneis, Turrim vrbis ingentem, ad octanguli formam ad orientem in angulo extructā, per decem ferme dies fortiter oppugnant. Quæ adeo percuſſa fuit, vt non modo muri, ſed & ipſius quoq; turris magna pars fuerit deiecta, apertaq;, qua facillimum, noſtri gradum, & aſcenſum ad ſubeūdum adiudicabant. Enimuero mœnia, cum latus altis, latis, ac profundis foſsis, atq; alijs munitionibus eſſent munita vt diximus, difficilis in vrbem aditus habebatur, eo præſertim, quod Halis præfectus, cum delecta Turcarum manu præſidio ibi aderat, vt noſtros in eam partem forte irrumpētes, a lateribus cum inſidijs ad exitium exciperet. Quam ob rem Prorex viſo quod oppugnatio ad iſthmum indies durior, atq; aſperior euaderet, & militum vires, ac animi hebetarentur, in mentem ſubijt, a parte maris, quæ orientem reſpicit, vbi mœnia infirma erant, & nulla foſſa, nulloq; aggere munita, vrbem aggredi. At cum ea loca vadoſa eſſent, & inæqualia, quibus neq; onerariæ, neq; minus roſtratæ naues appropinquare poſſent, vt inde mutuis tormentorum nauallium ictibus peteretur, ſuccurrit ei, aliquem maris vadum mœnibus propinquum, magna ſaxorum, lignorumq; congerie iniecta, replendum, obſtruendumq; vt inde tormentis æneis, vrbs quati, atq; aperiri poſſet. Verum cum nihil certi inter duces ob difficultatem rei conſtitueretur, Garſias a Toledo Hiſpano, Petri Neapolitani Proregis filio, & ex Ducibus vno Neapolitanæ claſsis præfecto, in animum venit, Sambucam illam, machinamēti genus, quod teſte Appiano Mitridates Rex Ponti contra Rhodos ex duabus nauibus inſtruxit, plurimum huic rei conducere poſſe. Placuit Proregi, & Andreæ, inuentum, ac veluti, e cœlo delapſum fauſtis acclamationibus exceperūt. Igitur extemplo huic operi incumbunt, Sambucam in ſtatione vbi tota claſsis noſtra erat, vt facilius hoſtes fallerent, edificare incipiunt, duas Triremes, duobus trabibus coniungunt, atq; inter eas, duo etiam magna nauigia immittunt, vt illis Sambuca firmior reddita, tormentorum impetum tutius ſuſtine-

ret,

Digitized by Google

ret, At ne profundius quam per eſſet, in mare Sambuca deſcenderet, cupis vacuis, inter ſe ſcapharum more funibus deuinctis, & ei firmiſsimis vinculis vndiq; annexis, in altum ſuſtentabatur, veluti rates, cum ipſarum latera, carinæq; reſarciuntur, in mari cupis inanibus de more ſuſtinentur. His peractis, Sambucam viminibus, & omni materia, magniſq; tignis conſternunt; & ſubinde, decem maxima tormenta ænea muralia illi imponunt. Et ne oppugnatores, ab hoſtium tormentis lederentur, & liberius vrbem oppugnare poſſent, duo ex nauium velis, rudentibus, & tritis linteis munimenta in ea conſtruxerunt, a frõte vnum, alterum a ſiniſtro latere, quod vrbis partem ſpectabat, in quibus, locis æque diſtantibus, alterna ſpatia pro tormentorum magnitudine, cratibus, plutei ſq;, & linteis contecta, ſunt relicta, per quæ libere tormenta diſploderentur. Dum Sambuca paratur, Antonius Aurea, & Marcus Centurionus ligures, decẽ cum triremibus vterq; ad perſequendum Drauthum, cum ſexdecim biremibus, mare mediterraneum vexantem iuſsu proregis proficiſcuntur, Igitur diuerſi, Antonius orientem, Marcus Septentrionem nauigant, ſed nou reperto hoſte, militibus, & commeatu, ex Sicilia, & Genua onuſti, ad Africam ſunt reuerſi. Auctis ex ſententia noſtris copijs, fabricatiſq; machinis, & ad paſſus ducentos propius vrbem iactis aggeribus, & in his tormentis æneis collocatis, decretum eſt, vt vno ſimul tempore tribus in locis, a mari vno, & duobus a terra vrbs oppugnaretur. His paratis, & trifariam diuiſo exercitu, & vnicuiq; loco parte vna, diſtributa, Prorex inuaſionis diem præſtituit, quæ vbi aduenit, ſacris de more peractis, & Sambuca ante lucem ad delectum in mari locum, ducentis paſsibus a mœnibus diſtantem perducta, curatiſq; ac refectis corporibus, dato ſigno, oppidum maxima vi terra & mari oppugnare, quatereq; incipiunt, defenſores de propugnaculis & muris exturbant, & plures eorum occidunt. Oppidani vbi ab inexpectata, & infirma maris parte, ſe peti vident, re ſubita perterriti, e tabernaculis, veſanis ſimiles proſiliunt, ſed paulo poſt reſumptis animis, latã, profundamq; foſſam parant, magnum cogunt agmen, & in eo loco inſtructum ſtare iubent, vnde proſtratis mœnibus ad noſtrorum irruentium impetum excipiendum occurrere poſſent. In medio quoq; foro alterum peditum agmen in ſubſidijs locant, vt ſi forte priores a noſtris ſuperarentur, recentes & integri defeſsis, vel victis ſuccedentes, prælium redintegrate, ac rem reſtituere poſſent. Duobus his agminibus non nullos addunt equites, qui noſtros forſan irrumpentes perturbarent, & obtererent. Iubent præterea vt idonei ad prælium, armis ſe inſtruant, & parati aſsiſtant, & quibus tela, enſeſq; deerant, lapidibus, & fuſtibus, pugnent. Mulieres quoq; monent, vt non luctibus, & lachrimis non profecturis vacent, ſed ipſæ quoq; in extremo patriæ diſcrimine, ex Aedium feneſtris, verticibuſq; ſaxa, trabeſq; in hoſtes in vrbem forſan irrumpentes deijciant. Poſt hæc, ardentibus animis vim noſtram maritimam, tormentis in muro collocatis, propellere, & Sambucã comburere conantur, Incẽdiarium ligneũ valido ferro præfixum, ſulphure, reſina, bitumine, ac oleo plenum, baliſtę impetu in Sambucam dirigunt, quod ſtatim ardens, lignis, ac munimentis infigitur, & machinam incendit. Quo caſu noſtri milites rei nouitate exterriti, incendij metu Sambucam inde amoueri ſtudent. Sed Triremium altera, tormentorum ictibus atq; exploſionibus, ita ad ima deſcenderat, vt immota prorſus eſſet reddita. Prorex ingenti ſuorum periculo permotus, opem ferendam ſtatuit. Nec mora, Oriolam genere Hiſpanum, ob rei militaris peritiam, militibus in Sambuca poſitis præficit, vt & ignem extinguat, & noſtros metu percitos corroboret. Oriolas ſuſcepto officio, Sambucam ſtatim inſcendit, & maxima arte diligẽtiaq; vſus, ignem extinguit, & milites animi quiores facit. Enimuero dum accuratius huic rei incumbit, & vrbis mœnia ex Sambuca tormẽtorum vi deijcit,

hoſtilis

hostilis tormenti ictu percussus est. Huic statim iussu Proregis in præfectura solitius Hispanus & ipse genere, succedit. Is ardentissime vrbem ea maris parte, tormentorum pilis quatit, mœnia deijcit, & tandem ita aperuit, vt ad magnas copias excipiendas pateret. Nec minus ad isthmum, qui duobus locis mœnia pulsabant, operis præstiterunt. Quo circa nostri, vrbem inuadendæ tempus adesse rati, dato signo vrbem versus, tripartito exercitu contendunt, Iã prima acies quæ a terra vrbem quassauerat, ad murum anteriorem tormentis stratum pernenerat, subireq;, & in vrbem irrumpere parabat, cum Turcæ, qui in statione portæ aderant, quorum princeps Halis præfectus erat, in duas cohortes diuisi, a dextra, leuaq; nostros arcere, atq; aditu prohibere nituntur. Cumq; nostri contra magnis viribus sisterent, ibi acerrime vtrinq; pugnatum est. Tandem nostri, superatis Turcis, & Hali præfecto occiso, ad muri partem diiectam peruenitut. At ob muri crassitudinem, & insidias sub terra latentes in vrbem irrumpere non sunt ausi, & qui pauci, ardore animi, gloriæq; cupiditate eos exagitante, ingredi tentauerunt, magno eorum, vel mortis, vel vulneris recepti discrimine, reiecti sunt. Altera acies quæ Turrim octangularem ad orientem percusserat, facto vndiq; impetu, contrucidatisq; magna cæde Turcis custodibus, eam cæperunt. Neq; propterea, vrbem ingredi, eadem causa prohibente, nostris datum est. Sola tertia acies, quæ mari ex Sambuca præliabatur, & ruinas maximas, patentesq; in mœnibus fecerat, per eas, repulsis magnis animis hostibus, in vrbem sese iecit, quam statim & cæteri nostri milites sunt secuuti. Oppidani & Turcæ, vbi nostros oppidum ingressos conspiciunt, statim armis accincti occurrunt, atq; strenue eos ab vlteriori ingressu remorati sunt, Nostri audentiores ex capta propè vrbe facti, vim propellunt, multisq; hostibus cæsis, in vrbem irrumpunt. Vrbe potiti, in duas se diuidunt partes, quorum qui ad leuam se tenuerunt, vicum qui ducit ad forum ingressi, Afros quoscunq; qui cæco furore in enses, telaq; nostrorum proruentes, victoriam impedire nitebantur, passim trucidabant. Identidem & qui dextera se direxerũt, per vrbis vias excursantes, & editis, repetitisq; vocibus victoriam conclamantes, gerebant. Postq; nostri intra mœnia sunt ingressi, Bartholomeus Peresius Hispanus, per scalam muro admotam mœnia ascendens, audacter, fortiterq;, hostibus qui ibi se munierãt superatis, primus omnium Cæsaris insigne mœnibus infixit, victorræq; signum nostræ classi, & Andreæ Aureæ Præfecto dedit. Capta vrbe, nostri cum victores ad Mahometti ædem peruenissent, repente, e foro proximo, magna Turcarum & oppidanorũ manus, impetu facto, plũ redintegrauit. At nostri licet sesi, irruentium hostium furorem strenue in se excipiunt, eosq; (multis vtrinq; cæsis) fundunt, fugantq;. Ex fugientibus magnus eorum numerus captus est, reliquus ad munitas turres se recipientibus, sed paulo post se dedentibus. Milites nostri captam iam vrbem excurrunt, magnaq; seruorum, & rerum facta præda, diripiunt, Ita igitur vrbs Africæ per Sambucam, quæ Mithridatis apud Rhodios fuit infælix, quarto idus Septembris, anno salutis 1550. septuagesimo die postq obsideri cœpta est, fœliciſsime a nostris est expugnata. Prorex parta victoria, vbi primum vrbem est ingressus, Templum Mahometanum inuisit, purgatũq; Christiano more Diuo Ioanni sacrum instituit, & relicto in vrbe Hispanorum militum præsidio, Siciliam victor reuersus est. Dum hæc Carolo contra Sarracenos geruntur, Henricus Francorum Rex, qui post Genitoris interitum iniurias, quas pater cum Carolo inierat per duos ferme annos dissimulauerat, cum esset homo elato, tacitoq; ingenio, & sublimes gereret spiritus, neq; immemor suæ, & Patris apud Hispaniam captiuitatis, saucium haberet pectus, ratus ad dignitatem sui imperij pertinere, simul & sui muneris esse, tot iniurias vlcisci, & Mediolani, Genuæ, Neapolis, Siciliæ, & Corsicæ iura bello repetere contra Cæsarem

Digitized by Google

ſarem exinopinato arma mouere,& eum,(ſi Fortuna non deeſſet) interciperé, & captiuum reddere conſtituit.Sed hoc conſilium alte conceptum, & diu intra pectus recõditum,ſilentio compreſſum voluit,vt ſimulatione deceptus Cæſar, & imparatus offenderetur,& nequaq; mature expeditis præſidijs occurrere poſſet.His animo firmatis,cum Mauritio Duce,& Alberto Marchione Brundeburgenſi,Alemanis Principibus,qui poſt domitam Germaniam a Cæſare deſciuerant,clanculum contra Cæſarem fœdus pepigit, ſeq; libertatis Germanicæ reſtitutorem,& liberatorem Imperij palam dittitans.Igitur Mauritius Dux,equites,& pedites ad viginti circiter milia.Albertus Marchio totidem, Henricus vero Rex quinquaginta ferme milia,præter ænea tormenta,& machinamenta bello opportuna comparat,militeſq; comuni Ducũ ſententia trifariam diſtribuit, Mauritius vt contra Sprugium vrbem,vbi Cæſar erat,Albertus alio itinere, Et Rex ipſe contra Meſſam Rheni, & Argentinam liberas vrbes,contenderet. Ita enim diuerſis exercitibus cum ſe ſuperiorẽ Cæſari fore cognoſceret,& inopinato rerum ſucceſſu,ſubacturum ſe illum videlicet exiſtimaret,per ſe ipſum illum opprimere arbitrabatur.Henricus his paratis,cognito quod ex nouo occidentali orbe,ſub Aequatore poſito,Cæſari ſupra centum auri Myriades, per legatos,& naues quæ apud Rothomagum in ſtatione erant,adueherentur, repente violatis inducijs,legatos per Duces ſuos adoriri,& cõprehendi iuſsit, omniq; adẽpto auro,quo Belli onera ſufferret,captiuos fecit.Poſt hæc,Mauritius cõtra Sprugiũ, & Hẽricus Rex cũ Alberto cõtra Meſsã,mouẽt.Mauritius lõgis itineribus,vt Cæſarẽ interciperet,Sprugiũ venit,Quo Cæſar,per certũ nũtium præcognito,Sprugio tumultuoſiſsima fuga dilapſus,ad Bellacum munitiſsimã vrbẽ ſe receꝑit. Mauritius ſpe ſua fruſtratus, animo deijcitur,& abſq; maleficijs illatis,vnde diſceſſerat,redijt.Henricus Interea ſuo & Alberti exercitu,Meſſam proficiſcitur,vbi amice cum copijs receptus, vrbem nil tale expectantem, neq; minus promeritam,repente inuadit,atq; per proditionem ſibi occupat,& præſidio munit.Per fraudem igitur Meſſa capta,& reliquis copijs quamre ad tuendã vrbem ſatis fere videbantur,cum toto exercitu & Alberto, Argentinam,& Spiram verſus,per vrbes,& vicos hoſtiliter (prohibente nullo) excurrit.Vbi,ab Argintenenſibus,& Spirenſibus,exemplo Meſſæ perterritis,nõ receptus,in Meſsã redijt.Meſſa deinde optimo præſidio munita, in Galliã diſſolutis copijs reuerſus eſt,Mauritij & Alberti inſidias veritus,quos fluctuoſo, & præcipiti ingenio viros eſſe,& ad Cæſarem, tacito defeciſſe, dedicerat.Cæſar vbi ad Bellacum venit,minime inſolentiã Henrici Regis ferendã ratus,ægreſcit,tandemq; contra animi ſui ſententiam,& ſolum ſuæ dignitatis adductus,ad expeditionẽ ſe cõparat. Igitur ex Italia, Germania,Vngaria,atq; prouintijs reliquis,ad ſexãginta armatorum milia cogit,& ad expugnandam Meſſam valido Gallorum præſidio,& Ducibus, Cardinali Rheni, Comite Guiſio, Oratio Farnesio, & Petro Stroza munitam,hyeme ingruente contendit, imitatus ab auro vrbis cuſtode,qui per proditionem oppidum illi tradere abſq; ſanguine promiſerat, nãq; duobus mẽſibus, nempe Nouẽbri,& Decembri,dure obſidet.Admonuit quoq; Cæſar Mariam Sororem,Ludouici olim Vngariæ Regis Vxorem,quæ Belgicam perabat,vt quanta maxima poſſet celeritate, & ipſa Belgarum, & Sequanorum equitum alis coactis,in Galliam eodem fimul tempore irrumperet. Quod vbi illa accepit,ſtatim Belgarum proceribus ad bellum excitis,vexilla explicat,milites ad ſigna vocat, magnoq; equitatu inſtructa, eques ipſa Pichardiam, quæ Henrici iuris erat,virili prope animo ingreſſa,per oppida, & vicos exeuntes, armis & incendijs Galliæ fines populabatur,Dum hæc a Maria apud Pichardos contra Henricum fortiter geruntur,Apud Meſſam vrbis cuſtos,dum parum diligenter,operi ſuo incumbit, & detecta cõiuratione, fuga ſalutem,e mœnibus,

dilapſus,

dilapſus ſibi quærit, perfractis cruribus a Gallis captus, in fruſta ſectus eſt. Quo cognito Cæſar, & quadraginta circiter ſui exercitus armatorũ milibus, ppter hyemis aſperitatẽ, morbo, & frigore, amiſsis, deſperata victoria, mẽſe Ianuario obſidionem ſoluere, & ad Tumuillam vrbem prius, & mox ad Embergum ſecedere compellitur. Subinde redeunte vere, exercitum inſtaurat, & rurſus contra Henricum Regem alio itinere mouet, Taruanam, & Dinum munitiſsimas Henrici vrbes, magna vi aggreditur, atq; ingenti ſtrage expugnat, & in vltionẽ rupti fœderis, ac iniuriæ receptæ, funditus euertit, ingentibuſq; deinde cladibus Gallorum finibus attritis, in Flandriam redijt. Ijſdem diebus mortuo Obdoardo puero, Angliæ Rege, ad Mariam ex Margarita legitima Henrici octani olim Regis, repudiata vxore prognatam, comuni procerum, & plæbis conſenſu, Regnum Angliæ recidit. Quæ non diu poſt, Philippo Caroli Cæſaris filio nupta, Angliam a Lutherana labe reſtituit. Sub idem ferme tempus, Solymanus Turcarum Rex, qui quinq; annorum inducias cum Carolo Cæſare, & Ferdinando Rege, Germano eius fratre pepigerat, ex Africa vrbe a noſtris capta, occaſionem fœderis rumpendi contra Carolum ſumit, claſſem centum quinquaginta ferme Triremium anno ſalutis. 1551. parat, militeq; delecto inſtruit, eiq; Senen Baſſam Ducem præficit, & in Siciliam mittit. Senen Meſſanæ fretum ingreſſus, ad foſſam Sancti Ioannis. p.m. 8. Rhegio diſtantem conſtitit, & per internuntiũ a Ioanne Vega Prorege, Meſſanæ tum agente Africam vrbem, tempore inducia-rum, e Turcarum imperio captam, Solymano reſtitui poſtulat. Cui cum Prorex eam vrbem in ictu cum Carolo fœdere non contineri, vt pote, nõ a Solymano, ſed a Drautho, maritimo curſu oĩa deuaſtãte, occupatã reſpõdiſſet, Senen extẽplo indignabundus, Catanã prętextu rupti fœderis oppugnaturus, a littore ſoluit. At ventorum impulſu, Catanam præternauigans, Auguſtam Oppidum viris deſertum, incendit, Arcemq; infirmo præſidio, noſtrorum incuria, munitam capit, & diripit. Melitam poſtea contendens, nouam Ioannitarum vrbem, quam Burgum appellant, & Arcem, aliquot diebus fruſtra obſidet, mox aruis omnibus, vinetis, oliuetis, ac pagis veteris vrbis incendio fœdatis, Gaulon, Gozum vulgo dictam, vicinam inſulam adoritur, eamq; triduum acerrime tormentis oppugnat, arceq; tandem vi tormentorũ diſiecta, per deditionem accipit. Vnde quatuor ferme hominum milium promiſcui ſexus præda abducta, combuſtoq; oppido, diſcedens, Tripolim, quam Ioannitæ etiam tenebant, Nonis Auguſti petit, excitatoq; ad occidentem aggere, Arcem tormentis oppugnare cœpit. Sed cum ea parte munitiſsima eſſet, irritos reddebat Turcarum conatus. Quo viſo arcis lanitor, Francus genere, qui nuper cũ Amuraga Sarraceno, Taiuræ Regulo, fœdus clam pepigerat, arce noctu egreſſus, Turcas vt eam ab oriente, qua immunita erat, petãt, oppugnent, aduertit. Turcę admoniti ea parte arcem magna vi tormentis fruſtra quatiunt. Ioannitæ etenim, & Hiſpani milites qui arci erant præſidio, cum commeatu omni abundarent, ſtrenue, fortiterq; propugnabant. Senen vt primum defendi arcem diligenter vidit, decreuit mittere qui Ioannitas alloquerentur, & ad deditionẽ hortarentur. Erat Arcis præfectus Gaſpar Iambalis eques Ioannita, genere & ipſe Francus, Huuc, ſuaſu legatorum Henrici Francorum Regis, qui cum Turcis ad accerſendam contra Neapolim Othomanicam claſſem a Rege ad Solymanum miſsi aderant, Senen, ſubmiſsis quibuſdam in Prætoriã triremim accerſit. Gaſpar ingenio pceps, ſtatim fraudulenti, & inimici hominis verbis motus, Arce egreſſus, ad Senen in Prætoriam ſe confert, Ille paucis, reſerari ſibi portas arcis, & Claues reddi, ſeq; amicũ pro hoſte accipere, licereq; ſibi vna opera ſuæ & Ioannitarum equitum ſaluti conſulere, q ſi obſtinatus perſtiterit, cædibus paulo poſt & ſanguine delendã Arcem, contracto, crudeliq; vultu edicit. Gaſpar, his territus, & a legatis etiã nõ

hortatus

hortatus,titulũq; toties ſeruatæ,ac ꝓpugnatę Tripolis ab eꝗſtri ſuo ordine aſpernatus,ac ꝓdita fide Senatui,& Chriſtianis debita,decimo octauo cal.Septēb.ducētis ſecũ libertate donatis,Arcem Turcis turpiter prodidit. Ita pudenda deditione tradita Tripoli,trucidatiſq; Hiſpanis, Gaſpar ipſe & cæteri Ioannitæ qui præſidiarij in arce erant,Triremi Turcica Melitam ſunt dimiſſi, vbi ſtatim Gaſpar a Magno Ioannitarum Magiſtro, ob ſacrilegum facinus priuatus cruce, in Carcerem teterrimum eſt coniectus.Capta per hunc modum Tripolis Solymanus anno ſequenti. 1552. menſe Iulio claſſem centum viginti triremium, Ruſtano Baſſa præfecto,Henrico Gallorum Regi ad Neapolim expugnandam,mittit. Ruſtanus igitur,fretum Siculum ingreſſus,Turrim phearam,& Aedem Diuæ Mariæ a Grutta incendit,cæteram freto adiacentem orā proculdubio populaturus, ni Antonius Amodeus Panormitanus,Baro Vallis longæ, a Ioanne Vega Prorege cum equitatu miſſus,ei occurrens, obſtitiſſet. Littoralia deinde Calabriæ, Rhegium,Scaliam,Policaſtrum,Piſſotum,Prochytam inſulam, Molã, Traiectũ, & Plæraq; alia Companiæ oppida depredatus, incendio abſumpſit.His geſtis, Turcę ad Pōntiã Inſulã cũ claſſe conſederunt,præſtolantes quorſum Ferdinandi Sāſeuerini Salernitani Principis,qui ab obſitio & fide Cæſaris deſciuerat, & Neapolim ad certã diē Henrico Regi cũ coniuratis traddere cōſtituerat,conſilia euaderent. Quo cognito,Andreas Auria Caroli Cæſaris Præfectus, quadraginta cũ Triremibus,quatuor Teutonicorũ milibus inſtructis a Cæſare miſſus,Genua ſoluit,& his motibus occurſurus Neapolim nauigat.Cũq; ad Pōtiã Inſulã apropinquaſſet,in Claſſem Turcicã imprudenter incidit, qua cũ numero longe eſſet inferior,non auſus bello confligere,ſeptē Triremes Teutonicis militibus cōpletas, abſq; prælio amiſit,cæteris in fugam verſis,quarũ duæ ſibi cōſulentes, Panormũ ſeptimo die Auguſti applicuerunt.Poſt hæc Neapolitana coniuratione per Cæſarē Morminũ,qui cōiuratorũ vnus ferebatur,Carolo Cæſari detecta,& Neapoli Hiſpanorũ præſidio munita,Turcica claſsis Domũ eſt reuerſa.Quo viſo Salernitanus Princeps,qui ſpē euertēdi Neapolitani Regni ꝓpterea nequaquã amiſerat,fretus plæbis fauore,cui erat acceptiſsimus,ſtatim triginta cum Triremibus Conſtantinopolim ad ſollicitandum Turcicæ claſsis in Italiam reditũ iter intēdit. Vnde, anno ſal. 1553. cũ octuaginta Turciçis Triremibus,quibus Drauthus præerat,in Siciliam reuerſus eſt.Drauthus cũ Salernitano, inſulæ appulſus; Alicatam vrbem ex improuiſo aggreditur,expugnat, diripit, & totam cum Aedibus prophanis, & Saçris,incendijs conſumit.Mox celerrimo curſu Saccam vrbem populaturus contendit. Ad cuius littus quinq; horas moratus, Stratagemate Antonij Amodei,militiæ Præfecti,cuius ſupra meminimus, abſq; maleficio inde diſceſsit. Nam & ſi vrbs immunita eſſet, & viris deſerta,qui metu perterriti cum vxoribus,& liberis,ad montes vicinos profugerant, Amodeus tamē animo impauidus,patefactis vrbis portis, & Cæſaris pluribus per murorũ pinnacula erectis inſignibus, ac Timpanis paſsim per vrbem ſonantibus, vt omni metu ſolutus videretur, cum paucis qui ſecum erant, equitibus, extra mœnia egreſſus, per condenſas olearum arbores, hoſtibus ea ſe parte oſtentabat, qua illis Militiæ Siculæ equitatum,peditatumq; ingentem, qui Ductore Petro Luna Bibonæ Duce propediem expectabātur,ibi adeſſe perſuaderet. Quo oſtēto Territi Turcæ,intentata, intactaq; vrbe, diſceſſerunt, ac ad Bilicim fluuium aquatum pergunt.Mox recto curſu Coſyram inſulam,Pantallariam hodie vocitatam profecti,oppidum ſimul & arcem expugnarunt,milleq; hominum, ac rerũ omnium præda onuſti,Illerdam Italiæ inſulam nauigant,vbi captis quoq; mille fere hominibus vicatim habitantibus,Portum Ferratum fruſtra plures dies obſident,& oppugnant.Cyrnum poſtea inſulam,Corſicam vulgo dictam, quæ Genuenſium parebat imperio, nil tale expectantem,aggreſsi,capto per deditionē

Bonifacio

Bonifacio oppido,totius gentis capite,in præciſa admodum rupe ſito, eam Hẽrico Regi ſubigunt. Capta Corſica,& Rebus Neapolitanis infectis, Turcica Claſſis menſe Octobri,emenſo Freto,Conſtantinopolim vnde venerat,redijt.

Sub idem tempus anni ſal. 1553. Dum hæc a Solymano,& Franciſco Rege geruntur, Carolus Cæſar religione tactus, Epiſcopatus Siciliæ,ſimul & Abbatias, quæ Regij Patronatus iuris ſunt, per Ioannem Vegam Proregem inuiſi,& recenſeri fecit. Cuius recenſum, in Epytomen redactum, additis, ex ſuperioribus quandoq;,his quæ rerum ſeriem exornant, aperiuntq;, ab Epiſcopatibus exorſi,libenter ſubiecimus.

De Archiepiscopatv Panormitano.

PAnormitanus Archiepiſcopatus,vetuſtiſsimus eſt, & Græcis imperãtibus, quibus tum Sicilia ſuberat, inſtitutus. Quo vero Cæſare, quoue Romano Pontifice,haud ſane ſatis exploratum, & ſi ſalutis anno. 600. ex Gregorij primi Regiſtro, & Gregorij ſeptimi priuilegio, cuius in Panormo verba retulimus,aliorumq; Pontificum authoritatibus, eam vrbem Archiepiſcopum habuiſſe dignoſcatur.Sarracenis deinde Siciliam occupantibus, licet ſolo nomine præfulgeret,a Roberto tamen Guiſcardo,& Rogerio Boſſo Normannis fratribus,ſubactis Barbaris,in Nichodemo,Genere graio,eiuſce vrbis Archipræſule,apud.S.Dñicæ Aediculã, Chriſtianorũ cladẽ miſere lugẽte, vt refert Calixtus Ro.Põt.reſtitutus eſt.Nichodemo Archerius ſucceſsit Archiepiſcopus. Huic Rogerius.Cui Gualtherius.Et Huic Petrus.Cui Hugo,ſub quo.D.Chriſtinę corpus Panormũ exportatũ eſt. Et illi Stephanus. Cui Gualtherius alter, qui Maximũ Templum,Siciliæ Regum Coronam,Mauſoleumq;, a fundamentis erexit. Huic Bartholomeus.Cui Pariſius.Et ei Berardus,Et ſubinde cæteri, qui hucuſq; præſiderũt. Gregorius ſeptimus Ro.Pont.vſum Pallij.quo ſolo Pontificalis authoritas cum Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur,vt extra. De authoritate,& vſu Pallij.c.3.Innocentius tertius teſtatur,omnemq; Dignitatem, ac ſuffraganeos Epiſcopatus,& prædia omnia, quæ vetuſto tempore poſsidebat, Archerio reſtituit,vt eius conſtat Diplomate Dato Romæ. 16. Calend. Maij anno ſal. 1083. Ditatus fuit a Roberto Guiſcardo Duce, Sicalgaita vxore,Rogerio filio,Rogerio Comite,Rogerio Rege,Guilelmis,Tancredo,Henrico,Conſtantia, Frederico,Corrado.Manfredo,& cæteris Sicilię Regibus,vt eorum Elogijs comperitur.Eſt eius cenſus hoc anno.

Auri quidem,Vnciæ Siculæ.	2504. tr. 4. gr. 18.
Frumenti,Salmæ.	240.
Ordei,Salmæ.	100.
Farinæ,Salma.	1
Olei,Cant.	1

De Archiepiscopatv, Messanensi.

EPiſcopali Dignitate ex Troyna in Meſſanam vrbem tranſlata, ſed qua cauſa (ſi dignitas nõ fuit loci)incertum,Rogerius Siciliæ Comes Robertum conſanguineum Troynenſem Antiſtitem,Meſſanæ primum Epiſcopũ inſtituit, ſe ſe & Troynæ,& Meſſanæ Pontificem poſtea,in Diplomatibus efferentem,vt adhuc legimus.Caſale Rayhalbuthum,& paulo poſt Alcaram,& prædia plura, tradidit, Templum Cathedrale Diuo Nicolao Sacrum erexit, ampliſsimamq; multorum oppidorũ Dioceſim cõſtituit.vt ſuis priuilegijs Datis anno ſal.1082.& ãno.1087. memoriæ reliquit. Huic vrbi, deinde Rogerij Regis tẽpore, Archiepiſcopale Decus acceſsit, vt Duabus ſuis Tabellis Rex ipſe pſefert.Et Guilelmus Rex,primum Archiepiſcopum, Nicolaum nominat.Cui, & Par Templum Maximũ Diuæ Mariæ Dicatum,extructum eſt.Cuius cenſus eſt.

Auri,

Digitized by Google

Auri, Vnciæ.	1115.	7.	9.
Frumenti, Salmæ.	597.		
Ordei, Salmæ.	102.		

De Archiepiscopatv Montis Regalis.

Guilelmus, secundus Siciliæ Rex, Templum eo loco musiuo opere toto orbe Pulcherrimum, Diuæ Mariæ Sacrum, & Cœnobium ordinis Sancti Benedicti illi adiunctum condidit, multisq; in Sicilia, & Calabria prædijs ditauit, vt suo Diplomate Dato Panormi, mense Iunio anno sal. 1182. constat. Cuius Templi maiestate, & frequenti Regis accessu, tanta incolarum multitudo, & Commercia multarum gentium statim accurrerunt, vt oppidum ob id erectum, liberalitate Guilelmi, & Lucij Ro. Pont. in Metropolim sit euectum. vt vtriusq; Priuilegio didicimus. Censum habet.

Auri, Vncias.	4744.	25.	16.
Frumenti, Salmas.	3695.		
Ordei, Salmas.	550.		

De Episcopatv Catanensi.

NOn minori fœlicitatis cursu, Rogerius Siciliæ Comes, & Normannorum Regum, qui centum triginta circiter annos Siciliæ præfuerunt, pater, Catana, victis Sarracenis, potitus, Templum in ea tota Sicilia Maximum, & Monasterium ordinis Sancti Benedicti adiunctum, præerexit. Præfecto nanq; tantæ moli Angerio, viro Pio, & vrbe, Agris, Aetna, Syluis, Mare, Amne, ac Acide Castro, liberaliter, & pie donato, statim vrbis claritas, & Angerij Religionis nitor meruerunt, vt in Episcopalem dignitatem ab Vrbano secundo Ro. Pont. extolleretur, vt Rogerij monimento, Dato Catanę die. 15. Decembris, anno sal. 1092. Et Vrbani indulto proditum est. Cæterum Acis oppidulum, processu æui censu Vntiarũ triginta Artali Alagonę consensu Pontificis datum, ad Regem tandem eodem onere recidit. Sed & Constantia Regina, Rogerij Comitis Neptis, & Regis filia, rectæ & ipsa, veræq; pietatis cultrix Caltabianam oppidum Catanensi Ecclesiæ suo Dipplomate, Dato Messanæ mense Martio, anno sal. 1213. addidit, quod iussu Frederici Regis, simul & Mascalim oppidulum, postea Episcopus est assequutus. Census eius est.

Auri, Vnciæ.	1410.
Frumenti, Salmæ.	803.
Ordei, Salmæ.	228.

De Syracvsano Episcopatv.

VRbem Syracusas, superatis Sarracenorum sæpe Ducibus, & cũ omnibus copijs cæsis, Rogerius Comes magna vi adeptus, Templum vetustissimũ, quod in Mahometti spurcitias abierat, more Christiano purgauit, Stephanum Episcopum constituit, multis Pagis opes eius auxit, vt diplomate eius demonstratur, Gothfredum præterea. Rogerij filiũ, & Siluestrum Comitem, Gothfredi prognatum, paternarum virtutum æmulatores, multa prædia eidem Ecclesiæ contuliſſe, eorum Tabulæ indicant, & Alexander tertius Ro. Pontifex contestatur. Sed et Rogerius Siciliæ Rex, non minus quam genitor Diuinitatis cultor, Casale Mazarinum Episcopo Syracusano egestate iam pridem labenti, in manus dedit. vt eius priuilegio Græce, & Latine scripto, Dato Mense Decembri, anno sal. 1143. proditur. Est illi census.

Auri, Vnciæ.	722.	9.

De Agrigentino Episcopatv.

Priori

PRiori Decade satis nimis dictum est, Agrigento expugnato, Rogerium Siciliæ Comitem, optime quæ religionis fuerant, statim instituisse, & Vrbani secundi Ro. Pont. assensu, Gerlandum Genere Allobrogensem Episcopũ, Dioceſi, & opibus assignatis, præfeciſſe. vt eius dipplomate Dato, anno sal. 1093. Et Vrbani Pont. Dato Romæ. 6. idus Octobris, anno sal. 1099. ostenditur. Huius Census est.

Auri, Vnciæ.	766.	12.	10.
Frumenti, Salmæ.	1555.		
Ordei, Salmæ.	113.	8.	

De Pactensi Episcopatv.

LYpara insula, & Pacta Siciliæ vrbe, Sarracenis bello Domitis, Rogerius Comes potitus, vtrobiq; Diuo Bartholomeo Templũ sacrum, & Cœnobium ordinis S. Benedicti adiunctũ, vt religioni, & pietati veterem nitorem redderet, extruxit. Constat eius Dipplomate Dato anno sal. 1094 Rogerius Deinde Siciliæ Rex, & Proceres nonnulli, egregias Cœnobitarum virtutes admirati, Donis Plurimis, & Mirto Pago eos sunt prosequuti. vt Regis Priuilegium Datum anno sal. 1130. indicat. Bonifacius Postea octauus Ro. Pont. vt maior religionis cultus in eis præfulgeret, & Frequentibus duobus populis, Sacramenta commodius administrarentur, Cœnobia ipsa duo, in duas Cathedrales Aedes euexit, diuisitq;. Ita pacta vrbs, Pontificalis dignitatis primordia, in Bonifacium refert. Census habet.

Auri. Vncias.	1588.	18.	8.
Frumenti, Salmas.	134.		
Ordei, Salmas.	5.		
Vini, Salmas.	69.		
Olei, Cafi.	30.		

De Cephaledensi Episcopatv.

ROgerius Siciliæ Rex, clade Naufragij Salernitani imminente, sola numinis pietate, ereptus, Cephaledi vetustissimæ vrbi, ex vertice ad collis radicem, & maris littus, translatę, noua mœnia, & Templum tota Sicilia insigne, ac Dignitatem Episcopalem, dum voto & sacris incumbit, edidit. Ostenditur id ipsius diplomate. Dato Mense Aprili, anno sal. 1145. Fredericus deinde secundus huius nominis Cæsar, non vulgari liberalitate Cephaleditanæ Ecclesiæ Castrum Pollinæ suo priuilegio Dato, anno sal. 1201. contulit. Sed & ipsa constantia Friderici mater, paternum sacrum opus, & nouis muneribus, & vetustis, asseruit, vt eius Publicis Tabulis constat. Est huius sacræ Aedis Census.

Auri, Vnciæ.	1255.	18.
Vini, Cupæ.	83.	
Frumenti, Salmæ.	101.	
Ordei, Salmæ.	2.	

De Mazarensi Episcopatv.

VIr omnium pientissimus, Rogerius Siciliæ Comes, cũ sibi in nullo pio opere parceret & Siciliam omnem, (eiectis inde Sarracenis) suo adiecisset Imperio, Mazarã, vrbem, erecto omnium Saluatori Testudineo Templo, Pontificali dignitate insignit, & Stephanum Rothomagensem, præclarũ virum, Episcopũ constituit,

Digitized by Google

constituit, Dioceſim decernit, & opibus ditat. Liquet eius Priuilegio Dato Mazaræ Menſe Octobri, anno ſal. 1093. Quam poſtea Decimarum tum portuum, tũ Tynnorum Dioceſis oblatione, ſimul & Sibilliana piſcium captura, Rogerius Rex auxit, vt ſuo dipplomate, Dato Panormi, Menſe Martio, anno ſalu. 1144. confirmatum reliquit. Eſt eius cenſus.

Auri, Vnciæ.	525.	8.	3.	4.
Frumenti, Salmæ.	828.			
Ordei, Salmæ.	206.			

Ac de Epiſcopatibus quidẽ hactenus, nũc de Abbatijs, ſeruato Regionum ordine, diſſeramus.

REGIO DEMINI.

DE ARCHIMANDRITATV. S. SALVATORIS MESSANENSIS.

CVm Sarracenicæ expeditionis Siculæ Initium, fœliciſsime ad Meſſanam vrbem, & ex Sententia Rogerio Siciliæ Comiti, ceſsiſſet, Saluatori omnium, cuius numen cordi illo ſemper iherat, & quẽ Ducem, & Antheſignanum, in Sacro eo bello ſuſceperat, vt Victoriæ ſuę primitias ei offerret, religione motus, ad verticem cuiui huius litoris, quod Meſſanenſes vulgo linguã phari appellant, Meſſana capta, Templum, ſummæ religioni erigit, & dicat, Sacriſq; & Sacerdotibus Diui Baſilij exornat. vt eius diplomate Dato Meſſanæ anno ab orbe condito. 6600. Salutis vero. 1090. conſtat. At poſtea Rogerius Rex, Rogerij Comitis filius, Paternæ virtutis æmulator, a fundamentis Templum, Cœnobiumq; inſtaurat, prædijs, oppidis, & multis Eccleſijs, ac Monaſterijs amplificauit, Græcoq; Archimandritæ nomine Præpoſitum appellat, quod Princeps cõſectanei agminis, & non longe inferior dignitate Epiſcopali ſit, Cœnobiumq; ipſum, Magnum Saluatoris Monaſterium vocat. vt ſuo ipſe Decreto Dato ab orbe condito anno. 6642. decernit. Cenſum habet.

Auri.	2162.	17.	14.	

DE ABBATIA S. PHILIPPI MAGNI. 3. p. m.

Meſſana, meridiem verſus, recedente.

FOelici victoriæ curſu, Fœlix, & victor Rogerius Comes, eo loco, vbi ſpectat eſt ſacer, Diui Philippi olim Domicilium, Templũ & Cœnobium, Ordinis. s. Baſilij Diuo cõſtruxit, Sacerdotibus datis opibus, quantæ ad victum, atq; vſum abunde ſufficerent, conſtat eius Tabellis Græce ſcriptis. Eſt eius cenſus.

Auri, Vnciæ.	500,	

DE ABBATIA S. MARIAE ROCCAE MAIORIS.

3. p. m. eodem curſu Meſſanæ hærente.

Bartholomeus de Luce Paternionis Comes, vir genere, & opibus clarus. Henrici Regis, & Conſtantiæ Reginæ aſſenſu, Monaſterium, Diuæ Mariæ Sacrum, iuxta Roccam, quam Maiorem appellant, condidit, ditauitq; vt eius diplomate, Dato anno ſal. 1197. legitur. Eſt illi cenſus.

DE ABBATIA S. MARIAE PVRPVRARI. 3. p. m.

ad meridiem Meſſanam ſequente.

VIa Mulier, Ioannis Graffei, Partannæ olim Domini, filia, opinione celebris & Rogerij Beati Normanici ſanguinis, vxor, Guilelmo ſecundo rerum potiente, Aedem hanc Beatæ Virgini Sacram, & Cœnobium illi adiunctum a fundamentis erexit, & prædijs locupletem fecit. vt eius Tabulis Græce, & Latine ſcriptis, eſt cognitum. Cenſum habet.

Auri, Vncias.	104.	8.		
Frumenti, Salmas.	19.	8.		
Farinæ, Salmas.	3.			

DE ABBATIA. S. MARIAE DE MILI, OR. DIVI Basilij. Messana. p. m. 7. ad meridiem, distante.

VT sensim Rogerius Comes, Siciliam parte de Sarracenis triumpho, victor ingreditur, ita passim Sacra Diuis offert, atq; eo nomine Diuæ Mariæ hic, vbi pagus est, Aedem Sacram erigit, & locupletat. vt eius Priuilegio constat, quæ hac ætate xenodochio Messanensi a Regibus concessa est. Censum habet.

Auri, Vncias.	187.	7.	I.

DE ABBATIA. S. PETRI, ET PAVLI DE ITALA, ORDINIS Diui Basilij. 14. p. m. Messanam Meridiem versus sequente.

Institutum iter insignibus victoriis consequens Rogerius Comes, vbi huc accessit, captis Itala, & Aly, Sarracenorum oppidulis, Diuis Apostolorum Principibus Petro & Paulo Aedem Sacram erigit, Coenobiumq; Ordinis S. Basilij annectit, & Italam, & Alym parta ipsa oppidula tradidit, adiecto Elogio, Dato Mense Decembri, anno ab orbe condito. 6601. Huius census est.

Auri, Vnciæ.	69.	14.	19.
Frumenti, Salmæ.	15.	8.	
Ordei, Salmæ.		7.	
Olei, Caf.	393.		
Vini, Cupæ.		4.	
Amigdalorum æ.		8.	

DE ABBATIA. S. MARIAE MANDIANICIS, OR. DIVI BASILIJ eodem tractu p. m. 10. a Messana recedente.

ROgerius Comes dum Augendæ Reip. Christianæ studet, Barbaros hinc profligat, & Templum Diuæ Mariæ ibidem struit, illudq; Sacerdotibus Diui Basilij inhabitandum constitutis alimentis condecit, vt eius diplomate Dato ab orbe condito, anno 6608. adhuc cognoscimus. Censum habet.

Auri, Vncias.	158.		

DE ABBATIA S. PETRI ET PAVLI DE AGRO, OR. DIVI Basilij prope Forzam Oppidum, & eodem itinere. p. m. circiter. 22. Messanæ recedente.

Et Hunc Rogerius Comes fundamenta iecit, sed mox victoriæ plenus, contra ingruentes Barbaros copijs acciuis, ope impecto euolat, sed Rogerius filius Siciliæ Rex sub initia sui imperij paternæ pietatis æmulus, interrupto Patris Fano incumbit, & Sacerdotibus Forzam oppidulum, & plæraq; alia prædia contribuit. vt eius Priuilegium Græco & Latina scriptum indicat, eius census est.

Auri, Vnciæ.	166.	6.	
Frumenti, Salmæ.		15.	8.
Ordei, Salmæ.		13.	8.
Germani Frumenti, Salmæ.			13.
Oles. Caf.		148.	
Tynnorum Sale conditorum vegetes.			8.

DE ABBATIA. S. GREGORII DE GIPSO, OR. DIVI BASILIJ, Messanæ Septentrionem. p. m. 15. propinqua.

Digitized by Google

A Meridie,ad Septentrionem Rogerius Comes, cum hoſte collatis ſignis confligens,iter deflexit,vbi victor,& hoc Cœnobium Diuo Gregorio ſacrum,& Sacerdotibus Græcis attributum,dedicauit,conſtat eius Tabulis Græce Scriptis. Quod Paulo poſt Rogerius Rex,Archimandritæ.S. Saluatoris ſubiecit. Cenſus eſt illi.

Auri,Vnciæ.	117.	15.
Frumenti,Salmæ.	24.	

DE ABBATIA. S. MARIAE DE GALA, OR. DIVI Baſilij.p.m.circiter.20.ad Septentrionem, Meſſanam ſequente.

DIuæ Mariæ Hoc Sacrum Baſilij Ordinis Monaſterium, non longe a Caſtro Regali oppido,Rogerius Comes,fugatis inde prælio Sarracenis,cõdidit,& ditauit, pluribuſq; Saeris Aedibus ſubiectis, inſigniuit, vt eius Archetypo oſtenditur.Cuius hoc anno cenſus fuit.

Auri,Vnciæ.	246.	13.	3.
Frumenti,Salmæ.	133.	2.	
Caſei,Cant.	3.		
Tynnorum,Vegetes.	15.		

DE ABBATIA. S. PHILIPPI, NON LONGE AB oppido Diuæ Luciæ in Agro Mylenſi.

Incerto eius author,cenſum habet Auri,Vncias. 13.

DE ABBATIA. S. SALVATORIS DE PLACA, Francæ Villæ oppido. p.m.2.vicina.

Aegre & hic prætereo conditorem mihi incognitum, cenſus eſt illi Auri, Vnciæ. 66.

DE ABBATIA. S. NICOLAI DE FICV, QVAE. m. p. Raccodiæ oppido hæret.

FOelicibus auſpicijs Rogerius Comes,Res cœptas cõtra Sarracenos dũ,proſequitur,Religionem conſtanter fouet,& hic Aedem Diuo Nicolao Sacram, & Cœnobium.s Baſilij inſtituti adiunctum erigit,& dotat,cõſtat eius Priuilegio Græco & Latino,& Rogerij Regis,Dato Meſſanæ,anno ſal. 1153. quò plures Eccleſias illi adnectit.Cenſum habet.

Auri,Vncias.	54.	12.
Frumenti,Salmas.	40.	

DE ABBATIA. S. ANGELI DE BROLO, VBI eiuſdem nominis eſt Oppidum.

Rogerius Comes,quam Bello Magnus,tam pietate & religione inſignis,dum hic tres Sarracenorum Pagos aggreſſus , cæſis Barbaris,victoria potitur, in Geſtæ rei Monimentum,Diuo Michaeli Archangelo,ſuo Anteſignano, Templum edificat, Sacerdotes Sancti Baſilij illi dedicat,& alit,euerſiſq; Pagis , mox oppidũ.S. Angelo,nuncupatum,Chriſtianis condidit,vt fuſius priori Decade diximus, & Rogerius,& Ferdinandus Siciliæ Reges ſuis diplomatibus referunt.Cenſum habuit hoc anno.

Auri,Vncias.	396.	22.

DE ABBATIA. S. MARIAE DE MANIACE, OR. DIui Benedicti.p.m.8. Randatio oppido vicina,& Radicibus Aetnæ Montis impoſita.

Digitized by Google

MArgarita Siciliæ Regina, Guilelmi primi vxor, & alterius mater, Religiosissima, & sacris dicata Mulier, filij exẽplo adducta, qui eo tempore Fano Mõtis Regalis operabatur, hic pro mœnibus Maniacis oppidi, vnde sibi cognomen obuenit, Assensu Clementis Ro. Pont. Diuæ Mariæ Templum, & Cœnobium, Or. S. Benedicti, condidit, & Monasterio S. Philippi de fargala, illi adiunto, ditissimũ fecit, anno sal. 1182. vt Diplomate vtriusq; didicimus, Hoc, Alfonso Rege rerum potiente, Põtificis assensu, Xenodochio Panormitano adiuntum fuit, Cuius census est.

Auri, Vnciæ.	464.
Frumenti, Salmæ.	480.
Ordei, Salmæ.	100.

DE ABBATIA S. Mariæ DE NOGARA, Cisterciensis Ordinis, iuxta oppidum eiusdem nominis.

REi series exigeret, vt in authore huius Cœnobij referendo, non nihil immoraremur, sed eo incomperto, id solum subnectere licet, quod anno sal. 1263. cum Nicolaus Troyna, mense Septembri, Cœnobium Diuæ Mariæ De Stella, & Spano, Cistertiensis Ordinis erexisset, & ditasset, Post eius interitum, heredũ suffragijs, anno sal. 1310. mense Februario, Opes Stellæ, Nogaræ sunt additæ, vt Publicis Tabulis constat. Census est illi.

Auri, Vnciæ.	342.
Frumenti, Salmæ.	288.
Ordei, Salmæ.	22.
Casei, Cant.	5.

DE ABBATIA S. MICHAELIS DE Troyna, Or. Diui Basilij.

Rogerium Comitem Vehementis spiritus virum, quo bellacior nemo, & quo pietate præstantior nullus, cum nondum tota Sicilia potitus esset, Troynam vrbem natura & arte munitam, & a græcis Sarracenorũ tempore promiscue cultã sedem sibi Regiam delegisse, Annales Siculorum referunt. Vnde frequentissime paucis equitibus instructus, egressus, res contra Barbaros egregias gerebat, multisq; oppidis expugnatis, & ampliato sensim Imperio, victor Domum reuertebat. Tot igitur victorijs insignis, Religione tactus Diuo Michaeli Antesignano suo Templum ingens sane, & Cœnobium S. Basilij Ordinis illi annexũ, opibusq; refertum, Tumulo dictę vrbis imponit, & exstruit, illiq; Robertum cõsanguineũ Abbatem præficit, quem paulo post euecta ad dignitatem Episcopalem Troyna, Pontificem constituit, vt eius Diplomate Dato Troynæ, anno salutis. 1083. constat. quod Priori Decade retulimus. Sunt illi census.

Auri, Vnciæ.	308.
Frumenti, Salmæ.	194.
Ordei, Salmæ.	69. 4.
Vini, Salmæ.	30.
Tynnorum, vegetes.	14.

DE

DE ABBATIA. S. HELIAE DE EVBVLO, OR. D. Basilii, Troynæ vrbi. p. m. 5. ad septentrionē ꝓpinqua.

HVc Rogerius Comes in suo victoriæ cursu, non dum Troyna capta, copijs instructus, cum venisset, Christianos Nemus vicatim habitantes de oppugnanda vrbe consuluit. Annuentibus illis, Troynam adoritur, ac superatis Barbaris, vrbem adipiscitur. Idcirco in Consilij initi monimentum, hoc loco Diuo Heliæ Templum, Cœnobiūq; erexit, a re ipsa Eubuli cognomine indito, quod bonum consilium latinis sonat, vt in his quæ de Troyna sunt Priori Decade nos fusius dixisse meminimus, & eius priuilegio Græce scripto ostenditur. Censum habet.

Auri, Vncias,	146.	1.
Frumenti, Salmæ.	3.	10.

DE ABBATIA. S. PHILIPPI DE AGIRE, OR. Diui Benedicti.

AGira vrbs, antiquitate, & ortu Diodori Siculi insignis, insignior est reddita Templo & cadauere Diui Philippi confessoris, miraculorum frequentia conspicui, vt Priori Decade exactissimè memorauimus. Hoc templum, & Cœnobium Ordinis Diui Benedicti illi adiunctum, Rogerius Siciliæ Rex condidit, & ditauit, vt eius priuilegio liquet Dato Panormi, mense Septembri, anno a condito mundo. 6659. quo prædia multa sunt ei tradita, vt Henricus, Constantiæ, & Fredericus Siciliæ Reges suis diplomatibus referunt, Datis Panormi, anno salu. 1195. & 1199 & 1215. Et Alexāder tertiꝰ Ro. Pōt. suo Elogio segniæ Dato mēse Martio, anni sal. 1172. testatur. Quibus & illud pro comperto habetur. quod Cœnobium hoc sub sua initia membrum erat Abbatiæ Diuæ Mariæ Latinæ Hierosolymæ vrbis, id circo pleraq; eius diplomata, Abbati. S. Mariæ de Latina Hierosolymitanæ a principibus sunt directa, Subsunt ei. Aedes Sacræ. S. Mariæ Latinæ Messanensis. S. Nicolai Latini Saccensis, & aliæ permultæ. Est autem eius Census.

Auri, Vnciæ.	407.	24.
Frumenti, Salmæ.	48.	
Vini, Salmæ.	30.	
Casei, Cant.	3.	
Ceræ, Ro.	3.	
Olei, Caf.	3.	
Tynnorum, Vegetes.	2.	

DE ABBATIA. S. ANASTASIAE. OR. DIVI Benedicti. 4. p. m. distante ab Oppido Castello Bono.

ET hæc a Rogerio Comite, conditam fuisse, anno sal. 1100. & Plures habere Ecclesias annexas, eius Decreto patescit. Cuius census est.

Auri, Vnciæ.	90.

DE ABBATIA. S. MARIAE DE ALTO PLANO, Or. Diui Benedicti, in Agro Thusano sita.

Obliterato parentis nomine, censum habet Auri, Vncias. 40.

DE ABBATIA. S. PANCRATII. OR. DIVI BENEDICTI. 6. p.m. ab oppido. S. Philadelfi. refugiente.

Et istius, incomperto conditore, Auri census sunt Vncias. 48.

DE ABBATIA, SIVE PRIORATVS. S. CRVcis intra moenia Messanae vrbis.

Et haec, licet authorem, ad quem sua referat initia, ignoret, censum tamen habet.

Auri, Vncias.	54.	12.
Olei. Caf.	15.	
Lini. Ro.	20.	

REGIO NEETI.

DE ABBATIA. S. MARIAE DE NOVA LVCE, 2. p.m. extra moenia Catanae vrbis.

ARtalis Alagona, Amestratae, quae Mistretta est hodie, olim Comes, & Siciliae proiustitiarius, Militia, & genere insignis, Templum, Diuae Mariae, a Noua Luce cognomen habentis, & Monasterium ordinis Carthusiensium illi adiunctum, extra moenia Catanae vrbis ad occidentem condidit, dotauitq; vt suo priuilegio Dato Catanae Mense Martio anno sal. 1378. constat. At Vrbanus Ro. Pp 6. non diu post, ad ordinem, & regularia Diui Benedicti instituta, illud transtulit, vt eius, & Bonifacij, ac Regum Tabellis constantissimum est. Huius Census sunt.

Auri, Vnciae.	387.	12.
Frumenti, Salmae.	264.	8.
Ordei, Salmae.	264.	
Vini, Salmae.	38.	
Casei, Cant.	1.	6.
Aries.	1.	

DE ABBATIA. S. MARIAE DE ROCCADIA, ORDInis. D. Benedicti, a Leontino. 3. p.m. Orientē versus distāte.

Et si certus eius non habeatur author, census tamen est illi.

Auri, Vnciae.	194.	21.
Frumenti, Salmae.	95.	

DE ABBATIA. S. MARIAE DE ARCO. OR. CISTERtiensis, quae. 6. p.m. ad Septentrionem a Neeto vrbe recedit.

ISimbardus Morengia Neeti Dominus, & Cara eius vxor, genere & pietate insignes, Templū hoc, & Cœnobium Sacerdotibus Cisterciensibus, opibus & structura exornatum, Frederico Cæsare rerum Sicilienſium potiente, anno sal. 1212. condiderunt, constat eius priuilegio Dato mense Nouembri, anno salutis 1212. censum habet.

Auri, Vncias.	371.	27.
Frumenti, Salmas.	4.	

Digitized by Google

DE ABBATIA S. LVCIAE DE MENDVLA, PROpe Palaeolum oppidum meridiem, versus m.p.

COndita fuit a Rogerio Siciliæ Comite, vt eius diplomate constat, Dato Syracusis, anno sal. 1100. Cuius censum incompertum ego habeo.

DE ABBATIA. S. MARIAE DE TERRANA OR. Diui Benedicti non longe a Bisiari oppidulo.

Iniquo Animo, & Authorem me latere, & Brutorum hanc esse hodie Domicilia fateor. Censum tamen habet.

Auri, Vncias. 837. 18.

DE ABBATIA SIVE PRIORATV. S. Andreæ Ordinis Canonicorum Regularium. D. Augustini, Sepulchri Hierosolymitani, extra moenia Platiæ vrbis p. 50.

SImon Siciliæ Comes, Rogerij Comitis filius, cui successit in principatu, hoc templum a fundamentis erexit, & Ecclesiæ Diui Georgij Butrensis, & Prædijs, Agris, Platiæ veteris, & Almerici dotauit, vt suo priuilegio refert. Adelitia Deinde Rodulfi Comitis filia, & Rogerijs Nepti addidit ei Aedes sacras S. Heliæ Adranēsis, & S. Andreæ Leōtinensis, constat eius Publicis Tabulis. Census est illi.

Auri, Vnciæ. 173. 8.
Frumenti, Salmæ. 102.

DE ABBATIA, SIVE COMENDA. S. CALOgeri, Or. Diui Iacobi, inter Leontinum & Augustam vrbes, mari impositæ.

Fundatore incognito, Censum habet Auri, Vncias. 180.

REGIO MAZARE.

DE ABBATIA SIVE BENEFICIO DIVI Petri, Palatij Regij Panormitani.

ROgerius, Rogerij Comitis prognatus, bene partum Siciliæ, & Apuliæ principatum, ac suo subinde ingenio, magnaq; vi Titulum Regiū adeptus, Aedem hanc Diuis Petro, & Paulo sacram musiuo opere, condidit constat eius Priuilegio Dato Panormi Mense Martio anno sal. 1141. Cuius verba in his quæ de Panormo sunt, Priori decadi retulimus. Ditauerunt eam paulo post subsequuti Siciliæ Reges scupello Feudo, & prædijs alijs Ecclesiæ Diuæ Mariæ Admirati. vt eorum Tabellis memoriæ proditum est. Censum habet.

Auri, Vncias. 98. 28. 6. 4.
Frumenti, Salmas. 28.
Ordei, Salmas. 5.
Olearum. t. 2.

DE ABBATIA. S. IOANNIS DE HEREMItis, Or. Diui Benedicti, intra moenia Panormi vrbis, Palatio Regio Hærente.

Afris

AFris Deuictis, Huic Peristylio ad Kemoniam erecto, & Palatio hærenti Rogerius Rex totus incubuit, Extructũ Diuo Ioanni dicauit, ditatum postea Benedictanis Heremitis, vnde sibi vulgare cognomẽ obuenit, Cœnobio cõcessit, Magni, ac Regalis Monasterij nomine indito, liquet eius Diplomate Dato Panormi Mense Iulio, anno sal. 1148. Rogerio Defuncto Guilelmus filius rex, ante eam cladem, qua Auaritiæ, Socordiæq; se se totum mancipans, & ob id in odiũ Panormitanorum incurrens, a Mattheo Bonello regno priuatus extitit, dum in Adriano nemore, quod inter Prizim & Biuonã interiacet, Aprorum venationi incumbit, visione portentosa ibidem conspecta, adductus, Aedẽ Diuæ Mariæ, ab Adriano cognominatæ Sacram, Cœnobiumq; hærens, Benedicti Sacerdotibus, iuxta Fontẽ Augilla dictum, erexit, Abbatiq; Regalis huius Monasterij subdidit, vt eius Priuilegio constat, Dato Panormi Mense Maio, anno sal. 1157. Quo decedẽte, Guilelmus alter, Regno præfectus Adrianæ huic Aedi, Duos Pagos in Agro Buterẽsi, & nõ lõge ab Alicata sitos, quorũ vni Querco, alteri Sebugio nomẽ erat, tradidit, Cœnobiũq; ipsũ veluti & Genitor, Regali Monasterio subiecit, vt ipse suis Tabulis decernit, Datis Panormi Mẽse Ianuario, anno salu. 1173. Subinde Idem ipse Guilelmus Rex, Eidẽ Monasterio Regali Refesium, Bellucũ, Gordilisium, & Sebũ, Feuda, inter Saccam & Biuonam imposita, cõcessit, vt Diplomate eius Dato Panormi mẽse Decẽbri, anno sal. 1172. ostenditur. Cui quoq; postea Regum largitione iam omnes Adrianæ opes cesserunt. Sed & ipsum Regale Monasterium Caroli Cęsaris assensu, & Pontificis Romani indulto, vt vtriusq; Diplomatibus cõstat, quatuor Panormitanis Canonicis alendis ætate mea trãsfabijt. Eius census est hodie.

Auri, Vnciæ. 478. 20.

DE ABBATIA. S. MARIAE DE CRYPTA, ORDINIS Diui Basilii, intra mœnia vrbis Panormi sita.

ROBertus Guiscardus maximo labore Panormo, Potitus, Aedem, Diuæ Mariæ De Crypta dicatam, Cœnobiumq, Basilij instituti adiũctum, religione ductus erexit, feudisq; apud lilybeum sitis ditauit, vt Regum Priuilegijs constat. quod ætate mea Iesuatis Sacerdotibus concessum videmus. Est ei census.

Auri, Vnciæ. 234. 26. 5.

DE ABBATIA. S. TRINITATIS, MANSIO VVLGO dicta, mœnibus Portæ Thermarum Panormi imposita.

MAttheus, Guilelmi Regis Cancellarius, qui ex Notario per omnes honorũ gradus, ad eam dignitatem euectus, Maioni Regis admirato, perditissimi luxus viro, & a Mattheo Bonello, ad veteres Archiepiscopales Aedes per insidias interfecto, successit, Aedem hanc Diuæ Trinitati sacram cum Monasterio Cisterciensis Ordinis adiuncto a fundamentis erexit, & ditauit, vt Fredericus Secundus Cæsar, Siciliæ Rex suo Priuilegio, Cuius in Panormo meminimus testatur. Cui Guilelmus Siciliæ Rex paulo post tactus religione Casale, Sarracenice Mesralme, Mesalaime vulgo hodie dictum, quod Fontẽ Aquæ Latine sonat, Panormo p.m. 15. ad Meridiem refugiens, dedit. vt eius Elogio est videre, Dato Panormi, anno sal. 1150. Henricus Sextus Cæsar, Siciliæ Rex, Teutona gente ortus, cum dolo superato, & capto, Rogerio Rege, Secundo, rerũ potiretur, Teutonũ Militum

xenodochio,

Xenodochio, Et Aedem, & Cœnobium, concessit, vt idem Fredericus Cæsar in eodem Priuilegio refert. Subsunt ei non nullę Aedes Sacræ, & Sancti Ioannis Leprosi Panormitani Hospicium. Census est illi annus.

Auri, Vnciæ.	973.	4.	15.
Frumenti, Salmæ.	46.		
Ordei, Salmæ.	9.		
Mellis, Hydriæ.	3.		
Ceræ. Cant.	2.		

DE ABBATIA. S. SPIRITVS, CISTERSIENSIS Ordinis. p. 500. extra mœnia Panormi, Meridiem obuersa.

Gualtherium, secũdum huius nominis, Panormitanum Archiepiscopum, Templum hoc insigne leuæ Orethi. fl. ripæ impositum, & Monasterium Cistersiensis Ordinis contiguum, edificasse, Guilelmus secundus Siciliæ Rex, in suo Priuilegio Dato Panormi Mense Nouembri, anno sal. 1178. mæmoriæ reliquit. Cuius Cementarij dum fundamenta fodiunt, ex improuiso in Thesaurum ingentem incidunt, quo postea Gualtherium, Templum Maximum, tota Italia celeberrimum, Breui alioqui temporis interstitio, si opus conferas, erexisse Annales Siculorum referũt. Insigne hoc Cœnobium maxime est redditum, Francorum in Sicilia cœdis initio, & vnde, Siculorum Vesper, in Adagium cessit, vt satis superq; præmeminimus. Hoc, Pio Panormitani Hospitalis operi Regia, & Pontificis assensu hodie annexum est, & censum habet.

Auri, Vncias.	468.	6.	14.

DE ABBATIA. S. MARIAE DE ALTO FONTE, vulgo De Parco dicta, Or. Cistersiensis, quæ p. m. 6. Panormo ad occidentem incubat.

FRedericus, Secundus huius nominis Siciliæ Rex, falso tertius appellatus, Petri Aragonij filius, & Iacobi Germanus frater, cuius auspicijs, & laboribus Sicilia adhuc Aragonensibus subest, Fonti excelso Parcum Regis Agrum Panormitanum influenti, qui ab vrbe 6. p. m. recedit, Religione tactus, Templum & Cœnobium Cistersiensis Ordinis, Diuæ Mariæ, ab alto Fõte, & Parco, ab locis nominatæ, Sacra, imposuit, opibus, & pdijs, Parci vtriusq; Partenici, Abdelali, & Aede Diui Georgij ad Panormitanos occiduos muros cõdita, exornauit. vt huc usq; in eius Priuilegio, Dato Panormi Mense Iunio, anno salu. 1307. legitur. Huius census sunt.

Auri, Vnciæ.	2062.	27.	12.
Frumenti, Salmæ.	59.	14.	
Ordei, Salmæ.	9.	6.	

DE ABBATIA. S. MARIAE DE ANGELIS, Or. Diui Bernardi. 3. p. m. Panormo ad occidentem recedente, a S. Ioanne de Baida hodie appellata.

Manfredus Claromontanus, Motycæ Comes, pietatis cultor, & æquiobseruantissimus, cuius si Andreas filius monita suscepisset, fortasis eius Propago non esset

esset extincta, ad Radices Acuti montis, qui Panormo ad. 3. p. m. ab occidēte incubat, in agro Baydæ ab Archiepiscopo Panormitano, ad id empto, & in edito nō nihil tumulo, aquis irriguo, cui tota vrbs, & Panormitana Planities, iucundissimo maris & terræ prospectu subest, consensu vrbani septi Pont. Maximi, Templum Diuæ Mariæ ab Angelis Sacrum, & Cœnobium Ordinis. S. Bernardi structura insigni, anno sal. 1388. cōdidit, vt Publicis Tabulis legimus. Quod, extincta, ob desciticnē Andreæ, postmodum Claromontanorū Sobole, ad Ecclesiam Panormitanā tandē ætate mea decidit, & Ioānes Paternio Catanensis, Panormitanus Antistes vetustate illud collapsū instaurauit, amplissimisq; ędibus extulit, ac ad Aediculam, quā Diuo Ioanni Baptistæ in Templi area a fundamentis extruxit, nomen eius transfabijt. Censum habet.

Auri, Vncias. 92.

DE ABBATIA. S. MICHAELIS, OR. DIVI BASILII, INTER Panormum & Thermas, mari imposita.

Rogerius Comes, adeptus hoc loco contra Sarracenos victoriam, antequam Panormo potiretur, Hoc Cœnobium Diuo Michaeli Sacrum, lapide quadrato erexit, feudumq; conterminum Sacerdotibus tradidit, vt eius Archetypo constat. Quod postea Panormitano Archiepiscopatui annexū &, hodie pro maiori parte prostratum, latrocinantium, Brutorumq; est habitaculum.

DE ABBATIA, SIVE PRIORATV. S. MARIAE DE Burgitabuso Ordinis Diui Benedicti, inter Thermas & Golisanum sita.

Censum (incomperto nobis authore) Auri, Vncias habet. 109. I. 5.

DE ABBATIA SIVE PRIORATV. S. IACOBI De Alto passo oppidi Nari.

Et huic, conditore quoq; incognito, Auri census est. Vnciæ. 28.

DE ABBATIA. S. BENEDICTI DE AMBVArio in agro Agrigentino ad Orientem sita.

ET, author & Sacra Aedes, prorsus tacitur, vnde euenit, vt obliterata Abbatiæ nomenclatura, feudum Sancti Benedicti nominetur. Cuius census Auri est, Vnciæ. 94.

DE ABBATIA. S. GEORGII DE TRIOCALA, ad Angulum Calatabellottæ Montis erecta, meridiem obuersa.

INsigni, hoc loco contra Sarracenos Calatabellotēses Rogerius Siciliæ Comes paucis equitibus instructus, victoria potitus, Diuo Georgio suo Tutelari hanc Aedem extruxit, & Sacerdotibus Græcis diuitem attribuit, vt suo ipse Græco Priuilegio indicat. Quam deinde Rogerius Rex, Magno Saluatoris Messanensis Monasterio, annexuit, vt eius Diplomate, Dato ab orbe condito, anno 6641. ostenditur. Censum habet Auri, Vncias. 170.

DE ABBATIA SIVE PRIORATV. S. TRINITATIS DE Delia, Ordinis Diui Basilij, Castri Veterani oppidi.

Nihil certi affirmare possum de huius origine, Census illi est annuus Auri, Vnciæ. 233. 23.

DE ABBATIA S. NICOLAI REGALIS, ORDINIS DIVI Basilij intra mœnia Mazaræ vrbis sita.

Et huius, (genitore Defuncto) Auri, Census est, Vnciæ. 51. 26.

DE ABBATIA S. MARIAE DE IVMMARIIS, ET DE ALTO, Ordinis Diui Benedicti extra mœnia Mazaræ vrbis.

Et hæc, quæ parentem suum etiam nescit, censum habet ex Dimina feudo, & prędijs alijs, auri, Vncias. 136.

Digitized by Google

Hæc itaq; sunt Tepla, cum eorum censu anni 1553. quæ olim Siciliæ Principes religionis ergo liberaliter Deo, Diuisq; erexerunt, quorum plura hodie, vel prostratis Sacris Aedibus, vel pulsis Sacerdotibus, quorum vsui fuerunt dicata, post habito Diuino cultu, neglectaq; Dei, Numinumq; religione, ad priuatorum quæstum, impie abijsse cernuntur. Sed satis nimis euagatus, ad Carolum Cæsarem reuertor, qui anno sal. 1554. Cum ad tuendam Africam vrbem, hinc immensum Aes frustra consumptum iri, inde vero Hispanos Præsidiarios milites, ob nõ soluta præfixo tempore stipendia, frequentibus seditionibus omnia turbantes, & rem in discrimen extremæ defectionis ducentes conspiceret, veritus ne aliquando propterea ea vrbs in Turcarum potestatem maximo Christianorum exitio relaberetur, milite classe abducto, Africam ipsam funditus euertit. Subinde cum apud Belgas ageret, Philippum filium, ex Hispania ad Nuptias cum Maria Angliæ Regina celebrandas, reddeuntem, magno gaudio excipit. Vbi Philippus non diu Moratus, Angliam, Hispanis, Germanisq; Principibus instructus, traijcit, Cum vxore Faustos Hymenæos celebrat, spectaculaq; omnifariam edit, benignitate, ac liberalitate maxima vsus, vt Anglos Proceres ad sui beneuolentiam pertraheret, quos sibi Mariam nupsisse, contemptis indigenis, & deuoluto ad Hispanos Regno, ægerrime ferre cognouerat. Maria hæc, Henrici Regis, & Catherinæ olim vxoris est filia, vt diximus, q̃ Angliã ab impietate, cui & Principes viri ferme omnes, & plæbs ipsa inhæserant, strenue vendicauit. Cum etenim ab Henrico Patre, (matre repudiata) tetro carceri in multos annos addicta, æquo animo iniuriam tolerasset, Patre postea, & Obduardo Spurio defunctis, omniq; illius plapia sublata, Deo proculdubio agente, Procerũ suffragijs Angliæ Regno præficitur. Quæ paternæ impietatis nequicquam referens, initio Principatus, abrogato statim Lutheranorum delirio, Christianam puritatẽ, a qua nũquam desciuerat, amplectitur, veteri religioni nitorẽ, pietatẽq; reddit, Templa aperiri, Missas, Sacraq; omnia celebrari, Imagines Christi, aliorumq; numinum erigi, coliq; iubet, Proceres nõ nullos aduersantes capite plectit, permultos Regno expellit, plærosq; relegat, nec alia magis causa, actius, seuiusq; in primæ nobilitatis viros, populũq; exarsit. Ita agendo, propellendoq; Christianũ cultũ lapso Regno, & ab impio patre perdito, mulier hęc vna restituit, Philippo quoq; nouo Rege, Cæremonijs nuptiarũ expletis, non segnius, sed forti opera religionem, pietatẽq; ipsam mirũ in modũ asserente, atq; domi, forisq; postmodum Anglis quietem reddente. His apud Angliã, a Maria & Philippo Regibus pie, feliciterq; gestis, non multo post interiecto tempore, Carolũ Cæsarẽ, sex & quinquaginta ætatis annos agentem, Atra Bilis, ex immensis bellorũ, itinerũq; laboribus contracta, inuasit, cui cũ deessent remedia, morbusq; magis, ac magis indies inualesceret, sic vt, minus ad imperandum esset idoneus, timens ne prægrauato Principe, parta, seruataue ab eo Regna in p̃ceps laberẽtur, laxatis iã cũ dignitate bellorũ curis, pluribusq; victorijs, q̃ raro aut nunquã alicui Romanorũ Imperatorum cõtigerunt, perpetuo factus insignis, Philippo primogenito, Anglorũ Regi, annos tũ nato ferme triginta, in quo peregregie (facto iã periculo) ipse reuiuisceret, rerũ molẽ, iure quoq; hereditario succedẽti, reijcere cõstituit. Igit anno sal. 1556. Bruxellis, Brabantiæ vrbe, q̃ in Belgica sita est, instructo in Aula Palatij pro dignitate loco, in quo Philippus ipse filius, Maria, & Aleonora Sorores, Vngariæ, & Galliæ Reginæ, Principesq; alij suo quisq; ordine consederant, Carolus Cæsar Imperatoriam Sellam subijt. Vbi (citra arrogantiam) recensitis ordine quo Successerant, triumphis, quos, Ductore Deo optimo Maximo, de hostibus cũ domesticis, tũ Peregrinis, & Barbaris retulerat, Cognominibus etiã victarũ gentiũ explicatis, & periculo subiuncto, in quo ob aduersam sui valetudinem, cui Medici opem ferre nequirẽt, tot Regna sita essent, Procerũ, Legatorũq; assensu, Signatis

Tabellis

Tabellis, anno ſui Imperij trigeſimo ſeptimo, Regnorum vero trigeſimo nono, Regnis omnibus, ſigillatim, & tandem ſexto decimo Ianuarij die, Sicilia, ſeſe abdicat, eaq; Philippo filio, viro forti, & pace, belloq; illuſtri renuntiat, atq; in Hiſpaniam reuerſus, inter religioſos Diui Hieronymi viros, ad Cœnobium, yuſta vulgo dictum, Cœlibem vitam ducit.

FINIS.

ERRORES ALIQVOT.

Pagina.205.linea.4.dele totum hoc. Nobilitatum fuit hoc oppidum ortu Phocylidis philoſophi illuſtris.
Pagina.206.linea.4.ſacratumq;.lege.ſacrorumq;.
Pagina.625.linea.36.Aurea.lege Auria, & ſic deinceps ſemper lege.
Pagina.632.linea.5.Tunetarum.lege.Tunetanum.
Pagina.640.linea.20.ſola.lege.Sala.
Pagina.641.linea.13. Syracuſæ.lege. Leontinum. Et linea.22.Poſt. Terranoua. adde.Syracuſæ.2370.Et ſecunda Columna.linea.8.94.lege.940.
Pagina.643.linea.41.ſeptingentibus.lege.ſeptingentis.
Pagina.645.linea.1.per.lege.par.
Pagina.648.linea.8.Margarita.lege.Catherina.
Pagina.658.linea.4.Prioratus.lege.Prioratu.
Pagina.659.linea.17.Rogerijs. lege.Rogerij.Et Nepti.lege.Neptis.
Pagina.663.linea.11.poſt Africam ipſam.adde.Iulio menſe.

REGISTRVM.

Omnes ſunt terni, præter. OO. & HHH. qui ſunt quaterni, & præter indicem qui duobus aliis ternis conſtat ſub alio. GGG. HHH.

* ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN
OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ
AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III.

PANORMI.

Ex Poſtrema Fazelli authoris recognitione.

TYPIS EXCVDEBANT, IOANNES MATTHAEVS MAYDA,
ET FRANCISCVS CARRARA, IN GVZETA VIA,
QVAE DVCIT AD PRAETORIVM, SVB LEONIS
INSIGNI. ANNO DOMINI. M.D.LX.
MENSE IVNIO.

Digitized by Google

INDEX TVM LOCORVM, ET NOMINVM, TVM ETIAM RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN HOC OPERE VNIVERSO CONTINENTVR.

Aequilius, e. C. Cornelius Coſs. in Siciliam veniunt. 367
Aquilius Panormum expugnat. 178
Abathlas inſula Bithyniæ antè coniuncta. 16
Acarnania oppidulum. 107
Aceſines amnis. 55
Achatis lapidis natura. 20
Achates lapis Pyrrhi Regis. 20
Acis fluuius. 55
Acis pueri fabula. 55
Acriſtia oppidum. 234 Acræ vrbs. 228
Acron philoſophus Agrigentinus. 136
Adelaſia Rogerij Comitis vxor. 435
Adragnum pagus. 234
Adranum oppidum. 208
Adranitæ ab Icete oppugnati. 325
Adrianus flagellis cæſus exilio mulctatur. 472
Adriaticum mare ſenſilem aliquatenus æſtuum refluxum patitur. 42
Adrymet⁹ vrbs ab Agathocle obſideť. 346
Adrymetus vrbs Agathocli deditur. 346
Aerea ſimulacra ĩfreto Meſſan. eorũq; cauſę. 42
Aereæ in Currentum inſula imagines. 114
Aerij montes. 201
Aerea ſimulacra in area Panormi maritima ſeditionum portenta. 597
Aedes. D. Mariæ Incoronatæ Regum Siculorum coronationis locus. 176
Aegeſtus Aegeſtæ cunditor vnde dictus. 157
Aegeſta Aeneæ ſuaſu condita. 157
Aegeſtani deinceps Segeſtani appellati. 157
Aemilius Cenſorinus Segeſtanorũ Tyrãnus. 168
Aenaria inſula. 7
Aeolus Rex Liparæ. 4
Aeoli ſoboles, eiuſq; nomina. 249
Aeolij maris miracula. 6
Aeſtriotus Aeolijs inſulis præeſt. 249
Aetna mons quoties vnq̃ ignes emiſerit. 59
Aetnæ mõtis facies ſuprema ĩcẽdijs ĩmutata. 58
Aetna inter ignes perpetuas niues tenet. 22
Aetneoſia, ſiue Ineſſa Aetna vrbs appellata. 64
Africæ tractus maritimi in Regna diuiſio. 403
Agatha virgo Catanæ martyrio affecta. 67
Agatharcus claſsis Syracuſanæ Præfectus. 286
Agatharchus Athenienſium naues in Appulia opprimit. 286
Agathocles Saccæ naſcitur. 334
Agathocles a matre expoſitus rapitur, & in Heraclidis ædibus educatur. 334
Agathocles tegulariam edocetur. 334
Agathocles ſtupri patientia cum Damante diuitias cumulat. 335
Agathoclis adulterium cũ Damantis vxore. 335
Agathocles militum Tribunus creatur. 375
Agathocles inuidia Soſiſtrati Tribunatu abdicatur. 335
Agathocles poſt Damantis obitum eius vxorem ducit. 335
Agathocles Tarenti Præfectura abdicatur. 335
Agathoclis ſtratagema. 336
Agathocles bis ob tentatam Tyrannidem exilio mulctatus. 336
Agathoclis affectatę Tyrãnidis diſſimulatio. 338
Agathocles Syracuſarũ Rex creatur. 338
Agathocles vaſis fictilibus vtitur. 338
Agathocleorum ſtrages. 341
Agathocles domi deſperatis rebus ad Carthaginem inuadendam proficiſcitur. 342
Agathocles in Libyam appulſus naues ſuas omnes cremat. 344
Agathocles oppida multa in Libya capit. 346
Agathocles Africæ Rex ſalutatur. 351
Agathocles Syracuſas cum paucis profugit. 354
Agathocles filiorum in Libya proditor. 354
Agathocles filiorum mortem vlciſcitur. 355
Agathoclis fraus. 355
Agathoclis nepos eius filium regnandi cauſa interficit. 356
Agathyrſum, ſeu Agathyriũ a quo conditũ. 203
Agricultura et Dei cult⁹ prĩa Noe ĩſtituta. 241
Agragas vnde dictus. 125
Agrigentinum Emporium. 125
Agrigentina triremis domus appellata. 126
Agrigentinorum magnificentia. 126
Agrigentinorum templa. 126
Agrigentini ſalis natura. 23
Agrigentini a Ducetio caſtris exuti. 269
Agrigentini in Syracuſanos ob Ducetium ab exilio reuocatum arma capiunt. 270
Agrigentum a Romanis captum. 339
Agrigẽtini cõtra Agathoclẽ bellũ parant. 339
Agrigentini cum Agathocle pacem ineunt. 339
Agrigentini ad Siciliæ Principatũ aſpirant. 347
Agrigentum equis nobile. 130
Agregariæ ſiue ſegragianæ portæ. 93
Agrippina Tiberij nur⁹ ĩ Pãdatariã relegata. 8
Agrippina virgo & Martyr Menei ſepulta. 226
Agyrineus ager incolatu reſtauratus. 332
Alabi flu. oſtium. 26
Alabaſtri apud Entellam minera. 233

Digitized by Google

Alaymus Leontinus Carolum Francum per literas in Siciliam accersit. 495
Alçassar Panormi pars. 180
Alcestbenis chlamys pretiosissima. 308
Alcibiades Niciæ in sententia Syracusani belli contrarius. 276
Alcibiades Sacrilegij accusatus. 276
Alcibiadi a Messanensibus societas auxiliumq; negatur. 277
Alcibiades in iudicium Athenas reuocatur. 277
Alcibiadis fuga. 277
Alcibiades absens capite damnatur. 277
Alcamus oppidum a quo conditum. 169
Alcamus ad montis radices transfertur. 169
Alcamº vetº oppidū a Martino Rege euersū. 579
Alesa vrbs. 200 Alesinus fons. 200
Alexius Cōstantinopolitanus Imperator ab Andronico cæsus. 469
Alexāder.3.Pōt.cū Friderico Cæs.fœdº init. 469
Alexon Achæus miles. 369
Alfonsus ī Regna Ferdinādi patris succedit. 582
Alfonsus Rex a Ioanna Neapolitana Regina in filium adoptatur. 585
Alfonsus Rex Bosforio Sarracenorum Regi bellum mouet. 586
Alfonsus Rex in bello nauali captus Mediolanū ducitur. 587
Alicata vrbs & frumenti Emporium. 121
Alicata a Turcis incensa. 121
Alicia vrbs quænam fuerit. 200
Aloſiæ marinæ in fluctibus pariunt. 68
Aloysius et Ioāna Reges Messanā applicāt. 560
Aloysij Regis Neapolitani classis Panormum applicat. 548
Aloysius Rex moritur. 571
Alōtiū, seu Aluntiū, seu Aleuntium vrbs. 201
Aly oppidulum vino celebre. 51
Atymite, seu Palimite vrbs quenā fuerit. 170
Amasius puer ob risū a Dionys. seniori necatº. 305
Amalphitanorum suburbium Panormi. 185
Ambler, & Altus fons. 188
Ambraciensium & Corinthiorum naues Syracusas applicant. 284
Amenas, seu Amenanus fluuius. 68
Amilcar Dux Carthaginensium. 307
Amilcar capitis damnatus fato præueniente liberatur. 339
Amilcar inter sacra trucidatur. 61
Amilcar in prælio a Siculis interfectus. 307
Amilcaris caput in Libyam ad Agathoclem transfertur. 347
Amiculū Iouis Olympij a Dionysio sublatū. 307
Amphulsus Rogerij filius Capuæ Princeps. 444
Amphitheatrum Syracusanum. 94
Amplum Agrigentum quare dicatur. 125
Anapi flu. ostium. 106
Amycus ob tyrannidem cæsus. 245
Anapus & Cyanæ vt pingi soleant. 107
Anapias & Amphinomus fratres pietate insignes. 65
Anaxilas Rheginorum Rex. 255
Anaxilas Messanensis Tyrannus. 258
Anaxilę filij Messana et Rhegio eyciunt. 45. 265
Anchisæ Troiani sepulchrū, apud Erycem. 156
Ancona a Syracusanis profugis condita. 310
Ancona a Saba Sarraceno capta. 407
Andreas Claromontanus a Martino Rege damnatur. 574
Andronus saltationis, ac gesticulationis inuentor Catanensis. 66
Andromachº timæi pater Tauromenij cōditor. 52
Andromache & Areta ab Icete in mare submersæ. 322
Angelus Florentinus marmorei fontis Messanēsis autor. 48
Angelus Carmelita Alicatæ tumulatus. 121
Angerius primus Catanensis Episcopus. 438
Angli Messana expulsi. 471
Annibal Rhodius vna triremi per exercitum Romanorum vectus Lilybæum applicat. 370
Annibal Panormum Agrigento profugit. 363
Anniba! Carthagine cruci affixus. 365
Annibal Amilcaris filius Lilybæum contra Romanos mittitur. 370
Annibal victor Carthaginem reuertitur. 300
Annibalis pueri iuramentum. 374
Annibal ad Himerā delendam proficiscitur. 299
Annibal ijs, qui ad aras cōfugerāt, fidē pstat. 298
Antandrus frater Agathoclis Syracusis Præfectus relictus. 342
Anthei gigantis in Mauritania sepulchrum. 23
Anthineſtº cū Messenijs Rhegiū oppidū capit. 44
Antissa insula Lesbo olim continens. 16
Antiochus historicus Syracusanus. 102
Antiquitatis Tauromenitanæ monumēta. 53
Antonius Vintimilius Marchio a Rege Alfonso deficit. 591
Antonius Bononius Panormitanus. 190
Antonius Cassarinus Orator Neetinus. 109
Antonij amodei Vallis lōgę Barōis stratagēa. 361
Appius Claudius Hieronem prælio superat. 361
Apelles dux triremium Syracusanarum. 268
Aphrica vrbs a Rogerio Rege capitur. 442
Aphrica vrbs a Sarracēis Mamudis recipit. 451

Digitized by Google

Aphrica vrbs a Carolo Cæſ. capta, euertitur. 615
Apiana vua, quæ & muſcatula. 18
Apolafarus a Catacalono occiditur. 420
Apollocrates Dionyſij iunioris filius arcem Syracuſanam Dioni tradit. 321
Apollodorus Poeta Gelenſis. 123
Apolloniades Argyræ Princeps a Timoleonte priuatur. 332
Apollonia ab Agathocle expugnata. 332
Apollonia Leptini ſubiecta. 328
Apolloniatæ Timoleonti ſe dedunt. 328
Apollinis Gelenſis ſtatua. 122
Apollinis Archegeti ara. 54
Apollinis oraculũ ſup naſcituro Agathocle. 334
Appulia à Normannis capta. 422
Aquila in clypeo, noctua verò in haſta Hieronis apparuit. 360
Aquilius belli agreſtis in Sicilia extinctor. 395
Aragonenſes Siciliæ habitatores. 27
Arabes Saracenis Ennẽſib⁹ ſubſidio veniũt. 430
Aræ ſeu ſaxa ſcopuli in mari Sardoo. 8
Arca. D. Chriſtinæ argentea Panormi. 176
Arcadius Sarracenus Syracuſarũ Præſes. 418
Archadij Imp. ex Meſſanẽſi virtute victoria. 47
Archagatus, & Heraclides Agathoclis filij patrem in Libiam ſequuntur. 343
Archagatus, & Heraclides in Libya a militibus trucidati. 354
Archiepiſcopatus Meſſanẽ. a Rogerio ĩſtitut⁹. 48
Archonides Herbitæorum Princeps. 270
Archonides Siculorum Rex. 282
Archetymus philo. et hiſtoricus Syracuſan⁹. 103
Archias Camerinæus proditor. 273
Archias Corinthius in Siciliam Apollinis oraculo proficiſcitur. 81
Archidemiſſa fons. 94
Archimedes Syracuſanus. 104
Archimedis ſepulchrũ a Cicerone inuentũ. 105
Archimedis ingeniũ in deterrẽdis Romãis. 387
Archimedis mors opinionibus variata. 389
Archimedis vltima voluntas. 389
Archinus poeta Agrigentinus. 136
Area maritima Panormi a Manfredo Claromõtano concluſa. 186
Arenæ flu. oſtium. 150
Aretha Dionis coniux alteri nupta ab eodem recipitur. 321. Arethuſa fons. 89
Arethuſia porta Syracuſis. 89
Argenti apud Argyram minera. 217
Argenum promontorium. 51
Ariadnis gigantis proceritas immenſa. 24
Ariſtæus in Aetolia vitem primus inuenit. 18
Ariſtæus Athenienſis. 244
Ariſtonis conſilium de proris Syracuſanorum de primendis. 286
Ariſton Corinthius interficitur. 292
Ariſton cõiurationẽ in Hieronymum aperit. 377
Ariſtocles philoſophus Meſſanenſis. 49
Artalis Syracuſanus transfugarum cõiurationis proditor. 386
Artalis Alagõæ cõtra Sortinũ ſtratagema. 546
Artabanis naufragiũ in mari Adriatico. 400
Artemiſium oppidum. 206
Aſcenſus Aetnæ montis triplex regio. 56
Aſdrubal cõtra Romanos in Siciliã nauigat. 367
Aſdrubal in bello Sardoo interfectus. 307
Aſſinari flu. oſtium. 108
Aſſinarium feſtum Syracuſis. 295
Aſſorum oppidum. 222
Aſphodelodi populi capti ab Agathocle. 352
Athalaricus Siciliæ Rex. 398
Atharb us Carthaginenſium Dux. 353
Athenius paſtor belli agreſtis ĩ Sicilia autor. 394
Athenienſes Leontinorum cognati. 271
Athenienſes Siciliam inuadere cogitant. 271
Atheniẽſes à Segeſtanis pro ope ſolicitãtur. 274
Atheniẽſes a Catanẽſibus ꝓ auxilio adeunt. 274
Athenienſes promiſſa Segeſtanorũ explorãt. 275
Athenienſium caſtra incenſa. 280
Atheniẽſes Syracuſas duplici muro cõcludũt. 282
Athenienſes nauali, Syracuſani vero terreſtri prælio victores. 285
Athenienſiũ exercitus morbo corripitur. 289
Athenienſes Syracuſis ſine ſuorum parentatione diſcedunt. 293
Athenienſes Syracuſanis ſe dedunt. 293
Atheniẽſiũ. 18. milia ad aſinarũ. fl. ĩterfecta. 294
Athenienſes ſerui equi charactere inſigniti. 295
Atra bilis quid ſit. 220
Attilius a Carthaginenſibus capitur. 367
Attica claſſis a Syracuſanis adorta vincit. 272
Auguſta vrbs a Friderico Cæſ. condita. 76
Auguſta Iacobo Regi deditur. 500
Auguſta ab ætali alagõa incẽdio cõſumpta. 568
Aurea ætas, eiuſq; duratio. 241
Auri, argentiq; apud Niſam minera. 51
Aurum in Sicilia naſcitur. 20
Auula oppidum. 108 Aydonum oppidũ. 225
Aydonũ a Roberto Calabriæ Duce expugnat. 511

Bactus Melitenſium Rex primus. 10
Baiulatus Panormi, eiusq; inſignia. 170
Balintiũ vinũ ĩ Sicilia, quod muſcatellũ vocãt. 18
Balneæ Macharinæ. 111

Digitized by Google

Barchini ciues Carthaginenſes. 308
Bartolomeus Garſiliatus Buterã occupat. 448
Bartolomeus Mareſcalcus Siculorum contra Frã cos Dux. 491
Barus Appuliæ vrbs Sarracenis erepta. 411
Barus & Trayna vrbes a Rogerio captæ. 432
Barus vrbs a Guilelmo malo deleta. 449
Baſiluzus inſula. 6
Baſilius Macedo Michaelotti ſocius regni ab eodem interfectus. 411
Baſilius Stephani collega in adminiſtratione Siciliæ. 420
Bathis flu.oſtium. 164
Batitanus fluuius. 146
Baydenſis ager. 188
Bayhariæ flu.oſtium. 192
Belicis flu.oſtium. 146
Belicis flu.capita tria. 146
Belbicus inſula Bithyniæ ante coniuncta. 16
Belcanes Sarracenus Meſſana capta Panormum aufugit. 427
Belliſarius belli ſub Iuſtiniano Cæſare Dux. 398
Belli Syracuſani cũ Athenienſibus occaſio. 274
Bellum Siculum. 395
Bellum ruſticorum in Sicilia. 394
Bellum inter Blancam Reginam, Sancium Doris, & Bernardũ Craperam exoritur. 576
Bellum a Ludouico Rege aduerſus Aloyſium Neapolitanum Regem decernitur. 549
Benautus in mare ſubmergitur. 437
Benameth Sarracenorum Præfectus a Rogerio conſtitutus. 435
Beniuerus Syracuſarũ & Noti dominus. 436
Beneuentum a Romanis captum. 422
Bernardꝰ Crapera Blãcæ Regĩæ nuptias ãbit. 578
Bernardus Crapera Blãcã Reginã oppugnat. 579
Bernardus Crapera in prælio captus iluditur. 581
Bernardus Crapera Barchinonem mittitur. 582
Berillus lapis in Sicilia naſcitur. 20
Betumenꝰĩ obſidiõe coriliõis pĩſidias ĩterficiẽt. 429
Bettumenus Bemmenelerum occidit. 424
Bettumenus & Meſſanenſes Rogerio ad pellendos e Sicilia Sarracenos authores. 424
Biblinum vinum idem quod Polium. 18
Biccarum oppidum. 230
Bidis oppidum. 79
Biginis fons. 149
Biſſentia vrbs. 141
Biuona oppidum. 231
Blaſcus alagõa Aragonẽſis ĩ Siciliã pficiſciẽt. 433
Blaſcus Alagõa Calabricæ expeditioni pficiẽt. 501
Blaſcus Alagona moritur. 516
Blaſcus alter Alagõa Ludouici Regis Baylus. 531
Blaſcus Alagona moritur. 555
Blãca Regĩa Syracuſis cõtra Bernardũ ſe tueẽt. 581
Blãca Regĩa noctu ſeminuda Panormo fugit. 581
Boeotiorũ fortitudo in Epipolarũ defenſione. 288
Bolcon Syracuſanus proditor. 269
Bomilcar ſeditionis pœnas luit. 351
Bomilcar Carthaginem inuadit. 351
Bonellus oculis orbatus in carcere obit. 460
Boniſacius Corſicæ Comes Siciliam a Sarracenis liberat. 406
Bonifacius Aragonius Pactarum & Tyndaridis Præfectura priuatur. 556
Bonifacium oppidum, quod Alcamus vetus eſt, a Martino Rege deletum. 169
Bononia a Friderico Cæſare capta, vniuerſitas Patauium transfertur. 364
Boodes Carthaginenſis contra Cornelium Coſ. in Siciliam mittitur. 364
Brachini aduerſus Serlonem inſidiæ. 434
Brachium S. Raynerij, ſeu lingua phari. 43
Breuis vniuerſæ Syracuſanæ fortũæ deſcriptio. 99
Brolus arx. 203 Brontes oppidum. 208
Bucherium oppidum. 227
Bulchar Sarracenorum pagus. 188
Bulchas Rex Sarracenorum. 414
Bulchaſſes Sarracenus. 465
Buttigliariæ fontes. 93
Butera a Guilelmo malo deleta. 406
Butera Rogerio deditur. 438
Buthes Drepanum venit. 245
Buſyris, Typhon, Antheus gigantes. 246
Burdegala dueli locꝰ p petro et carolo regibꝰ. 495
Buxema oppidum. 227
Buyhutus fons aluum molliens. 156
Buyhutus alter fons ſalubris. 192

Cabiri Dei in ſamothracia. 391
Cacyparis flu. 94 Cacyparis flu.oſtium. 107
Cadmus Cous. 256
Cæſar Graphæus, & Petrus Augellus Siciliæ proditores aperiunt. 608
Caieta vrbs ab Alfonſo Rege oppugnatur. 587
Calameth oppidum. 169
Calatamar oppidum. 233
Calatraſis arx. 233
Calatu vrbs a quibus condita. 202
Calatuſus oppidum. 169
Calaphates Imperator oculis priuatur. 421
Calcerandus curigles & Petrus Queraltus Petri Regis in Sicilia Legati. 492
Calippus Athenienſis. 278

Digitized by Google

Calippi iusiurandum non præstitum. 322
Calippus eodem, quo Dion gladio iugulatur. 322
Callias historicus Syracusanus. 103
Callimachus poeta Syracusanus. 102
Callipolis a Naxijs condita. 54
Callipolis vbi steterit. 119
Caltayheronis oppidum. 226
Caltabianum oppidum. 55
Caltabianũ ab Artali Alagona expugnatũ. 548
Camerina Syracusanorum colonia. 117
Camerina vnde dicta. 117
Camerĩa a Gelõe euersa, ab eodẽq; restituta. 117
Camerina palus. 118
Camerinam mouere, adagium. 118
Camerinæus lacus. 118
Camerinæi auxilia Syracusanis mittunt. 286
Camerina a Romanis recepta. 366
Camicum vrbs a Dædalo ædificata. 124
Camiola fœmina Messanensis. 528
Campus Herculanus. 247
Cãpanorũ Ennensiũ singularis audacia. 297
Campani Carthaginensium auxiliarij. 296
Canemas Ferdinãdum Regẽ gladio impetit. 595
Canes Aegiptijs adorati. 352
Cannæ Appuliæ vicus Romanorum clade insignis. 376
Capitina oppidum. 210
Caput Phari ad Genuam. 40
Caput fœderis promontorium. 191
Caput S. Theodori. 153
Caput Galli. 173
Caput Caballi a forma denominatum promontorium. 39
Caput Orlandi promontorium. 203
Caput Orlandi oppidum. 203
Caprea insula ab Athenæo, pmõtorio diuulsa. 16
Capris Capreæ oppidum. 16
Carabus piscis. 153
Caranellorum familiæ priuilegium a Rogerio attributum. 441
Carbo Messanæ a Pompeio damnatus. 395
Carbonus flu. ostium. 199
Caroznus figulus Agathoclis pater Rhegio exulat. 334
Carleontinum a Carolo Cæs. ædificatum. 73
Cariclides, seu Heraclides rerum summæ Syracusis cum Dione Præfectus. 317
Carinis oppidum. 171
Caroli stratagema contra Corradinum. 486
Carolus Rex Petro Aragonum Regi pecuniam ad bellum contra se gerendum mittit. 489
Carolus Andegauensis contra Messanenses profectus. 491
Caroli classis a Petro Rege intercepta. 493
Carolus Rex Siciliæ moritur. 498
Carolus Tarẽti Princeps a Rogerio Lauriæ capitur. 497
Carolus Tarenti Princeps a Iacobo Rege dimittitur. 501
Carolus Artus cum classe Roberti Regis in Siciliam nauigat. 526
Carolus a Ioanne patre Siciliæ Rege deficit. 193
Carolus Cæsar ex Ioanna Ferdinandi Regis filia nascitur. 596
Carolus Imperio Romæ coronatur. 610
Caroli Cæs. classis apud Actium a Solymano fugatur. 611
Carolus Imperator in Siciliam venit. 610
Carolus Cæs. Germanos Principes rebelles bello superat. 612
Carolus Cæsar synodum Tridenti cum Paulo 3. Pont. max. contra Luteranos indicit. 612
Carolus Cæs. Regnis omnibus abdicatus religiosam vitam ducit. 616
Caroniæ flu. ostium. 209
Carthaginenses auxilia & Annibalem Imperatorem Segestanis deserunt. 296
Carthaginensium in Sicilia imperium ab Hermocrate rescinditur. 201
Carthaginenses Siciliam inuadunt. 307
Carthaginensium exercitum pestis inuadit. 307
Carthaginẽsium luctus in reditu Himilconis. 308
Carthago in duas factiones diuisa, 309
Carthago a Sarracenis deleta. 402
Carthaginensium apparatus post Dionis obitum ad Siciliam inuadendam. 323
Carthagi. tẽpestatis iniuria Timoleõti cedũt, 330
Carthaginensium strages memorabilis. 339
Carthaginensiũ Amilcare duce naufragiũ. 341
Carthaginẽsiũ classis ab Agathocle fugata. 343
Carthaginenses mortuo Agathocle de Sicilia inuadenda cogitant. 357
Carthalo Carthaginẽsis Adherbalis Dux. 372
Caruenũ ciuitas regia a Sarracenis condita, 402
Casalia Græcorum in Sicilia. 28
Casiblis arx ab Artali Alagona capitur. 562
Castania oppidum. 212
Castrus vrbs. 212
Castrum oppidum a Ludouico Rege deficit. 542
Castrũ ab oppidanis Aloysio Regi traditur. 556
Castrum Leonis oppidum. 55
Castrum ad mare Panormitanum Roberto Regi Neapolitano proditur. 522
Castrum nouum a Rogerio captum. 426

Digitized by Google

Castrum ad mare oppidum a Friderico Cæsare euersum. 156. 519.
Catalãi per fraudem a Claromontanis opprimuntur. 540
Cauconæ portus. 116
Caucona fluuius. 116
Celsus medicus Centuripinus. 216
Cẽtũ salmarũ ager in Leontino quare dictus. 17
Centoripe vrbs. 215
Centoripe a Nymphodoro expugnata. 340
Centuripini, & Alicienſes Syracuſanorum auxilia ex inſidijs opprimunt. 286
Cephaledis vrbs, & vnde dicta. 198
Cephalus & Dionyſius Corinthij Syracuſanas leges condunt. 328
Cerberus fabuloſus. 245
Ceres Saturni, & Rheæ filia. 243
Ceres Oſiridi fratri nubit. 243
Cereris tẽpla quare i angulis ædificari ſolita. 169
Cereris ſimulacrũ Catanæ viris ignotum.
Cereris templum Aegeſtæ. 160
Cetaria ſtatio. 156
Cete piſces agros Cephaleditanos paſcunt. 199
Chalcis vrbs. 13
Chalcidis vrbis conditores. 13
Chamo Africa obuenit. 241
Chamus impius idolatra. 241
Chami diuerſa nomina. 241
Chameſena prima Siciliæ vrbs. 242
Chriſtianorum cladẽs a Saba Sarraceno accepta. 407
Chromius victor Aetnæus. 64
Chryſas fluuius. 223
Chryſas Deus. 223
Chryſæ flu. ſimulacrum. 223
Chteſias, ſeu Tyſias Syracuſanus. 101
Chydæ flu. oſtium. 201
Cĩramis oppĩdum. 201
Circus regius Panormi. 174
Clemẽs quartus põt. max. regnũ Neapolitanũ primus cõmuni vocabulo cũ Sicilia nominauit. 14
Claromons oppidum. 228
Cluſa oppidum. 233
Cocanicum ſtagnum. 119
Cola piſcis natator inſignis 48
Collatina vrbs a Ducetio conditur. 270
Colliſea vrbs. 110
Coloſſus Rhodius a Sarracenis demolitus. 401
Columbæ Veneris aduentum præeuntes. 155
Columbaria ſcopulus. 9
Cominus inſula. 22
Comœdia Himeræ inuenta. 197
Concordiæ ara Syracuſis. 91
Conductus pulchræ fœminæ. 93
Coniuratio Charitonis, & Melanippi in Phalandem. 131
Coniuratio in Thraſybulum. 266
Coniuratio Matthæi Bonelli in Guilelmum malum. 456
Coniuratio Panormitanorum in Stephanum Cancellarium. 465
Coniuratio Syracuſanorum aduerſus Claromontanos. 551
Conſpiratio Hugonis & Maionis in Guilelmum malum diſoluta. 452.
Conſtantia Friderici Imp. vxor. 474
Conſtantiam Rogerij Regis non neptem fuiſſe, ſed filiam. 179
Conſtantia Rogerij filia ſacerdos Henrico Cæſ. nubit. 471
Conſtantia Petri Regis vxor in Siciliam nauigat. 494
Conſtantia Regis Aragonum filia Friderico nubit. 570
Conſtantia Siciliæ Regina Catanæ obit. 571
Conſtantius Monomachus Imperator Zoes maritus. 421
Conſtantius Porphyrogenetus Siciliæ Rex. 413
Conſtantius, Beſſas, Herodianus Belliſarij in Sicilia Duces. 399
Cõſtãtius Siciliæ Rex Syracuſis interficitur. 405
Conſtantinopolis a Rogerio Rogerij Comitis filio oppugnata. 443
Contentio Roberti & Rogerij fratrum pro diuiſione Calabriæ. 429
Corinthus Ducetij exilium. 270
Corradus Siciliæ Rex Neapolim capit. 482
Corradus Anthiochiæ Princeps ſuſpenſus. 497
Corradus Spatafora Matthæi Palicij inſidias vacit. 545
Corradus Lanceâ a Friderico Rege exilio mulcta tur. 565
Corradinus Saxracenorum Rex. 477
Corradinus Siciliæ Rex Fridericum Auſtriæ Ducem, atq; Henricum ſenatorem cepit. 486
Corallum lapis quid ſit. 20
Corallum circa Drepanum naſcitur. 20
Corax Rhetor Syracuſanus. 101
Corcyra, Corinthus, Euboea, Thebæ a Rogerio captæ. 443
Corilio oppidum. 231
Corilionis incolæ Lombardi. ibidem
Corilionẽſes Gallos omnes, qui in oppido ſunt, trucidant. 490

Digitized by Google

Coronenſes in Siciliam veniunt. 18
Corui nautica inſtrumenta. 365
Coruinus Meſſala a Meſſana dictus. 46
Coſyra inſula. 9
Crater Aetnæ montis. 58
Craton mons. 211
Cribel fons Panormitanus. 188
Crinitus Chaldus Calabriæ Præfectus. 414
Crinisij flu.oſtium. 156
Crinippus, & Terillus Himerenſes. 258
Criton Himeræus. 197
Cuba pomarium regium Panormi. 174
Cunilieræ inſulæ duæ, 9
Currentum inſula. 114
Cyanæ fons Proſerpinæ ſacer. 106
Cyanei fontis fabula. 106
Cyclopes quare dicti. 239
Cydippus Himeræ Tyrannus. 196
Cyneas Theſſalus auditor, & imitator Demoſthenis. 358

Dædalus in Siciliam fugit. 250
Damocles tyrannicã beatitudinẽ experitur. 305
Damarata cæſa. 380
Damaratæum numiſma. 262
Damonis & Pythiæ amicita & fides. 306
Damas Syracuſanus Agathoclis pueri amator. 375
Daphæus, & Damarathæus a Dionyſio trucidati. 304
Danorum mos filios peregre emittere. 417
De dæmonibus arreptitiorum ſententia. 219
Deiſin Panormi pars. 183
Demetrius funebri oratione Timoleontem laudat. 333
Demini regio quæ, & vnde dicta. 207
Demoſthenis prouerbium in laudem. 172
Demoſthenes & Nicias publico iudicio damnati. 295
Demoſthenes gladio ſibi mortem intentat. 294
Dianæ ſimulacrum apud ſegeſtanos celebre. 168
Dianæ feſtum Syracuſanæ vrbis capiendæ occaſio. 386
Dies tertius Paſchæ cadendis Gallis in Sicilia indictus. 490
Dicta egregia Dionyſij in exilium abeuntis. 326
Dicearchus auditor Ariſtotelis Meſſanenſis. 48
Didyme inſula. 5
Diluuij a mundi creatione interſtitium. 238
Diluuij tempore Siciliæ a continenti facta eſſe diſtractio creditur. 16
Dinocrates Syracuſanorum exulum Dux. 340
Dinocrati Agathocles ĩ publica cæde parcit. 338
Dinolochus Agrigentinus. 136
Diocles a Syracuſanis in exilium mittitur. 301
Diodorus hiſtoricus Agyrinæus. 218
Dionis laudes. 311
Dionis parænesis ad virtutem. 311
Dion accuſatus in Peloponneſum aſportatur. 312
Dion bellum contra Dionyſium parat. 313
Dion ſuſpectus redditus Syracuſanis. 317
Dion Syracuſas deſerit. 318
Dion a Leontinis excipitur. 318
Dion a ſuis Syracuſas reuocatur. 319
Dion ſuos inimicos beneficijs afficit. 320
Dion a Pharace prælio ſuperatur. 320
Dion Syracuſanis opitulatum redit. 319
Dionis phantaſma mortem ei portendens. 321
Dionyſius fluuius. 51
Dionysij modeſtia & pietas. 242
Dionyſius ſenior prætor Syracuſis deſignatur. 303
Dionysij ſenioris natura & mores. 303
Dionysij ſenioris progenies. 303
Dionyſius ſenior Siciliæ Imperator. 303
Dionyſius Libyam amiſſam recuperat. 242
Dionyſius ſui corporis cuſtodiam impetrat. 304
Dionyſius. 20. annos natus Tyrannidem Syracuſanam inuadit. 304
Dionysij vxor pro tuenda pudicitia mortem ſibi conſciſcit. 304
Dionyſius geminam vxorem ducit. 304
Dionysij ſenioris exactiones. 305
Dionyſius ſenior a filiabus tondetur. 306
Dionyſius glandium & nucum putaminibus barbam ſibi demetere ſolitus. 306
Dionyſius maledico ebrio parcit, ſobrium pœna proſequitur. 306
Dionyſius ſacrilega. 307
Dionyſius dijs bonis aureas menſas furatur. 307
Dionyſius ſenior moritur. 309
Dionyſius iunior cum Carthaginenſibus pacem firmat. 310
Dionyſius iunior clam Locros profugit. 310
Dionyſius catapultarum inuentor. 311
Dionyſiani cum Dionis militibus confligunt. 316
Dionyſius fugit cum gaza regia. 317
Dionyſiani primo Dionis aduẽtu cæduntur. 319
Dionyſius ſe, & arcem Timoleonti tradit. 326
Dionyſius Corinthum exul proficiſcitur. 326
Dionysij vita apud Corinthios. 326
Dionyſius apud Corinthios ludum aperit. 326
Dionysij mors obſcura. 326
Dirillum oppidum. 119
Dirilli flu.oſtium. 118

Diuæ

Diuæ Agathæ virginis epitaphium. 61
Diuus Albertus Carmelita Erycinus. 155
Diui Coradi Placentini sepulchrum. 155
Diui Nicolai de Arenis monasterium. 56
Diui Paulini apud suteram sepulchrum. 230
Dolus Cocali Regis. 251
Dolus Calippi in Dionem. 321
Dorienſium colonia Himeram deducta, 196
Dorſus Aſini collis Aetnæ progenies. 57
Drepanum vrbs a quibus condita. 133
Drepanitanũ pelagus qbus piſcibus abũdet. 154
Drepanum a Iordano Rogerij Normani filio captum. 436
Ducetius ſiculorũ Rex Neetinus. 109. 269
Ducetius deſperatis rebus ad hoſtes pfugit. 270
Duorũ adoleſcentũ Agrigentinorũ hiſtoria. 126

Eberardus Comes a Guilelmo malo oculis & lingua priuatur. 450
Eboſia canna. 18
Echetla vrbs a Xenodicho expugnata. 348
Eclypſis ſolis Agathocli Libyam petenti apparuit.. 343
Egeſias Syracuſanus. 105
Eguſa inſula. 8
Egytharſus promontorium. 156
Elephãti Hãnonis. 50. a Romanis capti. 363
Elephanti Aſdrubalis a Metello capti. 369
Elion Dux trãsfugarũ ab Agathocle. 349
Eliſabeth Regina peſte apud Drepanum conſumpta. 487
Elorus, ſeu Olorum fluuius. 110
Elorum oppidum a Marcello receptum. 384
Elorina via. 110
Elorus arx. 110
Elyma vrbs vbi ſteterit. 170
Elymus Ilio capto in Siciliam profugit. 252
Empedion Selinuntinorum, qui Agrigentum cõfugerant, Legatus. 299
Empedocles Philoſophus Agrigentinus. 134
Empedocles oratoriæ artis inuentor. 135
Empedocles a Selinuntinis cultus. 147
Empedoclis bos fictitius. 135
Empedocles alter victor Olympicus. 136
Engium a quo conditum. 252
Enna vrbs. 366
Enna a Romanis capta. 366
Enna a Ludouico Rege ad Claromontanos deficit. 548
Enna a Rogerio capta. 438
Enna a Friderico V intimilio occupata. 571
Ennius Euhemeri hiſtoriæ interpres. 50
Eniſcordes Brito Rogerium ſua morte ab inſidijs liberat. 436
Entella vrbs. 233
Entellanum vinum. 18
Entius Friderici Regis filius Rex Sardiniæ. 480
Ephæſtiades inſulæ. 4
Epicides, & Hippocrates Syracuſani Prætores. 380
Epicharmus comicus Megarenſis. 79
Epicharmus Syracuſanus. 102
Epipolæ. 92
Epipolæ a Marcello occupatæ. 386
Epipolæ ab Athenienſibus captæ. 280
Equi præſagium de Dionyſio ſeniori, 304
Eraſinides Corinthiacæ claſſis præfectus. 284
Erbeſſum vrbs diruta. 229
Erbeſſum ab Hannone captum. 363
Erbeſſum ab Agrigentinis expugnatum. 347
Ergoteles Himereus. 197
Ericodes, ſiue Ericuſa inſula. 6
Erycini incolæ diutiſſimæ viuunt. 154
Eryx mons. 154
Eryx oppidum a quo conditum. 154
Erix oppidũ quare Mons S. Iuliani ceperit appellari. 155
Eryx vrbs p pditionẽ a Iunio Coſ. occupata, 373
Eryx vrbs a Gabbano Teutonico capta. 484
Eryx Lycaſtæ filius. 245
Eryx ab Hercule ſuperatus occumbit. 247
Erymei, ſeu Orini flu. oſtium. 108
Ethuſa inſula Mndo olim continens. 16
Euboea a Boeotia diſtracta. 16
Euboea a Gelone deleta. 259
Eudemus Cyprius, & Timonides Leucadius Dionis ſocij. 313
Euhemerus hiſtoricus Meſſanenſis. 50
Eumachus cum toto exercitu a Carthaginenſibus captus. 352
Eunus Syrus Dux ſeruorũ in Sicilia. 394
Eunus belli ſeruilis autor. 394
Euonymos inſula. 6
Euphemius Michaeli Balbi in Sicilia Præfectus. 407
Euphemius Sarracenis Siciliam tradit. 408
Euphemius ſacrilegij pœnas luit. 410
Euphemia Friderici Regis germana Regni Vicaria. 555
Euriolus, ſiue Euryclos. 92
Euripidis epigrãma de Athenienſiũ clade. 295
Euripidis carmina apud Siculos in pretio habita. 295
Euryleon monarcha. 256

Digitized by Google

Eurymedon Thucleis filius. 272
Exules Syracusani sagittis ab Agathocle confodiuntur. 356

Fanum Bellonæ apud Ennam. 224
Fasolarum insulæ. 9
Fauognana insula. 8
Ferdinandus Cæsar Augustæ Siciliæ Rex coronatur. 578
Ferdinandus regnum Aragonum contemnens nepoti tradit. 518
Ferdinandus Aragonum Rex creatur. 518
Ferdinandi Regis proles. 582
Ferdinandus alter Siciliæ Rex Lusitanos superat. 594
Ferdinandus & Isabella Reges Bethico regno recepto Catholici nominantur. 595
Ferdinandus Rex Oranum, Bugiam, & Tripolim capit. 596
Ferdinandus Rex in Hispania moritur. 597
Ferula oppidum. 229
Fimi, seu Fœminarum insula. 173
Ficarra oppidum. 212
Flauius Vopiscus Syracusanus. 103
Flumina terræ absorpta, rursusq; emersa. 88
Flumen frigidum. 55
Flu. S. Cataldi ostium. 170
Flu. S. Cosmani ostium. 79
Flu. S. Leonardi. 71
Flu. S. Iuliani. 76
Flu. Catana olim Terias. 68
Fœlix Panormus a Friderico Cæsare appellata. 180
Fons Agrigentinus, in quo aqua lapidescit. 139
Fons Agrigentinus cui oleum supernatat. ibidē.
Fons Heraclensis agri piscosus. 22
Fons menti perspicaciam reddens. 23
Fons salsus apud Biuonam. 231
Fons pestilens. 23
Fons in Tauromonte sanguineo latice fluxit. 458
Fons tibiarum sono exultans. 22
Fontis petræ aquæ lapidescunt. 22
Fontis Dianæ historia. 117
Fontes aluum emollientes. 23
Fontes duo dissimilis inter se naturæ. 22
Fontes, quibus oleum supernatat. 22
Formicarum insulæ. 8
Fortunæ fanum a Timoleonte extructum. 92
Forum Syracusanum vastatione in syluam excreuit. 328
Fossa Cosyræ insulæ vorago. 9
Francauilla oppidum. 208
Franciscus Niger medicus in Aetnæorum igniū exploratione interijt. 621
Franciscus Vintimilius crudeliter necatur. 526
Franciscus Palicius Messanensis in patriæ exitium conspirat. 545
Franciscus Imperatorius Siciliæ proditor a suessano Duce intercipitur. 608
Franciscus Gallorum Rex a Carolo Cæsa. capitur. 609
Franciscus Gallorum Rex cum Solymanno Rege fœdus aduersus Carolum init. 613
Francofons oppidum. 227
Fridericus secundus Cæsar publicè nascitur. 473
Fridericus Siciliæ Rex Imperator eligitur. 475
Fridericus Imp. cum Honorio. 3. Pontifice max. in controuersiam venit. 475
Fridericus idem a Pont. max. excommunicatur. 476
Fridericus Honorio reconciliatur. 476
Fridericus Cæsar multis nominibus a Gregorio excommunicatur. 477
Fridericus cum Aegypti sultano pacē init. 477
Fridericus a Gregorio diris absoluitur. 478
Fridericus secundus Siciliæ Rex. 503
Fridericus Rex bello nauali cum Iacobo fratre confligit. 509
Fridericus Lancea Manfredi Regis in Sicilia Præfectus. 484
Fridericus Antiochenus perduellionis reus proscribitur. 525
Fridericus Ioannis Ducis filius Marchio Randatij, & Neopatriæ Dux. 555
Fridericus Rex simplicis, atq; Auriti nomen consequitur. 562
Fridericus Rex Abolam, Castellutium, Palatiū, & Bibonam amissa oppida recipit. 565
Fridericus Rex omnibus Aloysij Regis oppidis auctus. 566
Fridericus Rex Salemim, Calatubum, Alcamiū castrum ad mare recuperat. 567
Fridericus Rex pluribus simul oppidis augetur. 569
Fridericus Mistretta fugiens se Francisci Vintimilij tutela liberat. 570
Fridericus, & Manfredus Claromontani ad Regem Fridericum redeunt. 572
Fridericus Rex Mediolanensis Ducis filiam vxorem ducit. 572
Fridericus Martini Regis fillus nascitur. 574
Frondonis flu. ostium. 206
Frumentum in Sicilia sua sponte nascitur. 17
Fundanus Comitatus Innocentio. 3. a Friderico

Digitized by Google

Cæſ.donatus. 475
Furiani flu.oſtium. 201
Furnaris oppidulum. 205

Galatheus Herculis nepos. 248
Galathæ terra ſcorpiones necat. 11
Galeria vrbs Dinocrati deditur. 340
Galerienſes Entellenſibus auxilio profecti à Carthaginenſibus trucidantur. 324
Galeatius Bardaßinus Catanenſis admirãdæ proceritatis ſimul & roboris vir. 67
Galeatius Francus ad Drepanum fortißime pugnat. 517
Gangis oppidum. 211
Garbolangus Hyccarenſium ruinarum locus. 171
Garſias Toletus, & Petrus Nauarrus Ferdinãdi Regis cõtra Gerbos Duces ĩfœliciter pugnãt. 596
Gaulos inſula. 11
Gaulos a Senen claßis Turcicæ Præfecto incenſa. 11
Gaza Hieronis a Marcello in ærarium translata. 389
Gelæ flu.oſtium. 120
Gelæ flu.etymologia. 120
Gela quare flu.ſalſus dicatur. 120
Gelæ flu.capita tria. 121
Gela mons. 121
Gela vrbs ab Agathocle occupata. 341
Gela vrbs a Xenodicho capta. 347
Cellinæ, ſeu Telliæ Agrigentini benignitas. 129
Cellinæ Agrigentini facetia. 130
Gelo Syracuſanorum Rex Gelous. 123
Gelonis vxoris continentia, & caſtitas. 376
Gelonis lege abolitum Saturni in Libya ſacrificium. 345
Gelonis ſtratagema. 260
Gelonis ſtatua cæteris deiectis ſola a Timoleonte ſeruata. 327
Gelo Siciliæ Principatum recuſat. 263
Gelonis ſimulacrum. 263
Gelo agriculturæ ſtudioſus. 263
Gelonis, & Hieronis fratrum diſſimiles mores. 263
Geloi, Himerenſes, Agrigentini, Rhegini, Zanclæi patrias vrbes repetunt. 267
Geloi auxilia Syracuſanis contra Athenienſes mittunt. 286
Genſericus Vandalorum Rex Siciliam inuadit. 397
Genuenſes Siciliæ incolæ. 27
Genuẽſis ſeditio inter Guelfos & Gibellinos. 520
Georgius Antiochenus. 181
Georgij Bracchij domus multitudine grauata Panormi corruit. 609
Georgij Maniacis hiſtoria. 407
Georgius Maniaces a Normannis diſſidet. 419
Georgius Maniaces Michaelis Paphlagonis contra Apolafarum Dux. 416
Georgius Maniaces Normannis aduerſus Sarracenos ſeſe adiungit. 418
Georgius Maniaces a Ferrabaccho in Appulia ſuperatur. 419
Gerapolis vrbs Gerborum. 9
Gerbinus mons. 192
Gerborum inſula. 9
Gerborum ſeditio ob Siculorũ iniuſtitiam. 523
Gerlandus primus Agrigentinus Epiſcopus. 8
Gerunda Iſclæ inſulæ oppidum. 8
Geſilus ſpartanus Laconum Præfectus Syracuſas nauigat. 320
Gibellina arx. 234
Gigantum natura. 23
Gigantum cadauera pluribus locis reperta. 23
Gigas in antro Erycino inuentus. 24
Gigas in Gibilo Mazareni agro repertus. 24
Gigantum ſepulchra in agro Hyblæo frequentia. 25
Gigantum monumenta in agro Hyccarenſi. 25
Gigantis cadauer ad aquas dulces inuentum. 25
Gigantis cadauer in agro Gereate inuentum. 25
Gigantis cadauer ad Calatraſim inuentum. 25
Gigantum ſepulchra ad Petraliam reperta. 25
Gigantes ante diluuium Siciliam coluiſſe. 238
Gigantes vnde dicti. 239
Gigantum origo. 238
Gigantes Armenij. 238
Gilippus fluuius. 71
Gilippus Lacedemoniæ militiæ Dux ad Syracuſanos miſſus. 279
Gilippus rei militaris peritiam exemplo declarat. 284
Gilippus ciuitates, quæ a Syracuſanis defecerãt, in gratiam recipit. 284
Gilippo auxilia Corintho aducta. 285
Gulimeres Vandalorum Rex in Africa. 398
Giracis oppidum. 211
Giſco Dux Carthaginenſium in Siciliam mittitur. 331
Cladiatorius ludus Syracuſis. 97
Goliſanum, Gratterium, Brucatum a Carolo Arto capta. 526
Gongylus Corinthiacæ claſſis pro Syracuſanis Dux. 283
Gordieus mõs reparationis humanæ caput. 239

Digitized by Google

Gorgus. 237
Gorgias philosophus,& Orator Leontinus. 73
Gorgias Athenas Legatus Leontinorum missus. 271
Gorgias Leontinus auream statuam, solidamq; sibi posuit. 74
Gorgiæ domus vbi steterit. 74
Gorgiæ senectus,adagium. 74
Cotfredus,& Iordanus Rogerij filij. 428
Gotfredus Montiscanosi Comes cum Maione aduersus Guilelmum conspirat. 447
Gozus insula a Rogerio capta. 438
Græcæ literæ Carthagine damnatæ. 308
Græcorum vrbes Syracusanis se subijciunt. 270
Granitulis,seu trium fontium promontorium. 150
Gratterium oppidum. 211
Gregorij Pont.max.ad Archerium Panormitanum Archiepiscopum epistola. 177
Grues Ibyci. 49
Gualterius stimulus. 432
Gualterius Decanus Agrigentinus Archiepiscopus Panormitanus creatur. 468
Guciunus fons. 93
Guido Montisfortis Comes Siciliam pro Carolo Andegauensi recipit. 487
Guidonis Montisfortis continentia. 500
Guido Vintimilius Constantiæ Reginæ aduentus Drepani se opponit. 570
Guilelmus Ferrabach quare appellatus. 417
Guilelmus Ferrabacchus Archadium Sarracenum cædit. 419
Guilelmus Ferrabacchus,Appuliæ Comes. 422
Guilelmus primus Rex ab Adriano Pont.diris obijcitur. 444
Guilelmus primus Siciliæ Rex magni apud Italos,mali autem apud Siculos cognomentum adipiscitur. 445
Guilelmi mali lex de thesauris. 445
Guilelmus malus comprehenditur. 457
Guilelmus malus a plebe vinculis liberat. 457
Guilelmus malus in Montisregalis templo tumulatus. 469
Guilelmus Bonus cum Alexandro Papa fœdus contra Fridericum Barbarussam init. 469
Guilelmus Bonus Corrado Montisferrati Marchioni auxilia contra Saladinũ mittit. 469
Guilelmus Bonus moritur. 470
Guilelmi boni laus. 463
Guilelmo Porcelletto Gallo Siculi ob probitatem in communi cæde abstinuere. 490
Guilelmus Flandriæ Comes peste apud Drepanũ perijt. 487
Guilelmus Raymundus Montecatinus in Siciliam venit. 493
Guilelmus Estendardus Appuliæ Præfectus. 501
Guilelmus Vintimilius sedandis motibus Panormitanis Præfectus instituitur. 604
Gulfus castelli ad mare. 156
Gurgalonga fluuius. 69
Gurgus Lauphi lacus, 110

Hannon adulter, 242
Hanno dux exercitus Carthaginensis, 309
Hanno Carthaginensium dominatũ affectat. 309
Hanno contumelijs affectus cruci affigitur. 309
Hanno,& Bomilcar Carthaginensis exercitus cõtra Agathoclem Duces, 344
Hanno a sagittarijs Agathoclis confossus. 345
Hannonis de Aeschrione victoria. 352
Harmoniæ fortitudo, 380
Hecatompedon regio Syracusana. 91
Hector Pignatellus Montisleonis Comes Prorex in Siciliam mittitur. 601
Hector Pignatellus cum curia factiosorum consilium eludit, 602
Helenus,& Alexander Pyrrhi Regis filij. 358
Helionactes legislator. 197
Heliconis flu.ostium. 205
Henricus Rubeus contra Friderieum Regem cũ Claromontanis fœdus init. 559
Henricus Rubeus Messanensis Aloysij triremes apud Panormum capit. 549
Henricus Aristippus in locum Maionis succedit, 454
Henricus Aristippus in carcere obit. 460
Henricus Friderici filius læsæ maiestatis a patre damnatus. 478
Henricus Claromontanus violatæ coniugis iniuriam in Caroli Regis filia vindicat. 494
Henrichettus Claromontanæ stirpis in Sicilia autor. 494
Heraclea vnde dicta. 140
Heraclea ab Agathocle recepta. 352
Heraclea,& Agrigentum vrbes ab Himilcone receptæ. 384
Heraclense Emporium. 141
Heraclidis in Dionem actiones. 321
Heraclides Dioni reconciliatur. 320
Heraclides militum Præfectus Corinthum fugit. 315
Heraclides, Eucleas, Tellias Syracusani Duces. 382
Herbita vrbs. 226
Hercules Mantyclus. 257

Digitized by Google

Herculis ſtatura. 248
Hercules Alexicacus quare dictus. 246
Hercules Tyrius decimas a Carthaginenſibus capere ſolitus. 345
Hercules Aegyptijs quid ſignificet. 246
Hercules numero. 43. memorantur. 245
Hercules Alcæus Pyrata. 245
Hercules Aegyptius Tyrannidis vindex. 245
Herculi viuenti Argyræ ſacra primum oblata. 218
Herculis templum in Melita inſula. 10
Hercules apud Celtiberos moritur. 248
Hercules in Deos relatus. 247
Heſperia palus. 118
Hexapylon arx. 92
Hibernia inſula veneni expers. 11
Hiceſia inſula. 9
Hiera, vel ſacra inſula. 5
Hiero Polyzelo fratri inſidiatur. 264
Hiero ſenior Aetnæus appellatus. 64
Hiero cum morbo naturam commutat. 264
Hiero doctiſſimus euadit. 264
Hiero Thrasydeum debellat. 265
Hiero ter in Olympicis victor. 266
Hiero Catanæ moritur. 265
Hiero alter matre ancilla natus. 360
Hiero in ſyluis expoſitus. 360
Hieroni pecunia pro bello Macedonico a Romanis mutuata redditur. 376
Hieronymus Syracuſarum Rex. 378
Hieronymi cædes. 378
Hieronymus Fuxa Panormitanus ſitis patientiſſimus. 191
Hieronymus cognomento Barbatus Heremitanus plebem Panormitanam aduerſus Iudæos concitat. 598
Himera a Zanclæis condita. 44
Himera quomodo pingi ſolita. 193
Himerenſis vrbs & fons Mineruæ nomen vnde mutuarint. 196
Himera ſola Græca ciuitas ad mare Tyrrhenum ſita. 196
Himerenſium potentia. 196
Himerenſes proditores produntur. 264
Himera ab Athenienſibus oppugnata. 271
Himerenſes a Carthaginenſibus ad vnum cæduntur. 300
Himerenſium aduerſus Carthaginenſes audacia. 299
Himera ab Annibale incendio abſumpta igitur. 300
Himeræ mulieris ſomnium de Dionyſio. 303
Himilco Dux Gelam & Camerinam capit. 303
Hipparinus Siciliæ Conſul. 303
Hipparinus e tecto lapſus obit. 301
Hippobatæ primi Chalcidenſium adminiſtratores. 54
Hippocrates Gelenſis Tyrannus. 258
Hippocrates, & Epicides nouandarum rerum Syracuſis authores. 377
Hippocrates et Epicides a Syracuſanis capti. 382
Hippocratis calliditas. 382
Hiſpani Siciliæ habitatores. 27
Homero in primordijs rerum Siculorum deferenda fides. 240
Homeri verſus de rep. a Dione vſurpatus. 321
Horologij vſus Catana Romam aduectus. 64
Hoſterium domus regia Panormi. 184
Hyblæ tres in Sicilia fuerunt. 77
Hybla maior. 77
Hybla minor. 78. 216
Hybla minor inexpugnabilis Lamacho. 279
Hybla minima. 78. 228
Hybla a tributo immunis. 269
Hybla nera, quæ & minima. 68
Hyblæi ciues Megarenſes, & Galeotæ dicti. 78
Hyblæum mel. 78
Hyblon Siculorum Rex. 255
Hyccaris vrbs. 171
Hyccaris a quibus condita. 171
Hyccara a Nicia Athenienſi capta. 278
Hyctanis flu. oſtium. 117
Hydra vrbs. 227
Hydruntum a Rogerio Lauria captum. 504
Hypanis flu. oſtium. 117
Hypocauſtum Thermenſe. 250
Hyppo Tyrannus Meſſana a Timoleonte eiectus. 45

Iacobus Columna Cardinalis Prænestinus a Friderico ſecundo Cæſ. captus. 480
Iacobus Petri Regis filius Siciliæ infans. 495
Iacobus Infans Panormi coronatur. 498
Iacobus Rex Fridericũ fratrem bello petit. 507
Iani obitus. 243
Iaymus Petri Regis filius nothus a patre in exilium propter inobedientiam pulſus. 494
Ibycus poeta, & hiſtoricus Meſſanenſis. 49
Ibycus Meſſanenſis Sambucæ inuentor. 49
Icetes philoſophus Syracuſanus. 102
Icetes Syracuſanam tyrannidem inhiat. 323
Icetes Syracuſis potitur. 323
Icetes Adrano a Timoleonte fugatus. 325
Icetes cum filio capite plectitur. 332

Digitized by Google

Ignis Aetnæi portenta fabulosa. 63
Inarime insula. 7
Indigeminus Satelles Hieronymi Regis proditor. 378
Ineſſa vrbs. 216
Ineſſam Catanenſes oram tenent. 267
Dnicus Claudus Hiſpanus Alfonſi Duxa Veneta claſſe fugatur. 592
Initium ſecundi belli Punici. 374
Innocentius quartus Fridericum Cæſarem diris inuolsit. 474
Innocentius tertius tutor Friderici Siciliæ Regis. 474
Inuentum mellis, pecoris, & oliuæ. 244
Inuenta Noe ad vſum vitæ. 241
Inundatio Panormitana. 189
Inſulæ Porrorum. 118
Inſula Syracuſarum pars Omotermona dicta. 80. & 83.
Inſula Syracuſana ab Auguſto refecta. 397
Ioachimus Abbas vates de Conſtantia Rogerij filia vaticinatur. 444
Ioannes Breuna Rex Hieroſolymitanus. 476
Ioannes Columna Archiepiſcopus Meſſanenſis. 448
Ioannes Procida coniurationis contra Gallos in Sicilia Princeps. 448
Ioannes Procyda cum Accardo Latino Bizantio contra Carolum venit. 489
Ioannes Procyda lymphato ſimilis futuram Siculorum cædem vicatim pronuntiat. 490
Ioannes Agriliaccus duelli Burdegalenſis Præfectus. 495
Ioannes Lauria ob proditionem capite plexus. 508
Ioannes.22.Papa abrogatur. 521
Ioannes Vintimilius Alfonſi aduerſus Sfortiam Dux. 588
Ioanna Regina Neapolitana Renato Rege relicto moritur. 587
Ioannes Carraciolus Ioannam Reginam in Alfonſium commouet. 585
Ioannes Branchifortis Ludouici rebellis furca ſuſpenditur. 550
Ioannes Claromontanus ad Robertum deſicit. 522
Ioannis Regis Laus. 593
Ioannes Magna ſeditionis Palicianæ autor interficitur. 531
Ioannes Dux apud Maſcalim moritur. 531
Ioannes pater & Ferdinandus filius vnà in Siciliа regnant. 594
Ioannes Lucas Squarcialupus popularis, Panormitanæ factionis Princeps. 601
Ioãnes Lucas Squarcialupus exanimatus cõcidit. 662
Ioãnes Lucas Squarcialupus ĩ regiã Panormitanam cum plebe irrumpit, & Panormum occupat. 603
Ioãnes Lucas Squarcialupus a Regijs occiditur. 604
Iolai templum Agyræ religioſiſſimum. 218
Iolaia ſacra, & Heracleia. 248
Iolai colonia perpetuò libera. 248
Iole Ioannis Brennæ filia Friderico Cæſari nubit. 476
Ioppe ab exercitu Henrici Regis obſidione liberata. 473
Iordanus patri Rogerio rebellis. 437
Iouis Olympij ſimulacrum. 107
Iouis Olympij Sacerdotium. 96
Iouis Olympij famulatus. 96. 328
Ipori flu. oſtium. 117
Iſabella Henrici Hiſpaniæ Regis ſoror Ferdinando Regi nubit. 594
Iſcla inſula, eiuſq; nomina. 7
Iſcla oppidum. 8
Iſcla a Neapolitanis oppugnata. 504
Iſcla inſula cum Petro Saluacoxa ad Carolum deficit. 509
Iſnellus oppidum. 211
Ityce ab Agathocle capta. 351
Iudices pro Rege poſt Martinum inſtituendo nouem in Hiſpania delecti. 577
Iuliana oppidum. [illegible] 37
Iulianus Maialis Benedictinus orator. 591
Iunonis templum in Melita. 10
Iunonis ſimulacrum a Zeuſi depictum. 128
Iuppiter Forenſis Selinuntinis religioſus. 147. 256
Iupiter liberator. 266
Iuriſiurandi apud Syracuſanos forma. 96
Iuratorum Panormitanorum ordo. 186
Iuſtinianus Venetorum Dux Michaeli Balbo ad Siciliam repetendam auxilia decernit. 410

L. Cæcilius Metellus, & C. Furius Coſ. in Siciliã miſſi. 368
L. Iunius Coſ. in Siciliam mittitur. 371
L. Poſthumius & Qu. Aemilium Coſ. in Siciliã miſſi. 362

Digitized by Google

L. Valerius, & I. Octacilius Coss. in Siciliam missi. 364
Labdalus arx ab Athenienſibus excitata. 288
Lacus Agrigentinus. 238
Lacus Peloritani tres. 42
Lacus Aetnæus. 58
Lacus Leontinus Beuerius appellatus. 71
Laches, Melanops, Chæreades claſſis Athenienſis in Sicilia Duces. 272
Lalenuſa inſula. 9
Lamachi paupertas. 276
Lamachus ex phreneſi laborat. 281
Lamachi mors. 282
Lamia apud Menænon ſpecus. 227
Lampeduſa inſula. 227
Lanificij ſerici author in Sicilia Rogerius. 20
Lapides pretioſos Sicilia gignit. 20
Lapides antiquiſſimi Panormitani Latinis literis inſcripti. 179
Lapicidinæ tres Selinuntinæ Latomiæ appellatæ. 150
Lapis antiquiſſimus Panormitanam originem continens. 185
Lapis Imperatoris in Monte Peregrino. 189
Laruneſiæ inſulæ duæ. 9
Latomiæ Syracuſanæ. 91
Lays meretrix Hyccarenſis. 278
Lays meretrix capta, Corinthumq; abducta. 278
Laydis mors. 172
Legati Romanorum ab Hieronymo ludibrijs excepti. 378
Legatio de templis Selinuntinorum ſeruandis malè audita. 299
Legatio Benedicti Pontificis ad Petrum Regem de pace cum Roberto ineunda. 527
Legatio Siculorum ad Pont. max. de cæde Gallica. 491
Leo nonus Pont. a Gotfredo captus. 422
Leo Imperator Siciliæ Rex. 413
Leo Armenius Siciliæ Rex. 406
Leo Iſaurius Imperator Siciliæ Rex. 406
Leonidas Spartanus. 307
Leontinum a Naxijs conditum. 54
Leontinum Siciliæ vrbium antiquiſſima. 72
Leontinum quæ gentes coluerint. 72
Leontinæ mulieris arreptæ hiſtoria. 221
Leontinum belli Athenienſis tempore ſolo æquatum. 73
Leontinorum nundinæ. 73
Leontini ſemper ad poculà, adagium. 73
Leontinum Siculorum manibus ereptum. 254
Leontinum a Timoleonte expugnatum. 332
Leontinum a M. Marcello captum. 381
Leontinum a Ludouico Rege fruſtra oppugnatum. 548
Leontinum fruſtra ab Artali Alagona obſeſſum. 564
Lepas mons Syracuſis imminens. 92
Lepores in Siciliam primus inuexit Anaxilas. 20
Lepidus Siciliam occupat. 397
Leptines Engij Tyrannus. 328
Leptines Cephaledim oppugnans moritur. 352
Leptinis filia Hieronis vxor. 360
Leſtrigonum etymologia. 239
Leuanſus ſiue Probantia inſula. 9
Leucaſpis, Pedicrates, Bufonus, Glicata, Buthes Siculi Duces ab Hercule ſuperantur. 247
Leucoſia inſula a Syrenum promontorio diuulſa. 16
Leucotheæ, & Apollinis menſas Dionyſius aufert. 307
Leuinus Coſ. Siciliæ Propretor. 392
Libycus nomen, Hercules verò cognomen. 246
Ligdamus Syracuſanus. 105
Lilybæum promontorium. 151
Lilybæia ſaxa quare cæca dicantur a Virgilio. 151
Lilybæum vrbs a quibus condita. 152
Lilybæum a Romanis obſeſſum. 369
Lilybitanus portus a Romanis obſtructus. 151
Lilybitanus puteus. 152
Lilymas ob fœdus violatum ab Agathocle occiſus. 347
Linguaroſſa oppidum. 208
Lipara inſula. 4
Liparæi ignes. 4
Liparæus tumulus. 4
Liparam inſulam quæ gentes, quinæ Reges tenuerint. 4
Lipara ab Ariadeno Barbaruſſa incenſa. 615
Lipara a Romanis obſeſſa. 266
Liſtablanca inſula. 5
Literæ Syracuſanorum ab Hippocrate confictæ. 382
Locrenſes mulieres in templo Veneris a Dionyſio ſpoliantur. 310
Locri vrbs Phœbea appellata. 310
Locuſtarum multitudo Siciliam depaſta, peſtiſq; ex ea conſecuta. 554
Lognina, vel Ognina ſtatio. 55
Longitudo Siciliæ, latitudoq;. 3

Digitized by Google

Longus ſpecus Hyccarenſis vbi gigantum cadauera. 173
Longum promontorium. 107
Lotophagites inſula. 9
Lucanis a Dionyſio iuniore pax conceſſa. 309
Lucia virgo & martyr Syracuſana. 106
Lucius Pinarius Emæ vrbis Præfectus. 106
Ludouicus Imperator Michaeli auxilia contra Sarracenos negat. 410
Ludouicus Francorum Rex a Sarracenis captus a Rogerio liberatur. 443
Ludouicus Francorum Rex in Tunetenſi obſidione moritur. 487
Ludouici Francorum Regis inteſtina in templo Montis regalis condita. 487
Ludouicus Bauariæ et Friderieus Auſtriæ Duces Imperatores electi. 521
Ludouicus Siciliæ Rex Catanæ naſcitur. 526
Ludouicus Siciliæ Regno coronatur. 530
Ludouicus Rex Matthæo Palicio tutori ſubditur. 533
Ludouicus Rex moritur. 555
Ludouicus Andegauenſis Dux Ioannam Reginã bello premit. 584
Ludouicus Sforcias Neapoli cum Alfonſo bellũ gerit. 585
Lupus poeta Meſſanenſis. 49
Lunæ motus freti æſtuarium facit. 42
Lunæ eclypſis Niciæ diſceſſum tardat. 289
Luſcinia ex ore Steſichori cecinit. 197
Lycaſta ob pulchritudinem Veneris nomen adepta. 245
Lyci flu. oſtium. 141
Lycodia oppidum. 227
Lyciſcus ebrius, & cõtumelioſus ab Arebagato confoditur. 348
Lycus fons pernicioſus. 73
Lymbetra arx a Dionyſio extructa. 76
Lyodorus, ſeu Diodorus magus Catanenſis. 66
Lyſias orator Syracuſanus. 103
Lyſimelia palus. 194

M. Agrippa aduerſus Pompeium proficiſcitur. 396
M. Attilius Regulus, & L. Manlius Coſ. in Africam nauigant. 366
Mactorium vrbs. 123
Macria inſula Bithyniæ antè coniuncta. 16
Magellinum oppidum. 226
Magiſtratus Agrigentinus. 135
Magonis commentum aduerſus Corinthios. 227
Mago ſibimet vim infert, atq; a ſuis cruci affigitur. 328
Maio Barẽſis Siciliæ Admiratus vir iniquus. 445
Maionis perfidia deditionis Aphricanæ cauſa.
Maio Regis Admiratus a Matthæo Bonello interficitur. 453
Maluicinum arx Tauromenitana. 52
Malpertuſi flu. oſtium. 299
Malpurtiti amnis oſtium. 206
Mamertini Meſſanam occupant. 357
Mamertini a Pyrrho ſuperati. 358
Mamertinum vinum. 18
Mamercus Catanæ Tyrannus ſocietatẽ cum Timoleonte init. 325
Mamercus & Icetes a Timoleonte deficiunt. 331
Mamercus a Timoleonte debellatus proditiõis pœnas luit. 332
Manfredus mentita Corradini morte Rex Siciliæ factus. 484
Manfredonia a Manfredo condita. 485
Manfredi fraus. 483
Manfredi Regis obitus. 485
Manfredus Malecta proditor. 510
Manfredus Claromõtanus Matthæo Sclafano Panormi cauſa bellum infert. 538
Manfredus Claromontanus Syracuſas obſidens a Catanenſibus fugatur. 557
Maniacium oppidum. 208
Maniacium a Rogerio receptum. 427
Maniaccs carcere liberatus. Normannos Italia pellit. 421
Maniaces iterum ab imperio deficit. 421
Maniacis vxor a Romano Sclero violata. 421
Maniacis arx Ludouico Regi deditur. 552
Maniacis victoria de Sarracenis apud Troynam. 420
Maniaces corpora D. Luciæ, Agathæ, & aliorum Sanctorum Conſtantinopolim defert. 420
Maniaces perduellionis reus Siciliæ Præfectura deijcitur. 420
Maniacis mors. 421
Manucarum vigintimilia Carthaginenſibus ab Agathocle ablata. 345
Mantea, & Tropea vrbes a Nicephoro Sarracenis ereptæ. 412
Maomethus Sarracenis ex Arabia egrediendi autor. 401
Maomethus apud Meccam vrbem moritur. 402
Marcelli in Engiates clementia. 391

Digitized by Google

Marcellus Catanæ gymnasium constituit. 391
Marcellus de syracusis triumphat. 392
Marcellinus flu. 76
Mare Dionysio decedente in portu syracusano edulcuit. 326
Mare dulce fons. 181
Margaritæ Ennēburgensis partus inauditus. 138
Maria profundissima sardoum, Tyrrhenum, & mediterraneum. 42
Maria Regina Galeatio Virtutum Comiti nubit. 573
Maria Regina a Guilelmo Raymundo Montecatino rapta. 573
Maria Martino Montisalbi Ducis filio nubit. 573
Marineus oppidum. 230
Marmorea via Panormitana. 181
Marsalæ flu. ostium. 152
Marsala vrbs a quo condita. 152
Marsala a Thoma Marchiano obsessa. 519
Marsala à Carolo Cæsare munita. 183
Marsala gallos & gallinas incredibili magnitudine fert. 152
Marsalense stagnum. 153
Marsias ob somnium a Dionysio iugulatus. 304
Martianus Antiochenus syracusanus Archiepiscopus. 106
Martinus filius cum patre in siciliam venit. 573
Martinus filius & pater decedunt. 576
Martinus Ballonus Messanensis seditionis autor. 478
Marzamenus portus. 112
Mascalis ager, olim Aetna vrbs. 55
Mascalis oppidum. 209
Mascalis oppidum a Rogerio Lauria depopulatum. 505
Mascala a Tauromenitanis incensa. 535
Matthæi sclafani ædes. 174
Matthæus Bonellus Maionis vindictam subterfugit. 453
Matthæus Bonellus in gratiam cum Guilelmo redit. 459
Matthæus Notarius Maionis imitator. 463
Matthæus Notarius, & Gaytus Riccardi è carcere erumpunt. 467
Matthæus, & Damianus Palicij Ludouici Regis tutores. 527
Matthæus Palicius cum vxore a Messanensibus fœminis interficitur. 543
Mazara vrbs describitur. 150
Mazaræ flu. ostium. 180
Mazaræ regio. 209. 429
Mazara vrbs Rogerij siciliæ Comitis regia. 150
Mazara a sarracenis capta. 435
Mazara a Georgio Graphæo occupata a Francisco Claromontano expugnatur. 556
Mazarenum oppidum. 228
Maybarruca Agrigentinus ager terram cinerulentam ex aqua euomens. 22
Maymonis fons pannos nigro colore inficiens. 22
Megaricus portus. 75
Megara vrbs. 76
Megaræ vrbis conditores. 77
Megara Hybla antè vocata. 77
Megara a Gelone restaurata. 78
Megara a M. Marcello deleta. 78
Megacles Dionis frater. 315
Melchior Cerueras hæreticorum Quæstor sicilia ejicitur. 599
Melillis oppidum terræmotu euersum. 79
Melinguis insula. 4
Melissi historia 10
Melitæ insulæ descriptio. 10
Melitæi canes. 10
Melitensium sermo Punico veteri quàm simillimus. 10
Melita insula Paulo Apostolo sacra. 10
Melita Paulo sacram non esse in Epiro. 11
Melita insula ab Annibale Gisconis filio sempronio tradita. 476
Melita insula a Petro sicilia Rege capta. 496
Melitum vrbs cum Rogerio a Roberto obsessa. 429
Mellis in sicilia prouentus. 18
Meltine vrbs Agathoclis inuicta. 352
Menecrates philosophus syracusanus. 102
Mene seu Menænon vrbs. 226
Menænon vrbs conditur. 269
Mercurij statua Athenis capitibus truncatæ. 276
Mergorum naturæ ratio. 50
Mericus Hispanus Acradinam, & Insulam Marcello prodit. 389
Messanæ situs. 248
Messana in deditionem Athenienſium venit. 272
Messana ad syracusanos deficit. 272
Messana rursus a Leontinis obsessa. 275
Messana bis ab Agathocle frustrà oppugnata. 339
Messanensis arx ab Agathocle capitur. 338

Digitized by Google

Messana a Sex. Pompeio vastata. 396
Messana à Georgio Maniace in deditionem recepta. 418
Messana a Rogerio expugnata. 426
Messana a Rogerio mœnibus & propugnaculis munita. 436
Messanensis arx in curuo littore a Rogerio excitata. 436
Messanenses a Guilelmo Bono deficiunt. 466
Messanenses Romanis perpetuò confœderati. 45
Messana a Riccardo Angliæ Rege expugnata. 471
Messana Alexandro Pontifici deditur. 484
Messanenses primi Caroli Regis insigne erigunt. 485
Messanenses noctu Francos obsidentes in excubijs cædunt. 493
Messana a classe Genuensi populata. 541
Messana ab Henrico Rubeo oppugnata. 571
Messana Friderici Regis nomine recipitur. 572
Messana nobilis quare dicta. 45
Messana sola bellum seruile coercuit. 46
Messanensium contra Carolum Regem fortis propugnatio. 491
Messana ab Anaxila & Messenijs condita. 44
Metellus Prætor in siciliam venit. 395
Methon Astrologus Atheniensis. 276
Mezentius Imperator siciliæ Rex. 405
Michael Curopalatus siculiæ Rex. 406
Michael Balbus siciliæ Rex. 406
Michaelis Imperatoris incæstus. 408
Michaelottus siciliæ Rex. 410
Mycythus seruus ab Anaxila Messanæ & filiorũ administrator relinquitur. 260
Mycythus Anaxilæ filiorum tutelam cum regno resignat. 265
Milites Romanorum occupati a suis Rhegij pœnas pendunt. 357
Milites Ioannitæ Rhodo pulsi Melitam commigrant. 11
Milia fluuius. 76
Minix vrbs Gerborum. 9
Minoa, seu Heraclea a quibus condita. 139
Minoa vnde dicta. 139
Minois ossa in Cretam remissa. 252
Minos Cretensium Rex Dedalum persequitur. 250
Minos Cocalum obsidet. 250
Mirmix insula. 9
Misilindinis oppidum. 234
Misistratum oppidum a Romanis expugnatum. 365
Mollium insula. 9
Monalis flu. ostium. 200
Monasterium Diui Mærtini prope Panormum. 188
Moneta sicula Messanæ cuditur. 48
Mons clarus arx. 124
Mons. D. Calogeri. 144
Mons Iouis apud Tyndaridem. 205
Mons apud Puteolos paulo antè exortus. 16
Mons rosarum Biuonæ. 231
Mons Drepani oppidum. 150
Mons regalis vrbs. 188
Montis Regalis templum a Guilelmo Bono edificatum. 470
Mons Albanus oppidum. 470
Montes amœnißimi Phitaliæ flu. imminentes. 202
Monomachia a Petro Gayto Panormi instituitur. 461
Morgentia, Hybla, Manella a Romanis deficiunt. 392
Moriella salina. 112
Moschus grammaticus syracusanus. 102
Motta Fermi oppidum. 200
Motta. S. Anastasiæ oppidum. 208
Motta Camastri oppidum. 55
Motya vrbs. 173
Motyæ tres in sicilia. 173
Motium oppidum capitur. 269
Motyani ab Hermocrate superantur. 201
Motyca oppidum. 228
Motycensis ager. 228
Mucella vrbs a Romanis expugnata. 365
Mulei Assen Tuneti Rex ab Ameth filio oculis orbatur. 613
Mulieres quæ suo malo Panormum venerunt adagium. 480
Mulieris syracusanæ votũ de Dionysio. 306
Mulli pisces in mari Tauromenitano insignes. 21
Mundi forma per Diluuium immutata. 16
Murenæ pisces infreto Messanensi nobiles. 21
Musumelis oppidum. 230
Mutines Afer Hippocrati mortuo succedit. 390
Mutines Agrigti Præfectura ab Hannone priuatur. 392
Mylæ a Zancleis conditæ. 44
Mylarum promontorium. 205
Mylæ vnde dicta. 205
Mylæ flu. ostium. 205

Digitized by Google

Mylensium fontium natura. 205
Mylæ oppidum ab Athenienſibus captum. 272
Mylæ ab Agathocle captæ. 339
Mylæ a Francis captæ. 527
Mylæ oppidum ad Fridericum Regem redit. 548
Mylenſis arx a Ludouico Rege deficit. 544
Mylenſis arx a Nicolao Cæſario venditur. 547
Mylis flu. oſtium. 206

Narus oppidum. 231
Naſi flu. oſtium. 203
Naufragium Romanorum in Cathalanis perſecutione. 371
Naufragium Caroli Cæſ. in Cyrthæ vrbis obſidione. 611
Naues & natatum introduxit audacia. 140
Nauis Athenienſibus ſtipendia conuehens capitur. 286
Nauſtathmus ſiciliæ portus. 111
Naxus vrbs. 54
Naxus prima Græcorum vrbs conditur. 254
Naxus a Meſſanenſibus oppugnata. 273
Neapolis ab Henrico ſueuo obſeſſa. 472
Neapolis syracuſarum pars. 94
Neapolis in Libya ab Agathocle capta. 345
Neapolis Panormi pars a Romanis capta. 368
Neapolis a Belliſario victa. 399
Neas vrbs, ſiue Neetum. 108
Nebrodides mons. 211
Neetum a Ioanne Landolina captum. 536
Nectum ſeu Neas a vertice montis in planitiem traducta. 269
Neon Corinthiacæ claſſis præfectus. 327
Nicephorus ſiciliæ Rex. 406
Nicias belli contra syracuſanos Athenienſibus dehortator. 275
Nicias, Alcibiades, Lamachus Athenienſis belli contra syracuſanos Duces. 276
Nicias lignorum incendio syracuſanorum impetus cohibet. 282
Niciæ modeſtia. 276
Niciæ conſilium de profectione. 288
Niciæ, & Demoſthenis necantur, ſiue ſibi mortem inferunt. 295
Niciæ clypeus. 295
Nicolaus Cæſarius Meſſanam Regi Aloyſio tradit. 559
Nicolaus Cæſarius trucidatur. 569
Nicolaus Cannarella & Ioannes Thomas Paternio Iudices Panormi trucidantur. 607
Nicotrum a sarracenis captum. 437

Ninias Rex Aſſyriorum. 243
Ninias Bactrianis victor potitur. 243
Niſa oppidum Athenienſibus inuictum. 272
Nixus fons Panormitanus. 188
Noctuæ Græcis victoriæ præſagium. 345
Noe aureæ ætatis monarcha. 241
Noe nomina, eorumq; interpretatio. 241
Nomades libyæ populi. 349
Noti ſine Neeti regio. 207
Notus vrbs Roberto Duci proditur. 511
Notus Rogerio deditur. 435
Normannorum origo. 416
Normannorum Laus. 418
Normanni militis cuiuſdam inſignis audacia. 433
Nouem turres locus prope syracuſas. 263
Numidæ fallaces. 390
Numidæ ad Laceſſendum idonei. 363
Numiſmata Meſſanenſia. 119
Numiſmata Terranouenſia. 119
Numiſmata Geloia. 123
Numiſmata Melitenſia. 10
Numiſmata Tauromenitana. 53
Numiſmata syracuſana. 100
Numiſmata ſelinuntina. 149
Numiſmata ſegeſtana. 169
Numiſmata Emenſia. 229
Numiſmata Centoripina. 216
Numiſmata Menenina. 227
Numiſmata Panormitana. 190
Numius ſiciliæ pro Romanis præfectus. 395
Nundinæ Panormitanæ quando primum celebratæ. 606
Nympha virgo & martyr Panormitana. 190
Nypſius Neapolitanus a Dionyſio syracuſas mittitur. 318
Nypſij naues a syracuſanis perditæ. 318

Oanis flu. oſtium. 116
Oceanus bis per ſingulos dies alternum curſum, ac reuerſum facit. 41
Ochula oppidum. 226
Occaſio inuadendæ Tyrannidis Dionyſio ſeniori. 203
Octauianus Vbaldinus Alex. Pont. contra Manfredum Legatus. 483
Oculus Cilicis syracuſani portus. 89
Oddonis Querelli conſpiratio. 465
Oddonis Querelli crudele ſupplicium. 466
Olearum rami ſupplicum inſignia. 381
Oliueti flu. oſtium. 206
Oliua virgo & martyr Panormitana. 190

Digitized by Google

Olulis oppidum. 192
Olympicum oppidulum. 107
Onabala fluuius. 55
Ophellas Cyrenaicæ prouinciæ Rex. 350
Ophellas cum Agathocle fœdus & societatem init. 350
Ophellas proditionis accusatus in prælio superatur. 350
Ophellæ mortui exercitus Agathocli sese adiungit. 350
Opinionis quorundam de arreptis confutatio in atram bilem causam transferentium. 219
Orbis terræ pars altera ante incognita à Christophoro Columbo inuenta. 595
Orchus Epiri Rex proserpinæ raptor. 244
Oretbi flu. ostium. 191
Orion pelorum mœnibus, & vallo muniuit. 43
Ortho Syracusanus Agathoclis ad Ophellam Legatus. 350
Ortygia vnde dicta. 80
Ostrodes insula. 6
Ostreæ pantagiæ fluuij. 75
Ostracismus lex quid sit. 96. 268
Osyridis epitaphium. 242
Ouidij locus in. 3. Fastorum explanatur. 11

P. Aemilius & M. Seruius Coss. in Africam missi. 367
Pachynus promontorium. 113
Pachyni portus. 113
Pacis conditiones inter Romanos, & pœnos. 374
Pacis cum Carthaginensibus conditiones a Timoleonte oblatæ. 332
Pacis inter Ioannam Reginam, & Fridericum conditiones. 572
Pactæ vrbs. 203
Pactæ a Sancio Aragonio vastata. 563
Pæan hymnus in bello decantatus. 288
Palatium Panormitanum, eiusq; partes. 171
Paliciorum seditio Messanensis. 530
Paliciorum insidiæ aduersus Ioannem Ducem. 528
Palicij Sicilia exulant. 529
Palicij Catanam obsident. 534
Palica vrbs. 70
Paliconia fluuius. 69
Paliciorum lacus, & templum. 69
Paliciorum ara. 70
Palmarola insula. 8
Palmarum radices ad esum in Sicilia frequentes. 19
Panaria insula. 8
Pandana insula. 8
Pandataria insula. 8
Panormus quid significet. 174
Panormus a quibus condita. 174
Panormitani agri laus. 174
Panormium, & Panormienses antiqui dixerunt. 179
Panormus a Gothis occupata. 179
Panormus Carthaginensium regia. 180. 367
Panormus Christianorum Regum sedes. 150
Panormi vrbs vetus. 180
Panormi portæ veteres. 181
Panormi domus prætoria. 181
Panormitanus portus. 181
Panormus Emporium celebre. 186
Panormum quomodo antiqui & Neoterici pinxerint. 190
Panormitani ab Hermocrate superati. 301
Panormus a Romanis obsessa. 368
Panormus sola contra Belisarium obsidionem tolerauit. 399
Panormus ab vtroq; Martino & Maria Regibus oppugnatur. 574
Panormitæna in Hugonem Montecatinum seditio. 597
Pantalica vrbs diruta. 229
Pantagiæ flu. caput. 75
Pantheon Romanum templum Syracusanis columnis ornatur. 391
Papauer fertilitatis symbolum. 244
Papyritus flu. 181
Papyrus herba. 185
Paralus Minoæ præfectus. 314
Parthenicus ager. 169
Parthenicum nemus. 170
Pasiphilus Agathoclis contra Messanenses Dux. 340
Pasiphilus Syracusanam monarchiã captat. 355
Paternio oppidum. 208
Paulus pullastra seditiosus Panormi capite damnatur. 597
Pax inter Ioannam Neapolitanam Reginam, & Ludouicum Siciliæ Regem inita. 531
Pax inter palicios, & Blasium Alagonam inita. 536
Pax inter Blasium Alagonam, & Matthæum palicium inita Artalis causa dissoluitur. 537
Pax iter palicios et Claromõtãos rurs" inita. 542
Pedemontanæ in Aetna regionis oppida. 56
Pelopomesus vnde dicta. 11
Peloponnensi regiones. 11
Pelorus vnde dictus. 39

Digitized by Google

Pentesur apud Sauocam arx. 51
Pentargia a Rogerio deleta. 428
Pentaphyllum horologium. 92
Pentalismus lex. 56
Pentalismi occasio. 268
Perillus, siue perillaus ærei bouis inuentor. 132
Perguſa lacus. 225
Pergamenos Archipyratæ Siciliam vexat. 395
Perpenna pro Mario Siciliam occupat. 395
Perribayda arx. 150
Peſtis caſtra Romanorum in Sicilia inuadit. 363
Peſtis Marcelli caſtra inuadit. 387
Petralia oppidum. 211
Petralia Rogerio deditur. 211
Petrus Ranſanus hiſtoricus Panormitanus. 191
Petrus Aragonum Rex bellum contra Carolum parat. 488
Petrus Aragonum Rex Panormi regno Siciliæ coronatur. 493
Petrus Rex è vulnere occumbit. 498
Petrus ſecundus Rex Siciliæ moritur. 529
Petrus Lancea in Leõtina obſidione occidit. 527
Petrus Saluacoxa Iſclæ Præfectus. 504
Petrus Saluacoxa a Giletto proditionis nomine occiditur. 513
Petrus Nauarrus re ad Gerbos male geſta à Ferdinando deficit. 596
Petrus pirolus Antonium Lunam Comitem inter ſacra vulnerat. 591
Petrus Corballes Dominicanus Iacobi Regis Aragonum ad Fridericum Legatus. 503
Pharax Spartanus Dionyſiani exercit' Dux. 320
Phæax Dux Athenienſium ad Siciliam captandam miſſus. 244
Phæticini flu.oſtium. 48
Phalaris Agrigentinus Tyrannus, 130. 258
Phalaridis Agrigentini crudelitas. 131
Phalaridis Agrigentini ſtratagema. 132
Phalaris literatorum ſtudioſus. 131
Phalarium propugnaculum. 123
Philemon Syracuſanus, 101
Philemon alter Syracuſanus. 101
Philippus Liladamus militiæ Ioannitarum magiſter migrationis è Rhodo Dux. 11
Philippi Buttacidis Crotoniatæ tumulus. 157
Philippus Montisfortis, & copiarum Caroli Andegauenſis Dux, 484
Philippus Aragonũ Rex ſine liberis moritur. 501
Philippus Tarenti princeps a Friderico Rege captus. 519
Philippus Raia Iuriſconſultus Meſſanenſis ſeditionis autor. 547
Philiſtion, polycletus & ſydon a ſuis cæſi. 388
Philiſtus æmulus, & accuſator Dionis. 312
Philiſtus hiſtoricus Syracuſanus. 102
Philiſtus Dionyſij ſenioris defenſor. 303
Philiſtus nauale contra Syracuſanos prælium ex peritur. 317
Philiſti mors opinionibus variata. 317
Philiſto mortuo illata probra. 317
Philodemus arcem Syracuſanam Marcello tradit. 387
Philolaus philoſophus Syracuſanus. 101
Phocylides philoſophus Mylenſis. 205
Phœnicodes, ſiue phœnicuſa inſula. 6
Phormus poeta Syracuſanus. 102
Pictura quædam Leonis & Mentoris Syracuſana. 97
Pilainus oppidulum. 203
Pinarij facinus inſigne. 385
Piſani Panormum deprædati domũ redeunt. 432
Piſani Sultano Aegypti bellum inferunt. 431
Piſani Hieroſolymam, ac Syriam occupant. 431
Piſarchus, ac Deleus coniurationis pro Agathocle authores. 337
Piſces Arethuſij lacus Dianæ ſacri. 89
Piſcina Gelonis apud Agrigentum. 129
Pittia oppidum. 212
Planaſia inſula. 8
Platani in Siciliam quando delatæ. 19
Platia vrbs. 226
Platia a ſuis exulibus capta. 536
Platia a Guilelmo malo euerſa. 460
Platia noua conditur. ibidem
Plato Syracuſas venit. 305
Plato a Dionyſio iuniore regio in Sicilia honore exceptus. 312
Plato e Sicilia Athenas abit. 313
Plemmyrium promontorium capitur a Nicia. 283
Plinij authoritas de Gaulo inſula. 11
Pleiæ piſces, 21
Poetarum error de Himeræ diſpari alueo. 197
Policaſtrum a Friderico Rege euerſum. 500
Polichna & Olympicum ab Athenienſibus capta. 280
Politium oppidum. 211
Polium vinum Syracuſanum. 18
Pollina oppidum. 199
Polydorus Vergilius abuſus Athenæi authoritate de vitis inuento. 17
Pompa ſui funeris a Gelone vetita. 365
Pompeianum vinum, & græcum, & Murgentinum eadem. 18
Pompeius bello Mariano in Siciliam venit. 395

Digitized by Google

Pompeia vina Messanæ. 46
Pontia Romanorum colonia. 8
Pontia insula illustrium quondam virorum, ac Sanctorum carcer. 8
Porphyretes lapis in Sicilia prouenit. 20
Porta Victoriæ panormi. 433
Portæ panormi veteres. 181
Portenta Athenienſium in expeditione Siciliæ. 276
Portentum quoddam Adrumitanæ victoriæ. 325
Portentum apum ad os Agathoclis conuolantium. 335
Portentum Imperij Hieroni oblatum. 360
Portus Euri Melitenſis. 10
Portus Meſſanenſis forma. 48
Portus Galli. 173
Poſthumius pyrata a Timoleonte necatur. 331
Prælium nauale apud Meſſanam inter palicios, & Catalanos commiſſum. 535
Primum bellum punicum Meſſanæ cauſa exortum. 45
Proardiorum magiſtratus. 65
Proceres Siculi cum oppidis permultis a Martino Rege deficiunt. 574
Proceres Martino rebelles, & oppida omnia ad eundem redeunt. 575
Prochyta inſula a Miſeno promontorio diuulſa. 7
Procopius Belliſarij Ducis adiutor. 398
Proditores Siciliæ ab Hectore pignatello necantur. 608
Proſagogidarum contumeliæ. 315
Proſerpinæ templum Locris a Dionyſio ſpoliatum. 306
Protilium oppidum conditur. 245
Protobeſtiarius, et leo Apoſtypa Baſilij Duces cõtra Sarracenos. 411
Pſaumis victor Olympicus Camerinæus. 118
Ptolemæi error de Egythurſo promontorio. 133
Punica fraus, adagium. 346
Puteus Saccenſis. 143
Puteus alter prope Saccam. 144
Pyrenos inſula Myleto olim contineus. 16
Pyrrhus Epirotarũ Rex a Romanis victus. 357
Pyrrhus a Samnitibus vocatus Siciliam deſeruit. 359
Pyrrhi ſeptiremis. 375
Pyrrhus canis Gelonis. 263
Pyrrhucius Iuenius Catanenſis liberatur. 609
Pythecuſa inſula. 8
Pytho meretrix vxor Hieronymi Syracuſani Regis. 377
Pythodorus Iſolochi filius. 272
Qu. Valerius philoſophus Meſſanæ a pompeio damnatus. 395
Qua ratione Archimedes argentum pro auro ſuppoſitum deprehenderit. 504
Quibus rationibus gigantes fuiſſe palam fiat. 23
Quibus argumentis oſtenditur continentem aliquando fuiſſe Siciliam. 16
Quinquaginta triremes Annibalis a Romanis capta. 365
Quinqueremes in Italia quando primum fabricatæ. 364
Quintius Criſpinus Appio in præfectura claſſis a Romanis ſuffectus. 385
Quorundam error Coſyram Gozum eſſe interpretantium. 11

Raguſa oppidum. 228
Rameon Dux Appuliæ ab Innocentio inſtituitur. 442
Rametta Rogerio dedtur. 427
Rauenna a Friderico Ceſ. capta. 480
Rayhalmutum oppidum. 230
Rayhalbutum oppidum igni incenſum. 216
Raymundus Balſus Dux Francorum cæſus. 494
Raynaldus Villanoua Montalbani obiit. 212
Raynaldus Siciliæ Appuliæ Calabriæq; præfectus. 477
Raynerius Forzian⁹ Friderici Regis tutor. 474
Regulus a Carthaginenſibus in crucem adigitur. 370
Reioannis oppidum. 211
Renatus arcẽ Neapolitanã Alfonſo tradit. 590
Rhea fratri nubit. 242
Rhegium oppidum a quo conditum. 16
Rhegium vnde appellatum. 15
Rhegium a Dionyſio deletum. 308
Rhegium a Roberto Guiſcardo, & Rogerio captum. 423
Riccardus Mandra, & Theatinus Epiſcopus a Friderico ſupplicio affecti. 450
Ricardus de Riſo claſſis Herberti contra panormitanos præfectus. 491
Rigitanus oppidum. 200
Rimarum in mœnibus origo. 383
Robertus primus Epiſcopus Troynenſis. 428
Robertus Guiſcardus quare dictus. 417
Robertus Guiſcardus Appuliæ, & Calabriæ Comes. 422
Robertus Guiſcardus a Leone nono Dux Appuliæ confirmatur. 423
Robertus Guiſcardus in Siciliam venit. 427
Robertus Guiſcardus per frandem ruſticum ha-

Digitized by Google

bitu mentiens Giracium Calabriæ ingreditur & capitur. 429
Robertus Guiscardus Panormi Dominus. 434
Robertus primus Messanensis Episcopus. 438
Robertus Lauricelli Comes Appuliam inuadit. 447
Robertus Surrentinus Capuæ principatum occupat. 447
Robertus Caltaboianensis Sarracenus arcis maritimæ Panormitanæ præfectus in Christianos sæuissimus. 453
Robertus Caltaboianensis loris cæsus in carcere obit. 465
Robertus Rex Neapolitanus ab Henrico Imperatore proscribitur. 517
Robertus Rex Dæmone consulto de Sicilia inuadenda deluditur. 517
Rogerius Comes, Bossus quare appellatus. 417
Rogerius Guiscardi frater Comes Meliti. 423
Rogerij primũ certamen contra Sarracenos. 425
Rogerij secundũ cõtra Sarracenos certamẽ. 426
Rogerij in Robertum fratrem pietas. 429
Rogerij fortitudo in Troynensi seditione. 430
Rogerius Siciliæ Comes. 434
Rogerius Comes Meliti sepelitur. 439
Rogerius Bossi filius Rex Siciliæ primus. 441
Rogerius cum Veneta classe prælиatur. 443
Rogerius ab Innocentio deficit, Calabriamq; & Appuliam amittit. 442
Rogerius Rex Panormi moritur. 444
Rogerius Guilelmi mali filius Rex a Coniuratis creatus. 457
Rogerius Guilelmi filius sagitta ictus obit. 458
Rogerius sclauus Buteram, platiamq; capit. 459
Rogerius Giracij Comes a Rege deficit. 466
Rogerius Lauria classis Petri Regis præfectus. 443
Rogerij Lauriæ cum Gotfredo Iamuilla dimicatio. 504
Rogerij Lauriæ victoria contra Carolum Principem. 497
Rogerij sanguineti pro Francis fides. 500
Rogerius Lauria in prælio a Petro satallata seruatus. 506
Rogerij Lauriæ in Regem offensio. 403
Roma a Bellisario capta. 400
Romani Agrigentum obsident. 362
Roma a Constantino Imperatore spoliata. 405
Romanus Lecapenus imperij cum Constantino puero consors. 413
Romani Lecapeni prudentia. 414
Romanus Argyropilus Imperator. 415
Romani milites Rhegium inuadunt. 357
Rubeorum gentiles omnes a Messanensibus trucidantur. 558
Rufini exercitus in ora Hyccarensi. 175
Rutilius, siue Attilius contra seruos in Siciliam missus. 394

S. Angeli flu. ostium. 203
S. Angelus oppidum. 212
S. Basilij flu. ostium. 205
S. Marcus oppidum. 110
S. Nicolai arx. 193
S. Philippus oppidum. 110
S. Philadelphus oppidum. 201
S. Philadelphi flu. ostium. 201
Sabba Dux Sarracenorum in expeditione Siciliæ quarta. 407
Sabillus Tyrannidis vindex. 358
Saccari conficiendi ratio. 18
Sacca pro Corradino capta. 485
Sacellũ Hierusalẽ in palatio Panormitano. 172
Sacra insula. 8
Sacra Cereris & proserpinæ. 244
Sacri lacus peloritani miraculum. 43
Sacerdotes Aegyptij. 218
Sacerdotium maximum Cephaleditanum. 198
Sagunti excidium origo secundi belli punici. 374
Sala oppidulum. 170
Sal gelous. 123
Sal palustris in Sicilia præstans. 19
Sal montanum in Sicilia. 19
Sal odoris violacei. 48. 23
Sal purpureus. 23
Salemis oppidum. 234
Salemis fluuius. 150
Salemis Friderici Regis nomine a Petro Motycano recipitur. 565
Salis apud Ennam lapicidina. 225
Saltatio, ac gesticulatio syracusis orte. 234
Sambuca oppidum. 234
Samij Zanclam occupant. 44
Sancius Aragonius pactas vrbem Aloysio Regi tradit. 560
Sanctus Fœlix oppidum a Romanis captum. 427
Sanctus Stephanus oppidum. 200
Sandunis insula. 223
Sanguinei latices efontibus Teriæ, & Chrysæ manarunt. 223
Sardinia insula serpentes venenatos non profert. 11
Sarraceni, Hismaelite, Agareni qui sint. 401
Sarracenorũ principes a Maometho vsq; ad sul-

Digitized by Google

tanum vltimum. 403
Sarracenorum regiones primæ. 407
Sarraceni in Hispaniam veniunt. 402
Sarraceni in Africam veniunt. 403
Sarraceni primum in siciliam veniunt. 403
Sarraceni iterum in siciliam veniunt. 406
Sarraceni iterum captis syracusis domum redeunt. 406
Sarraceni tertio in siciliam veniunt. 406
Sarraceni quarto in siciliam nauigant. 407
Sarraceni quinto siciliam aggrediuntur. 407
Sarracenorum Panormitanorum clades in loco Misilimir. 432
Sarracenis Panormo capta legum & iuris libertas permissa. 434
Sarraceni omnes in sicilia ad plana, & inferiora loca adacti. 476
Sarraceni a Friderico Imperatore dilecti. 479
Saturnus Ammonem Libya pellit. 242
Saturnus Bactranorũ Rex Zoroaster dictus. 243
Saturnus Italia pulsus siciliam inuadit. 242
Saturno humani corporibus Carthagine sacrificari solitum. 345
Saturnus moritur. 243
Saturni falx quare circa Messanam decidisse creditur. 43
Sauoca flu. & oppidum. 51
Sauocense vinum. 51
Scipio Ribiba Cardinalis Calatinus. 202
Scipionis & Annibalis simulacra Messanæ. 47
Schison arx, vbi Naxos olim. 53
Sclafanis oppidum. 230
Scola insula. 9
Scorpiones in Melita insula innoeui. 11
Scylla saxum. 40
Scyllum, vel scyllæum oppidum. 40
Scyllæum oppidum. 16
Scythes Zancleorum Rex æquissimus. 44
Seditio syracusana ob administrationis varietatem. 317
Seditio ab Agathocle excitata. 377
Seditio militum ob cæsum Lycisium ab Agathocle comprimitur. 349
Seditio Agrigentina. 603
Seditio Catanensis. 603
Seditio Drepanitana. 603
Seditio Thermitana. 603
Seditiones omnes in sicilia compressæ. 267
Seditiosorum Panormitanorũ interfectores. 605
Seditiosorum Panormitanorum reliquiæ ab Hectore Pignatello profligatæ. 606
Segesta vrbs. 156
Segestanum Emporium. 156
Segesta Aegesta primum appellata. 157
Segesta Dicæapolis ab Agathocle nominata. 157
Segestanarum aquarum natura. 169
Segestani & Lilybitani de agris contendunt. 267
Selinis flu. ostium. 149
Selinis vrbs vnde dicta. 147
Selinis palmosa quare appellata. 147
Selinis a Phœnicibus condita. 255
Selinis a Megarensibus condita. 147
Selinis a Carthaginensibus igni consumpta. 148
Selinis ab Hermocrate restaurata. 148
Selinis iure Italico donata. 148
Selinuntinorum reliquiæ tributo Pœnis soluto vrbi suæ agrisq; restituuntur. 299
Selinuntinæ aquæ. 147
Selinuntina ora. 146
Selinuntina arx. 147
Selinuntinam orã qui primi tenuerint. 147
Sempronius Cos. in siciliam mittitur. 375
Sepulchra insignia Regum in templo maximo Panormitano. 176
Sepulchra duo porphyretica Cephaleditana. 199
Seralcadis Panormi pars. 184
Sergius siciliæ Præfectus. 406
Serlo Dux militiæ Rogerij. 425
Serlonis virtus contra sarracenos. 430
Serlonis occubitus. 434
Serpens ingens ad Bragadam fluuium expugnatur. 367
Serraualis arx. 226
Serui, & ancillæ, & meretrices ad actiones a Gayto Martino admissi. 462
Serui libertati ob militiam ab Agathocle donati. 342
Seruili belli origo. 393
Seruilius et Lucullus prætores ĩ siciliã missi. 395
Sex. Pompeio sicilia obuenit. 396
Sexaginta triremes Athenienſium vno conflictu dissipantur. 291
Sibyllæ, Bacchides, & diuini homines quid sint. 220
Sibyllæ de Trinaco authoritas. 13
Sibyllæ Cumanæ sepulchrum apud Lilybæum. 152
Sibylliana turris. 151
Sicania vnde dicta. 13
Sicanus Corinthiacus Prætor. 289
Sicca oppidulum syracusanorum. 93
Siclis oppidum. 115
Siclis flu. ostium. 115
Siciliæ insulæ græographica descriptio. 3
Siciliæ ad cæli aspectum descriptio. 3

Digitized by Google

Siciliæ vrbium situs varij. 12
Sicilia vnde dicta. 13. 250
Sicilias duas malè dici. 14
Sicilia olim Italiæ continens. 15
Siciliam insulam continentem Romani Imperij Iureconsultus vocat. 16
Sicilia solis insula ab Homero appellata. 22
Sicilia tumuli Athenienſis nomen. 276
Siciliæ regiones tres. 207
Sicilia Romanis annonam præbet. 393
Sicilia prima Romanorum prouincia. 374
Sicilia Tyrannorum mater, & alumna. 257
Sicilia Corradino ſubijcitur, exceptis Meſſana, Panormo, & syracuſis. 486
Sicilia omnis in duas factiones diuiſa. 601
Siculi qui. 26
Siculi ſeditioſi, ſui commodi, quàm alieni ſtudioſiores. 276
Siculi acuto, ſubitoq; ingenio. 28
Siculi fide erga Reges incorrupti. 28
Siculi faceti. 28
Siculi multarum rerum inuentores. 28
Siculi inuidi, ſuſpicioſi. 28
Siculi contumelioſi & vltores. 28
Siculi aſſentatores, inertes. 28
Siculi frugales. 28
Siculi ius latij habuerunt. 28
Siculi a Pyrrho deficiunt. 359
Siculi & syracuſani Catanam repetunt. 267
Siculorum confœderati contra Athenienſes. 277
Siculi frumenti ortum ſibi vendicant. 244
Siculæ vrbes syracuſanis parent, excepta Trinacia. 270
Sicule vrbes apros, & ceruos paſcunt. 328
Siculus veſper adagium vnde ortum. 490
Siculiana frumenti Emporium. 139
Sigiſmundus Luna ſaccam occupat. 610
Signa in Meſſanenſi ærario quatuor. 46
Signa Canephoræ appellata. 46
Signum pueri claudicantis syracuſis. 98
Silentij lex syracuſis. 97
Simiæ Pytheeuſis adoratæ. 352
Simon Rogerij filius Siciliæ Comes. 440
Simon ſquillacenſis a Guilelmo malo ad pœnam accerſitur. 449
Simonides belli inter Hieronem, & Theronem diremptor. 264
Societas vrbium syracuſanis confœderatarum aduentu Gilippi renouatur. 282
Socrates belli contra syracuſanos Athenienſibus dehortator. 276
Solini error de aquis Himerenſibus. 198
Solentum vrbs. 192
Sopater, & Diomenes syracuſanorum Prætores. 377
Sophanes poeta syracuſanus. 101
Sophocles Agrigentinus. 136
Sophron poeta syracuſanus. 101
Sortes syracuſanæ literarum notis ductæ. 303
Sosij flu. oſtium. 142
Soſis & Dionyſius Leontinum Duces ad Marcellum miſſi. 381
Soſtis syracuſanus proditur panas luit. 317
Soſtratus phari Aegyptiæ conditor. 40
Specus gigantis in agro Erycino. 24
Specus tres Acradinæ. 91
Sperlinga arx. 210
Stagnum ſerpenti noxium, homini ſalutare. 23
Statua ænea in Appulia. 423
Stauratius ſiciliæ Rex. 406
Sthenij Thermitani magnitudo animi. 195
Stephanus. 3. Pont. max. syracuſanus. 106
Stephanus Archiepiſcopus Panormitanus, & Regni Cancellarius. 180
Stephanus Cancellarius moritur. 468
Stephanus ſebaſtophorus a Cõſtantino contra Maniacem miſſus. 421
Stephanus Rhotomagenſis primus Mazaræ Epiſcopus. 438
Stephanus primus syracuſanus Epiſcopus. 438
Steſichori poetæ Himeræi ſepulchrum. 65
Steſichori poetæ ſtatua. 193
Steſichori opera. 297
Steſichori apologus de ceruo & equo. 196
Strabi oculorum perſpicacitas. 152
Strongyle inſula. 6
Strongyles inſulæ crater. 6
Stylarion arx. 40
Sueuorum ſtirps in Corradino clauditur. 486
Summa regni siculi syracuſas reducitur. 274
Symethi flu. oſtium. 69
Symethi fontes quinq;. 69
Symethi flu. fabula. 69
Syracuſæ vrbs tetrapolis. 80
Syracuſæ vnde dictæ. 80
Syracuſæ ſiciliæ olim metropolis. 80
Syracuſanorum decima adagium. 81
Syracuſana menſa adagium. 97
Syracuſæ ſecunda Græcarum vrbium conditur. 254
Syracuſarum portus ab Athenienſibus occupatus. 279
Syracuſani de pace cum Athenienſibus ineunda cogitant. 282

Digitized by Google

Syracusani culpa Gilippi ab Athenienſibus ſuperantur. 283
Syracuſarum portus cathena lignea accluditur. 286
Syracuſanorum ſtratagema de opprimẽdis Athenienſibus. 287
Syracuſanorum conſilium de perdendis Athenienſibus. 290
Syracuſani bina de Athenienſibus trophæa erigunt. 291
Syracuſanorum extremi cum Athenienſibus belli apparatus. 291
Syracuſanorum dolus pro retardanda Athenienſium profectione. 292
Syracuſanorum triumphus de Athenienſibus. 294
Syracuſana democratia. 296
Syracuſanorum triremes Himeram appulſæ domum redeunt. 300
Syracuſanorum oſſa ab Hermocrate Syracuſas miſſa. 301
Syracuſas Dion obtinet. 315
Syracuſani ebrij a Dionyſianis opprimuntur. 318
Syracuſanorum plebeſcita a Dione reſciſſa. 320
Syracuſanorum ſtrages a Nypſio edita. 319
Syracuſana arx demolita. 327
Syracuſani pacem cum Romanis firmant. 381
Syracuſas Marcellus obſidet. 382
Syracuſæ Marcello in deditionem veniunt. 388
Syracuſæ vrbs a Sarracenis capta, & incenſa. 412
Syracuſarum capturæ a Dæmonibus præmunciata. 412
Syracuſæ a Rogerio captæ. 437
Syracuſæ & Nicoſia Friderico rebelles. 478

Taberna Calabriæ oppidum a Guilelmo malo euerſum. 460
Tabulæ cum nominibus Syracuſanorum militum ab Athenienſibus captæ. 278
Tamictus a Rogerio captus baptizatur. 438
Tancredus nothus Rogerij ſecundi filius Rex Siciliæ coronatur. 444
Tancredi ignauia. 471
Tancredus Rex Siciliæ moritur. 472
Tapſus vrbs conditur. 255
Tapſus oppidum. 79
Tapſus peninſula. 79
Targia ager. 79
Tarentum Guilelmo malo deditur. 461
Tauis mons, & arx. 223
Taui fontis hiſtoria. 64
Taurus mons. 52
Taurus promontorium. 71. 75
Tauromenium vnde dictum. 71
Tauromenium pro Naxo ædificatum. 54. 311
Tauromenitanum vinum. 18
Tauromenitanus ager quibus rebus abundet. 53
Telemachus Tyrannidis vindex. 258
Telepora Aeoli vxor. 248
Teleſini regnum. 404
Tempeſtas Syracuſanos a prælio auertit. 126
Templum Aeſculapij apud Agrigentum. 126
Templum Herculis apud Agrigentum. 127
Templum Concordiæ Agrigentinum. 128
Templum Iunonis Laciniæ Agrigentinum. 128
Templum Pudicitiæ Agrigentinum. 128
Templum Proſerpinæ Agrigentinum. 128
Templum Caſtoris & Pollucis Agrigenti. 128
Templum Vulcani apud Agrigentum. 128
Templum Apollinis Archegeti apud Naxum. 53
Templum Veneris apud Naxum. 54
Templum Cereris apud Catanam. 64
Templum D. Agathæ Virginis. 67
Templum Iouis Olympij. 90
Templum aliud Iouis Syracuſis. 90
Templum Aeſculapij Syracuſis. 91
Templum Bacchi Syracuſis. 91
Templum Cereris Syracuſis. 94
Templum Liberæ Syracuſis. 94
Templum antiquum Macharæ vrbis. 111
Templum D. Laurentij. 112
Templum Apollinis Libyſtini. 114
Templa Selinuntinæ vrbis vetuſtiſſima. 147
Templum D. Mariæ Annuntiatæ apud Erycem. 154
Templum Veneris Erycinæ. 154
Templa Veneris duo Romæ in memoriam Erycinæ ædificata. 155
Templum Veneris Erycinæ a Tiberio Cæſare reſtitutum. 155
Templum Anchiſæ in Erycæ. 156
Templum ſ. Viti celeberrimum. 156
Templum Petri Apoſtolorum Principis in Palatio Panormitano. 172
Templum maximum Panormitanum. 175
Templum D. Iacobi, antea Sarracenorum Panormi. 185
Templum ſ. Spiritus Panormi Gallorum cæde celebratum. 188
Templum Montis regalis Religioſiſſimum. 188
Templum D. Philippi Argyræ celeberrimum. 219

Digitized by Google

Templum Cereris Ennense. 224
Templa Herculis. 245
Templum Virtutis & Gloriæ Romæ a. M. Marcello dedicatum. 392
Templum maximum Pisanorum ex spolijs Panormitanis ædificatum. 432
Templa in Sicilia a Rogerio ædificata. 443
Templum maximum Messanense. 48
Terranoua frumenti Emporium. 119
Terranouam non esse Heracleam, vt falso quidã suspicati sunt. 119
Terranoua oppidũ Friderico Regi traditur. 569
Terræmotus in Sicilia ingens. 468
Terræmotus alter in Sicilia fit maximus. 478
Thalysia Cereris sacra. 144
Theatrum Syracusanum. 94
Theatrum lateritium Tauromenitanum. 53
Theatrum Aegestanum. 168
Theatrum Agrigentinum. 129
Thememytes fons. 94
Themytes, seu Thememytes Apollinis signũ. 94
Themistus, & Andronodorus coniurati cæsi. 281
Theobaldus Rex Nauarræ peste apud Drepanũ perijt. 487
Theocritus poeta Syracusanus. 101
Theodatus Siciliæ Rex a suis cæsus. 399
Theodorus philosophus Syracusanus. 103
Theodorus & Sosis coniurationis in Hieronymũ Principes. 378
Theodor⁹ Gothic⁹ Veronẽsis Siciliã occupat. 393
Theodosius classis Michaelis Balbi contra Sarracenos Præfectus. 407
Theogenes poeta Megarensis. 78
Theogenia Agathoclis coniux in Aegyptum cũ filijs redit. 356
Theon a Pyrrho per odium cæsus. 358
Theophilus Siciliæ Rex. 410
Therasia insula. 5
Thermæ Saccenses. 142
Thermæ vrbs vnde dicta. 142
Thermæ vnde appellatæ. 193
Theruæ oppidum a Carolo Arto captum. 527
Thermisia insula. 5
Thero Agrigentinorum Tyrannus. 133. 265
Theronis genus, & iustitia. 133
Thescæ Dionysij senioris filiæ in respondendo libertas. 304
Theseus primus Tyrannus. 131
Thessalonica vrbs a Guilelmo malo capta. 469
Thrasius Timoleontis miles seditiosus. 329
Thrasybulus Syracusanorum Tyrannus. 266
Thrasybulus desperatis rebus ad Locros profugit. 266
Thrasydeus Himeræ præfectus. 264
Thrasydeus Tyrannus Agrigentinus. 265
Thrasydeus sibi manus infert. 265
Thurij ætq; Messapij Atheniensium socij contra Syracusanos. 287
Thusa frumenti Emporium. 200
Thusæ flu. ostium. 200
Thynnorum captura in Sicilia frequens. 20
Thynnorum captura apud Erycem. 156
Thynnorum captura in mari Panormitano. 189
Timagoras philosophus Gelensis. 321
Timeus historicus Tauromenitanus. 54
Timæus & Iuuius super causa æstus freti Siculi arguuntur. 42
Timethi, seu Simethi flu. ostium. 204
Timocratis nuntio literæ ad Dionysium a lupo auferuntur. 315
Timoleon Corinthiorũ pro Syracusanis Dux. 323
Timoleon coloniam Gelam deducit. 122
Timoleon Adranitis auxilio proficiscitur. 315
Timoleon Messana vrbe potitur. 327
Timoleon Democratiam Syracusis instituit. 327
Timoleon senex agrestem vitam persequitur. 333
Timoleon Syracusis fæliciter decedit. 333
Timoleontis domus vbi steterit. 93
Timonides historiographus Syracusanus. 317
Timophanes Tyrannus a fratre Timoleonte occisus. 323
Tisandrus Naxius. 54
Tissam vrbem Tusam non esse. 200
Tophus lapis in radicibus Aetnæ. 56
Tocca vrbs ab Archagato expugnata. 352
Tortus fluuius. 195
Totilas Gothorum Rex. 400
Trabia arx. 193
Troynæ descriptio. 209
Troyna Rogerio deditur. 428
Tria Catanæ vrbis theatra. 99
Tria Iouis simulacra celeberrima. 90
Tribuna templi maximi Panormitani. 175
Trichiæ pisces. 53
Tridui mora Atheniensibus exitio fuit. 292
Trinacia vrbs. 227
Trinacia euersa. 271
Trinacinorũ fortitudo, senũq; inuicti animi. 271
Trinacina præda Delphos missa. 271
Trinacria vnde dicta. 13
Trinomij Dei simulacrum Catanæ effossum. 234
Triocala oppidum. 234
Tripis oppidum. 205
Tripis oppidum a Friderico Rege deficit. 563

Digitized by Google

Tripolis, Africa, Sfax, Capsia vrbes a Rogerio captæ. 442
Tripolis vrbs Solymanno Regi a Gaspare Iamboli Ioannita proditur. 442
Triquetra pro Trinacria dicta. 13
Triremis Centuripina. 215
Triumphus Metelli de Carthaginensibus. 369
Trogilorum portus. 79
Tuneti Regnum. 404
Tunetum ab Agathocle captum. 346
Tunetum a Romanis captum. 367
Tuneti Rex tributum annuum Rogerio pendit. 442
Turris philosophi in Aetna monte. 57
Turris Baych Panormi. 175
Turris Pharath Panormi. 176
Turris Pharea Liburni. 40
Turturicium oppidum. 212
Tusæ amnis ostium. 203
Tybris flu. Syracusanus. 94
Tyberis flu. antè Tybris, & Albula appellatus. 95
Tycha & Neapolis a Marcello captæ. 387
Tycha ab Athenienſibus muro præcluſa. 280
Tyndaris vrbs. 204
Tyndaritanæ nundinæ. 204
Tyndaritani Verris accuſatores. 204
Tyndario Syracuſanam Tyrannidem captat. 267
Tythea vxor Iani, eiusq; nomina. 241

Valeria via Meſſanæ. 46
Valerius Coruinus Meſſanam pro Romanis capit. 46
Valentinus, Innocentius, Magnus Belliſarij in Sicilia Duces. 399
Vallis Noti regio. 213
Vallis Mazaræ Carthaginenſium prouincia. 329
Vallum Syracuſanis eripitur, ijdemq; ab Athenienſibus ſuperantur. 281
Vandali in Africa deleti. 398
Varia de Archimedis obitu opinio. 104
Vaticinium de Amilcare pronuntiatum. 347
Velum. D. Agathæ incendijs Aetnæis reſiſtit. 61
Veneris ara apud Elymã ab Aenea erecta. 171
Veneti claſſem Syracuſanam incendunt. 592
Veneti re Sicilienſi infecta domum redeunt. 410
Ventum tenens inſula. 8
Vergilius de Scordia Catanã Roberto tradii. 511
Vetus Panormi vrbs a Romanis capta. 368
Vgo Gazetta Siciliæ pro Rogerio Præſes. 435
Vgo Panormitanus Archiepiſcopus, & Maio in Guilelmum malum conſpirant. 446
Vgo Archiepiſcopus Panormitanus moritur; 455
Vgo de Empurijs Catana pellitur. 511
Vgo Montecatinus Siciliæ Prorex. 596
Vgo Montecatinus Panormo expellitur. 599
Vgonẽ Carolus Cæſarẽ Sicilia ad ſe accerſit. 601
Vgo Montecatinus Gerborum inſulam in deditionem accipit. 606
Via cooperta Panormi. 173
Victoria aurea Romanis ab Hierone donata. 376
Victoria Romanorũ apud Adyn Libyæ vrbẽ. 367
Victoria Romanorum de Carthaginenſibus. 367
Victoria Romanorum in prælio nauali contra Carthaginenſes. 365
Victoria Normannorum apud Ennam de Saracenis. 428
Victoria Chriſtianorum contra Sarracenos apud Ciramim. 431
Victoria nualis Artalis Alagonæ contra Neapolitanos. 561
Victoria vrbs a Friderico condita. 482
Viẽna Auſtriæ vrbs a Solymãno oppugnat. 600
Vineæ Catanenſium pagi. 56. 208
Vinciguerra Palicius Siciliæ Cancellarius. 409
Vitiges Siciliæ Rex. 399
Vitis in Sicilia ſua ſponte naſcitur. 17
Virgines Cocali filiæ Minoem necant. 251
Vizinis oppidum. 119
Volaterani error de Selinunte. 148
Volaterranus in Roberti Guiſcardi genealogia errauit. 427
Votum Rogerij Siciliæ Regis in naufragio. 198
Votum Locrenſium de virginibus proſtituendis. 310
Vrbanus. 2. Pont. max. Rogerium in Sicilia inuiſit. 438
Vrbes in Sicilia Carthaginenſibus confœderatæ. 342
Vrbitellum oppidum a Petro ſecundo Siciliæ Rege incenſum. 521
Vſtica inſula. 6
Vulcania inſula, eiusq; nomina. 5
Vulcania quando enata. 5
Vulcaniæ ignes, cæteraq; eius miracula. 5
Vulcanellus inſula. 6
Vulcanius collis priſcis miraculoſus. 22
Vulcani templum & lucũ canes aſſeruabant. 63

Xenocrates Agrigentinus. 137
Xenodichus Agrigentinorum Dux. 347
Xenodichus ab Agathocle profligatus. 352
Xenodochium Panormitanum. 174

Digitized by Google

Xenophanis philosophi sepulchrum apud Catanam. 65
Xillatus pagus, & fons. 197
Xiphij pisces græco sermone ad capturam alliciuntur. 21
Xiphiorum piscium captura, 21
Xiphonium promontorium, 55
Xiphonius fons. 53
Xuthia ora, 71. 249

Thadedæ flu. ostium, 76
Thalcia Panormi regio, 184
Thalicis stagnum, 146
Tharaffus Panormi fons, 159
Thammeth balneæ. 169
Thomisum oppidulum, 117
Tholisanum oppidum, 212

Zacynthij Dionis interfectores, 322
Zancla vrbs vnde dicta. 43
Zanclus gigas. 43
Zancla a quo condita. 43
Zanclam prædones Cumani occupant. 44
Zancla ab Anaxila occupata. 44
Zancla ab Anaxila deleta. 44
Zancloti fons Messana. 49
Zanclotus Rex. 44
Zephyrus insula Alicarnasso olim coninens. 16
Zoe mater Constantini Siciliæ Regina. 413
Zotica vrbs a Rogerio deleta. 436

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google